This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Lc 38.567

Harvard College
Library

VE RI TAS

FROM THE FUND GIVEN BY
Stephen Salisbury
Class of 1817
OF WORCESTER, MASSACHUSETTS
For Greek and Latin Literature

M. TULLII CICERONIS

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBRI QUINQUE.

D. IO. NICOLAUS MADVIGIUS

RECENSUIT ET ENARRAVIT.

EDITIO ALTERA EMENDATA.

HAUNIAE MDCCCLXIX.

IMPENSIS LIBRARIAE GYLDENDALIANAE (FREDERICI HEGEL).

TYPIS THIELII

567

1871, Oct. 14.
Salisbury Fund.

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

4723
57.141
HP

PRAEFATIO NOVAE EDITIONIS.

Librum veterem edo universa forma et descriptione non valde mutatum, singulatim non ita leviter correctum et emendatum. Id enim redemptori, cum per aliquot annos a me hanc editionem flagitasset, tandem promisi iisque, qui ad emendum librum invitarentur, promitti iussi. Nam si nunc primum hos Ciceronis libros recensendos et enarrandos sumpsissem (quod non facile in animum induxissem), nemo, opinor, dubitabit, quin annotationis criticae et enarrationis formam aliquanto aliter descripturus et brevioribus finibus inclusurus fuerim. Constituto enim semel, ut olim feci, in bonis codicibus recensionis et emendationis fundamento, quoniam nunc et hos ipsos codices certius et plenius novimus et de toto hoc genere philologi melius iudicare didicerunt (etsi non desunt, qui aut ad veteres errores relabantur aut novos addant recteque praeceptis male utantur), omnem fere vulgarium codicum commemorationem, eorum praesertim, quorum scriptura annotari breviter nequit, quod aut raro appellantur aut neglegenter collati sunt, omisissem nec, quid ex his codicibus aut coniectura veteres superiorisque aetatis editores magna saepe inconstantia et casu interveniente scripsissent, percensuissem, cum satis esset ea ponere, quae quisque primus recte emendasset aut, si multum, ea quoque, in quibus appareret aliqua ad rectum

inveniendum progressio aut denique dubitatio admonitione digna. Deinde incredibilem Goerenzii inscitiam, ignorantiam, perversitatem per hos et alios Ciceronis libros grassatam et aliorum, etiam eorum, quos illius superbiloquentia deceperat, errores perpetua refutatione et insectatione indignos iudicassem. Verum haec nunc de commentariis ante multos annos compositis detrahere et resecare, praeterquam quod alioquin molestum multique temporis erat, ne propterea quidem licebat, quod magnam partem cum iis disputationibus admonitionibusque, propter quas novam huius libri editionem a nonnullis expeti credebam, ita connexa copulataque erant, ut divelli vix possent. Et, ut verum fatear, fortasse ne nunc quidem inutilis erit neque illa, in uno saltem Ciceronis opere, perpetua declaratio, quam misere homines luserint codicum interpolatorum ludibria leviumque suspicionum commenta, et quam lente instabilique gradu ad certiorem Ciceronianae orationis formam perventum sit, neque haec inanis et impudentis loquacitatis, quae neque res et sententias intellexerit neque sermonis leges motumque tenuerit animadverteritve, aut incertae fluctuantisque opinationis in multiplicibus exemplis demonstratio et reprehensio cum rectae rationis explicatione et cum libero quodam de ipso Cicerone iudicio coniuncta. Cum itaque universi libri eam formam, quae olim effecta esset, servari placuisset, restabat, ut omnes eius partes, adhibitis etiam, si qua alii post a. 1839 prudenter et utiliter ad hos libros emendandos enarrandosve contulissent, ad id, quod nunc mihi in quoque loco verum et rectum videretur, exigerentur. Ac primum, cum Halmius et Baiterus, quorum hic hos libros bis recognovit (1861 et, consociata cum Kaysero edendi opera, 1863), codicis antiquissimi et optimi, Palatini primi, scripturas plene annotatas edidissent adiecissentque alterius e meliore genere codicis Erlangensi simillimi collationem de ipsoque Erlangensi diligentius inspecto plenius et rectius pluribus locis tradidissent (de qua subsidiorum accessione quae necessaria dictu erant, superiori praefationi interposui), omnem

Ciceronis orationem denuo cum codicum fide dignorum testimoniis contendi ponderatisque rationum momentis constitui, non sane multum ab ea forma digressus, quam ante secutus eram quamque et Klotzius et Baiterus fere tenuerant; prorsus enim se mihi, si summam rei spectes, probavit. Sed tamen et minora, velut in verborum ordine, non ita pauca, quae antea incerta erant, ad firmiorem codicum fidem revocavi, praeeunte in multis Baitero, et in iis, quae sententiam aut rectam orationis formam propius attingunt, aliquotiens, mutata superiore scriptura, aut ipsam simpliciter codicum fidem certius perspectam et ratione comprobatam secutus sum (ut II, 21, 52, 87, 94, III, 11, V, 20, 33) aut ex eorum vestigiis coniectura verum erui (ut II, 78, 94, III, 63, IV, 10, V, 16, 80, quibus locis adiungi debuerat IV, 65 *senescit*), uno et altero utriusque generis loco a Baitero occupato (ut II, 36, 107, 119), quasdam meas Wesenbergiique aliorumque suspiciones, quas antea in annotationibus reliqueram, aut novis indiciis corroboratas aut aliorum consensu comprobatas, praeeunte partim Baitero, in contextum orationis recepi (ut IV, 6, 18, 61, 67, 70, V, 43, 72); aliquot denique novas suspiciones ut incertas in annotationibus posui (ut II, 33, III, 2, 15, 31, 51, 52, IV, 13, 37, 44, V, 23, 60, 69, 80). Aliorum coniecturis nuper propositis non ita multis locum dare potui, ut Lachmanni II, 24, aut saltem eas in annotatione probare; multo plures improbandae fuerunt, de quibus, si opus videbatur, breviter dixi; quaedam me sine dubio fefellerunt. Alani, Hiberni, editionem (Dublini 1856), et L. Vaucherii, Genevensis, hominis erga me benevoli, sed nimis temerariis commentis (etiam de ipsius Ciceronis correctionibus et additamentis) indulgentis libellum, quem Curas criticas in Ciceronis libros philosophicos inscripsit (fasc. 1, Lausannae 1864), de industria non commemoravi, ne suspiciones inutiles ad hominum notitiam protraherem aut etiam refutarem. Varietatem scripturae commodiore forma posui. In commentariis praeterquam quod ea, quae iam in superioris editionis fine addenda et corrigenda dixeram, suis locis addidi et correxi,

pauca, quae nec utilia nec cum ceteris connexa videbantur, rescidi; correxi in iis, quae de antiquis editoribus cum superioribus, tum Ascensio, Manutiis, Lambino tradita erant, multa minus recte scripta, non ita pauca etiam de Th. Bentleio, Davisio, Ernestio, Bremio, quorum errorum emendatio omnis debetur Oscaro Siesbyeo, qui cum in omni hac opera fidelissimus mihi adiutor fuit, tum hanc partem solus tractavit; eratque fortasse plura correcturus, nisi ego festinassem. Quae ad sententias Graecorum philosophorum a Cicerone positas aut significatas declarandas dicta erant, paene intacta reliqui; nam ubi in ipsis rebus nihil novi esset, libros recentiores de philosophiae historia, in quibus eadem traderentur, appellare pro iis, quos ante appellaveram, operae pretium non videbatur. Ex iis, quae de sermone Latino rebusque grammaticis annotata erant, unum et alterum sustuli, velut ad IV, 20, pauca contraxi, multa limavi accuratius, quod in quibusdam feceram iam alibi, maxime in artis Latinae libro (tertiae editionis), alia amplificavi exemplorum copia, quorum maiorem partem contulit plurimaque etiam, quae ad correctionem illam pertinerent, admonuit idem Siesbyeus, diligentissimus talium observator.

PRAEFATIO PRIORIS EDITIONIS.

Duo sunt, opinor, quae lectores a me hoc loco requirent aut, si non requirent ipsi, rogandi mihi sunt, ut benevolo animo et attento accipiant. Nam primum dicendum est de horum librorum, quos Cicero de finibus bonorum et malorum scripsit, emendatione et enarratione et universae operae a me in iis positae ratio sic explicanda, ut, quae in commentariis disperse posita sunt, ea ad suas causas generatim revocata et intellegi plenius et iudicari rectius possint. Quo loco etiam illud efficere conabor, ut libertas quaedam et simplicitas iudicii et orationis, a qua ne hic quidem discedam, merito et necessario adhibita esse videatur. Deinde, quae de Ciceroniani operis forma atque descriptione scitu digna videbuntur neque in commentariis aut per excursus exposita, comprehendam et ab iis ad ipsos libros lectores mittam. Sed prior illa disputatio, cuius magna pars apparatus critici explicatione continebitur, cum sua natura maiorem necessitatem habeat quam delectationem in rebus minutis per ambages persequendis, tum molestior fit, quod plus verborum consumendum est in eorum codicum commemoratione, quos parum novimus, quam in eorum, quorum plenus usus concessus est. Itaque deprecor, ne mea existimetur culpa, quae superiorum est.[1])

[1] [Quaedam nunc hic illic contraxi.]

I.

§ 1. Si cui hoc negotii datum sit iudici, ut, cum, quid aliquando ab aliquo dictum sit, multi non satis constanter narrent, reperiat, quid in ea re verum sit, is, si prudens sit, non solum hoc spectet in testibus audiendis, quam quisque per se ipse fidei opinionem afferat, sed ante omnia quaerendum sibi putet, quis a quo audierit, ut sic magnam et inconditam testium turbam ad paucos et certos redigat, a quibus ceteri rem acceperint; cum autem eos invenerit, et illos alteros neglegat et hos quasi primi ordinis testes sic comparet contendatque, ut, quantam quisque sequentium multitudinem trahat, nihil ad rem pertinere iudicet. Nec aliter faciet peritus iudex, cum ex multis tabularum exemplis quaeretur, quid in uno aliquo testamento, quod non extabit, scriptum fuerit, nisi quod, quae illic de fama pervagata hominum confessione reperiebantur, hic de scriptura propagata indiciis deprehendenda sunt tacitis. Ab hac quaestione universo genere non distare eam, quam philologi in veterum operum codicibus manuscriptis instituunt, nec aliter esse tractandam, non ita multi sunt anni, cum intellectum est, neque etiamnunc ab omnibus intellegi videtur. Nos, antequam ita testes generatim distingvere et separare aggredimur, dicemus primum, qui omnino auditi sint, exponemusque, qui a quibus et quomodo codices adhibiti ita sint, ut ex perpetuitate quadam, quamvis minime plene, cognoscantur, non uno alterove loco occurrant. Nam hos Manutii, Lambini, aliorum libros commodius in posteriorem locum reiciemus.[1])

---

[1]) In locis Ciceronis ascribendis ubique minorum tantum particularum, quas paragraphos appellamus, numeros pono, nisi si qua singularis causa est capitis (c.) notandi. Appello nostro more *editionem, contextum*, similia, cumque omnem in his superstitionem vanam arbitror, tum perridiculam eorum in talibus curam, qui in verborum usitatorum usu et in sermonis iunctura singulis fere versibus peccant.

A. (*Editio Coloniensis et Romana.*) Primum igitur in agmine locum obtinent illi codices, e quibus primum hi Ciceronis libri typis descripti toti sunt, non hic illic correcti, quales editiones principes appellare consvevimus. Primum autem omnino typographica arte libri de finibus editi sunt Coloniae ab Udalrico Zell a. 1467, cuius editionis index descriptus est apud Orellium Onomast. Tull. vol. I p. 325. Eius ego editionis exemplar, quod in bibliotheca regia Hauniensi est, cum meae editionis contextu contuli et scripturas discrepantes littera C notavi. [Ex ea pendet prorsus editio Veneta a. 1471, cuius nunc usurpandae copia fuit. Contra] e codice manuscripto nonnihil diverso expressam esse editionem, quae a. 1471 Romae a Conrado Sveynheym et Arnoldo Pannartz emissa est (Orell. ibd. p. 307), monstrabit scripturae discrepantia a me annotata (R). Est enim huius quoque editionis exemplar in bibliotheca regia. Ceterae omnes editiones, quas novi, ab hoc loco et gradu exclusae sunt.

B. (*Margo Cratandri.*) In marginibus eius exempli operum Ciceronis, quod a. 1528 Basileae prodiit ex aedibus Andr. Cratandri, ut ad alios libros, sic ad hos, quos tractamus, non undelibet, sed, ut res et collatio ceterorum codicum docet, ex uno optimo codice multae annotatae sunt scripturae (paulo plus quam 260 locis). Paucis locis in contextum e vulgaribus libris, conquisita undique interpolatione, compositum ex illo codice receptae videntur scripturae meliorum codicum propriae, quae in superioribus editionibus non sunt, ut II, 73 *si pudor*, 75 *cum dicitis*, 102 *quamvis*, 104 *an quis alius*, III, 2 *nec vero ita ullum .... quod*, IV, 2 *inquam*, aliae. Rarissime in margine inter codicis scripturas intermiscentur, quae coniectura nata deprehendas, ut II, 21 *quod reprehenderem*, 24 *necesse est*, 94 *etsi qui potest*, 117 *honestas* (recte).

Illud in ea aetate facile credas, interdum in codicis scriptura cum contextu comparanda aliquid, quod ad ordinem verborum similesve minutias pertineat, non satis dili-

genter esse expressum. (Ipse has scripturas excerpsi nec cuiquam de iis credidi.)

C. (*Codex Morelii.*) Gulielmus Morelius Tillianus in Observationum in Ciceronis libros de finibus commentario (Paris. 1546; vid. Orell. Onom. I p. 326) usus est codice perbono et ex eo multas scripturas protulit. Eo libro, praeter Scaligerum (apud Gruterum ad II c. 21 et IV c. 6) et Guyetum (apud Davisium) nemo ex iis, qui ad hoc Ciceronis opus emendandum aliquid contulerunt, usus erat ante Orellium; post hunc, qui et minora quaedam omisit et, ut fit, in nonnullis erravit, ego studiose adhibui, quidquid de codice traditum erat. Secrevi, ut par erat, quae Morelius non in suo codice, sed „alibi", „in aliis libris" legi ait. Ipse Morelius interdum aberrasse in scriptura enotanda videtur, ut III, 15 (*magis idem declaret usitatum* pro: *idem declaret magis usitatum*); interdum is, ut alii, tantum partem scripturae codicis posuit, ut II, 30. Saepe parva annotat; alibi maxima praetermittit.

D. (*Codices Gruteri.*) Ianus Gruterus (a. 1618) sex usus est codicibus Palatinis, quorum primum iure laudat ut optimum, eundemque antiquum fuisse significat. Eum Gruterus in libr. IV § 16 huius scripturae testem citans: *artes quoque requisitas*, ibi desinere scribit. Horum codicum Gruterus multas scripturas annotavit, plures, etiam Palatini primi, omisit; nec eas, quas annotavit, satis semper diligenter neque plene posuit, sed tantum eam partem, quae in oculos incurrebat, ut II, 26 et 30, quae exempla pro multis sufficiunt. Particula *sic* (*sic Pal. 1*, *sic omnes Pall.*) interdum ita ponitur, ut non ad omnia ea verba, quae praescripta sint, pertineat, sed ad unum aliquod, de quo Gruterus cogitabat, aut plura; velut II, 45 in Pal. 1 non erat *datam mentemque et acrem*, sed *datam mentemque acrem*; remansit *et* ex superiorum editionum scriptura. Neque illa affirmatio ad verborum praescriptorum ordinem pertinet, ne ibi quidem, ubi in eo res vertitur, ut I, 10: *vel nobis dicam*, ubi certum est in Pal. 1, ut in ceteris bonis, fuisse: *nobis vel dicam*. Praeter

eas scripturas, quas Gruterus in notis posuit, unam et alteram, minoris fere momenti, tacite e Pal. 1 sumpsisse videtur, quae neque ante eum reperitur et nunc a codice Erlangensi confirmatur, ut I, 56 *sit non dolere*, II, 20 *eam ipsam*, 45 *aliis multis*, 59 *deque his rebus*, 84 *possit rationi*, 85 *igitur ipsum*. (In quinque e sex locis tantum verba transponuntur.) [Haec nunc omnia confirmantur, toto codice, qui in bibliotheca Vaticana servatur inter ceteros Palatinos eo translatos, n. 1513, membranaceus, saeculi undecimi, a Carolo Prienio diligenter collato, quam collationem ex Halmii et Baiteri editione totam quam potui accuratissime in hanc transtuli ad nostrum contextum accommodatam, ut, si de eo in varietate scripturae siletur, cum contextu consentire intellegatur. Tantum retentam mutatamve in accusativis tertiae declinationis antiquiorem terminationem (*omnis*, *omnes*), quam inconstantiam Baiterus in suo contextu expressisse videtur, nolui inde excerpere. Codicem ut Baiterus A appellavi; numerus additus antiquam manum et recentiorem distingvit.]

Praeter ipsius Gruteri codices „Daniel Heinsius misit ad eum Iosephi Scaligeri librum, cui magnus ille vir ascripserat lectiones variantes codicis veteris“ (Grut. ad I c. 2). Is codex apud Gruterum Scaligeranus appellatur, interdum Scaligerani libri margo (ad I, 16), hoc est, non codicis manuscripti margo, sed scriptura ex illo in margine exempli editi annotata; eodemque modo illa intellegi Gruterus voluit, quae ambigue et neglegenter posuit: „Scaliger ad oram libri sui“ (ad I, 7) aut: „Sc. ad oram libri allevit“ (ad I, 12) aut: „Sc. libro suo ascripsit“ (ad II, 16 bis) sive „ascriptum habet“ (ad II, 18); quamquam interdum, etiam ubi aperte codex appellatur, aut coniectura subesse videtur aut scriptura ex alio deteriore codice annotata, ut I, 7 (*non male*), II, 66 („Scaligeri vetus habebat *testata vim*“ cum El. 1), III, 42 (*ratione eorum qui*). Illud mirum, quod ad quartum librum subito haec obiciuntur: „quomodo (*etiam explicandae rationis*) etiam laudat ex Cuiacii, puto, membranis Scaliger“ (ad c. 7, 18) et haec: „Aptius *libellis*, quod e Cuiacii codice annotatum a

Scaligero illo nostro“ (ad c. 9, 22). Dubites igitur, idemne hic sit atque is, qui ceteris locis Scaligeri dicitur, et unde id de Cuiacio Grutero innotuerit. (Ter Gruterus codicem Tusani, quem Gulielmus inspexerat, appellat, qui duobus locis vitiose Tusanus codex scribitur; fuit enim Iac. Tusanus Graecae lingvae professor in academia Parisiensi saeculo XVI.) Gruteri editione ipsa, non Gronoviano exemplo usus sum.

E. (*Codices Gronoviorum.*) Iac. Gronovius, cum Gruteri editioni repetendae praeesset (a. 1692), usus est duobus codicibus, altero patris Io. Frederici, quem hic ex aliqua parte contulerat cum edito contextu, deinde filius inspexisse se testatur (ad IV, 34), altero suo; sed hunc fere tantum in mendis typographicis editionis Gruterianae tollendis appellat; nec erat ullius pretii; apud me Gronovii codex semper Io. Frederici intellegitur.

F. (*Codices Davisii.*) Io. Davisius (a. 1728) usus est octo codicibus, Eliensibus duobus, Balliolensi, Meadiano, Pariensibus tribus, Cantabrigiensi Collegii Corporis Christi (CCC), e quibus Parisienses Io. Walkerus contulerat, sed usus est cum supina quadam neglegentia. Non iam hoc dico, tantum hic illic inspectos et commemoratos esse codices, ubi aliquid animum pupugisset, tanta inaequalitate, ut modo *et*, *ac*, *que* codicibus adhibitis permutet, modo in foedissimis mendis eos non curet; sed primum, etiam ubi codices inspexit, saepe tantum eos inspexit, quos casus obtulerat. Velut in I, 25 narrat se „vocem *Triari* fide Msti Balliolensis praetermisisse“, quam certum est in nullo eius codice fuisse, ut in nullo alio fuit, sed eius loco in nonnullis *Troii*; II, 8 scribit in CCC, Mead., El. 1 esse *hiarent*, quasi in ceteris sit *hiaretur*, quod fortasse in uno El. 2, melioris generis, erat, in ceterorum nullo. Saepe in mendis typographicis superiorum corrigendis parte codicum utitur, cum deberet omnibus, ut I, 40 *facillime* ait esse in Parr. tribus, Eliensi utroque, quod erat non minus in reliquis tribus. Multis locis, ubi tantum duae scripturae sunt, utrique unum et alterum assignat codicem, ceteros omnino dubios relinquit; ut I, 30 *ad naturam* dicit

esse in Parr. 1 et 3, in El. 1 et Ball. *secundum naturam*, ut in ceteris quattuor nescio quid aliud fuisse putes. Ne iis quidem, quae probat, plene testimónia ascribit; nam II, 12 Palatino 1 et Victorio credit delenda haec esse: *sed forte dicitis*, in reliquis fere codicibus ait esse. Et tamen saltem in CCC (Ox. ξ) ea verba scripta non esse, Oxoniensium testimonio scimus. Deinde Davisius saepissime codices permutavit et permultis locis de scripturis plane falsa prodidit. Quorum utrumque ne obscurioribus indiciis coarguam, utar duobus certissimis et manifestissimis. Primum habuit duos codices Elienses, genere, ut infra ostendam, diversos. Iam infinitis locis non distinxit, utrum codicem Eliensem diceret, ut in prima mentione ad I, 1 (*tantum reprehendunt*); saepe „El. unum“ appellat. In postremis libris ita prope constanter tantum Eliensem (etiam *Eliensem nostrum*) nominat, non addito *unum* aut *alterum*, ut, etiamsi iniuria, non tamen sine causa dubitatum sit, duosne habuisset.[1]) Ego arbitror, ita excerptas fuisse utriusque codicis scripturas, ut difficulter distingvi possent; eam curam Davisium, cum longius procedenti molesta fieret, prorsus abiecisse; atque iam ante saepe priorem et secundum appellando permutatos puto. Alterum argumentum summae neglegentiae hoc est. Duo codices, quibus Davisius usus erat, alter Collegii Corporis Christi, alter Balliolensis, postea in editione Oxoniensi saltem diligentius quam a Davisio adhibiti sunt, ut iis, quae affirmantur, credi possit, appellatique ille ξ, hic ψ. Atqui de dimidia parte scripturarum, quas Davisius annotavit (annotavit autem vix

[1]) Goerenzio praef. p. V El. 2 (scribit 1, sed meliorem significat, quem ipse postea recte 2 fuisse dicit) videtur „cum tertio libro finivisse“; nam inde unius modo El. mentionem fieri, sed nullam ex eo probabilem scripturam erui posse. Sed Davisius et ad IV, 28 duos codices Elienses discrepantes commemorat et non paucas melioris familiae veras scripturas postea ex El. profert, ut 39 (*concluderent*), 65 (*his — omnes*), V, 50 (*incommodatura*), 56 (*sessiunculas*), 58 (*scientia tum*). Illo autem modo, ut simpliciter Eliensem dicat, loquitur Davisius iam in prima et tertia nota ad libr. I.

decimam partem), prorsus aliter apud Oxonienses traditur [Davisianae editionis nunc exemplo a. 1741 vulgato usus sum, antea Rathiano usus eram.]

G. (*Codices Oxonienses.*) In ea editione operum Ciceronis, quae anno 1783 Oxoniae facta est, ad hos libros variae scripturae annotatae sunt e quinque codicibus, quos partim multis annis ante Th. Hearnius tractaverat, partim, qui editioni ipsi praeerant, sive is unus fuit, adhibuerunt. Ex his qui littera E signatur, codex erat membranaceus bibliothecae Bodleyanae, scriptus Florentiae a. 1459, ceteros quoque Ciceronis de philosophia libros continens; U codex membranaceus bibliothecae collegii Lincolniensis, eosdem libros complectens, scriptus a. 1420; ξ Collegii Corporis Christi erat, scriptus a. 1472, „parum accuratus", hos solos libros complectens; χ tradunt Collegii Novi esse, chartaceum, accurate scriptum, annorum fortasse (illo tempore) CCCL; continere etiam Tusculanas; ψ volumen esse quartum codicis e quinque voluminibus constantis, quae Florentiae a pluribus librariis scripta sint, secundum a. 1447, quintum a. 1445; in quarto libros de philosophia contineri. Hi codices ita collati videntur, ut iis, quae affirmantur, fere credi possit, cum praesertim vix lectu difficiles fuerint. Sed primum verborum ordo nusquam fere annotatur, ne ibi quidem, ubi eius mutatione tota sententia alia fit. Itaque et II, 24 editur *Laeliu' praeclare* neque quidquam annotatur, et II, 71, cum cetera editores posuissent, de mutato loco verbi *obtinere*, sine quo intellegi interpolatio nequit, nihil dixerunt. Quin V, 86 cum editores assensi essent Lambino et verba *ut ait Theophrastus* transposuissent, ex ξχψ annotatus est dissensus, quod ad totam sententiam pertinebat, ex EU nihil ascribitur; nam cum totidem verba essent, nihil interesse iudicatum est, quo loco essent. Sed praeterea in nonnullis ex his codicibus conferendis non pauca omissa videntur, maxime quidem in U et ψ. Horum prior a recentioribus editoribus interdum propter silentium auctor citatur eius scripturae, quam in eo expectari nullo

modo patiantur ea, quae proferuntur, prorsus omnia cum infimis codicibus conspirantia. Eo cum accedat, ut ex hoc codice multo pauciores scripturae quam ex ullo alio annotentur, et ut de eo per totas paginas silentium sit, in quibus plane incredibile est eum consensisse cum contextu Oliveti undique conflato (velut in libro I inde ab *afferret* in § 55 ad *monstrosi* in § 61), apparet, quid rei sit. Sed idem accidit in ψ, e quo inde ab I, 52 (*ingenia* pro *ingenii*) nulla profertur scriptura usque ad 62 (*migrare e* pro *migrare de*), neque tamen ulla codicis lacuna annotatur. Itaque silentio codicum Oxoniensium pro testimonio uti, nisi ubi aliquid aliunde confirmationis accedat, imprudentissimum est. [Olim usus eram in his nullius auctoritatis codicibus exemplo Halensi a. 1827, nunc ipsa usus sum editione Oxoniensi.]

H. (*Codices Goerenzii.*) Io. Aug. Goerenzius (1813) usus est codice Erlangensi, quem ipse contulit, de quo codice post dicam, Guelferbytanis duobus, quorum Gudianum 1 dicit saeculi quinti decimi fuisse, Gudianum 2 Heusinger, qui Guelf. 1 appellat, in praefatione editionis librorum de Off. circa a. 1300 scriptum dicit; Bremius, qui scripturas eius a Fr. A. Wolfio acceptas hic illic profert, in libris de finibus a neglegenti admodum librario scriptum ait; praeterea Goerenzius habuit scripturas duorum codicum, Spirensis et Basileensis, a Wegelio quodam Basileae a. 1698 plene, ut videtur, et diligenter excerptas et in margine exempli Manutiani a. 1565 annotatas;[1]) postremo in libris duobus ultimis aderat scripturae varietas e codice Monacensi n. 328 (saeculi, ut mihi scriptum est, XV) a Fr. X. Werfero enotata. Sed quemadmodum Goerenzius in toto hoc negotio codicibus utendi versatus sit, si paucis dixero, vereor, ut turpitudinem flagitii satis demonstrem, sin autem pluribus dicere incepero, ne supervacaneam operam sumpsisse videar. Dicam tamen,

---

[1] Hunc librum, quo Goerenzius etiam in Academicis usus est, nusquam dicit, unde habuerit. Ego quaerendo per litteras nihil comperi, nisi neque Lipsiae neque Zviccaviae esse.

quantum res postulat, ne de mea fide dubitetur, cum de uno praestantissimo codice omnibus fere paginis meum testimonium a Goerenzii discrepet, neve imperiti certis auctoritatibus inanem speciem codicum Goerenzianorum opponant et ex eius erroribus novos procreent. Goerenzius igitur non solum, quas ei placuit, scripturas e codicibus suis excerpsit, ceteras saepe optimas et maxime notabiles omisit, aut subinde minus plene et accurate, quid in codicibus esset, tradidit, sed ita graviter ubique erravit, ita multas scripturas confinxit, ita nomina codicum permutavit, quae in optimis erant, pessimis tribuit, quae in pessimis, optimis, ita etiam in iis locis, ubi ab aliis admonitus erat, ut attenderet, de falsis asseveravit, ut nihil umquam ulla ex parte simile viderim et, nisi mihi stupor hominis et perversitas in ceteris quoque rebus perspecta essent, vix meis ipse oculis crediturus fuerim. Ac poterat iam ante magna ex parte intellegi, quae fides Goerenzio deberetur, attigeratque Orellius suspicione, quod tam saepe quasi dedita opera falsa de editis libris et aliorum codicibus narravit. Non pauca enim similia sunt ei, quod ad I, 39 commisit, ubi cum ad haec verba: *statua porrecta manu, quae manus significet* Paulus Manutius annotasset repetitionem substantivi post pronomen relativum non insolitam esse, sibi tamen in mentem venire, additum fortasse esse *manus* ab aliquo, qui vereretur, ne ad statuam potius quam ad manum pronomen *quae* referretur, hinc apud Goerenzium haec nata sunt: „Nugas autem tractat Davisius (— at is ne verbo quidem hunc locum attigit —), cum *manus* ideo abesse velit, ut *quae* ad *statuam* referatur“ (!!). De Cratandri quoque margine saepe graviter errat, interdum usque ad summam mirationem, ut cum id, quod in una Gruteri editione a typographo depravatum est, in ceteris omnibus legitur, ibi pro varia scriptura annotari scribit (ad V, 91). De editione Marsi quaedam exempla infra ponam. Nunc cum codicem Erlangensem iterum collatum habeam, praeterea ad deteriorum codicum consensum et discrepantiam perspicienda idoneam materiam collegerim,

omnis foeditas aperta est.[1]) Atque omissarum primum scripturarum optimarum eorum codicum, quos ipse praestantissimos esse intellexerat, gratiam ei faciamus; neque enim aliter fieri poterat, cum semel eiusmodi homo sibi delectus habendi ius sumpsisset. (Exempla ex initio libri I haec sunto ex Erlangensi: § 3 *deducat*, 4 *e Graecis*, 10 *ut dicam*, id est, *vel dicam*, in loco vexatissimo, et *possum* et *ne* (etsi hoc est omnium codicum), 14 *Aristoteli*, 15 *ego*, 17 *Democritia dicit* cett.) Multo minus reprehendamus, quod non indicat, e quibus codicibus aliquid ponat, cum ex optimis sumpserit, ut I, 4 (*nomini paene*). Non valde mirandum iudico, quod etiam, ubi de scriptura disputat, codices suos neglegit, ut ad I, 5 annotavit, recte Bremium *tam* revocasse, quod a Davisio et Ernestio in *tantum* mutatum esset; in suis codicibus esse *tantum*, ut in omnibus omnium fuit et Davisius de suis dixerat, non attendit. Ne eiusmodi quidem graves errores miror, quales asseverans et alios etiam corrigens in uno codice Erlangensi committit (ut exempla e parva parte libri secundi sumam) II, 78 (de *et* omisso et de *quidem*), 79 (de omisso *Siculo*, cum id, quod habet Erl., ex aliis proferat et probet), 80 (*in amicitiis tuendis*), 82 (*multis modis*), 95 (*turpe viri non esse*, ubi Palat. 1 errore comprehendit). Illa iam foediora, quod non solum omnia confundit, ut I, 30, quae verba in optimis codicibus non esse scribere debebat, in iis esse scripsit, in ceteris non esse, et quod, quae nusquam fuerunt, confinxit, ut ad III, 11 vulgo legi *quaero* et ita esse in Erl. et Spir., quod neque in ulla editione neque in illis codicibus scriptum est. Sed illa foedissima, in quibus, cum ab aliis admonitus esset, ut caveret, tamen aperte falsa scribit, ut I, 39 cum ipse narrasset in Pal. 1 esse: *nec ulla par vacuitate*, in margine Crat. *ut ulla pars vacuitate*, et Davisii coniecturam inde natam commemorasset, non vidit,

---

[1]) [Uno et altero loco Goerenzio iniuriam feceram, mea collatione nimis fidens, uno ipse errans. Eos nunc delevi.]

in Erl. esse perspicue: *ut ulla pars vacuitate*, sed tantui *ut ulla* protulit. (Cfr. I, 20 de *geometriam*, 34 *atque tur bentur.*) Ad II, 13 cum Davisius non recte credidisset, ad dendum esse ἡδονή post *Graece*, Goerenzius in Erl. et Spiı id vocabulum Latinis litteris scriptum esse plane somniavit Eadem perversitate II, 24 non, ut Gruterus et Davisius fe cerant, tacet de *cognitu*, quod post *in quo* codices addunt sed „suos id ignorare" scribit. Iam illud quale dicam, quoc II, 77, cum Gruterus e Pal. 1 et Scalig. protulisset *profitendae* idque Davisius probasset addito El. 1 (si modo prior fuit testimonio, Goerenzius audet scribere, „neque Gruterum quid quam de Pal. 1 monere nec suos illos binos a vulgata discedere" Et habebat omnibus litteris perscriptum in „suis illis binis" *profitendae.* (Cfr. III, 53 *haec posita.*) Sed, ne infinitum sit unum socordiae cum pari stultitia coniunctae exemplum ad dam, quo nihil magis ridiculum excogitari potest. Nam V, 41 in editione Bipontina errore scriptum est: *si, ut initio dixi* — *si* (pro *se*) *quisque cognosceret.* Eum errorem cum Goe renzius repetisset, quasi oculo altero semiaperto vidit in codice Erl. esse *se*, nec tamen evigilavit, ut id in omnibus codicibus et superioribus editionibus esse nec sine eo ullam esse sententiam animadverteret, sed, qualia permulta gravissime Dei Somni oracula edit, narrat recte repeti *si* (*si si cognosco* pro *si me cognosco*), hoc confundens cum condicione propiore subiecta condicioni generaliori (vid. ad II, 112). Iam quem sic in Erlangensi codice errare videmus, quem ipse in manibus habebat, quid huic accidisse putamus in scripturis codicis Spirensis et Basileensis, quibus antequam uti posset. ratio habenda fuerit contextus Manutiani, quocum illi collati essent? Illud unum praeterea animadverti velim, saepe eum, cum vere scripturam aliquam ex uno duobusve codicibus proferre posset, falso *omnes suos*, *multos* appellasse, ut cum proprias melioris familiae scripturas commemorat, quae in Erl. et Spir., interdum in uno praeterea erant. Neque ego in omnibus huiusmodi locis cautionem ascripsi, cum ad rei

ipsius diiudicationem nihil pertineret scire, quantum erroris veritati admiscuisset.[1])

Iam ante Goerenzium F. C. Alter, cum hos libros cum Academicis, Tusculanis, libello de fato Vindobonae a. 1786 ederet, in libris de finibus annotaverat discrepantiam scripturae e codice Vindobonensi. Eam editionem non vidi nec videre curavi, cum ex iis, quae Goerenzius inde transcripserat, intellegerem codicem ex infimo genere interpolatorum esse et Alterum constaret in codicibus conferendis parum diligentem fuisse.

F. W. Otto (1831) codicem Guelferbytanum, antehac non collatum, „malum", tantum „in difficillimis locis inspexit", in quibus vel maxime removenda sunt librariorum recentissimorum ludibria.

Manifestum est ex iis, quae dixi, in quanta ignoratione aut dubitatione aut etiam in quanto errore ii, qui adhuc codicibus usi sunt, eorum scripturam multis locis reliquerint, ac prope magis bonorum quam malorum, quorum testimonium aliquo modo ex Oxoniensibus cognosci poterat.[2]) Itaque huic malo ante omnia subveniendum erat.

§ 2. Ipse igitur primum, quod quasi fundamentum est huius editionis, usus sum scripturis codicis *Erlangensis* tanta diligentia, vix ut maior optari potuerit, enotatis, rogante mea causa Doederlinio, ab optimis iuvenibus, Sartorio et Fritzio. Omnem enim vel minimam discrepantiam, annotato etiam, si quid erat in compendiis dubii, expresserunt in margine et inter versus exempli Nobbiani (Lips. 1828). Eam ego collationem totam quanta potui maxima cura in hanc editionem transtuli, ut iudicandi eadem ceteris, quae mihi, facultas esset.

---

[1] Animadvertendum est, in quo erratum vidi, „binos illos" apud Goerenzium dici Erl. et Spir., „binos" duos quoslibet (ut I, 1 cet.). Elegantius hoc visum est quam recte duos dicere.

[2] Saepissime Orellius, cum etiam ad Gruteri notas et Oxonienses minus attenderet, ex una editione Victorii annotavit, quod aut in omnibus codicibus aut in omnibus deterioribus est.

Tantum ea, quae ad vocum scribendarum rationem pertinebant, omisi, quod neque orthographica nisi ex antiquis codicibus annotari puto debere et tantum ab iis, qui ipsos codices tractant, tum etiam voces Graecas Latinis litteris expressas et verba male divisa (ut II, 25 *negatum quam* pro *negat umquam*, et ibid. *cenas se*); litteras enim, quas librarius religiose pinxit, quaerimus, non ipsius iudicium. Detraxi etiam *hii* et *hiis* (*hijs*) pro *ii* et *iis* scriptum[1]) [et *que* pro *quae*], tum errores quosdam in notissimis nominibus propriis, ut *sed nephebos* pro *Synephebos*. Paucis etiam locis non annotata, quae saepius accidit, eiusdem vocis geminatio, ut I, 34: *laudandis maioribus maioribus meis*. Ipse codex (chartaceus, formae maximae, saeculi XV) universam scribendi rationem habet recentis aetatis (ut *hijs*, *Grece* et similia, *Therentianus*, *assencior*, *diffiniciones*, *michi*) multis vestigiis veteris moris permixtam; ut interdum scribitur *aput*, hic illic *adhibentis* et similia accusativo casu, *cottidie*, *volt*, *secuntur*; paene perpetuo librarius, cum in exemplari, quod sequebatur, esset *uoster*, fecit *noster*. Laudem autem et dignitatem, quae huic codici maxima debetur, habet omnem a genere et fide, id est, ab antiquo et non interpolato exemplari summa superstitione magis quam fide expresso sine ullo librarii conatu intellegendi, quod non intellegeret. Peritiam veteris exemplaris recte legendi diligentiamque lente et caute scribendi magno opere desideramus. Nam primum saepe verba omisit (velut in parva parte libri primi 44 *necesse*, 45 *et* post *essent*, 48 *dolores*, 49 *illas*, 51 *satis* et *improbe*; non numero particulam unam e duabus similibus ut in *quoniam cum* I, 37 praetermissam aut quae propter eandem vocem parvo intervallo positam exciderunt, ut 39 et 59, in quo genere est etiam, quod § 26 accidit librario propter similitudinem vo-

---

[1]) Quam verum hoc sit, pro *iis* scriptum esse *hiis*, deinde saepe factum *his* (quod semper notavi), clarissime apparet e talibus mendis, quale est in Erl. V, 6, ubi ex *novisse vis* factum est *novis seu is*, deinde *novis seu hijs*.

cum *voluit* et *voluptatem*); alibi autem, ut dixi, idem bis scripsit, interdum voce interiecta (V, 21 *quattuor defensae quattuor*, V, 40, 53, al.); deinde mire notissimas voces et vocum terminationes perturbavit (I, 7 *meretur* pro *mererer*, 8 *timeatur* pro *timeam*, 11 *consimilia* pro *consilia*, 14 *odis* pro *oderis*, 17 *innatu* pro *inani*, 18 *habent* pro *hunc*); compendia quaedam verborum frequentissimorum paene semper commutavit, *aut* pro *ut* ponens (vid. ad III, 31), *quid* et *quod* et *quam* et *quid est* pro *quidem* (ad I, 39). Interpolationis, ut dixi, rarissima vestigia sunt, ut I, 33 (*per blanditias* [aut *perblanditus*]), II, 66 (*interfecit*). (De ordine verborum post dicam.) Haec pluribus exponenda putavi, ne quis nobis posthac homo superstitiosus hos libros corruptum iret eius codicis auxilio, qui cum reliquis bonis coniunctus et deterioribus obiectus salutaris iis fuit.[1]) [Longe tamen pleraque horum non ab ipso cod. Erlangensis librario peccata esse, sed ab eo, cuius exemplum sequebatur, nunc constat et infra dicetur.]

Praeter codicem Erlangensem et duas primas editiones (§ 1 A) habui scripturas enotatas e codice Parisiensi, Leidensi, Monacensi, tum etiam e P. Victorii codice Veneto.

Codex *Parisiensis*, bibliothecae principalis n. 6331, qui in catalogo dicitur esse XIII saeculi, membranaceus, olim Puteaneus, collatus est meo sumptu ab homine Gallo cum editione Ernestiana a. 1737 non summa, ut opinor, diligentia, ita tamen, ut omittendo, non errando peccaretur. Itaque saepe

---

1) [Quod olim hic dixeram, unum tamen fortasse et alterum Sartorium et Fritzium fugisse, id saepius, quam vellem, accidisse patefactum est codice denuo ab Halmio perlustrato. Itaque ubi Baiterus protulit scripturas mihi non notatas (plerumque, ut fit, menda), eas inter cancellos posui cum hac nota *Eh*; quae monuit aliter, atque apud me posita essent, scripta esse, eius fide correxi, perpaucis locis, quid in mea collatione esset, nota *Em* significans. Notam in codice pro *vel* positam mei collatores *ut* legerant. Quaedam fortasse a me ipso errata non nego; certius dicere non possum, quod collatio ipsa casu intercidit.]

sic posui (P), silentii testimonium significans, nec tamen sempe hoc feci in codice perexiguae auctoritatis, cum praesertii consentientem cum meo contextu silentio fortasse non magi fido notare non possem. Itaque melior interdum hic code: videtur quam esse credo; ut III, 30 non sane habuit *cuicui modi*. Ex multis indiciis suspicatus sum, hunc eundem esse quem Walkerus et Davisius Parisiensem 1 appellarunt (III, 1(*esse si dixeris*, 41 *nostri non quod aestimatione omnino*, 4: *bona vere*, 68 *velle* sine *procreare*, 73 *et proficiscendum*). Se(si ita est, incredibiliter Davisius scripturas perturbavit, u in Eliensibus.

Codicem *Leidensem*, qui inter Vossianos formae maximae quartus decimus est, V. Cl. Ianus Bakius per discipulum aliquem suum cum exemplo Orelliano diligentissime conferendum curavit enotatamque varietatem mihi perhumaniter dono misit, addiditque in litteris, codicem, qui plura Tulliana continet, esse membranaceum, nitide scriptum saeculo, ut sibi videretur, XI. In primae paginae ima parte scriptum erat: „Ex bibliotheca Io. Huralti Boissallerii. Emi a Camillo Crucio 4 Coro.“ (Huraltino codice usus est Lambinus, sed alio, si quidem is V, 89 habuit *docti et indocti*.) De aetate vix credo, quoniam interpolatio eiusmodi, qualem in hoc codice esse paulo post dicam, in illud tempus non videtur cadere. (Codex I. Fr. Gronovii, quem e catalogo edito speraveram hunc esse, Lugduni Batavorum non est.)

Codicis *Monacensis* neque numerum dicere neque quidquam de eo addere possum, quod non e scripturis pateat, propter huiusmodi causam. Cum ex Fr. Thierschio per litteras quaesissem et de codice Monacensi n. 328, e quo Goerenzius paucas scripturas a Werfero excerptas posuerat, et de iis, quae opinabar etiam ad hos libros a P. Victorio olim collecta Monachii servari, is mihi perhumaniter et specimen aliquod scripturae codicis e libro primo et eorum, quae Victorius in margine exempli Ascensiani a. 1521 et Iuntini a. 1536 annotarat, misit et certiorem me fecit, quibus condicionibus codex conferri et Victorii annotata describi possent.

Quae cum mihi placuissent, Valentinus Seibelius descripsit, quae Victorius in margine Ascensiani exempli posuerat (nam alteris annotatis carere me facile posse putaram); deinde ei ad alia avocato M. Otto in hoc negotio successit. Sed nescio quo casu is non illum codicem, sed alium, qui tres tantum priores libros continebat, contulit. Codex ipse ut in illo genere non improbabilis est.

His codicibus collatis id sum assecutus, ut et melioris codicum familiae unum saltem testimonium plenum haberem et deteriorum consensum declarare fere possem. Accessit his varietas scripturae codicis a *P. Victorio* in illius, quod dixi, exempli Ascensiani margine ad duos primos libros ascripta, de quo codice ipse ad finem libri secundi haec posuit: „Contuli superiores duos libros de finibus cum cod. manuscripto e bibliotheca divi Marci multis mendis scatenti, fereque omnia etiam primo aspectu parum probata notavi. Tu ea omnia tibi sumes, quae congruere castigataque esse videbuntur, meamque diligentiam ne damnes; si fuisset enim copia meliorum codicum, hunc profecto abiecissem; nunc cum parum emolumenti ex eo capere mihi videbar, hic finem constitui collationis. P. Victorius." Huius collationis mihi sic descriptae, ut etiam Ascensiana scriptura, a qua codex discederet, annotaretur, ego contra id institutum, quod sequi soleo, delectum feci et, quae utilitatem habere videbantur, in notis posui necessariis de causis. Primum tantum fere omnia Victorius se annotasse dicit; habeo autem persvasum, eum sub finem multo plura omisisse quam initio; nam scripturae in septem primis paginis enotatae ad eas, quae in septem postremis enotantur, rationem habent dupli et semissis vel paulo etiam maiorem. Deinde erat quaedam in Victorii notis obscuritas, quod et coniecturae interpositae erant, littera *c* aut *cj* praescripta, et nonnumquam scripturae enotatae superscriptum *g*, quod probandi significationem habere videtur, paucis locis additum *Ald.* (Aldus). Uno et altero loco superpositae in contextu verbis litterae erant, quae coniectura natas correctiones continere videbantur, ut I, 55 verbis

cedere causae superscribitur bis *a* (*cadere causa*, quemadm dum Victorius edidit), et I, 18, cum in codice Victorius re perisset *illud Epicuri*, verbis *propriae ruinae* superscrip *proprium*. Itaque ex hoc codice ea tantum commemora quae aut ad confirmandum codicis Erlangensis aliorum bonorum testimonium pertinebant aut alio modo cognitio digna videbantur, cum praesertim is esset, ut postea exponat qui solus perexiguum momentum faceret.

[Baiterus praeter Palatini 1 (A) varietatem evulgav etiam scripturas codicis *Vaticani* n. 1525, olim Palatini, a eodem Prienio accurate enotatas. Eius codicis, quem cu Baitero B appello, Erlangensis, ut statim dicetur, gemel scripturae varietatem non putavi integram transcribendam séd in notis, initio parcius, deinde frequentius ad Erl. eiu mentionem adieci, in quarto et quinto libro, ubi Palatino caremus, prope perpetuam, semper quidem annotato, si qui ab eo ita dissentiret, ut vel minima inde suspicio nasceretu Itaque in prioribus libris si solus in notis commemoratu ponderaturque Erlangensis, sciendum est, consentire alterum (velut I, 39 *ut ulla pars*). Qui omnia minutissima rima volet, a Baitero petet. Codicem etiam *Glogaviensem* a. 141(cuius scripturae varietatem Schneiderus in programmat Vratislaviensi 1841 edidit, Baiterus aliquotiens commemoravi ego fere prorsus silentio praetermisi, quod nihil a ceteri deterioribus differret nisi nova quadam et audaci interpola tione hominis, ut illa aetate, non indocti, cuius forma e Heindorfii editione librorum de natura deorum (nam idem es codex, quo ille usus est) cognosci potest. Semel et ite rum interpolator in re parva et facili incidit in coniecturam veram, ut V, 31 (*quam*).]

§ 3. Codices librorum Ciceronis de finibus, quotquo noti sunt, non per diversas stirpes ab ipsius Ciceronis au proximae ei aetatis exemplaribus perpetua quadam succes sione propagati, sed omnes ab uno longe inferioris aetati libro, in quo iam iniuria temporis affectum Ciceronis opu erat, orti sunt. Declarant hoc primum apertissime et omnem

negandi dubitandive copiam excludunt communes omnium codicum lacunae et verborum omissiones, maxima in libro I, 22, sed non minus apertae aliae, ut lib. I, 10 (*satis*) et 50 (*sic* ** *cuius*) et II, 21 (*nihil haberemus* ** *cum*) [et II, 97], deinde eiusmodi menda permulta per omnes codices pervagata, quae casu in omnibus orta esse non possunt, ut (nam pauca exempla eligere satis est) I, 34 *corripuisti*, II, 24 *in quo cognitu* et II, 32 *animi statum*, maximeque illud propter exiguitatem notabile, quod II, 64 in omnibus nostris codicibus legitur, omissa lineola: *habebat tamen ratione*, tum, quae Nonii auctoritate correcta sunt, II, 78 *sub dubia* pro *subducta*, V, 31 *sangvis* pro *sangven*, V, 42 *vespas* pro *nepas*, V, 58 *temeritas* pro *teneritas*.[1]) Postremo eadem quoque interpretantium additamenta omnes nostros codices obsident, velut V, 64 *Lucretia* et illud plurium verborum non minus manifestum, quod e V, 21 sublatum est. [IV, 63.] Itaque hoc primum apparet, omnem nostrorum codicum pervestigationem eo referri, ut sciatur, quid in illo codice archetypo fuerit (sic enim brevitatis causa appellemus), nec posse ipsam longius progredi.

Sed hos codices ipsos a duobus ex illo primo derivatis diversam et duplicem stirpem ducere, non a pluribus ex illo ortis multifariam dispertiri, ostendit perpetuus eorundem codicum in iis locis, ubi notabilis discrepantia est, consensus. Atque is consensus eiusmodi est, ut, qui diligentius paulo attendat, facile videat, in alteris prope constanter ea esse, quae e contrariorum scriptura neque casu neque mutando orta esse possint, in his autem ea, quae appareat aut ex

---

1) Nonius veram scripturam dedit etiam II, 8, ubi codex ille, e quo nostri orti sunt, una littera aberrabat, in deterioribus longius processum est. Etiam IV, 60 *concinebat* in paucis codd. coniectura restitutum videtur. Contra menda erant in Nonii codice, quibus nostri carent, IV, 50 et 68; nam II, 91 et V, 3 librarii, qui Nonium descripserunt, accusari possunt. Eodem modo utrumque exemplar, et Nonii et id, e quo nostra orta sunt, depravatum fuisse, ostendere conatus sum I, 61 et V, 86.

priorum scriptura errore detorta esse aut, quod ea aut non intellegeretur aut ipsa leviter depravata esset aut in hos initio neglegenter transcripta, ad difficultatem tollendam aut mendum occultandum excogitata esse. Itaque in prioribus illis, si consilium et voluntas universe spectatur, codicis archetypi scriptura fideliter conservata et propagata est, suntque illi meliores, in his ea saepissime interpolando corrupta est. Atque id tam est manifestum, ut et a Bremio animadversum sit et postea a Goerenzio et aliis duplex familia codicum commemorata. Sed iidem (tantum aberat, ut intellegerent, quale totum hoc discrimen esset et quam vim haberet ad omnem testimoniorum de singulis locis aestimationem) saepissime in apicibus deterrimorum codicum iactandis luserunt, Goerenzius etiam falsa de codicibus narrando totam familiarum distinctionem plurimis locis obscuravit. Verum ita, ut dixi, esse, primum ostendunt additamenta, quae in iisdem codicibus haerent partim casu nata, partim interpolatione, in altero genere non sunt. Casum et errorem habent, quae I, 26 adduntur (*etenim* cet.) et I, 30 (*voluptatem etiam* cet.)[1]), interpolationem manifestam, quae I, 50 (*non potest fieri*) et II, 12 (*sed forte dicitis*), 17 (*dicere*), 19 (*qui*), 44 (*tuum est ut suggeras*), 59 (*constat* cet.), 67 (*habere testium sat est*), 92 (*quam*), multaque per ceteros libros similia. Deinde idem declarant verba in his omnibus codicibus eadem omissa, velut, ut minora exempla ponam, II, 2 (*cum*), 5 (*nunc*), 7 (*vero*), 20 (*quasi*), ut insigniora, I, 50 (*non*), II, 26 (*qui haec — solent*, ubi in paucis ea, quae exciderant, alio loco retracta sunt), V, 17 (*vacuitatem doloris*) et 19 (*etiamsi nihil consequare*), neque minus certo indicio verborum transpositiones communes, ut V, 59 (*nihil itaque amplius* pro *nihil amplius itaque*) et 62 (*expressa in iis vero* pro *expressa vero in iis*). Postremo accedit omnis reliqua

[1]) In priore loco Morelius se haec „in vetere quodam manuscripto codice" repperisse ait, quomodo de suo illo melioris generis (quem iam ter antea appellavit) numquam loquitur.

conspiratio cum in scribendi erroribus, velut (nam ex exigua particula libri secundi exempla ponam) 7 *putant*, 9 *cum non dolere* et *posset*, 10 *dissimiliter*, 11 *prope*, 14 *in animo*, 16 *dicat*, tum maxime in infinita quadam interpolatione, cum aut voces librariis consvetae pro minus tritis substituuntur (15 *pervulgata* pro *pervagata*) aut, structura orationis et vi non perspecta, verba mutantur (5 *velim definire* pro *velim definias*, 18 *docet, vult — distingvi* pro *docere vult, — distingvit*, 30 *vel dividere*, sublata figura, pro *si dividere*), interdum etiam propter veterem scribendi rationem non intellectam (17 *sit* pro *sint*, quod *omnis* singularis numeri esse putabatur), aut prava correctione occultantur menda, partim quae in codice archetypo erant et in melioribus codicibus servata sunt (6 *quasi quis* pro *quis quasi* ex *quis quaeso*, 8 *hiarent* pro *hiaretur* ex *hilaretur*, 16 *quidem* pro *idem* ex *item*), partim quae in horum codicum principe nata erant (II, 26 et 30, ubi, quam audacter omnia versa sint, cum semel erratum esset, declaravi in notis). Atque etiam eorum additamentorum, quae initio posui, alia eiusmodi sunt, ut ad ipsam codicis archetypi scripturam verba adiecta esse pateat, velut II. 12, 17 (ubi *dicere* additum est oratione male distincta), 19. alia eiusmodi, ut tum demum nasci potuerint, cum codicis archetypi scriptura, quae in melioribus superest, corrupta esset, ut cum II, 44 pro *nisi* scriptum esset *ubi si*, hinc nata est apodosis: *tuum est ut suggeras.*

Hae sunt igitur duae codicum familiae, inter quas paucos quosdam codices ita interiectos esse paulo post ostendam, ut tamen multo propius ad deteriores accedant. In meliore codicum familia sunt Palatinus primus, Erlangensis, Spirensis, [Vaticanus alter, B,] is, qui in margine Cratandri appellatur, Morelianus, Scaligeranus (in quo tamen qua sit cautione utendum, dixi § 1 D), Gronovianus patris.[1]) De Eliensi secundo propter Davisii neglegentiam dubium est,

[1] Obr. Gifanius in epistula quadam ad Scaligerum (Burmanni Syllog. Tom. II p. 307 et 308) ex huius generis codice nonnulla profert.

utrum in hoc genere an in illo mixto, de quo dicam, ponendu sit; inclino tamen in posteriorem sententiam. [1]) [Sed [2]) quar meliorem appello familiam, eius codices hoc habent commune quod codicis archetypi scripturam non illi quidem sine li brariorum errore, sed sine illa interpolandi et mutandi licen tia servant, quae in uno aliquo, ipso neglegenter scripto circa prima et rudia renascentium litterarum initia ab ho mine sibi et aliis, ut simpliciter opinabatur, consulenti ad hibita propagataque deinde per ceteros magno numer inde ortos et derivatos est; ceterum integriores illi nequ eodem omnes gradu ab archetypo distare manifestum est e posse duos pluresve ex uno aliquo interiecto ortos sic com muni propiore stirpe contineri, ut universi testimonii unan tantum partem conficiant. Et quoniam de iis, quos parum novimus, difficile et inutile est separatim dicere, hoc tantum ponamus, primum codicem Erlangensem et Vaticanum alte rum (B) unum proximum exemplum adeo, fideliter dicam ar serviliter, reddere, ut omnia illa menda, quae supra p. XVIII et XIX tamquam prioris propria posui, etiam alter habeat nisi quod I, 7 *mererer* habet, 49 *illas* tenet (non *illos*) 39 et 59 huius librarii oculus non aberravit; (at aberravit

---

[1]) Plerumque e codice El. 2, ubi distingvitur a priore, proferuntur melioris familiae scripturae, ut in libro II § 15 *pervagata*, 26 *frangere* (sine *rem*), 55 *credebat*, 65 *hunc vos*, 69 *faceret*, cett. Ex El. 1 saepe et communis interpolatio profertur (8 *hiarent*, cet.) et singularis (17, 23, 36, 66, 82). Sed tamen plurimis locis Davisius Pal. 1 se sequi dicit, El. 2 non addens; atque ex hoc corruptas etiam singulari modo scripturas profert, ut II, 35, 40, 60, 94 (magisque etiam I, 7 et 50); interdum ex utroque (106, 113). Tum paucis locis meliorem scripturam Eliensi 1 ascribit, ut 34 *eligentem*, 77 *profitendae*, 102 *vult* sine *esse*, interdum Eliensi, numeio non addito, ut 59 *futura*, 67 (omissam interpolationem), 84 *et tamen tantis* sine *non*. Puto interpolatas scripturas multas errore secundo tribui; prorsus eum e bonorum genere fuisse non possum credere, quamvis neglegentem Davisium iudicem; similem credo fuisse Victoriano.

[2]) [Hanc partem immutavi ad eam formam, quae post collatum plene A et adiunctum B commodissima erat ad rem intellegendam.]

ob eandem causam omittendo II, 82 et IV, 48 et V, 41, Erlangensi scriba non labente); idemque (etsi quaevis dimidia pagina docet) ostendunt lepidi errores ex brevi loco hi: II, 43 *ore retunderet* pro *oreretur darent*, 47 *audi* pro *audet*, 48 *dam* pro *quibusdam*; 49 *nobis hijs* pro *nobilis*. Sed cum his duobus eadem propinquitate coniunctum esse Spirensem, etsi non huiusmodi menda, quod non ita collatus est, tamen alia certissima indicia ostendunt, velut omissa in hoc et Erl. et B contra Pal. 1 in I, 71 *confirmat*, II, 16 *interiectam*, IV, 8 *duabus*, scriptum cum iisdem in II, 10 *efficientes*, 16 *putat* (non *putat dicat*), servata in III, 17 (contra A) verba *quas* — *perceptiones* et alia permulta.[1]) Itaque hi tres (ubi de Spir. tacetur aut dubitatur, duo) cum A comparati unius tantum in familia meliore testis vim obtinent, sed testis separati et locupletis. Nam non per A, sed seorsum ex archetypo hos derivatos esse, non tam mendorum inter ipsos communio demonstrat (nam ea in interiecto aliquo orta dici possit), sed codicis A propria menda, quibus hi carent, neque ita pauca neque levia omnia. Exempla ex parva parte libri II ponam certa et ex quibus de aliis dubiis iudicari possit: 15 *Platone*, 16 *putat dicat* cum deterioribus et *cogitationes* cum aliquot deteriorum, 17 *interrogantis*, 20 *appellant*, 27 *remissionem* (corrigendo natum ex *remissam*, quod B et Erl. habent) et *probam*, cett. Sed certissimum argumentum habent verba in A omissa, in his servata, velut II, 108 (omittunt etiam dett. et eodem errore B), III, 17 (om. etiam deteriores), 26 (novem propter repetitionem), 29 (triginta quattuor ob eandem causam), 51 (*non esse*), 53 (*satis*), 72 (*fallamur*). Itaque, etsi A non solum singulos reliquos aetate et bonitate superat, sed etiam coniunctis non raro praestat et unus (aut etiam cum aliquo ex

---

[1]) [Ne quis Spirensem, qui nusquam nunc comparet, eundem fuisse atque B putet, obstant servata in II, 108 quinque verba, quae in B ut in A propter *gaudeat* bis positum exciderunt, ipsumque illud, quod proximam cognationem confirmat et ab A separationem, in II. 94 *protentet* (nam BE *praecentet*, A *et*), aliaque.]

minus notis) verum servavit (ut II, 20 *re neque*, 24 *ge-mias*, 54 *Caepioni* cum Scaligerano et Moreliano, 104 [illegible] *tum*, quod altera manus eodem modo corrupit, quo ceteri codices) aut vestigia veri (II, 26 *et necessariae*, cui altera manus recte *non* addidit), tamen aliis locis (non solum in manifestis illis cod. A mendis, quae supra posui) B et Erl veram scripturam in A oblitteratam e codice archetypo tenuerunt (ut II, 16 solum *putat*, 27 *equidem*, 74 *exi-stimas*, 83 *an vero*, 94 *praecentet*, ubi in A etiam vestigia veri sublata sunt), ut par fere sit auctoritas, rationum mo-mentis ponderanda.[1]) Atque est etiam, ubi in re ad erran-dum proclivi alter ex illis duobus verum servarit, altero cum A aberrante. Nam ut Baitero codicem Erlangensem mendis aliquanto inquinatiorem quam B iudicanti de numero erro-rum non repugno (quamquam II, 38 *relinquunt* et 49 *ante populo* et 50 *propter populare sic* et alia similia B solius sunt), ita video II, 17 in Erl. solo servatum verum esse (*pugni similem*, B cum ceteris *pugnis*), II, 108 eum cum Spir. et margine Crat. tenere verba in B et ceteris omissa, II, 11[illegible] in eo et deterioribus recte scriptum esse *a maioribus*, in B et A *amoribus*. Etiam II, 39 B errorem communem novo errore auxit (*omnis adiunctio*) et V, 55 tenue vestigium veri (*etalis* ex *etatulis*) sustulit (*etatibus*). Atque ipsa illa, quae codices deteriores inquinavit, interpolatio suscepta initio est in codice ex archetypo similiter atque A et BErl. orto; nam neque ex A neque ex codicum BErl. parente ortam illam stirpem esse, ne alia anquiram, demonstrant non paucis locis servata in his codicibus verba singula plurave, quae partim in A omit-tuntur (ut III, 26 et 29), partim in BErl. (ut quae supra posui

---

[1]) [Altera manus codicis A interdum manifestos errores correxit, ut II, 38 recte fecit *expers probabitur*, 78 revocavit *quam diu*, 92 restituit *alter* pro *aliter*, ex quo mendo, quod fuit etiam in dete-riorum fonte, natum est *aliter quam*, alibi, ut fit, mendum mendo auxit, ut II, 44 cum pro *is* scriptum esset *his*, pro *habet* fecit *habent*.]

et III, 23 cett.). Fit igitur universae cognationis (si ex melioribus solos tres, quos certius novimus, numeramus) haec forma:

Codex Archetypus

Cod. A (I) — Cod. ignotus (II) — Cod. ignotus (III), interpolando corruptus

B Erl. (Spir.) — Deteriores.

Neque tamen certum est, codices I (A), II, III ipsos ex communi codice archetypo ortos; nam et A et codex B et Erl. parens et codex primum interpolatus aliquo interiecto ab archetypo separati esse possunt. Quoniam autem deteriorum stirps interdum cum A contra BErl. aberrantes facit, interdum cum his contra A, quaerendum videtur, prorsusne fieri nequeat, ut in ea etiam aliquid aliquando delitescat e codice archetypo servatum, quod et in A et in BErl. oblitteratum sit. Hoc quam difficulter credi possit, ubi A et BErl. in iisdem litterarum apicibus consentiant, apparet; debetque, si quid tale putandum est, eiusmodi esse, quod neque ex illorum scriptura detortum nec in aperto et levi archetypi mendo felici coniectura repertum esse possit; neque enim illi correctores, qui codices interpolaverunt, nusquam ne in facillimis quidem et minimis verum attigerunt. Possunt coniectura facillima reperta esse haec: II, 24 *non negat* (ABErl. *negat*), 27 *rem ipsam* (BErl. *remissam*, A *remissionem*), 43 *expoliarent* (*expoliaverunt*, *spoliaverunt*), 118 *fugiendos* (*figiendos*, *fingendo*), III, 3 *sermone quicquam* (*sermone necquicquam*), 44 *potestne* (*postne*), IV, 9 *sine sensibus* (*sensibus*), non potuerunt facile, si verbi causa *potestne* in archetypo fuisset, duo seorsum scribae *postne* facere; in II, 27 et 118 etiam ipse dissensus A et BErl. ostendit archetypi mendum et infelix eius corrigendi conatus altero loco in A, altero in BErl. Multo minus apertam originem habet in III, 10 additum *sicut scis*, quodque in II, 104 delere ausus non sum, *certamur*. Sed ut, ubi et A et BErl. utimur, perexigua, si ulla, haec est dubitatio, ita, ubi (inde a IV, 16) A deficit, uno et altero loco, deficiente etiam meliorum minus plene

collatorum testimonio, marginis Crat. et Moreliani, non sine causa ambigi potest, sitne aliquid in BErl. casu erratum an, cum esset iam in archetypo mendum, in deteriorum principe coniectura emendatum (ut V, 32 *angantur* pro *agant*, 34 *secundae* pro *sedere*, 57 *ab* pro *sub*, 58 *minora* pro *minoribus*; omissa quidem hic illic in BErl. verba, quo genere non raro peccant, apparet in deterioribus ex archetypo servata, ut V, 31 *satis*, 37 *momenta*, maximeque 57 *nec voluptatem requirentes* et 66 *id a communitate* et *usu*, quod Baiterus inclusit; nam IV, 31 *non* coniectura supplere facile erat. In hoc enim genere mendorum, in iis praesertim, quae propter idem aut simile verbum bis positum omittuntur, maxime casus et error regnat, non fides aut mutandi voluntas. De ordine verborum dicam infra.

Quamdiu ex meliore familia unus codex Erlangensis plene collatus erat, ad eius testimonium stabiliendum utiliter interdum adhibebantur, nunc omni fere utilitate carent] illi, quos mixtos dixi. Hi e meliore familia prima origine ducti deteriorum interpolationem susceperunt. Nam quod alterum in mentem venire poterat, codices e deteriore familia ortos meliorum comparatione emendatos esse, id tollitur, quod ea, quae habent e melioris generis scripturis, minime eiusmodi sunt, quae quis, intellecta meliorum codicum praestantia, praecipue inde sumere voluisse videri possit, tum, quod hi codices ita comparati sunt, ut non solum eiusmodi recta voluntas non appareat, sed singularis quaedam licentia. Facillime autem, cum vulgo circumferrentur codices interpolati et hominum iudicio tamquam emendatiores probarentur, illa aetate, qua incensa in Italia exardescebant studia veterum scriptorum, aliquis, qui in antiquius et integrius exemplar inciderat, id interpolatorum comparatione corrumpere potuit.

In hoc codicum genere habendus est primum ille, quo Victorius usus est. Is omittit, quae in deterioribus adduntur I, 30 et 63 et II, 12 (*sed forte dicitis*), multisque locis cum bonis consentit, velut I, 4 *e Graecis*, 20 *pedalis*, inter-

dum leviter aberrat (I, 16 *nisi tu*). Verum ex eodem Victorius nihil annotavit ad scripturam vulgarem pravam et interpolatam I, 26, 39, 46, 47, 50, II, 26, 30, 61, 67. Deinde hic codex, praeterquam quod neglegentissime scriptus est et verborum omissionibus incredibiliter foedatus (ut I, 55 omittitur *et laetitiam*, tum *molestiam*, deinde *accessio*), singularem et propriam habet interpolationem, quam Victorius in sua editione non ita raro secutus est. Nam hinc nata sunt illa, quorum adhuc fons ignoratus est, I, 6 *omnes res* pro *has res*, 17 *in quo nihil aeque nec summum*, 31 *cum a philosophis tamen pluribus* (ex *quam pl.* pro *compl.*), alia, quorum ego pleraque in notis commemoranda non putavi, hic fontem indicare non inutile visum est.

Longe diversi a Victoriano sunt in eodem genere codices plane gemelli E et ξ Oxonienses. Hi etiam constantius vulgarium codicum menda et interpolationem receperunt (velut etiam I, 30 et 63), ut plerumque in huiusmodi scripturis omnes Oxonienses nominandi fuerint. Tum autem, vix credibile est, quot locis hi duo codices a ceteris omnibus discedentes verba habeant aut mendis depravata aut levissimis coniecturis mutata, saepe quidem ita, vix ut ulla causa, quae ad mutandum impulerit, excogitari queat aut, quid corrector spectaverit, intellegi.[1]) Sed tamen inter has sordes aliquotiens emicat vera scriptura ex meliore origine servata, ubi ceteri deteriores mendum et interpolationem habent, velut in libro II, 12 (non videntur habere: *sed forte dicitis*), 18 *docere vult*, 20 *re neque*, 38 *ulla*, 59 (interpolatione carent), 61 *ubi ut*, 72 *mihi* pro *modo*, 73 *si pudor*, 75 *cum*

---

1) Lib. I, 2 eo libro) Eξ *in eo libro* et collaudata est) *est atque coll.* eo meliore) *eo meliori loco* 3. defatigatio) *fat.* 5. vel) om. Licinius — scriptorem) om. rudem enim) *rudem* omnino) *omnino eam* 6. nostrum iudicium) *nomen iudicium* multos) *et multos* 7. poëtae) om. fieri) *ante fieri* tum) om. 9. sale) *sale digna* Scaevola) om. Graece — maluisti) om. 10. etiam) om. 12. omnem quaestionem) *communem quaestionem*. Tantum memorabiliora excerpsi et quae ex utroque codice notata erant.

dicitis, 77 *vide igitur*, 99 *vincunturque*, 111 *pecudis* et fortasse uno et altero loco praeterea. Interdum tantum ex uno verum notatur, ut I, 10 ex E *quantumcumque possum*, II, 60 ex ξ *existimas*.

De Gudiano 2 difficile est dicere, quod Goerenzius raro eum distincte commemorat ac fere tantum, ubi singularia menda habet, alibi autem non raro tres suos potiores vel optimos codices appellat, ut II, 67 (in omissione verborum *habere testium sat est*, in quo certum est indicium melioris originis), nec tamen usquam dicit, quem tertium adiungat Erlangensi et Spirensi.[1]) Sed tamen aliquid hunc codicem e meliore familia habuisse, patet pluribus locis, maxime quod I, 30 verba in deterioribus errore orta in hoc et Erl. atque Spir. desunt (etsi Goerenzius contrarium dicit), sed etiam I, 4 (*quod si*, id est, *quod se*), 29 (*extremum et ultimum*), II, 7 (*puto*), 9 (*restincta enim*), 12 (*futurus sit philosophus*), atque etiam in mendis, ut I, 61 (*illi negant enim* cum Erl.), 66 (*confirmetur* cum eodem). Verum eum vix multo meliorem fuisse quam Eξ, apparet et Goerenzii testimoniis (de interpolatione in I, 26, 46, 50, II, 12, 44, cett.) et Bremii (II, 41 *gaudendo — non dolendo*, 45 *societati*, 58 *intellegis*, cett.). Quod Goerenzius interdum (ut II, 77) ex hoc solo deteriorum scripturam profert, quasi Gud. 1 et Bas. cum melioribus faciant, confusionem puto. Sed cur de ea causa loquor, in qua Goerenzio teste standum sit?

Praestantiorem in hoc genere fuisse puto Palatinum 6, e quo in quinto maxime libro saepius annotantur scripturae bonorum propriae, quas ad V, 89 collegi. In prioribus libris, ubi aderat Pal. 1, fortasse Gruterus hunc contempserat.[2])

---

[1]) Video esse, qui tertium faciant Gud. 1 aut Basileensem. Fortasse ne eundem quidem semper significat.

[2]) [Quoniam in cod. B primo folio annotatum est, hunc esse Gruteri Palatinum secundum, quod recte Baiterus falsum esse dixit, venit mihi in mentem de Pal. 6 aliquid suspicari. Sed saepissime hunc

In ceteris deterioribus codicibus praeter communem illam interpolationis et mendorum labem, qua genus agnoscitur tamquam nota, facile intellegitur, et errores novos varie accessisse et corrigendi conatum interdum longius progressum esse, aliter in aliis; velut I, 46, cum excidisset *monstret*, partim oratio manca relicta est, partim additum *doceat*; in II, 26 in plerisque omissa sunt, quae pauci ex margine principis servarunt.[1]) Sunt in his vestigia quaedam propioris cognationis certorum huius familiae codicum; velut apparet, editionem Romanam multo saepius cum codice nostro Parisiensi consentire quam Coloniensem; sed neque magni momenti haec sunt ad ponderandum familiae testimonium (nam fere paucorum a generis consensu aberrationes facile iudicantur) neque explicari distincte possunt in tanta eorum, qui hos codices adhibuerunt, neglegentia. Itaque tantum pono, inter minime malos esse Pall. 3 et 4 et Parisiensem nostrum (in quo II, 61 pro *ubi ut* est *nisi ut*, in ceteris deterioribus *nam ut*), mutando et corrigendi conatu post E$\mathfrak{g}$ longe progredi Eliensem 1 (velut IV, 6 *de animis hominum spinas vellentium*), tum vero, de quo certius constat, Leidensem nostrum, ad quem similitudine accedit Pal. 2 (cfr. ad V, 72). Hoc genus quale sit, intellegi potest e III, 7, ubi cum ex *heluari libris* in codicibus deterioribus ortum esset *heluo libri*, in Leid. (et ed. prima) factum est *heluo librorum*, et e V, 39, ubi cum e *putare* ortum esset *aptare* et *amputare* et *amputareque*, propter *que* in Leid. scriptum est *reservare amputareque*. Verum hae omnes coniecturae ut nullam prorsus auctoritatem habent, ita interdum, [ut supra dixi,] parva menda nec longe a vero aberrantia in re et sententia aperta recte tollunt, a doctiore et prudentiore homine profectae

Gruterus omnes Palatinos aut ceteros quinque appellans aut similiter deterioribus adiungit. Miramur igitur, quis hic fuerit Palatinus Grutero ignotus.]

[1]) Memorabilis dissensus est in II, 68, ubi Palatini quinque et Parisienses tres (?) dicuntur habere *Themistio* (ut E$\mathfrak{g}$), nostri et Oxx. tres habent *Themistocle*.

quam illae in E𝔈 mirae mutationes. Itaque quaedam ex iis iam diu locum in oratione tenent et aut ignoratur, coniectura scripturam ortam esse, aut editor aliquis eius auctor putatur, velut I, 6 *Theophrastus* (ita Leid., Pal. 3), 34 *corrupisti* (Leid., edidit ita iam Ascensius 1511), 43 *durissimis* (Leid., Pal. 2), 64 *cognosci et percipi* (Leid., P, [A^2]), II, 12 *de pagis* (El. 1), IV, 13 *de plurimis* (L, E𝔈), 15 *naturae* (L, Pal. 2), aliae a me ascitae sunt, ut III, 45 *corporearum* (El. 1; nam de tribus Parr. fallitur Davisius; unum fortasse recte appellare poterat), 48 *habitum* (L, Pal. 2), aut reductae, ut *omnium naturarum* IV, 33 (L, Sigonii liber, E𝔈).

§ 4. Commemorandae sunt deinceps, exceptis duabus primis editionibus et perspicuis Cratandri et Morelii testimoniis, reliquae ante Gruterum editiones codicesque, qui in iis curandis adhibiti putantur. Sed dicam de his breviter, quod in omni hac investigatione nullam fere aliam utilitatem esse iudico, nisi quae in superstitione quadam expugnanda perspiciatur. Nescio enim quomodo malunt quidam de veterum editorum codicibus suspicari quam eos, quos licet, perscrutari. Primae editiones librorum de finibus, ut fere ceterorum Ciceronis scriptorum, ductae sunt e vulgaribus codicibus; eae deinde sic repetitae, ut nonnihil mutaretur ex aliis eiusdem generis codicibus, quaedam coniectura. Sic extiterunt cognationes quaedam editionum, duae tamen latissime patentes; nam ex editione Coloniensi permulta (per Venetas antiquas et Aldinam, ut mox dicam) ad Manutium et Lambinum manasse, declaravi in commentariis, cum Romana coniunctas esse Marsi et Victorii editiones, Cratandri quoque, etsi in ea (et, opinor, aliis et fortasse iam ante) mixta interpolatio est; velut I, 61 e prima aut ex similibus codicibus habet *appetendo omnia petulantes.* Raro apparet codicis mixti generis usus, plane boni vix usquam, nisi in Cratandrina, neque ulla editio praeter Victorianam in duobus primis libris cum aliqua constantia ad eiusmodi codicem exacta est; quodque caput est, nulla his editionibus scriptura continetur, cuius non nunc et certiorem auctori-

tatem et formam interdum pleniorem in notis codicibus habeamus.[1])

Post primas editiones commemoratur cum laude ab Orellio Veneta a. 1480 „per Philippum Condam Petri", quam cum melioribus plerumque facere ait. Verum ea, per edit. Ven. a. 1471 e Coloniensi ducta, nullo loco ex iis, in quibus diiunctio utriusque familiae perspicitur, meliorem partem sequitur, sed, ubi aliquot codices deteriores cum melioribus conspirantes declarant, in deterioris familiae principe eandem scripturam fuisse ac postea demum corruptam esse, ibi saepe his adiungitur, a Coloniensi et Romana discedens, ut I, 25 (*neque vero tu*). Paucissimi loci, qui melioris codicis usum ostendere videntur, eiusmodi sunt, ut ab homine docto illa aetate coniectura emendari potuisse facile credas, ut I, 51 et 69. Et emendavit editor coniectura, quod legitur in omnibus codicibus II, 73 *nullam* et II, 47 in omnibus praeter El. (2) *a dignitate*. [In eo loco, qui maxime in hac editione notabilis videbatur, V, 19, non attenderam idem iam in ed. Coloniensi esse.]

Multum iactata est commemorando nuper Petri Marsi editio, quam cum Goerenzius magnis laudibus extulisset nec tamen descripsisset, etiam dubitatum est, an nulla esset omnino. Postea eam descripsit F. G. G. Hertelius, gymnasii Zviccaviensis rector, (*De codicibus et editionibus vetustis biblioth. Zviccav. partic. IV, Zvicc.* 1836) et cum Orellii exemplo contulit.[2]) Ex hoc libello, quamquam multis indiciis mihi cer-

---

[1]) Erant mihi ad manum haec scribenti praeter duas illas primas editiones [Venetae 1471 et 1494 et 1496,] Aldina a. 1523 (Venetiis in aedibus Aldi et Andreae Asulani soceri), quam initio non habui, Cratandrina (Basileae mense Martio 1528), Ascensiana (Lut. Paris. a. d. V Cal. Novembr. 1528, [nunc etiam prior a. 1511]), R. Stephani (ibid. 1538), C. Stephani (ibid. 1554), Manutiana a. 1555 (Venet.), [inde a pag. 257 etiam a. 1560], Lambiniana prima (1565) et repetita (1577). De Iuntina et Victoriana credidi Orellii collationi.

[2]) Commentariis P. Marsi subscribitur: „P. Marsus recognoscebat et enarrabat An. Sal. MDXI" (quo tempore is grandaevus fuit). Sed

tum est, non summa diligentia comparationem institutam esse primum apparet, Goerenzium multa Marso tribuisse, quae in ea editione non sint;[1]) deinde confectum est, Marsi operam omnem pendere a codicibus deterioris generis non pessimis et a coniectura. Itaque et I, 26 et 30 et ceteris omnibus locis, in quibus codicum familiae discrepant, interpolatam scripturam et deteriorem habet, praeter perpaucos, in quibus aut Hertelii silentio parum confidi posse videtur aut coniectura versata esse.[2]) Nec, in quo ante omnia bono codice, si habuisset, usus esset, lacunas deteriorum explevit, ut I, 46. Coniectura neque ea perquam timida apparet II, 35, IV, 6 aliisque locis.

[In edit. Ascensii prima a. 1511, quae Coloniensis sectae est, permulta minora menda recte emendata sunt, ut III, 28 *ex quo*, IV, 52 *quae te, ut ais*, 53 *congruunt*, illud etiam in II, 37 maius *aequam*. In edit. 1528, quae sectam a Romana ortam sequitur, haec fere sublata sunt.]

Petrus Victorius (nam de Aldo, qui prior est, dicam, cum ad P. Manutium venero) exemplum ex Romana editione ductum exegit diligenter partim ad eum codicem, quem paulo

---

ii commentarii, curante post mortem Ascanio Marso, fratris filio, Venetiis 1527 adiuncti sunt editioni ipsorum Ciceronis librorum, cui praefuit, certe praefatus est Lucas quidam Panetius, qui se collatis exemplaribus manuscriptis libros recognovisse testatur, ut iam apparere videatur, Marsi falso contextum appellari.

[1]) I, 1 Gzius Marso tribuit, quod Davisio placuerat, *non id tum*, Hertelius enotat *non id tantum*, 9 Gzius narrat, Marsum habere *locum — risit*, Hertelius tacet, 26 ille Marsum scribit non habere verba errore interposita, hic ea ad Orellii exemplum annotavit, cet.

[2]) Falso (ut de I, 26) narrat Gzius Marsum III, 15 omittere *minusve*; ne Gzii quidem errore, sed Orellii in V, 95 putatur habere *summe laudabiles*. Si Hertelio credi potest, II, 12 omittit verba subditicia et II, 20 habet recte *facit re neque* et paulo post *id est quasi maxime*. III, 8 *Caepioni*, si ita est scriptum, poterat iam Marso, non indocto homini, in mentem venire. Quod I, 51 Marsi editio habet: *quod si qui satis hominum sibi contra consciéntiam*, nihil est novae correctionis; iam ab aliis deletum erat *cum* ante *hominum*.

ante descripsi, partim (extra librum I et II) ad alios deterioris familiae codices; itaque hanc nunc post deteriores aliquot codices accurate collatos unam utilitatem habet, ut, si quis propter Gruteri, Davisii, Goerenzii silentium de consensu deteriorum aut omnium codicum dubitet, is etiam Victorium testem habeat, ut I, 64 (*cognosci et recipi*). [1])

Paulus Manutius omnibus partibus pauciora in his libris novavit quam putatur. Nihil enim nisi expolivit Aldi patris editionem. Atque ea in summa re quasi superstructa est primae editionis fundamento. Itaque plurimae scripturae, quae et alibi et ab Orellio Manutio ascribuntur, ex editione prima retentae sunt; nec sane poterant a Manutio consilio illatae videri. Sed apud Aldum praeterea atque aliqua ex parte apud eos, qui inter primam editionem et Aldum interiecti sunt, quorum ego editiones non perscrutatus sum, multa alia partim casu, partim coniectura, quaedam etiam e codicibus inferioris familiae mutata sunt. Itaque (ut exempla ex parva parte libri primi non curiose colligam) Aldi (aut superioris alicuius), non Pauli haec sunt, cui tribuuntur: 3 *solum nobis*, 11 *magna* pro *summa*; 16 *Hic nisi mihi* (mixta vera scriptura, quae erat etiam in paucis deterioribus libris, cum prava), 17 *in quo nec*, 21 *secutus est* aliaque multa. [2]) (Supplementum lacunae in I, 22 non est in Aldi exemplo.) Sunt pauci quidam loci, qui melioris codicis adhibiti suspicionem facere videantur. Verum eadem coniectura fere in parvis et manifestis rebus verum restituit, quae I, 10 *satis* ante *mirari* et V, 38 *non* ante *multo secus* addidit contra

---

[1]) Victorius II, 73 habet voces *si pudor* et 75 *cum dicitis*, nec tamen eas in margine editionis Ascensianae annotavit; eas potuit aut ex illo codice postea in editione paranda diligentius inspecto sumere (et sunt in Eɛ) aut e Cratandri editione. In Castigationibus Victorius duos omnino horum librorum locos attingit, IV, 10, ubi Aldi interpolationem improbat, et V, 70, ubi defendit codicum testimonio *dissensio*, et tamen, quo pertineat, negat se scire.

[2]) [Etiam in hac editione in primis libris quaedam P. Manutio tributa sunt, quae apud Aldum sunt.]

omnes codices, [quaeque IV, 59 *opteri* invenit, V, 70 *concupivisset*]. Eademque ratio est eius loci, qui contrariam habet speciem, V, 17. Nam restituendum esse aut *non dolere* aut (quod facilius occurrebat, praecedente *dolorem*) *vacuitatem doloris*, neminem fallere poterat; sed si e codice haec Aldus sumpsisset, posuisset et eo loco et eo ordine, quo in bonis codicibus sunt.[1]) Coniecturae libertatem arguit substitutum IV, 10 *Stoici omnino* pro *hi omnino.* [III tamen 44 verba omissa tam feliciter restitui sine codicis ope vix potuerunt.]

Hanc Aldi editionem P. Manutius, ut dixi, expolivit, nec habuit perpetuo ad manum codices, quos consuleret. Itaque cum I, 41, ubi ed. prima habet *nulla terra*, in editione Aldina scriptum esset *nulla praeterita* pro *praeterea*, quod omnes codices habent, excepto ξ, P. Manutius in primis editionibus (etiam a. 1555) mendum reliquit, in postrema (a. 1560) correxit ascripsitque: „Moneo lectorem, ex ingenio repositum a me *praeterea* pro *praeterita*, quod erat in omnibus libris, quos quidem ego viderim.“ Unum commemorat in prioribus editionibus codicem a se inspectum Bernardini Maffei et ex eo praeter paucas communes deteriorum codicum scripturas profert quasdam recentissima correctione ortas, ut in II, 23: *cui nil dempserit vis et sacculos abstulerit*, II, 66 *crimen.* Semel, II, 71, Ioannem Scalam scribit testari, se in vetere libro vidisse eam scripturam, quae in melioribus libris est, eamque restituit (*non metuet* et reliqua sine interpolatione), ipsum se eam vidisse negat. In postrema editione commemorat libros Philippi Tertii, Sigonii, Latini Latinii, hoc est sine dubio, quae apud illos viderat tamquam e codicibus annotata. Itaque et melioris familiae scripturas quasdam inde profert (ut III, 71, IV, 32, 56, V, 74) et bonas coniecturas, quae in aliis

---

[1]) P. Manutius ad h. l. sic: „Ut omittam, quod libros superioris nostrae editionis (Aldinam patris dicit) tamen credendum est ad propositum aliquod manuscriptum exemplar fuisse impressos.“ Decepit virum egregium sententia saltem de his verbis.

recentissimis codicibus sunt (ut IV, 33), et pravas scripturas (IV, 50 et 59, V, 70 et 72). Sed interdum etiam antiquum librum nullo addito nomine appellat et ex eo pauca quaedam sumit, quae in melioribus sunt, sed inventu facillima, ut II, 20 (*neque*, nec tamen *re*), 49 (*per se rectum*), IV, 39 (*utrumque*), alia deteriora (II, 67 *nec vero* pro *nunc vero*). A Cratandro quoque quaedam sumpsit, etsi, margo eius quantum boni contineret, nullo simili certoque accedente teste, intellegere non potuit. Relinquuntur, quae vir egregius ipse praeter ea, quorum in scholiis rationem reddit, tacite correxit in rebus parvis et manifestis, ut I, 9 *cohorsque*. [Manutios cum dico, Aldum patrem et Paulum significo; Manutius semper Paulus intellegitur.]

Ab Orellio commemoratur non raro in his libris codex Caroli Stephani, quem ego nullum esse facile vincam. In editione enim C. Stephani extremo volumine extant „Variae Lectiones", quas index editionis his verbis promittit: „Variae Lectiones ex permultis antiquissimis ac manuscriptis exemplaribus, quibus prior lectio (si quid ab ea immutatum est) nonnullaeque doctorum coniecturae adiunctae sunt." Eae hac forma perscriptae sunt: „*id non totum*) vetus, *id non tam*." Hoc *vetus*, quod Orellius codicis scripturam intellexit (quemadmodum ego a. 1828 in Asconianis Hotomani erravi), est ipsa illa prior lectio, codicum autem scripturae, si quae essent, priore loco quaerendae essent. Verum ibi nihil fere reperietur nisi Manutii scripturae, ad quas C. Stephanus rediit, cum Robertus Victorium fere secutus esset. Itaque *vetus* illud plerumque Victorianum est; sed nescio cur, credo tamen, ut appareat huius editionis praestantia, vetera ponuntur Aldina quaedam, quae neque Victorius neque Rob. Stephanus habent, in quo genere unum e multis est memorabile illud in V, 19 *etiamsi non adipiscare*. Ut autem tota C. Stephani editio parum perite aut diligenter instituta est, non raro prior et nova scriptura permutata est annotando aliisque modis erratum; relicta quoque in contextu sunt, quae expellere et inter vetera annotare consilium fuerat. In tota re

ne qua dubitatio relinquatur, speciminis loco in margine inferiore pono omnia, quae in septem primis capitibus libri primi apud C. Stephanum notata sunt.[1])

Dionysium Lambinum ipsum tantum deterioris familiae codicibus usum esse, perspicuum est. Nam et ad I, 24 scribit, in omnibus libris manuscriptis, quibus quidem usus sit, esse partim *fidei*, partim *fideri* pro *videri*, et ad II, 12, libros omnes veteres, quos quidem viderit, habere verba: *sed forte dicitis*; in delendis iis sequitur Victorii auctoritatem; deinde addit „alios" habere *infame et suspectum*, se id nusquam repperisse. Significat, opinor, marginem Cratandri (etsi ibi recte scribitur *infame, suspectum*), e quo itidem sumptum est, quod in II, 10 „libros aliquot veteres" dicit habere *dissimileis efficientibus voluptates.* (Morelius de utroque loco tacet.) Postremo ad III, 11 affirmat, in omnibus suis libris scriptum esse: *alia magis, alia minus.* Et tamen hic illic aliquid compererat ab iis, qui meliores codices inspexerant; ut III, 7 e Cuiaciano profert *heluaris libri*, IV, 32 *nulla* restituens ascribit: „Sic erat emendatus hic locus in libro Leoquerni." [2]) V, 89 in praeclara emendatione (*docti et indocti*) se codices manuscriptos secutum profitetur; in altera editione nominatim Cuiacianum et Huraltinum appellat. [Add. V, 50.] De nonnullis perquam ambigue scribit, ut I, 68 in prima editione ait „libros veteres fere omnes" habere *sententia*, in altera „libros aliquot". (*Sententia* scribi voluerat Morelius, quem Lambinus etiam ad II, 26 significare videtur, nonnullos legere *neglegenter* scribens.) Pauca huius

---

[1]) § 1 *id non totum*) vetus *id non tam* (Vict. *non id tam*). 2. *non posse*) v. *non possem* (Vict.). 5. *a quibus tam*) v. *a quibus tantum* (Vict.). 6. *ab illis has res*) v. *ab illis omnes res* (Vict.). 11 *quis — putet*) v. *quid putem* (Vict.). 20 *suo nutu*) v. *suo motu* (Ald., non R. Stephanus). 23 *confirmat autem illud*) v. *confirmat illud* (hoc C. Stephanus secutus est in contextu; in annotatione inversus ordo est: nam vetus, id est Victorii et R. Stephani, erat *conf. autem illud*). 23 *patrioque*) v. *patrio quoque* (Aldus et superiores).

[2]) In altera editione scribitur: „in libro Cl. Puteani."

generis accesserunt in editione altera, ut V, 39 *putare* (e mg. Crat.). Sed Lambinus in his libris, ut in aliis, codicum testimonia quaedam finxit; neque enim ubique ipsum iis, quae in Memmii aliorumque amicorum librorum marginibus annotata repperisset, deceptum dicere licet. Huiusmodi est, quod ad I, 19 scribit, in melioribus libris non comparere verba *quam fieri sine causa quidquam dicere*, quae Manutius incaute damnaverat, codices omnes recte habent, et quod ad I, 41, libros veteres habere: *quae sua sede naturam aut sollicitare.* (Cfr. ad I, 3 de *denique*, II, 42.) Ne in margine quidem repetitae editionis talia prorsus desunt (quamquam ibi alii turbare potuerunt), ut II, 11 e vetere codice annotatur *indoloria*, quod in nullo codice Ciceroniano fuisse certissimum est. (Quod in hoc margine permultis vocibus antiquo more scriptis additur haec nota: *sic o. v. c.*, id pertinere ad communem antiquiorum codicum morem, non ad certos codices in his libris adhibitos, satis liquet, quoniam nihil aliud illi o. v. c. praebent.)

Fulvii Ursini codices, qui, ubicumque haeserat, praesto erant, commemorare nihil attinet; iam I, 1 pro *tantum studium* habet *tam multum*, quod sequitur *tamque multam*; etsi hic quoque, ut alibi, interdum veros codices inspexisse videtur, fortasse etiam bonos, ut IV, 23. Eadem, qua Ursinus, fide Lallemandus aliquotiens codices regios appellat; velut cum Ursinus I, 17 in suo codice *citimum* esse finxisset, hic idem in duobus repperit.

Non fraudem, sed errorem permagnum et permirum habent codices plus quam triginta Lagomarsiniani a F. A. Wolfio commemorati in censura editionis Rathianae in ephemeridibus Ienens. a. 1805 n. 63.[1]) Ex his codicibus in libr. I, 10 viginti dicuntur habere *satis*, quod in nullo neque optimo neque pessimo codice quisquam praeterea repperit; sedecim I, 70 *qui dicant*; postremo II, 36 *cum* particula, quam Lambinus et Th. Bentleius addiderant, in duobus ho-

[1]) Vid. Wolfii Analectorum litter. vol. I p. 277.

rum codicum erat, id est, in editionibus Lambini et Bentleii. Nam Lagomarsinius magis mirabili quam utili diligentia magnum numerum editorum exemplorum contulerat scripturasque excerpserat;[1]) eae pro codicum scripturis omnes habitae sunt; itaque quae coniectura ab omnibus fere recepta erat, viginti hic testes habebat, quae a duobus, duos.

§ 5. Ex copia variae scripturae ab aliis annotatae ego primum, quidquid erat e melioris familiae codicibus prolatum, id omne in meis commentariis posui, ne quid detraheretur, quod cum Erlangensi coniunctum universae familiae testimonium ostenderet. Deteriores codices fere viginti, quibus, ut ceteros omittam, Gruterus, Davisius, Oxonienses, Goerenzius usi sunt, si mihi ipsi omnes oblati essent, elegissem idoneos aliquot, quorum varietatem plene ponerem ad familiae testimonium ubique abunde declarandum; ceteros eiusdem rei causa interdum appellassem. Si enim codicum familiae descriptae et singularum testes idonei adhibiti sunt, valde errant, qui utili accessione augeri philologiae copias putant, cum ad scripturas decem codicum recentium et interpolatorum undecimi in iisdem mendis nomen atque unum et alterum novum mendum adiectum sit. Nunc ita comparata erat res, ut, si omnia, quae notata essent, posuissem, tamen nullius Gruteri, Davisii, Goerenzii codicis plenam collationem habituri fuerimus, ac ne Oxoniensium quidem. Deinde cum infinitis scripturis dubitandi notam apposuissem, aeque multae dubiae et prave enotatae relictae essent. Itaque hanc tenui rationem, ut, ubi ex meis deterioris familiae aut consensus aut dissensus intellegi satis non posset, ibi aliorum testimonia ascriberem, aut ubi inutilium coniecturarum et dubitationis non necessariae causas monstrari similemque in posterum lusum excludi utile videretur. Ac fui fortasse in hoc genere copiosior, quam debui, certe quam cupiebam, dum totum hunc locum a confusione et vanitate purgare conor. In varietate scripturae etiam

[1]) Cfr., quae Peyron exposuit ad orat. pro Milone p. 237.

Orellianae editionis discrepantiam facilioris comparationis causa annotavi, ut, ubi nihil in notis distinctius exponeretur, eius nomine editionum aut omnium aut certe plurimarum consensus significaretur. Itaque sicubi positum sic est: LPMCROr., in notis autem in parvis rebus aut nihil aut huiusmodi aliquid: *Sic etiam Spir.*, ibi scriptura a me primum ex Erl. solo aut ex eo et Spirensi, quive alius in nota appellatur, mutata est. [Nunc etiam A et B intelleguntur.]

Usum codicum, ut par erat, omnem rettuli ad unius codicis archetypi scripturam inveniendam, cum nostrorum codicum testimonia in ea re exquirenda ponderarem ea lege, quam eorum origo cognatioque dabat. Constituta enim codicis archetypi scriptura, aut verum tenebatur aut, si cum hac auctoritate ratio pugnabat, id, a quo omnis veri investigatio proficisci deberet. Quidquid autem apparebat in codice archetypo non fuisse, id aut mendi loco habendum esse, perspicuum erat, aut coniecturae postea tentatae, quae poterat interdum esse consideratione digna. Atque utinam hoc aliquando philologi omnes intellegant et teneant. Liberabimur enim et perversa quorundam superstitione, a quibus unus codex describendo multiplicatus, quamvis multis locis eum etiam inscii deserere cogantur, tamen alibi certissimis rationibus praefertur, et inani illo coniecturarum lusu ex apicibus unius alteriusve codicis ductarum sine ulla ceterorum aut cognationis cura. Itaque in codicum dissensu utriusque familiae comparationem feci, non singulorum codicum; [quamquam A et BErl. non eiusdemmodi vinculo coniunguntur, quo omnes deteriores]. Quotiens autem eiusdem familiae codices dissentiebant, exquisivi, quodnam in hac discrepantia significaretur familiae testimonium, quoniam id saepe postea, in deteriore maxime familia, novis erroribus corruptum erat. Id inveniri poterat partim alterius familiae comparatione,[1]) partim per se sine illa comparatione ap-

[1]) Interdum tamen in parvis rebus eadem aberrandi opportunitas in utriusque familiae aliquot codicibus idem mendum genuit, quod in

parebat, cum quaereretur, quam scripturam ex qua ortam esse probabile esset aut qui librarii liberrime et neglegentissime scribere solerent.

Si quando tamen dubium manebat, quid in inferioris familiae primo codice fuisset, ea dubitatio raro molesta erat, quod utraque scriptura vel omnes aperte depravatae erant ex ea, quam meliores codices tenebant. Fere enim ubique in utriusque familiae contentione melior etiam certis argumentis ex ipsa scriptura ductis adiuvabatur, quod ea aut orationi Latinae aut Ciceronis consvetudini diligentius exactae aut sententiae et rei satisfaciebat aut denique quod intellegebatur, ex ea ceteras scripturas oriri potuisse, non ipsam ex ceteris; in quo genere maxime eminebant eae meliorum codicum scripturae, quae leviter corruptae veram sententiam et antiquam orationem involucris quibusdam tectam continebant, cum in deterioribus omnia veri vestigia interpolando sublata et obtecta essent. Raro nisi in parvis rebus, velut in ordine verborum, cum prope par causa esset, sola auctoritas melioris familiae in multis aliis locis spectata sequenda erat. Sed in exquirendo familiae melioris testimonio molestum fuit interdum, quod unum habebam, qui ubique certus praesto esset, codicem Erlangensem, ex quo nunc primum plurimae maximeque insignes scripturae prodibant. Itaque elaboravi, ut cum eius auctoritate, quidquid esset in aliis bonis mixtisve codicibus adiumenti, coniungerem, obscura saepe vestigia persequens; deinde, cum infinitis locis declaratum esset, et quanta esset bonorum codicum conspiratio, quod illa licentia, quae dissensum gignit, hos non attigisset, et quam non codicis Erlangensis scriptor suam sectam volens et prudens relinqueret, hunc unum pro familia accepi testem, ipsius scripturae bonitate et cum altera familia contentione iudicium confirmante. Et tamen necessario interdum dubitavi, cum prae-

codice archetypo non fuisset, ut IV, 37 *intersit* pro *iter sit*. [In II, 17 unus cod. Erlangensis scriba vitavit errandi illecebram, quae omnes traxit.]

sertim ipse codex ita neglegenter et imperite scriptus esset, ut supra dixi, familiaene testimonium an unius librarii error oblatus esset, velut II, 87. [Nunc et de illo loco et reliquae dubitationis magnam partem codices A et B sustulerunt. Sed tamen, quod BErl. tam propinquae originis sunt, et in quarto quintoque libro vehementer exoptari potest aliquis, qui Palatini primi locum expleat, et in prioribus, qui quasi medius sit inter hunc et BErl.] In verborum quidem ordine codicem Erlangensem secutus sum, quotiens aut paulum aliquid aliunde, velut e Victorii codice, accedebat auctoritatis (quod ita saepe fit, ut hic quoque universae familiae consensus perluceat), aut Ciceronis consvetudo sententiaeque forma favebat, postremo ubi causa aliqua mutati in altera familia ordinis intellegi poterat; ut ubique eius unius codicis auctoritatem ceterorum consensui, id est, eorum principi praeferrem, impetrare a me non potui, cum suspicio non abesset, quin in hoc genere eius librarii, qui eum scripsit, neglegentia late patuisset (cfr. I, 68: *Epicurus eadem his paene verbis inquit* et II, 28: *deinde enim ubi erubuit vis est permagna* et 39: *virtutis omnino adiunctio a philosophia*). Malui igitur ea, quae certa non erant aut saltem perquam probabilia, annotata in varietate scripturae expectare, dum alter eiusdem generis codex accederet; nec dubito, quin is plura etiam ex iis confirmaturus sit, quae minus exquisita videntur quam in vulgaribus (ut II, 43 *iam pridem desitum est contra eos disputari*). Interea habeant haec, in quibus se iactent, qui multo se mihi praelaturi sunt, cum docuerint I, 3 scribendum fuisse *modus ullus est*. [Nunc hic quoque cum Erlangensi conspirante codice B, utriusque parentem testem habemus, sed in eadem suspicione haerentem, cum praesertim in omnibus his locis multisque aliis A dissentiat et cum ceteris faciat. Itaque in dissensu, ubi auctoritate standum erat, huius fere ordinem secutus sum, fortasse non satis constanter; in quarto et quinto libro relinquitur dubitatio.]

Verum codicem archetypum ipsum menda non pauca habuisse constat et supra aliquot exemplis declaratum est,

cum etiam ostenderem (§ 3 p. XXXIV), multa, quae nunc communi consensu tamquam fideliter antiquitus servata probarentur, coniecturae verae ac necessariae deberi; eratque facile iis, quae ibi a recentissimis librariis emendata dixi, alia adiungere, quae a vetere aliquo editore correcta esse vulgo nescitur. Velut (ut duobus vicinis exemplis defungar) in III, 28 quamquam ad verba *ex quo efficitur* nihil Gruterus, Davisius, Goerenzius, Orellius annotant, tamen certissimum est, in nullo codice ita fuisse, sed in omnibus *ex qua*, et paucis versibus post, ubi recte editur *ob ea*, quod Orellius ex una Victorii editione ascribit *ad ea*, id omnes codices habuerunt. Horum igitur codicis archetypi mendorum tollendorum, si ab iis locis discedimus, quae apud Nonium rectius scriptos ante (p. XXIII) enumeravi (nam ceteri grammatici nihil nos adiuvant), omnis ratio in coniectura posita est. Atque saepe coniecturae necessitatem ipsa demum inventio eius, quod in codice archetypo scriptum fuerit, expulsis posteriorum interpolationibus, affert et ostendit, cum in eo vestigium veri sit, non verum ipsum, cuiusmodi est, ut ex magna copia unum ponam, illud in III, 66: *civiles* (*cules*) *neglectique*, pro quo substitutum erat, in quo per se non facile offenderes, *abiecti*, [et IV, 65 *nescit*, pro quo positum est *langvescit*].

Coniecturam igitur, hoc est, emendationem ex indiciis repertam, qua critica ars absolvitur, ut non solum traditorum delectum faciat, sed amissa reparet, et aliorum secutus sum et multum etiam mea usus, cum et testimonia codicum plenius certiusque exquisita haberem, quam superiores, et totam Ciceronis disputationem omnesque sententias diligentius accuratiusque persecutus mihi viderer; uti autem studui et libere et prudenter et ad artis regulam. Odi enim, ut qui maxime, inania coniecturarum ludibria hominum aut imperitorum aut levium, certe arte destitutorum, praeter ipsam vanitatem vel praecipue ob eam causam, quod necessariam partem criticae in invidiam adducunt.

Primum igitur in coniectura necessitatem specto et evidentem mendi demonstrationem, quae conficitur aut e codicum bonorum scriptura aut ex oratione aut ex sententia aut ex horum concursu, eaque omnia sic exigo, non ut, quid per se rectum sit, quaeram, sed quid a Cicerone etiam minus recte et eleganter scribi potuerit et quid eum testimonia argumentaque scripsisse ostendant. Atque in illa parte, quae ad orationem pertinet (nam de codicibus dictum est), maxime peccatur a philologis, cum in regula iisque, quae ab ea deflectunt, considerandis, quia nunc Latinus et Graecus sermo libris conclusus studiose arte comprehenditur, non satis meminerunt, quae sit communis lingvarum hominum usu vigentium natura. Ille enim veterum sermo iisdem omnibus causis movebatur et flectebatur, quibus noster, sed eae causae aliam materiam et formam ab initio aliter constitutam diverso modo regunt. Itaque quod olim multas mirasque figuras excogitabant, quarum usu antiquis omnem sermonem vertere licuisse putabant, nunc contra partim omnem neglegentiam ambiguitatemque a veteribus lingvis exclusam putant, partim mira scriptorum artificia excogitant significationesque, quas illos consequi voluisse arbitrantur, nec meminerunt, singulos homines, qui lingva aliqua utantur, ita communi eius usui parere, ut ipsi novas significationes fingere nequeant, quas nemo intellecturus sit, tum saepe obliviscuntur, quae sit formarum ad regulam positarum vis et causa (ut in illo, quod ad I, 10 p. 26 attigi). Qui prudenter agent, illi primum, cum quaeretur, rectene et Latine aliquid aut omnino aut certo tempore dictum sit, maxime considerabunt, quo transitu et quibus quasi gradibus a consveta aut significatione verborum aut iunctura ad hanc, de qua quaeretur, veniri potuerit, deinde autem, cum de licentia neglegentiaque dubitabitur, attendent, quos ei et a qua parte aditus legitima forma dederit quaeque causae scriptorem traxerint. Haec ego studiose persequens et negavi quaedam ferenda, quod legitimae formae eam perturbationem haberent, quae accidere Latinis nequisset, et permulta, quae

minime recta essent, tamen a Cicerone scripta defendi, ut illud maxime notabile in lib. III, 51; interdum, demonstrato vitio et falsa defensione detracta, tamen dubitavi, quousque Cicero progressus esset, ut III, 31.[1]) Sed et de his ii demum recte iudicare poterunt, qui libere de Cicerone sentire audebunt nec omnia ab eo summa arte scripta credent, et eadem iudicii libertas ad ea adhibenda est, in quibus mendum scripturae coargui putatur sententiae vitio. Nam ut non pauca, quae erant aut olim a scribis aliquot mutata (ut III, 43 *bona vere*) aut nuper ab editoribus tentata (ut illud facillimum III, 40), verae et rectae sententiae declaratione defensa nunc sunt, ita multa, in quibus erat dubitatum, expedivi, cum ostenderem, Ciceronem parum diligenter sententiam animo concepisse (velut II, 50, V, 54), alia autem, ipse primus, quid haberent in sententia vitii, ita exposui, ut de scriptura dubitari non posse demonstrarem, ut II, 35, IV, 58. Verum in hoc quoque genere alia eiusmodi sunt, ut a Cicerone male scripta esse possint, alia eiusmodi, ut ab eo scripta non esse cum rei natura, tum totius orationis et disputationis conformatio declaret, quaedam denique dubia, ut IV, 47 (*aut vitio*). Ita cum distinctum est, quid constet non esse corruptum aut saltem nulla sit idonea causa cur corruptum putetur, quid non constet esse corrup-

---

[1]) Quoniam mentio facta est veteris sermonis libere se et naturaliter nec subtiliore, quam quae in nostro est, arte moventis, non tacebo, in hoc genere ne Handium quidem, cuius eruditionem et industriam non minus laudo quam ceteri, mihi satisfacere, eamque esse causam, cur non paucis locis contra eius sententias in Tursellino positas mihi dicendum fuerit. Ac tota dissensio fere in excursu primo perspici potest. Sed accedunt et nimis minutatim concisae particularum significationes et quaedam parum probabiliter excogitatae et in ea re et loci scriptorum contra sententiae cohaerentiam non raro expositi et menda defensa pertinacius. Ac quamquam in tanto opere instruendo non poterat omnium scriptorum critica condicio exquiri, videtur tamen mihi Handius in Ciceronis saltem et Livii libris ad hanc rem et ad codicum discrimina paulo magis attendere debuisse.

tum, quid corruptum esse constet, sequitur emendationis investigatio, ut id reperiatur, quod omnibus codicum indiciis et sententiae et orationi ita simul satisfaciat, ut nihil aliud iis respondere appareat. In quo ut est felicitas quaedam et sagax animi motus in iis celeriter excogitandis, quae scriptoris animo offerre sese potuerint, cum eodem temporis momento ex altera parte occurrat, e qua vera forma haec, quae fracta nunc restet, nata sit, ita prudentis est scire, quousque progredi possit. Nam alia videbit prorsus a se sanari posse, alia ita, ut sententia et universa orationis forma demonstretur, alia relinquenda esse. Hoc modo qui coniecturam moderabitur, is emendabit veterum scripta et emendationi suae confidet; de modestia autem coniecturae aut tentandae aut in contextu ponendae ita iudicabit, in arte quidquid prudenter fiat, satis modeste fieri. Haec ideo paulo pluribus verbis de coniectura exposui, primum quod hoc tempore, cum homines taedium quoddam cepisset inutilium et levium coniecturarum cumque simul protracta essent e tenebris praestantissima codicum manuscriptorum praesidia, sine quibus coniectura fundamento caret, nata est superstitio quaedam ita se codicibus addicens, ut etiam absurdissima contra certissimam emendationem defendat, interpretetur, enarret et in eo cum magna se gloriatione iactet; nihil enim non expediat, cui, ne de sententiarum et rerum vitiis dicam, ad defendendum soloecismum mirabilis haec sufficiat orationis distinctio (Tusc. V. 121): *In quo quantum ceteris profuturi sumus: haud facile dixerimus*, similiaque infinita placeant.[1]) Deinde vero faciendum mihi visum est, ut a prudenti coniectura et, ut ita dicam, severa atque casta non ambiguo fine, velut

---

[1]) Merito coniecturas oderunt, qui ipsi declarant, nescire se, quid differat inter portenta orationis et sententiae a perspicuis codicum vestigiis discedentia et coniecturam via ac ratione procedentem, cuius rei exemplum manifestum ponam. Pro desperato habitus est locus orationis pro Caecina § 76. Is locus

mutationum numero et magnitudine (nam haec genere depravationis et frequentia variantur), sed tota forma separarem levem et temerariam, cum praesertim ea nuper per unum ex his Ciceronis operibus mira licentia grassata esset. [Stuerenburgium significavi. Multa postea, etsi non tam petulanter, in hoc genere Bakius peccavit. Nam minutos homines, qui nuper haec attrectaverunt, non curo.]

Non ita paucis locis in eam sententiam adductus sum, ut vocem aliquam in codice archetypo excidisse putarem. Id ne temere statuisse videar, libet hic commemorare, qui-

---

in codice Erfurtensi sic scribitur, ceteris fere consentientibus:	nuper sic est emendatus:	scribendus est hoc modo:
tu res si equos uestes si uim non in cede solum sed etiam in animo libidinis nisi cruor appareat uim non esse factam iniuris delictum esse qui prohibitus sit libidinis nisi ex eo loco ubi uestigium impresserit deici neminem posse iuris retinet sententiam et aequitatem plurimum ualere oportere libidinis uerbo ac littera ius omne torqueri uos statuite recuperatores et uiliores esse uideantur.	*tu igitur, si aequum est esse vim non in caede solum, sed etiam in animo, ibi dicis, nisi cruor appareat, vim non esse factam, si verum est deiectum esse, qui prohibitus sit, ibi dicis, nisi ex eo loco, ubi vestigium impresserit, deici neminem posse. si iuris retinere sententiam et aequitatem plurimum valere oportet, ibi dicis verbo ac littera ius omne torqueri. vos statuite, recuperatores, utra verior res esse videatur.*	*Iuris haec vox est, esse vim non in caede solum, sed etiam in animo, libidinis, nisi cruor appareat, vim non esse factam; iuris, deiectum esse, qui prohibitus sit, libidinis, nisi ex eo loco, ubi vestigium impresserit, deici neminem posse; iuris, retineri sententiam et aequitatem plurimum valere oportere, libidinis, verbo ac littera ius omne torqueri. Vos statuite, recuperatores, utra utilior esse videatur.*

Iuri Cicero id tribuit, quod ipse defendit, libidini id, quod adversarios defendere ait. Verum non invenisse in tali loco nemini opprobrio esse potest; sed talem orationem (*si verum est* —, *ibi dicis*, hoc est: *cum verum sit* —, *tu* (contra) *dicis*) pro Ciceroniana habere, tum non intellegere, a *libidinis* voce ter repetita et *iuris* bis servata omnem emendandi conatum proficisci debere, id vero mali coniectoris est. [Haec in quem dicta erant, priorem rationem mutavit paruitque admonitioni non sane leni. Reliqui tamen, quae non hominis causa, sed rei dixeram.]

bus locis idem mendum iam ante me fere communi consensu correctum sit, quamquam uno et altero editores aut omnes aut recentiores ignorarunt, coniectura repertum esse, quod tenerent. Nam I, 10 ita restitutum est *satis*, II, 21 *quod reprehenderemus*, 40 *ad*, 54 *de* (e paucis codd. dett.), 98 *ex*, 100 *a*, III, 7 *inexhausta* (ab eo, qui codicum deteriorum principem interpolavit, verbum non bene delectum), 49 *non* ante *eam*, 55 *uno*, 62 *ut*, IV, 6 *non*, 9 *ne*, 65 *non*, 74 *stultos*, V, 11 *esse*, 30 *ne* et *ut*, 38 *non* et *ut*, 41 *ab*, 49 *esse*, 74 *rem*, neque dubitatum est, quin I, 50 post *sic* excidisset subiectum sententiae; II quoque 36 *cum* omissum fuisse, ab aliis erat intellectum. His locis ego perspicuis argumentis adductus hos addidi, qui si inter se et cum illis collati fuerint, minus etiam dubii videbuntur: I, 50 (*semper aliquid* **), II, 25 (*bene*), 82 (*cum*), 97 (*beatus*), III, 15 (*novarum* **), 29 (*numquam*), 61 (*neque* ** *virtute*), IV, 2 (*quidque* **), 17 (*cum*), 19 (*quod* cum Davisio), 69 (*non*; ceteri addiderant *enim*), V, 31 (*quam* cum Manutio), 72 (*esse*), 80 (*bona* cum Lambino), 81 (*illud dicere*), 87 (*non* cum Davis.) 96 (*fuit* cum Lamb.). Voces ab aliis aut a me suppletas notavi forma litterarum. Plures versus, quemadmodum in I, 22 accidit, suspicatus sum excidisse II, 34.

Illud etiam in compluribus locis ab aliis iam erat intellectum, ascripta quaedam interpretandi causa in codice archetypo locum inter Ciceronis verba tenuisse (I, 3, 71, II, 35, III, 17, 36, 59, 74, IV, 21, 62, 63, 67, 68, V, 23, 44, 64, 88, tum, qui loci longiores annotationes e margine susceptas habent, II, 108 et V, 21). Idem accidisse ego arbitratus sum etiam his locis: I, 55, II, 11, 25, [94,] III, 22, 35 (qui duo loci plurium verborum additione corrupti sunt), 55, IV, 9, V, 19, 28, 61, 80, et ita in singulis locis iudicii causas exposui, ut nunc hac comparatione confirmari id velim.

§ 6. In enarrandis his libris primam maximamque operam, ut par erat, contuli ad res et sententias ita declarandas, ut plene, aequaliter, distincte, libere exponeretur, quid Cicero a Graecis acceptum quomodo reddidisset, omnisque disputationis ordo et progressus pateret. Multa enim

in hac parte reliquerant Morelii laudabile studium, a doctrinae copiis et iudicii subtilitate non semper satis adiutum, et Davisii opera, quae fere consumpta est in locis Diogenis et Sexti Empirici patrumque Christianorum ibi ascribendis, ubi unum aliquod non ignotum decretum apertis verbis positum erat, tum quae Bremius in trium primorum librorum argumentis explicandis satis apte et distincte exposuerat, neque tamen ita, ut reconditiora subtilius attingeret. Goerenzius locis ab his transcriptis nihil addidit nisi errores in notis sententiis argumentisque incredibiles tantosque, ut non raro Stoica pro Epicureis, Epicurea pro Stoicis haberet.[1]) Itaque in difficillimis saepe locis tacebant enarratores (ut II, 33, 35, III, 69, IV, 58, V, 18 sqq. multisque aliis locis); eas dubitationes, quae diligentius attendenti oboriri debebant, nusquam fere attingebant (ut III, 49, al.); quo minus mirum est, si quid ex disputationis interiore intellegentia peti deberet ad scripturam dubiam constituendam, plerumque aberratum esse, ut III, 43, IV, 32, maxime tamen (ut posteriore loco) ab recentissimis. Omnino nullum est post P. Fabri operam in Academicis collocatam ex hoc genere Ciceronis opus, cuius sententias et disputationes omnes plene et cum rerum intellegentia Graecorumque fontium usu enarratas dicere possimus praeter libros de officiis. Verum Beierus, dum omnia colligit et effundit, saepe admiscuit aliena, neque audebat libere de Cicerone iudicare. Ego in his libris operam dedi, ut id ipsum, quod Ciceroni quoque loco obversatum esset, distincte exponerem significaremque, in tertio potissimum libro, ubi Cicero in difficillima disciplina maxime quasi summa fastigia rerum sequitur, quomodo cum aliis eiusdem disciplinae partibus disputationibusque cohaererent ea, quae is posuisset. Deinde, si quid minus ab eo aut perspicue aut recte intellectum expositumque iudicabam, aperui et notavi, ea quoque persequens, quae non tam a decretis

[1]) Ad lib. I et II, qui facillimi sunt, Muretus quaedam contulit in scholiis, ad tres postremos libros nihil.

Graecorum aberrabant, quam ab ipso Cicerone in argumentis concludendis sententiisque explicandis minus acute et distincte cogitata neque aptissime verbis comprehensa esse videbantur, ut sensim ad orationem scribendique genus delaberetur animadversio. De quo universo genere ita dicam paulo post, nullam ut a me Ciceroni iniuriam factam neque iniquo animo de eo iudicatum esse facile appareat. Notari autem haec prorsus necesse est; quis enim potest, quod male scriptum est et cum sententiae vitio, perspicue declarare, nisi eo vitio demonstrato? Itaque vulgo haec praetermittuntur, quod incuriose et parum subtiliter legitur. Tum de vera multorum locorum scriptura nullo modo iudicari posse, nisi hoc genere perspecto et declarato, paulo ante, cum de coniectura dixi, exposui. Ac si qui putabunt, nimis tamen molestum me fuisse, qui ne illa quidem miti silentio transmiserim, quae quivis per se animadvertat sine admonitione, ii si consideraverint, quantae exoriantur turbae hominum, si quid aliquando animadversum sit, perspicient, vulgo non animadverti, ut vel haec sit satis magna notandi causa, ut assvescant nonnulli non perturbari.[1]) Postremo pertinet ad ipsam philologiae dignitatem, prudenter magis quam indulgenter laudari antiquos scriptores et exempla bene scribendi proponi.

Deinde, si qua erant in orationis forma aut verborum significatione aut obscura aut minus vulgaria, etiam extra scripturae dubitationem studiose annotavi; et ex hoc genere multa

---

[1] Ascribam unum ex alio opere exemplum. Tusc. II. 43 hoc ponitur: *Quod ergo et postulatur a fortibus et laudatur, cum fit, id aut extimescere veniens aut non ferre praesens nonne turpe est?* Atqui postulatur et laudatur *doloris patientia*, extimescitur nec fertur *dolor*. Haec igitur a Cicerone confusa esse, Nissenius animadvertit, addiditque modeste, scriptoribus antiquis quaedam inhaerere excusanda magis quam probanda aut imitanda; modo ne anacoluthon esse dixisset; nam grammatica orationis forma optime constat. Quid Moserus? Non ferens audaciam Nissenii, abesse ait post *cum fit*, quod facillime intellegatur (!) *dolorem pati*, ex eo haud difficulter audiri *dolorem perpetiendum*. Sed quid fiet conclusioni et sententiae, si aliud est *quod*, aliud *id*?

in hos commentarios rettuli, quae ad Ciceronis aliorumve scriptorum locos emendandos explicandosve pertinerent, in dicendo brevitatem, quantum potui, secutus. A librorum hominumque nominibus iactandis natura mea abhorret; testimonia rationesque non opinor desideratum iri.

Multo plus loci, quam vellem, in commentariis meis occupat aliorum refutatio atque etiam reprehensio. Sed scribimus neque peritis solis neque iis, qui libenter et simpliciter veritatem admittant, potiusque multi effugia quaerunt veteresque errores quasi nova inventa referunt. Accessit singularis quaedam causa ac necessitas. Dedit enim mihi fortuna, cui, si summa res spectatur, succederem, Goerenzium, quem ego, ex quo primum Ciceronis de philosophia libros studiis meis attigi, nescio utrum miratus sim magis an indignatus aliquo inter philologos loco habitum esse et nunc quoque a nonnullis haberi; adeo mihi totus ex neglegentia et confusione, ex Latini sermonis summa ignorantia et foedissima barbaria, ex ingenii torpore iudiciique perversitate cum incredibili quadam oblivione (quam Graeci μετεωρίαν καὶ ἀβλεψίαν appellant), denique ex arrogantia mixtus videbatur. [Sed quoniam plus iam ille in meo libro obtinet loci, quam vellem, omittam nunc, quae olim de tota eius opera universe comprehenderam, quamquam omnia vera erant, contentusque ero praeter ea, quae in commentario plurimis locis notavi paene incredibilia peccata, iis, quae supra (p. XIV sqq.) de uno genere neglegentiae et perversitatis exempla posui.] Post Goerenzium Orellius praestitit fere, quae expectari in eiusmodi cura et talibus subsidiis poterant, nec paucos Goerenzii atque etiam aliorum errores vitavit prudenter et correxit, quaedam nova aut a Lambino aliisque inventa, sed postea neglecta addidit; rerum a Cicerone tractatarum subtilem e Graecis fontibus cognitionem ab eo non iure postules, qui singularem in hoc genere scriptorum Ciceronis operam ponere non decrevisset; de oratione Latina et rebus grammaticis paulo prudentius constantiusque iudicium hic, ut alibi, non immerito requiras.

F. W. Ottonis, qui post Orellium separatim hos libros edidit, opera fere in eo consumpta est, ut excerptis Goerenzii notis adderet sine ullo delectu de rebus grammaticis aut pervagatis aut nuper agitatis ex collectaneis exemplorum et nominum turbam saepe cum haud parva confusione. Difficillimos locos et re, sententia, oratione impeditos saepe tacitus praeteriit.[1] Prudentior fuit G. C. Kernius, cuius Germanicam horum librorum interpretationem (Stuttgardiae 1836) cum magis casu quam consilio inspexissem (neque enim magnam expectationem fuisse fateor), repperi aliquot locis vitatos Goerenzii errores, qui ceteros omnes decepissent, et veram sententiam perspectam. De superiorum temporum editoribus singulatim dici opus non est, e quibus Bremius, qui proxime ante nostram aetatem tres priores libros edidit (a. 1798), in duos, quorum editio impedita fuerat, quae commentatus erat, cum Goerenzio communicavit, si subsidiis instructior et magis exercitatus ad eos accessisset, et si tantum ingenii acumine valuisset, quantum recto quodam sensu ad verum trahebatur, multum profuisset. [Th. Bentleius, qui hos libros 1718 edidit, quaedam recte emendavit, rationem fere non exponens, in aliis saltem recte dubitavit, alia iniuria tentavit. Nonnulla, quae Bentleii sunt, Davisio post alios tribueram. Pearcii notulae aliquot apud Olivetum reperiuntur.]

Imposuerat mihi fortuna magnam in hoc libro reprehendendi necessitatem; dedit eadem, quod et in ipso opere saepe hanc molestiam magna svavitate leniret et hoc loco hanc aliorum commemorationem verae laudis iucundissima praedicatione concluderet. Ea debetur summo iure amico meo, qui se interdum discipulum haberi vult, A. S. Wesenbergio, scholae Viburgensis magistro. Nam is cum forte, quo tempore haec editio typographo tradi coepta est, Hauniam venisset, rogatusque a me pro nostra familiaritate esset, ut,

---

[1]) Billerbeckii editionem (Hannoverae a. 1827) inspicient, qui legere cupient, *Academiae non sine causa nobilitata spatia* esse *von der vornehmen Welt besuchte Spaziergänge*, et similia.

si quid ad hos libros annotatum haberet, mecum communicaret, postquam domum rediit, non, quae iam haberet, misit, sed mea causa ita se contulit ad hos libros intento animo retractandos, ut nihil fere relinqueret, de quo non sententiam acute et prudenter diceret, argumenta erudite et scienter conquireret, eaque omnia sensim, meo opere procedente, mihi sic tradidit, ut, quomodo vellem, uterer. Ac quamquam nota mihi erat amici accurata doctrina et rectum de nostra arte iudicium, admiratus tamen sum, quam saepe in tam exiguo praesertim apparatu (nam ne Gruterum quidem habebat) aut verum ipsum felicissime invenisset aut rectam viam eius inveniendi institisset meamque sententiam consensu confirmaret, interdum etiam ad ea attendisset, quae me fugissent. Atque haec, in quibus sunt etiam, quae non ad hos solos libros pertineant, ut par erat, inventori tribui; ubi in eadem, atque ego, inciderat, tantum in rebus insignioribus, et confirmationis causa et quod iucundum erat, nomen eius ascripsi, neque, si quando aliquod exemplum ex eius copiis adiunxi meis, quod non raro factum est, monui; neque enim illa lege vivimus. Atque etiam ubi a me discedebat, maxime quod codicum meliorum testimonia non norat, perquam saepe utile mihi fuit videre, quid prudenti homini in mentem veniret. Sed mihi in tota hac re etsi cetera egregie placebant, tamen illud longe gratissimum fuit, quod, quo tempore cum perversitate quorundam conflictabar et in genere scribendi paene moroso defetigabar, licebat in svavissimo amicitiae affectu acquiescere.

Haec habui, quae de meis consiliis institutisque dicenda viderentur. Reliqua iam oratio de ipsis Ciceronis libris erit.

II.

§ 1. Libros de finibus Cicero scripsit Caesare IV consule priore parte anni a. Chr. n. 45 post filiae mortem absolutamque Consolationem, eodem fere tempore, quo Academica, Asturae, ubi villam habebat, brevissimo spatio et celeriter;

expolitos deinde nonnihil ad Brutum misit et divulgavit aestate eadem una cum Academicis, quae interea in aliam formam redegerat.[1]) (Quod Goerenzius de duplici editione libri quinti cogitavit, nihil est; tantum in hoc opere, ut in ceteris omnibus, quamdiu nondum librariis describenda, ut divulgarentur, tradiderat, subinde aliquid mutavit.) In opere componendo Cicero secutus est Aristotelis dialogorum morem, ita ut ipse partes easque praecipuas sermonis haberet, quod in libris de oratore (et de re publica) aliter instituerat.[2]) Sed eam formam

---

[1]) In epistulis ad Atticum prima significatio horum librorum videtur esse XII, 12, 2: *De Epicuro* (id est, de eius sententia in alicuius persona explicanda; non opus esse videtur scribi *de Epicureo*), *ut voles; etsi μεϑαρμόσομαι in posterum genus hoc personarum.* Deinde XII, 45, 1, initio mensis Iunii, scribit, se Asturae duo magna συντάγματα absolvisse, quae etiam propter usum vocis σύνταγμα rectius Academica et hi libri intelleguntur quam duo Academicorum libri. XIII, 32, 3 Torquatum, id est, primum librum de finibus Romae esse dicit (ut describatur), Catulum et Lucullum se credere Attico antea datos, quibus libris se nunc nova prooemia addidisse. XIII, 12, 3, quae epistula scripta est mense Quinctili, libros de finibus iam Bruto desponsos dicit (nondum missos); itaque se, ut Varroni satisfacere possit, qui partes in aliquo Ciceronis scripto habere cupiebat, ad eum Academica translaturum. Ea Academicorum mutatio commemoratur lib. XIII, 13, 14, 18; in epistula 19, circa Kal. Sext., et ea iam absoluta narratur et libri de finibus nominantur, confecti, non editi. Ep. 21, 4 Academica altera Romam describenda se misisse scribit, queriturque, quod Balbus ab Attico iam quintum librum de finibus descripsisset, cum nondum ad Brutum opus missum esset et Cicero in eo libro *non sane multa mutasset, sed tamen quaedam*; item Caerelliam libros de finibus iam habere. Epist. 23, 2, ante idus Sext., in Academicis librariorum menda tolli, libros de finibus in librariorum manibus esse, Attico narrat, nec postea libros de finibus commemorat; de Academicis dubitabat etiam tum. Varroni tradendine essent necne (24, 25).

[2]) [In hac enim peculiari dialogi forma apertissime Aristotelis in his libris imitationem Cicero ponit ad Attic. XIII. 19, 4, ubi, postquam in libris de oratore et de re publica loquentes induci superioris temporis personas dixit, ut nullae suae sint partes haec subicit: *quae autem his temporibus scripsi, Ἀριστοτέλειον morem habent, in quo*

accommodavit ad suum consilium. Nam cum non una et communi quaestione argumentum comprehensurus esset, sed singularum disciplinarum decreta expositurus, in tres sermones tempore diversos opus distribuit, quorum primus, qui de Epicurea philosophia est, inter Ciceronem et L. Manlium Torquatum et C. Valerium Triarium L. Paulo, C. Marcello consulibus a. 50 a. Chr. in Ciceronis villa Cumana habitus fingitur (vid. argum. lib. I), secundus, in quo Stoica sunt, inter Ciceronem et M. Catonem in Luculli Tusculano Cn. Pompeio III, Q. Metello Scipione coss. a. 52, ut ex libr. IV, 1 intellegitur (*hac nova lege*; a. 51 Cicero in Ciliciam abiit), [1]) tertius autem multis annis ante (a. 79 a. Chr.) Athenis inter Ciceronem iuvenem eiusque Q. fratrem et L. fratrem patruelem et T. Pomponium Atticum et M. Pupium Pisonem Calpurnianum, cuius in eo primae partes sunt (vid. arg. lib. V et annot. ad V, 1). Reiecit autem Cicero sermonem in id tempus, quod eorum personis uti malebat, qui mortui iam essent; ex iis opportunus visus erat Piso, qui cum una cum Cicerone Athenis fuisset et ipsum Antiochum, cuius sententiae in libro quinto exponuntur, audisset, apte inducebatur sermo illo ipso tempore habitus.

---

sermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipsum sit principatus. Itaque quae ad Fam. I, 9, 23 leguntur: *Scripsi etiam Aristotelio more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione et dialogo de oratore*, ea, ut Boiesenius (in Locorum philologicorum fasc I, Haun. 1846, p. 7) intellexit, non ad peculiarem aliquam dialogi rationem, sed ad ipsius dialogi in tali artis explicatione usum (si tamen verba *in disputatione et dialogo* Ciceronis sunt)* et ad rerum tractationem a communi artium rhetoricarum consvetudine abhorrentem pertinent. Ceterum propriam dialogorum Aristoteliorum formam ignoramus.]

[1]) Eodem anno 52 L. Lucullum fato functum esse, Goerenzius falso scribit. Is enim propter Plutarchi verba (Lucull. 43) Ciceronisque de eo in epistulis silentium recte creditur paulo post annum 57 mortuus esse. Nec in libri tertii initio ulla est significatio Luculli patris brevi ante mortui puerique plane nuper Catonis tutelae commissi.

§ 2. Sumpsit Cicero, quam his libris explicaret, eam quaestionem, qua omnis ethica disciplina continebatur, de summo bono et malo, quod Graeci τέλους nomine appellabant,[1]) non tamen ut ipse suo ingenio rem arduam aggrederetur et expedire conaretur aut saltem ad sententiam sibi probatam aliquid adiceret novi argumenti, sed, quod unum illi in philosophia propositum erat, ut, quid a singulis philosophiae disciplinis diceretur (I, 12), persequeretur et quodam modo compararet. Itaque quoniam illa aetate praeter novam Academiam, quae nullam certis decretis comprehensam summam tradebat quamque iam langvescentem nec volatica disputationum levitate animos veri cupidos explentem Cicero tamen ab adulescentia adamatam tenebat, ut libere per omnes philosophorum disciplinas flores colligeret, duae veteres vigebant sectae, Epicurea et Stoica, tertiam Antiochus Ascalonites e Stoicorum decretis et Peripateticorum Academicorumque superiorum sententiis quibusdam et verbis sub veteris Academiae nomine constituerat, Cicero tripertitam disputationem fecit, expositamque primum Epicuri doctrinam oppugnavit ipse in libro secundo Stoicorum telis, hic quidem ex animi sententia agens; deinde Stoicae disciplinae opponit in libro quarto Antiochi disputationem, Stoicos reapse cum veteribus Academicis et Peripateticis, id est, cum ea forma decretorum, quam Antiochus illorum esse docebat, consen-

[1]) Reprehensus est Cicero a Iul. Caesare Scaligero (de Subtil. Exercit. CCL) et Mureto (Varr. Lectt. XVII, 1), quod fines etiam malorum dixisset, cum in nomine τοῦ τέλους significaretur τό, οὗ ἕνεκα, ut de solis bonis diceretur, defensus a Davisio. Recte statuunt, τέλος initio sic positum a philosophis, ut id significaretur, in quo extremo consisteret causae et consilii exquisitio. Itaque proprie de bonis dicitur saepissimeque ponitur non addito ἀγαθῶν. Sed tamen sensim, retenta tantum ultimi et eius, quod progressum terminaret, significatione, traductum est etiam ad id, quod in comparatione summo bono contrarium esset (Acad. II, 132), atque ita et a Graecis interdum positum videtur (apud Diogenem Laërt. VII, 97 τελικὰ κακά) et Latine etiam fortasse a Varrone, qui eosdem, quos Cicero, secutus est, si a Varrone hoc sumpsit Augustinus de Civ. Dei XIX, 1.

tire, tantum verbis aliis uti; postremo in libro quinto, explicata Antiochi disciplina, pauca quaedam ita contra disseruntur, ut Stoici magis sibi constare videantur, cui tamen disputationi pro Antiocho respondetur.[1]) In hac descriptione primum apparet, in libro quarto et quinto magna ex parte easdem res tractari et bis poni, primum ut cum Stoicis haec comparentur, deinde per se. Deinde haec omnis ratio sic a Cicerone tractatur, ut magis summae sententiae exponantur et argumentis concludendis inter se comparentur, quam illud quaeratur, quomodo prima initia notionum ethicarum in singulis scholis oriantur et cum reliquis decretis de deo et mundo cohaereant. Ex quo fit etiam, ut sententiarum vis atque proprietas in illa comparatione non satis animadvertatur; velut in quinto libro Antiocho obicitur, constantius Stoicos sapientem semper beatum esse dicere, qui nihil praeter vitium in malis relinquant, atque in hac constantiae commemoratione omnis consumitur oratio; illud, quod caput erat, non attingitur, de ipsa boni notione, quam Stoici totam in humanae voluntatis fundamento constituerant, deque beatae vitae. Verum haec partim iam a superioribus minus distincte explicabantur, qui scholarum decreta, ut semel erant composita, servabant, partim ab Antiocho confusa erant. Itaque haec a Cicerone, qui suo ingenio philosophari noluit, ne severe exigamus (quamquam vellemus, minus leviter de sectarum proprietate et discrimine iudicasset, quam facit, ut hoc utar, V, 76), idque unum quaeramus in tali praesertim scribendi tempore, ipsa ea, quae e Graecorum libris in brevius contracta, interdum exornata rhetorice, exponit, satisne fideliter et accurate reddiderit.

§ 3. Neque enim putandum est, quod nonnullis in mentem venit, tot huius generis libros tam brevi tempore

---

[1]) Ad eandem formam descripti sunt libri de natura deorum, sed quod Antiochus hanc partem philosophiae novo vestitu non induerat, Epicurea tantum et Stoica decreta exponuntur et Academica dubitatione impugnantur.

scriptos esse reputantibus, materiam multo ante collectam fuisse. Cicero enim inde ab adulescentia Graecae philosophiae cognitionem paraverat ad oratoris usum et ad liberalem ingenii cultum, non scribendi consilio, quod ei seni rei publicae casus et domestici attulerunt, neque intimos sectarum recessus perscrutatus erat singularumve formas ad artis modum cum notionum proprietate subtiliter animo descriptas tenebat. Cum igitur animum ad scribendum appulisset cum festinatione quadam et quasi aestu, doloris et molestiarum oblivionem quaerens,[1]) neque habebat praeparatam materiam nisi communi quadam a doctoribus et libris notitia neque eam studiose conquisitam diuturna meditatione versabat, sed, quod alio modo fortasse fidei et cautionis causa fecisset, in singulis partibus philosophiae singulisque disciplinis, quas erat tractaturus, unum fere aliquem sibi elegit ducem, quem sequeretur et exprimeret.[2]) Quod quomodo instituerit, nuper clarissimo exemplo patefactum est in libro primo de natura deorum, inventa inter Herculanensia volumina particula scripti Phaedri Epicurei περὶ θεῶν [vel potius Philodemi περὶ εὐσεβείας]. Apparet enim intellectumque est a Ch. Petersenio, qui eam particulam Hamburgi a. 1833 seorsum edidit, Ciceronem non solum ex secundo illius opusculi libro totam sententiae Epicureae expositionem (quae apud Ciceronem inde a § 43 legitur) sumpsisse, sed etiam, quod minus aliquis suspicaretur, e priore libro omnia illa, quae Velleium inducit de superiorum

[1]) Ad Attic. XII, 14, 3: *Totos dies scribo* cet.; XIII, 10, 1: *Quod nisi mihi hoc venisset in mentem, scribere ista nescio quae, quo me verterem, non haberem*; ibd. 26, 2: *Equidem, credibile non est, quantum scribam; quin etiam noctibus; nihil enim somni.*

[2]) Ad Attic. XII, 52, 3, qui locus sic interpungendus est: *De lingva Latina securi es animi.* (Atticum securum esse iubet, respondens eius admonitioni alicui.) *Dices: Qui talia conscribis? Ἀπόγραφα sunt; minore labore fiunt; verba tantum affero, quibus abundo.*

philosophorum sententiis disputantem. Eodem igitur aut saltem simili modo rem instituisse in his libris censendus eo magis est, quod non obscura vestigia id testantur, de quibus ex aliqua parte iam alibi dictum a me est. In primo libro etsi saepe ipsius Epicuri verbis utitur, tamen patet (§ 31 et 66 sqq.), posteriorem aliquem ei Epicureum ducem fuisse, nec obscure ipse (§ 16) Phaedrum significare videtur. In secundo libro quamquam liberior est Epicuri insectatio eorumque, quae ad virtutem commendandam dicuntur, exornatio, tamen etiam ea, quae videri possint ab ipso excogitata, a Graecis sumpta esse, exemplo est illud, quod in § 100 commemoravimus. Nec dubitari potest, quin maxima pars Chrysippo debeatur (§ 44), sive ex ipsius libro ea Cicero excerpsit sive ex alicuius, qui eum secutus erat. De tertio libro expositum est in excursu quinto; quartum et quintum totos ab Antiocho esse, et ipse ostendit Cicero et dictum est de ea re in excursu septimo.

§ 4. Ferreus sit, quem non moveat imago Ciceronis inter gravissimas curas, ex honestis causis ortas, de philosophia scribendo solatium capientis. Sed tamen non erat ea animi temporumque condicio aptissima ad hanc materiam, ei praesertim, qui in hoc genere cogitandi, quo ipsae notiones omni detracto involucro artificiose tractantur, non esset exercitatissimus. Itaque, nisi superstitiosi merito dici volumus, confitendum est aperte, accidisse interdum Ciceroni, quae in tali causa expectanda erant. Nam interdum, cum incidisset in res spinosiores, quaedam nimis breviter et obscure excerpsit, maxime in libro tertio (ut capite septimo aliisque locis), alia sic posuit, ut non satis appareret, quo spectarent (ut III, 35 et 49), in quibusdam non satis attendit ad disputationis progressum (ut V, 46), nonnullis locis argumentorum ratione conclusorum formam et vim parum expressit (ut II, 100, III, 28, IV, 50), uno et altero loco prorsus notionem rei perturbavit, ut IV, 58, alienaque admiscuit, ut cum Epicuro Stoicam finis definitionem subicit,

de quo dictum est in annotatis ad I, 29.[1]) Verum cum Cicero sic versaretur in rebus notionibusque non satis semper clare perceptis, accederetque etiam difficultas Latini sermonis non facile novas res recipientis et persequentis, quam necesse est non raro mentem nonnihil ab ipsarum rerum cogitatione et contemplatione avocasse, factum est, ut interdum etiam in iis, quae obscura non essent ac ne a Graecis quidem sumpta, sed ab ipso in argumentis concludendis instituta, aberraret verbaque magis quam sententiam efficeret (ut II, 35 et 50, V, 54). Neque hoc in his solis libris Ciceroni accidit, sed in omnibus iis, quos de simili materia eodem temporum animique habitu scripsit. Velut, ne sine exemplo rem nonnihil invidiae habituram praetermittam, Academ. II, 99 sic loquitur: *Duo placet esse Carneadi genera visorum; in uno hanc divisionem: alia visa esse, quae percipi possint, alia, quae non possint; in altero autem: alia visa esse probabilia, alia non probabilia.* Nihil potest minus recte dici; neque enim duo haec erant visorum separata genera, neque alia erant, quae percipi aut non percipi possent, alia, quae probabilia aut non probabilia essent; (Carneades quidem nullum umquam percipi posse statuebat); sed duplex erat visorum dividendorum ratio; priorem Stoici sequebantur, alia percipi, alia non percipi dicentes,

---

[1]) Non erat difficile ex ceteris Ciceronis scriptis similia multa colligere, quae enarratores non annotarunt, quaedam ita perturbata, ut, nisi explicato errore, intellegi disputatio nequeat, cuiusmodi reperientur, quae in Tuscull. libr. IV, 23 sqq. et 28 sqq. de morbo, aegrotatione, vitio, vitiositate traduntur, si ipsa excussa et cum Graecis, quae Ioannes Stobaeensis et Diogenes Laërtius habent, collata fuerint, aut quae Academ. lib. I, 26 de qualitatibus dicuntur, cum gravi confusione *τῶν ποιοτήτων* et *τῶν ποιῶν*. Illud facillimum expeditu est, quod II de Nat. Deor. 29 totam disputationem Cicero obscuravit et inanem reddidit, cum *σῶμα πολυμερές* (vid. Sext. Empiric. adv. Mathem. IX, 119) interpretatus est: *omnem naturam, quae non solitaria esset neque simplex, sed cum alio iuncta atque connexa,* non, ut debuit: *quae esset e pluribus partibus* (ipsa) *composita.*

Carneades altera standum putabat, quoniam nullum visum probabilitatem supergrederetur. In Topicis § 67, postquam Cicero de causarum loco, id est, de genere argumentorum, quae ex causae notione ducerentur, dixit, addit: *Coniunctus huic causarum loco ille locus est, qui efficitur ex causis.* Is quidem locus non coniunctus est superiori, sed plane idem; sed aliud Cicero dicit, aliud vult; significandus enim erat non is locus, qui efficitur ex causis, sed *eorum locus, quae efficiuntur ex causis*, id est, illud genus argumentorum, quod ex notione effectus ducitur. De Officiis I, 17 cum significandum esset, quid inter prudentiam (id est, virtutem theoreticam) et ceteras virtutes (practicas) interesset, descripta prudentia, sic oratio pergit: *Reliquis autem tribus virtutibus necessitates propositae sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur.* Omitto, quod in dicendi genere non admodum perspicuum est, virtutibus necessitates propositas ad res parandas; sed ipsa haec rerum paratio aliena est magnam partem a magnitudine animi, prorsus vero a modestia. Apparet, illud de parandis rebus in communem definitionem inclusum esse e propria iustitiae notione, quam versari dicit in societate hominum tuenda; itaque, cum ad modestiam perventum est, cogitur, illo omisso, id ponere, quod vere commune est: *Ordo et constantia et moderatio — versantur in eo genere, ad quod adhibenda est actio quaedam, non solum mentis agitatio.* Verum ita rursus fit, ut hoc incommode unius virtutis proprium dici videatur, cum sit trium.[1]) Atque haec iam ad dicendi totum genus pertinent, quod, fieri non potest, ut in tali sententiarum ratione semper certum, aequale, perspicuum fluat, quamvis sit Cicero scribendi et dicendi artifex.

---

[1]) Non possum non profiteri, in eo libro, qui a multis valde subtiliter scriptus iudicatur, Oratorem dico, permulta mihi videri esse ex hac incerta et fluctuanti forma, dum Ciceroni non contingat, ut aut orationis generum aut numerorum oratoriorum et poëticorum notionem stabilem efficiat et teneat.

Neque haec ita nunc dico, ut haerentem magna cum laude coronam capiti eius detrahere coner, qui ipse exposuerim, quae causae effecerint, ut hic a se nonnihil interdum desciscere videatur. Nos vero Ciceronem admiremur in orationibus; in libris de philosophia accipiamus talem, qualis esse potuit, habeamusque debitam gratiam, quod et Latine philosophiam docuit et tantam materiam ad Graecorum philosophiam cognoscendam nobis servavit cum in ceteris argumentis librisque, tum in hac quaestione de finibus bonorum et malorum.

MDCCCXXXIX.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

I. In Ciceronis oratione.

P. 436 v. 4 praecipua et *l.* praecipua, et
533 v. 5 ergo *l.* igitur (*ex Erl. et B.*)

II. In varietate scripturae.

30 v. 1 pro 3 l. 4 et v. 2 del. 4.
310 v. 2 post „*veneuntque* ceteri" add. *bonitate* (pro *probit.*) R
319 v. 2 l. *non delectat, non* L
360 v. 3 pro 5 l. 4. (Nam varietas ad *tollenti* pertinet.)
451 v. 2 l. *iusserit*
470 v. 4 l. 7 *et de bonis et* MR
498 l. *e* omnes praeter L, Or.
506 v. 1 l. *cum* om. ELPROr.
703 v. 4 l. 8 *qui* (pro *qua*) E

III. In annotatione.

11 in nota, cui praescribitur *curiosi*, addi debuit huius operis II, 28.
13 not. 1 (*paene nomini*). De *paene* subiecto substantivo suo add. Cat. 78, ad Fam. IV, 6, 1, Philipp. II, 17 (hic locus ab Alano); adiectivo subicitur de Orat. I, 214.
16 not. 2 (*dicta sint*) addi debuerat, *quid si* initio § 6 nunc ex A restitutum esse.
21 not. 1 vocis *alias* usum nimis arctis finibus ad unum aliquod tempus astrinxi, quoniam et *saepe aliâs* et *numquam alias* dicitur et similia.
22 v. 9 l. *bene* et *male*.
25 v. imo et 26 v. 1. Incuria hic ex ed. priore relictum hoc est de *ut* pro *vel* in Erl. scribi solito, quoniam in eo *vel* ceteris locis scriptum esse Halmius testatur, III, 21 et V, 55 *et*, (III, 53 tamen *ut*).

P. 29 v. 2 ab imo tollenda verba „e cod. suo".

34 v. 8 ab imo post *liberarit* add.: Memorabilis est in hoc genere locus in epist. ad Fam. XV, 15, 2: *Fateor meam coniecturam hanc fuisse, ut et victores communi saluti consuli vellent et victi suae, utrumque autem positum arbitrarer in celeritate victoris.*

40 v. 3 ab imo pro 36 l. 37.

43 v. 12 ab imo post 35 ponatur parenthesis nota.

46 v. 17 post „Victorii codice" add. et B.

ibd. v. 12 ab imo tollenda verba „cod Vict.".

52 ad annot. primam add.: Alius esse generis eos locos, quos Iordanus ad orat pro Caecina 26 citat, facile ostendi potest; satis erit vel ad ordinem sententiarum et locum particulae *quod* attendere.

54 v. 13 et 59 v 6 pro AE l. ABErl

57 v. 3. addatur: Ceterum expectes non *eorum*, sed *istorum*, ut demonstrentur Epicurei.

60 not. 1 extr. Vid. praefat p. XXIV not.

65 v. 8 ab imo verba: (De Orat. I, 5 ...... pertinet.) tollenda sunt addendumque in fine annotationis: Verbum *putat* prorsus sine causa Baiterus in edit. minore notavit, Bakii suspicionem sequens. V. 15 ab imo P. Manutii nomen pro Aldi Nepotis ponatur.

68 v. 4. Iam Pearcius coniecerat *ad naturam aptum.*

84 not. 1 extr. De II, 113 sententiam mutavi.

102 v 2 et 3 non haec nota ponenda erat [ ], sed ( ).

117 v. 16 cum A et Erl coniungendus erat B Cfr. IV, 6 et V, 20.

120 v. 6 ab imo post (*διοπετεῖς*) add.: Lambinus *dirigantur,* non necessario.

122 v. 4 ab imo in fine notae haec addenda: O. Heinius *ab eadem illa* sic ad *e physicis* referri vult, ut Cicero neglegenter transierit ad *physicae* notionem; sed neque loci, quos comparat, ne huius quidem operis II, 35, huic similes sunt formae: *e physicis* ...... *et ab eadem illa,* neque *a* physica constitutam cognitionis regulam Epicurus docebat.

138 v. imo l. diceret.

142 v. 4 ab imo. Positum pronominis *quisquam* non recte reprehendi; vid. Parad. 14 (ab Alano).

146 v. 8 ab imo de *sentio* addendus erat locus huius operis II, 4.

151 not. 2 (*alio genere*). De *genere* add. III, 24, V, 26, ad Attic. I, 13, 2.

158 not. 2 (*qui eam*). De *sic* et *ita* ex abundanti praemissis cfr. II, 16, IV, 25, V, 26.

160 v. 5 ab imo add. Pro *expetitis* Th. Bentleius malebat *exquisitis,* non inepte.

161 v. 23 (not. *qui ita loquatur*). Coniunctivi eodem modo positi exempla sunt II, 27 (*afferat .... sit*), IV, 11 (*videant*), al.

180 not. 2 (*ut soletis*). Alanus conicit *vos ut soletis.* Et videtur desiderari pronomen (*ut vos soletis*).

P. 183 not. 1 (*vis et sacculus*). M. Hauptius (Quaestt. Critt. 1841 p. 46) recte negare videtur, *et* sic traiici posse et accusativo subici.

199 v. 8 pro „postponitur" l. „additur".

216 v. 7 ab imo l. A et B et sine dubio Spir.

220 v. 13 (not. *esse ostendero*) l. invertit A. Ex eodem *sua vi* pro *vi sua* restitutum.

222 not. 2 v. 3 pro Gruterum l. Lambinum.

230 v. imo l. *iis verbis*.

232 not. 2 (*animi conscientia*). *Tum etiam* sic ponitur N. D. I, 43. (Alan.)

240 v. 6 ab imo (*cum causa*). M. Hauptius (ind. lect. Berol. sem. hib. MDCCCLXVII) scribi vult *cum Medusa*, nimis, ut opinor, poëtica imagine, nec ad codicum vestigia accedens.

244 v. 10 ab imo l. *vel cupiditatum temp.*

264 v. 6 add. M. Hauptius illo, quo dixi, loco *cerritissimum* scribendum putat. Sed *cerritus*, quod Cicero (ad Att. VIII, 5, 1) et Horatius ex populari sermone sumpsisse videntur, si interpretationem grammaticorum et exempla sequimur, dicitur de ipso homine furibundo, ut *cerebrosus*, non de re; nec omnino furoris significatio h. l. apta est.

270 not. 2 (*eamne rationem*). Exemplis interrogationis huiusmodi vehementis, etiam posito *tu*, indicativo modo elatae addi possunt Verr. IV, 25, Parad. 14.

278 not. 3. *Ne — quidem* iam Lambinus.

302 v. 10 l. nam ut nostri, mg. Crat., Pall.

316 in fine not. 2 (*Sed ut ad*) add. *Est potestate* restitutum ex A.

321 in fine not. 2 (*rettulerit ad c.*) add. '*Et* ante *hic* restitutum ex ABErl.

330 v. 19. Nihil erat, cur non diceretur in simpliciter augendo *et ea quidem infinita*; vid. II, 17 (*in voluptate et ea quidem summa*), N. D. I, 55 (*aniculis et iis quidem indoctis*).

345 in nota 2 (*nota non sint*) commemoranda erat et commendanda Walkeri coniectura: *quae ipsi Graeciae nova sint.*

360 v. 16. *Et — reddiderunt* iam Alano in mentem venit.

413 in nota prima (*quae de bonis*) comparandum erat ex IV, 16 *numeretur* (mg. Lambini *numeratur*).

433 v. 6 ab imo. Similem fere incuriam habet illud V, 37 *et earum rerum.*

436 not. 2 (*idque ita definimus*). Cfr. Top. 32: *Solebat litus ita definire, qua fluctus eluderet.*

465 not 3 (*sibi cuique*). Eodem modo dixit Cicero Lael. 45 (ut nunc scribitur): *sibi suarum cuique rerum.*

515 v. 12. Fortasse fuit: *Hannibal ad portas sederet.* Poterat in mentem venire *saeviret* (*seviret*); sed eo verbo Cicero abstinet, *saevus* non habet nisi in versibus et poëtarum locis; *saevitia* bis ex eius libris annotatur.

P. 546 ad not. 1 (*ea dixi*). Cetera recte disputavi, de verborum ordine non recte; nam si in *causa* pondus aliquod ex contrario est, recte praeponi coniunctioni potest (ut II, 8: *Tenesne —, Hieronymus Rhodius quid dicat* aut V, 51: *Ipsi quaeramus a nobis, stellarum motus — quemadmodum nos moveant*). Sed scribendum tum videtur fuisse *causa Zenoni cur* cet.

587 not. 2 (*idem adhuc*). Ad usum adverbii *adhuc* et orationis formam cfr. Top. 29: *Commune est adhuc; multa enim* cet.

607 not. 3 (*Coloneus ille locus*) add. M. Hauptius in indice illo lectionum, quem dixi, *vicus* scribendum putat, ut δῆμος intellegatur.

614 not. 1 (*illam veterem*). Cum verbis *quorum princeps Aristoteles* cfr. Acad. II, 131: *quorum princeps Aristippus.*

629 v. 25 sqq. *Adhuc* eodem modo ponitur Verr. IV, 27.

677 not. 2 v. 12. Tacitus tamen *hucque* et *tuncque* dixit (Ann. XIII, 37, XV, 38).

748 v. 4 et 2 ab imo l. modo .... modo (pro mox .... mox).

769 v. 25. Senecae locus tertius est in Epist. 110, 20.

M. TULLII CICERONIS

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBRI QUINQUE.

M. TULLII CICERONIS

DE

FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBER PRIMUS.

ARGUMENTUM.

Initio libri Cicero M. Brutum alloquens consilium suum ea, quae Graeci de philosophia scripsissent, Latinis litteris mandandi a vituperatoribus sic defendit, ut, quoniam universae philosophiae reprehensoribus in Hortensio responsum sit, contra eos autem, qui philosophiam non prorsus reiciant, sed minus studii et operae in ea ponendum putent, pugnare vix opus sit, eos maxime refellat, qui Graeca scripta legere malint, Latine conversa nolint (c. 1—3). Se vero, quemadmodum olim rei publicae res gerendo non defuerit, sic nunc, neglectis obtrectatoribus, elaboraturum, ut cives sint opera sua doctiores. Nec quidquam esse, quod potius scribere debeat, quam haec, in quibus gravissima, quae philosophiam contineat, quaestio de summo bono pertractetur (c. 4). Ut autem a facillimis ordiatur, ab Epicuro initium facit, cuius disciplinam accurate quondam a L. Torquato, cum C. Triarius adesset, apud se in Cumano expositam esse narrat et contra eam a se disputatum (c. 5). Nam cum Torquatus e Cicerone quaesisset, quae esset causa, cur minus Epicurum probaret, Cicero breviter omnem Epicuri philosophiam sic percurrit, ut demonstret, quid in physicis, dialecticis, ethicis eius desideret et re-

prehendat (c. 6—7). Defensionem Epicuri Torquatus suscipit et, ceteris in aliud tempus reiectis, eius de summo bono sententiam explicat (c. 8). Exponit igitur, Epicuri formam docendi sequens et saepe verbis eius utens, omne animal a primo ortu natura voluptatem appetere, dolorem respuere, ut appareat, illam per se expetendam, hunc reiciendum esse (c. 9). Sed ita probari voluptatem, improbari dolorem, ut delectus faciendus sit et saepe voluptates praetermittendae, ne maiores dolores consequantur, et dolores et pericula subeunda maiorum voluptatum causa (c. 10). Voluptatem autem ab Epicuro intellegi non eam solam, quae sensus motu quodam titillet, sed maximam illam putari, quae percipiatur omni dolore remoto (c. 11). In hac esse summum bonum, facile intellegi posse, posita ante oculos imagine cum eius, qui omnibus voluptatibus fruatur, nulla re impediente, tum eius, qui in summo doloris cruciatu sit. Itaque summum esse bonum iucunde vivere (c. 12). Virtutes autem non per se expeti, sed quod multa afferant ad iucunde et tranquille vivendum; id facile perspici in sapientia sive prudentia (ubi etiam cupiditatum divisio attingitur), temperantia, fortitudine, iustitia (c. 13—16). Voluptatem et dolorem animi e corpore oriri, nec tamen non maius esse multo utrumque in animo quam in corpore, quod hoc praesentis solum temporis particeps sit, animus praeterita meminerit, futura expectet (c. 17). Non posse iucunde vivi, nisi honeste, nec honeste, nisi iucunde. Sedato demum animo sublatisque cupiditatibus et terroribus beate vivi posse (c. 18). Itaque sapientem semper esse beatum, fortunae potestati non multum subiectum. Dialecticis Epicurum non multum tribuisse, quod ea ad beate vivendum essent inutilia, physicis plurimum, quod utilissima essent (c. 19). Postremo amicitiam, quamquam nonnullis tolli videatur Epicuri doctrina, tamen vel maxime ab eo laudari et confirmari, ab utilitate proficiscentem (c. 20). Summam igitur gratiam Epicuro habendam esse, qui naturae voci parens viam beatae et quietae vitae monstraverit (c. 21).

L. Manlius Torquatus, qui in hoc libro primas partes habet, filius fuit L. illius, qui cum L. Cotta consulatum

gessit a 65 a. Ch. n. (de quo dicetur ad II, 62). Inde ab adulescentia cum patre, qui Ciceronis condiscipulus fuerat (Corn. Nep. Att. 1), multum Cicerone usus est, et in eius contubernio in consulatu fuit (pro Sulla 11 et 34). L. Sullam, patris in consulatu competitorem, una cum patre ambitus accusavit et damnavit (II, 62, pro Sulla 49), postea eundem a. 62 de coniuratione frustra accusavit, defendente Cicerone, quae defensio extat. A. 49 praeturam gessisse, intellegitur ex Caesaris libr. I B. C. 24; in hoc sermone designatus praetor inducitur libro II, 74; itaque is a. 50 habitus fingitur. In bello civili Torquatus Pompeium secutus (ad Attic. VII, 12, IX, 8) et in Graeciam transgressus cum a Caesare captus (Caes. B. C. III, 11) dimissusque esset, in Africa periit (Brut. 265, Script. de B. Afric. 96). Studia eius Cicero in Bruto (265) his verbis laudat: L. Torquatum non tam cito rhetorem dixisses, etsi non deerat oratio, quam, ut Graeci dicunt, πολιτικόν. Erant in eo plurimae litterae, nec eae vulgares, sed interiores quaedam et reconditae, divina memoria, summa verborum et gravitas et elegantia. Atque haec omnia vitae decorabat gravitas et integritas. *Ea studia significantur etiam in hoc libro 25, memoria excellens libro II, 113.*

C. Valerius Triarius (qui a nonnullis confunditur cum eo Triario, qui, cum Luculli legatus esset, infeliciter contra Mithridatem pugnavit; vid. Drakenb. ad Liv. epit. 98, Heinrich. ad Ascon. argum. orat. pro Scauro p. 6 edit. Kilon.) item Pompeianus fuit, parti classis Pompeianae praefectus et pugnae Pharsalicae particeps (Caes. B. C. III, 5 et 92). Cum in bello perisset (Brut. 266), liberorum eius Cicero tutor fuit (ad Attic. XII, 28). Huius quoque litterae et studia in Bruto (265) laudantur: Me quidem admodum delectabat etiam Triarii in illa aetate plena litteratae senectutis oratio. Quanta severitas in vultu! quantum pondus in verbis! quam nihil non consideratum exibat ex ore! *Quo teste nonnulli eum a. 52 tribunum plebis fuisse statuant, nescio; nec magis scio, cur Goerenzius (ad I, 13) eum quadraginta quattuor vel quinque annos natum obisse dicat*

et ideo a Cicerone adulescentem appellari. Ipsa haec appellatio Ciceronisque in Bruto verba (in illa aetate) *aliquanto minorem fuisse ostendunt.*

I. 1. Non eram nescius, Brute, cum, quae summis ingeniis exquisitaque doctrina philosophi Graeco sermone tractavissent, ea Latinis litteris mandaremus, fore, ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret. Nam quibusdam, et iis quidem non admodum indoctis, totum hoc displicet, philosophari. Quidam autem non tam id repre-

VARIETAS SCRIPTURAE.

[Inscriptio in A haec est: *Marci Tullii Ciceronis de finibus malorum et bonorum ad Brutum primus liber incipit.*] 5. *et his* [A] LP *et is* C 6. *non id tam* Or. *non id tantum* LPMCR *reprehendent* R [*reprehenderunt* A¹]

ANNOTATIO.

Cap. 1 § 1. *Non eram nescius*) Easdem res, quas in hoc exordio, Cicero attingit Academ. II, 5 et de N. D. I, 5 sqq., ubi quod *benevolos obiurgatores* cum alii, tum Heindorfius et Wolfius Stoicos intellegunt, *invidos vituperatores* Epicureos, falluntur; nihil enim Cicero ibi dicit, quod ad scholarum discrimina pertineat (et habebat omnium benevolentissimum Epicureum Atticum), nec Epicureos ad *paenitentiam reprehensionis* adducturum se putabat aut Stoicos nova docturum, sed, ut hic, contra Romanos studiorum suorum reprehensores pugnat, quorum alii mitius et amice obiurgabant, alii molestius obtrectabant.

Non tam id reprehendunt) Non satis confirmatur exemplis, *non tam*, quemadmodum *non ita*, dici, evanescente comparatione, pro eo, quod est *non admodum*; ne illud quidem ita ponitur apud Ciceronem et vetustiores, nisi ante adiectiva et adverbia; vid. Handii Tursell. III, p. 490; ante verba dicitur *non ita valde*; nam in epist. ad Att. III, 15, 3 potest audiri *ut tu*; de reliquis, quae Handius p. 492 disputat, dicam ad II, 17. In iis, qui proferuntur, locis facile ex adiunctis auditur, ad quod *tam* referatur, velut II de Div. 58: *atque haec in bello plura et maiora videntur timentibus; eadem non tam animadvertuntur in pace* [et pro Rab. Post. 3: *non tam homines probassent*]. In Livii loco (XXXIII, 45, 4: *eam rem esse rati, quae maturata dilatave non tam magni momenti ad summam rem*

hendunt, si remissius agatur, sed tantum studium tamque multam operam ponendam in eo non arbitrantur. Erunt etiam, et hi quidem eruditi Graecis litteris, contemnentes Latinas, qui se dicant in Graecis legendis operam malle consumere. Postremo aliquos futuros suspicor, qui me ad alias litteras vocent, genus hoc scribendi, etsi sit elegans, personae tamen et dignitatis esse negent. 2. Contra quos omnes dicendum breviter existimo. Quamquam philosophiae quidem vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa et collaudata est, cum esset accusata et vituperata ab Hortensio. Qui liber cum et tibi probatus videretur et iis, quos ego posse iudicare ar-

2. *in eo ponendam* C 3. *ii quidem* M [*contempnentes* A semper] 9. *equidem* PR 10. *philosophia a nobis* E *collata* P 12. *his* C

publicam esset) *tam* pro *ita* in unico codice ortum est ex sequenti littera *m*; et video, nuper Kreyssigium *ita* edidisse. Sed qui hoc quoque loco audiri volunt: *quam illi*, *quibus totum hoc displicet*, non vident, illos non gradu, sed genere ab iis, qui nunc commemorantur, separari; et obstat pronomen interiectum inter particulas et verbum. Itaque haec potius est sententia, quam etiam Otto exposuit: Non tam id (ipsam rem) reprehendunt quam nimis magnum studium; pro hoc altero membro Cicero inflexa leviter oratione subiecit illa: *sed tantum* etc., ut magis exprimeret sententiam et orationem adversariorum. Eadem orationis forma est in Brut. 58: *quae* (svaviloquentia) *nunc quidem non tam est in plerisque; latrant enim iam quidam oratores, non loquuntur; sed est ea laus eloquentiae certe maxima*; significat, non tam esse svaviloquentiam nunc in oratoribus, quam ipsam laudandam et requirendam esse. Et in hoc ipso libro § 10 sic dixit: *nec cum istis tanto opere pugnare — et iis servire*, id est, *quam iis servire*. Ut edidi, *non tam id*, scriptum est in Palat. primo, [Eh,] marg. Crat. *Non id tam*, quod inde a Victorio fere editum est (a Grut., Ern., Gzio, Or.), pravo positu (neque enim divelli debet *non tam*), erat in Vict. cod., [Em,] fortasse uno et altero praeterea; nam Oxx. de tribus tacent. Ex eo nata est scriptura vulgarium codicum, ex qua Davisius faciebat *non id tum*.

2. *a nobis philosophia*) *Phil. a nobis* „multi scripti et veteres editi“, si Gzio credas; puto eum praeter Erl. id in Spir. et fortasse Gud. 2 repperisse, alibi nusquam.

bitrarer, plura suscepi, veritus, ne movere hominum studia viderer, retinere non posse. Qui autem, si maxime hoc placeat, moderatius tamen id volunt fieri, difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum coërceri reprimique non potest; ut propemodum iustioribus

3. *placet* E 4. *iam missum* [A]ELPMR 5. *possit* L

ne movere hominum studia) A. Matthiaeus (Vermischte Schriften, Lips. 1833, p. 1, Miscell. Philol. II p. 93) scribendum putavit *movere posse*; debebat alio ordine, ne obscuraretur ea ipsa vox, in qua contrarie posita sententiam verti volebat; sed inutiliter haec tentantur; moveri enim studia apparebat tenebaturque ipsa res; de retinendi facultate et potestate dubitari poterat. Mox *si maxime* non tam miror a Goerenzio annotari tamquam rarum, quod est pervagatissimum (vid., si tanti est, pro Quint. 35, in Verr. II, 164, IV, 91 V, 20, in Cat. I, 29, Tusc. III, 51), quam Handium (III, p. 587 et 592) ab hac communi forma seiungere videri Terentii Phorm. II, 1, 65 et Eun. V, 2, 26 et Plauti Bacch. IV, 9, 80: *nam ego non laturus sum, si iubeas maxime* (ubi *maxime* vult esse *instanter*). [*Εἰ τὰ μάλιστα, εἰ ὅτι μ.*]

semel admissum) Codd. meliores (Pal. 1, Morel., Erl.; de ceteris siletur) et deteriorum longe plures (omnes Pall., quinque Davisii) habent *semel iam missum*, quod ferri nequit; nam nec *iam* habet, quod hic agat, (itaque in cod. Guelf. Bremii omissum est), nec translatio a telo misso ducta placere potest. Quod editur, sumptum ex paucis exiguae fidei libris (praeter C cod. CCC. Davisiano, Oxx. Uχ; Eliens. Davisii habebat *iam admissum*), dissentiunt, utrum ab equo laxis habenis admisso traductum ad concitationem studii significandam sit, an pro eo, quod est *receptum*, *aditu patefacto*, accipi debeat. Priorem significationem Rubenius (ad Senec. de ira III, 6) assequi volebat et simul propius ad codices accedere, cum *semel immissum* scriberet, quo verbo de equo usus est Galba in epistola ad Ciceronem (ad Fam. X, 30, 3), translate semel et iterum Seneca, ut epist. 40, 6: *oratio perturbata et immissa*; apud Ciceronem ceterosque eius aequales non reperitur sic positum. Verum ut nihil dicam de ipsa comparatione equi et studii, quod studium concitatum cum equo admisso comparari potest, non continuo sequitur, ut ipsum, remota comparatione et ascita translatione, *admissum* sic dici a Cicerone potuerit; multo minus id participium convenit notioni indefinitae (*in eo, quod*); et omnino concitari studium vetabant reprehensores. Itaque probandam veterem correctionem puto et

utamur illis, qui omnino avocent a philosophia, quam his, qui rebus infinitis modum constituant in reque eo meliore, quo maior sit, mediocritatem desiderent. 3. Sive enim ad sapientiam perveniri potest, non paranda nobis solum ea, sed fruenda etiam est; sive hoc difficile est, tamen nec modus est ullus investigandi veri, nisi inveneris, et quaerendi defetigatio turpis est, cum id, quod quaeritur, sit pulcherrimum. Etenim si delectamur, cum scribimus, quis

1. *iis* LMP 2. *reque, quae eo melior est* C 3. *fit* C 5. Inter *etiam* et *est* interponunt *sapientia* omnes, Or. cum uncis. 6. *ullus est* E 7. [*defetigatio* A²; *defatigatio* A¹]

iam missum ex *ammissum* ortum esse, quomodo in hoc et aliis verbis saepe scribitur in Erl. et scribebatur fortasse in codice archetypo; accipio autem *admissum* simpliciter, nec desidero, quod quidam tum adici debuisse credunt, *in animum*; generalius enim dicitur, estque contrarium *excludere*. Est hic locus ex iis, in quibus difficulter diiudicantur verborum significationes, quod non satis constat, quam late in vita communi patuerit singularis aliquis usus.

3. *fruenda etiam est*) Quod in codd., excepto uno Eliensi, interponitur, Manutium aliosque sequens eieci; nam quae exempla et ab aliis et hic a Bremio proferuntur vocabulorum intra breve spatium abundanter repetitorum, (et quis dubitat, quin in hoc genus neglegentiae interdum et alii veteres et Cicero quoque inciderit? etsi in nonnullis, qui citantur, locis nihil est quod reprehendas, ut in Tusc. IV, 64, ubi in duplici definitione repetitur vox definienda, et de Legg. III, 41, ubi post *rem publicam*, obiecti loco positum, additur *res publica*, subiecti loco; tantum minus apto loco positum videri possit; rectius advocatur de Divin. I, 46), — sed ut dicere institueram, ex illis exemplis nullum huiusmodi est, in quo nominativus in protasi positus repetatur in apodosi continuo subiecta (nisi quod in syllogismis hoc interdum fit de industria); multo autem minus pronomini (*ea*) ad substantivum relato ita ipsum substantivum superaddi potest.

Etenim etc.) Non ad proximam sententiam haec ratio pertinet, sed ad primam quaestionem de moderatione adhibenda; nam particula *etenim* utimur non tam cum proxima confirmamus, quam cum in universa argumentatione progredimur, ut saepe fere idem sit ac *porro*, *praeterea*. Exempla sunt Tusc. III, 20, de N. D. II, 77, de Divin. II, 89, ubi Hottinger *et* malebat nec a recentioribus refutatus est, (cetera

est tam invidus, qui ab eo nos abducat? sin laboramus, quis est, qui alienae modum statuat industriae? Nam ut Terentianus Chremes non inhumanus, qui novum vicinum non vult

Fodere aut arare aut aliquid ferre denique,

1. *timidus* E *deducat* E 2. *non ut* P^1.

sic legenda sunt: *cum tempore anni tempestatum atque caeli conversiones commutationesque tantae fiant accessu stellarum et recessu*), ibd. II, 142, ubi idem *at enim* scribi volebat. Hoc *etenim* ante hos paucos annos e codd. restitui Ciceroni in orat. pro Balbo 24 (*Etenim in P. R. grave est*) et 32 (*Etenim quaedam foedera extant*).

[*abducat*) Cesseram in priore edit. auctoritati cod. Erl., non recte.]

Nam ut Terentianus Chremes) Errorem cod. P secutus est Lallemandus, oblitus, particulas *ut* — *sic* non minus poni in contrariis comparandis quam in similibus; vid. modo huius operis lib. I, 49 et 67, II, 67 et 100, cett.

aut aliquid ferre denique) Versus est ex Heautontimor. I, 1, 17, ubi Chremes Menedemum admonet, ut sibi parcat. Bentleius ex Eugraphio et Donato ad Phorm. I, 2, 71 legit *aliquid facere denique*. Equidem apud Terentium illis assentior, qui a voce *denique* novam sententiam incipere statuunt; nam postquam Chremes dixit *tam mane* et *tam vesperi*, colligit omnia: *denique Nullum remittis tempus*. Donatus quidem (ad Phorm. l. c.) hoc loco utitur, ut ostendat, solere Terentium *denique* in fine ponere; nec tamen minus frequenter initio ponit, ut Eun. Prol. 40, Andr. I, 1, 120, Eun. III, 1, 42 et 54 et alibi (vid. Westerhovii ind.). Sed Ciceronem hoc loco alteram sententiarum distinctionem, quam versus subiciebat, secutum esse patet; nam Lambino, quosdam libros non habere *denique* affirmanti, non credo. Tum *denique* aut generalem notionem (*facere*) requirere videtur aut leviorem, quam quae est in *fodere* aut in *arare*. Nam frustra Handius (II, p. 270 et p. 277) huic particulae minuendi vim eripere studet, quae oritur necessario, conversa orationis forma, ex ea, quam ipse p. 268 explicavit, intendendi significatione; itaque ipse sibi repugnat, cum *aut denique* in negatione dicit esse *aut ne — quidem*. Ipsa illa enumerationis concludendae forma significatur, id, quod postremo loco ponatur, minimum esse, in quo consistat oratio tamquam in extremo; id potest esse et est fere generale; minus est enim, sublata hac vel illa prae-

(non enim illum ab industria, sed ab illiberali labore deterret), sic isti curiosi, quos offendit noster minime nobis iniucundus labor.

II. 4. Iis igitur est difficilius satisfacere, qui se Latina scripta dicunt contemnere. In quibus hoc primum est,

1. *illum enim* L *illum* R 4. *his* [A] ELPCROr. [*Latine* A^{2}]

cipua specie, genus tamen relinqui; sed tamen non raro directo significatur una aliqua res minor. Qui enim potest in Caesaris locum, quem Handius citat, B. G. II, 33 includi illud, quo utitur, *omnino*, nisi *praesidia deducere* species erit *indiligenter servandi*? Nec sane apud Horatium Sat. I, 2, 133 fama nummos et pugam complectitur. Perverse autem in Horat. Epist. II, 2, 127 delectatio dicitur esse species fallaciae; nam *fallere* manifestum est ibi dici, quae non animadvertantur et ignorentur, non quae decipiant. Postremo, si *denique* non interdum est *certe*, quid fiet Livio, qui IV, 55, 5 scripsit: *tentati*, *ut tum denique desisterent impediendo bello*, id est, hoc saltem tam periculoso tempore? [Add. Rhet. ad Herenn. IV, 8; Asin. in Cic. ep. ad Fam. X, 33, 5.] Nec tamen dubitari potest, quin Cicero *ferre* posuerit, sive ita Terentius scripsit sive non scripsit. Cicero igitur in uno versu recitando non satis attendisse videtur ad coniunctionem vocum *ferre denique* aut potius ad ipsum *ferre*, et id tamquam minus accepisse.

Curiosi) Apertius h. l. haec vox in reprehensionem trahitur, τὴν πολυπραγμοσύνην hominum alienas res nimis curantium significans, quam N. D. I, 10 (*curiosius quam necesse est*) [aut Off. I, 125]; cfr. Sveton. Aug. 27 (*curiosus et speculator*). Nam Quintilianus VIII, 3, 55 (*ut a diligenti curiosus et a religione superstitio distat*) aliam curiositatem intellegit.

Cap. II, 4. *Iis igitur est difficilius*) Nam superiorum curiositatem nullo argumento utentium facile erat vel docendo vel neglegendo vincere; hi pertinacius urgebant et speciosius. Eodem modo Cicero fabularum exemplo refellit eos, qui orationes Graecas quam Latine conversas legere malint, de opt. gen. orat. 18.

Latina scripta) *Latine* mg. Crat. et cod. Vict., ediditque Lambinus; sed hoc participium sic in substantivum transiit, ut, si tamquam participio adverbium adiunxeris, aliud intellegatur, res Latine dictae et verba recte et Latine posita, non libri Latini.

in quo admirer, cur in gravissimis rebus non delectet eos sermo patrius, cum iidem fabellas Latinas ad verbum e Graecis expressas non inviti legant. Quis enim tam ini-

2. *patr. sermo* LMPCROr. *tum* E [*idem* A] *de* LMPCROr. 3. *legantur* E

in quo admirer) Insolenter dictum; itaque Lambinus scripsit *quod demirer*; nam sic admirandi verbum mutare is solebat, ubi pro simplici positum erat. Dissimilia omnino sunt, quae Bremius profert exempla, in quibus dicitur *aliquem in aliquo admirari* (de Orat. I, 47, II, 316); nec tollitur dubitatio, quod satis notum est, illa praepositione id significari, quod materiam, locum, occasionem praebeat, ut cum Theophrastus dicitur *vexari in eo libro*, *quem scripserit de vita beata* (Tusc. V, 24), aut cum aliquis *laetari in aliquo* (Phil. XI, 9) et alibi *gloriari in aliquo*; nam verbi hic positi alia est natura, accusativum requirens eius rei, quam quis admiretur; nec ea rursus mutatur, quod Cicero ad Att. X, 17, 4 dixit: *de diplomate admiraris*, id est, non ipsum diploma et eius formam, sed datum id esse, ut *de* praepositio tantum universe rem, de qua agatur, indicet; similisque est ratio in orat. pro Mur. 39: *quid tu admirere de multitudine indocta?* hoc est: quid tu id, de quo dictum est, studium ludorum, admirere de multitudine (in multit.) indocta? Itaque id unum efficitur, maxime ex loco illo ad Attic., paulo durius interdum sic poni *admirari*, ut non directo referatur ad rem, quae admirationem afferat. Id h. l. durissime fit, ipso illius rei vocabulo (*quod*) aliter (*in quo*) adiecto. Nec tamen in codicum consensu in tali re, cum nulla erroris causa appareat, de scriptura videtur dubitandum. [Fuit, qui me doceret audiri *eos*, ut scilicet Cicero hac utatur oratione: *hoc est in te*, *in quo te admirer*, *cur me talia moneas.*]

ad verbum e Graecis expressas) Sic etiam cod. Vict.; editiones *de*. Dissentire a se Cicero videtur Acad. I, 10: *an quia delectat Ennius*, *Pacuvius*, *Attius*, *multi alii*, *qui non verba*, *sed vim Graecorum expresserunt poëtarum?* Quae interpretando tentantur, ut Cicero utroque loco idem dixisse videatur, rem non expediunt, ut illud, *non* — *sed* esse *non solum*, *sed etiam*; quamquam oratorie illas particulas positas esse tenendum est. Minuitur dissensio, quod illic universe de poëtis, hic de certis fabulis Cicero loquitur; neque enim omnes eodem modo conversas fuisse veri simile est. Tum utrobique rem exaggerat, illic verba expressa negans, quod aliqua vertendi libertas apparebat, hic affirmans, quod fabulae Latinae multum ab illa libertate abhorrebant, qua ipse Graecorum philosophorum sententias reddebat. Utro loco propius ad veritatem Cicero ac-

micus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut reiciat, quod se iisdem Euri-

1. *nom. paene* E 2. *quod si* E *qui se* LMPCROr.

cesserit, disputant tragoediae Romanae existimatores, ut Langius in Vindiciis Trag. Rom. p. 16.

paene nomini) Ut in Erl., sic in duobus praeterea suis transponi Gzius ait. Pertinet sane *paene* non ad praecedens adiectivum, ut is putat, sed ad subsequens substantivum; nam *nomen* ipsum Romanum odisse videtur, qui litteras Latinas odit. [Et reperitur *paene* substantivo, ad quod pertinet, et adiectivo interpositum, de quo in priore edit. dubitaveram, apud Ciceronem Legg. II, 4, quem locum indicavit Handius Turs. IV, p. 418. Sed auctoritatem codicis Erl. vincit A. *Inimicus paene* pro eo, quod est *paene inimicus*, a Cicerone dici potuisse, ex illo loco non recte Handius efficit, erratque etiam de Cat. 49.] Quintilianum non raro *paene* nomini postponere, ostendit Bonnelli lexic. Quintil.

reiciat, quod — oderit?) Haec scriptura praeter [A et] Erl. confirmatur a margine Crat., id est, optimis, tum a Gud. 2 et Bas., Oxx. Eξ. Quaerit Cicero, quis ita Ennii Medeam et Pacuvii Antiopam reiciat, ut hanc afferat causam, quod Graecas easdem amet, Latina scripta oderit. (Si quem offenderit *quod — dicat*, expectantem: *quod — delectetur* aut: *dicens se delectari*, satis erit de communi Latinorum more in significanda causa, quam alii dixerint, Zumptium testem citasse [aut me ipsum, Gr. Lat. § 357 a not. 2].) Vulgata scriptura: *qui se iisdem* etc. duos efficit gradus interrogandi, ut primum simpliciter quaeratur, usque ad *reiciat*, deinde coniuncte de duobus. (Nam quod R. Klotzius in Quaest. Tull. p. 42 non gradationem esse vult, sed continuari omnia, ut posterius *qui* sit *cum tamen idem*, neque protulit neque potuit proferre ullum exemplum, ubi post huiusmodi formam orationis: *quis est, nemo est*, sic duo relativa ponerentur, ac non ἐκ παραλλήλου, ut duo aut plura negarentur. Uno modo sic poni duplex relativum post *nemo est* potest, cum prius definitur subiectum, de quo negatur, deinde id ipsum, quod negatur, adiungitur, ut in Catil. IV, 16: *Servus est nemo, qui modo tolerabili condicione sit servitutis, qui non audaciam civium perhorrescat.* Tollit ambiguitatem additum *modo*.) Sed nec satis commode prius absolute interrogatur, cum de ipsa coniunctione utriusque rei agatur, nec recte in hac connexa interrogatione contraria ponuntur *eaedem Euripidis fabulae* et *Latinae litterae*; debebant enim haec accurate respondere. Itaque Gulielmus et alii *lit-*

pidis fabulis delectari dicat, Latinas litteras oderit? Synephebos ego, inquit, potius Caecilii aut Andriam Terentii quam utramque Menandri legam? 5. A quibus tantum

1. *litteras* cum uncis Or. 3. *tam* COr.

teras damnarunt, ut esset: *qui se iisdem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas oderit?* Sed parum concinne componuntur *Euripidis* et *Latinas*, cum deberet esse *Graecis* — *Latinas*. Davisius, quod haec cum superioribus coniungenda esse sentiebat, etiam propter pronomen *iisdem*, quod melius annecteretur superiori quam in novae interrogationis initio poneretur, longius progressus haec omnia: *Latinas litteras oderit* eiciebat (quae aberant a Par. 2, quaeque postea Gzius in Spir. et Gud. 2 non invenit, de quo consensu vid. ad 27); pro *qui* ex uno El. scribi volebat *quique*, prava coniunctione contrariorum membrorum. Easdem voces omittentes Ernestius *cum* scribi voluit, Gzius *quod* scripsit. Nulla omnino illorum codicum est auctoritas in iis omittendis, quae utriusque generis ceteri retinent. In nostra scriptura si omittatur *litteras*, vitiose idem in causali sententia dicatur, quod in primaria; nunc generalius est posterius. Medea Ennii notissima est. Antiopae Pacuvianae, in qua tractabatur contentio fratrum Thebanorum, Zethi et Amphionis, fragmenta sunt apud Bothium p. 102 [apud Ribbeckium, Trag. Lat. Reliq. p. 62].

Euripidis) Vict. cod. *Euripide*, id est, *Euripidi*; vid. ad § 14.

Synephebos ego, inquit) Paulo abruptiore oratione primum fere idem, quod negarat quemquam dicturum, sibi a diversa parte dici facit; deinde, cum tantum universe sententiam aliquam et orationem significarit, quasi ipsos homines nominarit, subicit relativum plurale (*a quibus*), durissima figura. (Aliter Philipp. IV, 3 relativum laxius subicitur, sed singulare et de eo, cuius paulo ante nomen positum erat.) Synepheborum L. Caecilii Statii fragmenta non multa sunt apud Bothium p. 146 [apud Ribbeckium p. 58].

5. *A quibus tantum*) Rariore exemplo *tantum dissentio* dicitur pro *tanto opere*, quoniam *tantum* fere iis modo verbis additur, in quibus magis pro substantivo mensuram indicet quam pro adverbio gradum, ut cum *tantum abesse*, *tantum proficere* dicitur; nec longe abeunt ii loci, in quibus aliis quidem verbis additur, sed adiuncto *quantum*. (*Si me amas tantum, quantum profecto amas*, ad Attic. II, 20, 5 etc.) Apud Livium XXXVII, 57, 12 est: *novum sibi hominem tantum praeferri.* Eodem modo nec multo frequentius dicitur *multum*, velut ad Attic. XIV, 13, 3 (*multum me litterae consolantur*) et apud Caesarem *non multum confidere* et apud Cornelium aliquotiens; (Plautum et

dissentio, ut, cum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Atilii mihi legendam putem; de quo Licinius, ferreum scriptorem; verum, opinor,

1. *Electram* om. L 2. *Acilii* E *Aulii* LMPR

Terentium hic non numero). Nam in ceteris locis *multum* non est pro *valde*, ut cum dicitur: *multum mecum municipales homines loquuntur* (ad Att. VIII, 13, 2), id est, *saepe*; cfr. Brut. 310, quem locum mallem Handius III p. 668 coniunxisset cum iis, quos p. 670 n. 7 posuit. Nec ab alia causa *plus* non raro pro *magis* dicitur (Zumpt. ad Verr. II, 21; add. N. D. I, 72, Tuscul. III, 72, Legg. II, 3, Parad. 2, Philipp. II, 38). Quod hic post Manutium et Lambinum a recentioribus editum est et tamquam contra novatores defensum, *tam*, nullam nisi primae editionis auctoritatem habere videtur; in codd. Davisianis sex erat *tantum*.

Atilii) [Sic A.] Etiam cod. Vict. *Aulii*. Atilii, *poëtae durissimi*, versus ex comoedia, ut videtur, citatur ad Att. XIV, 20, 3; Electra eius apud Svet. Iul. 84. Inter comicos ponitur in versibus Sedigiti apud Gell. XV, 24, nec aberrare eos credo, qui eundem a Varrone de L. L. VI, p. 75 Bip. et a Gellio III, 3 nominatum putant. Mire vir eruditissimus, A. Weichertus, in commentat. de Licinio Calvo (p. 139), quod Atilius post Statium et Terentium nominatur, comice ab eo Electram conversam putat, novo genere vertendi, quod ne nunc quidem in hac omnium litterarum communione receptum est, ut Germanica, verbi causa, parodia scribatur tragoediae alicuius Gallicae; nec sane tum Atilii Electra eadem esset, quae Graece legeretur. Post bonos poëtas tragicos et comicos malus nominatur sine generis discrimine.

de quo Licinius) Quis sit, incertum est. Vetustissimum poëtam comicum, Licinium Imbricem, fortasse Atilio priorem, quem I. G. Vossius et alii intellegunt, censuram scriptorum versibus exercuisse, prorsus improbabile est; a Lucilio et Attio hoc coepit (cfr. Opusc. nostra Academ. I p. 106); nec carminum leviorum et iocorum scriptor C. Calvus, Cicerone paulo aetate minor, intellegi potest. Superest, quem etiam Weichertus (l. c.) intellegit, Porcius Licinius, qui de poëtis aliquid versibus scripsit (Varr. L. L. V, p. 45 Bip., Gell. XVII, 21, Svet. vit. Terent., Opusc. nostr. I p. 107); videtur enim is Cicerone aliquanto antiquior fuisse, fortasse etiam paulo Q. Lutatio, cos. a. 102 (Gell. XIX, 9). [Ceterum is rectius Licinus appellari videtur, ut, si hic intelligitur, littera detrahenda sit.] Quod post Vossium multi, nuper Weichertus, omnia usque ad *legendus sit* Licinio tribuunt et in

scriptorem tamen, ut legendus sit. Rudem enim esse omnino in nostris poëtis aut inertissimae segnitiae est aut fastidii delicatissimi. Mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt. An

Utinam ne in nemore —

nihilo minus legimus quam hoc idem Graecum, quae autem de bene beateque vivendo a Platone disputata sunt, haec explicari non placebit Latine? 6. Quid, si nos non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quae dicta sunt ab iis, quos probamus, eisque nostrum iudicium et nostrum scribendi ordinem adiungimus? quid habent, cur Graeca anteponant iis, quae et splendide dicta sint neque

1. *inde* (pro *tamen*) C 3. *illi* LP 4. *at* [A] ELPC *ac* R 5. Post *nemore* L addit *Pelio* 6. *qui* E 8. *quod si* ELPMCROr. 10. *his* CE *officium* C *nostrumque dicendi* L 12. *dicta sunt* [A Eh] LP

versum septenarium cum dimidio describunt, Licinium valde accommodate ad Ciceronis consilium scripsisse statuunt, qui non solum Atilium singulari voce notarit, sed excusarit etiam et legendos poëtas Latinos esse praeceperit. Scaliger, quum in codice suo repperisset *exscriptorem*, claudicanti versui, neglecta sententia, subvenit legitimamqae caesuram reddidit: *ferreum scriptorem, opinor, verum exscriptorem tamen, Ut legendus sit.* Illud non nego, Ciceronem alibi, ubi pauca huiusmodi verba, non integram sententiam, a poëta sumat, suis verbis grammatice annectere solere.

An utinam ne etc.) Hoc in Spir. esse, Gzius ait, nescio, satisne certa fide, Lambinus in duobus, vereor, ne obsequiosis; ceterorum (Grut., Dav., Gzii), item ut nostri, codd. *at*, unus Par. Dav. et Ox. U *aut*, ξ *ac*. Verum restituit Muretus (ad Phil. XIV, 12), de quo dubitationem tollit frequentissima forma argumenti per interrogationem connexam conclusi superioribus subnectendi. Vid. Emendatt. nostr. Cic. libr. philos. p. 40, Hand. Turs. I, p. 349 sqq. [*Aut*, quod vidi commendatum, ab hac orationis forma et sententia alienissimum est.] Exordii Medeae Ennianae ad Euripideae exemplum expressi (*Utinam ne in nemore Pelio securibus Caesa accidisset abiegna ad terram trabes* etc.) qui primos versus citarunt, enumerantur apud Bothium p. 52 [apud Ribbeckium p. 36].

6. *dicta sint*) *sunt* A et deteriores aliquot; *sint* ex Davisianis El., CCC., Ball., alii, Gzii duo. [Baiterus verbum delevit.] Mox *dicent* pro *dicerent* Lamb., ex A Gruterus, e Parr. duobus Dav., Gzii tres (unus Erl.).

sint conversa de Graecis? Nam si dicent, ab illis has res esse tractatas, ne ipsos quidem Graecos est cur tam multos legant, quam legendi sunt. Quid enim est a Chrysippo

1. *dicerent* LPMCR 2. [*ipso* A (in fine versus)] [*multas* A^{1}]

quam legendi sunt) Hoc non idem esse posse ac *leguntur*, quod Davisius putabat, non est opus doceri; quod autem Hottinger (ad Cic. de Divin. II cap. 7) pro *legi possunt* accepit, a quo re ipsa non abit Handius ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 369, explicans: *parati sunt*, *ut legantur*, id si per grammaticam ferri posset, a sententia respueretur; nec enim ad rem pertinebat, non opus esse omnes legere, qui legi possent; quis enim id faciebat? Itaque restat, ut cum Bremio intellegamus: quam legendi sunt, si quis doctus et eruditus haberi vult communemque studiorum rationem persequi. Illa autem gerundivi significatio prorsus abhorret a Ciceronis et aequalium usu. Primum in illo de Divin. loco agitur non de re, quae fieri possit, sed de praedictione rei futurae, ut *inveniendum* (esse) debeat esse *inventum iri*, quomodo ante Lactantium et Hieronymum nemo scripsit; recte nunc e bonorum codd. scriptura (*inventurum*) factum est *inventum iri*. (Caesar B. C. I, 72 loquitur de adversariis, quos, victoriae certus, sibi interficiendos dura necessitate videbat. [B. G. VIII, 4 ex uno malo codice editur: *millia nummum condonanda pollicetur*; ceteri *condonata* habent; quid scripserit Hirtius, incertum est. Unum firmum est exemplum in *promittendi* verbo apud Liv. III, 45, 3, ubi *promitto puellam sistendam* eodem modo dicitur, quo *voveo aedem faciendam*.]) In Cic. de Off. I, 159 et de Orat. II, 209, quos locos Hottinger et Handius citant, ne minima quidem causa est, cur ab usitata gerundivi significatione discedatur. Neque, si quando Cicero dicit *intellegendum est*, id potius cum eo comparari debet, quod alibi dicit, *intellegi licet*, quam cum eo, quod item alibi, *intellegi debet*. In iis locis, in quibus Bremius et Zumptius (§ 650) eius, quod liceat facere, significationem esse putant (hic II, 77, III, 7. Off. I, 113), simul significatur, quid rectum sit et deceat; neque aliter accipi debet, quod Tusc. I, 2 legitur (*non — sunt conferenda*). Sed cum aliquid ferendum esse viro dico, *vix ferendum* primum erit, quod vix postulari a quoquam potest ut ferat (*vix quod ferri debeat*); hinc autem proximus transitus est ad id, quod vix ferri possit, significandum. Itaque non solum Caesar et Cornelius Nepos nullam timentes ambiguitatem sic dixerunt, *vix credendum esse*, sed eodem modo Cicero

praetermissum in Stoicis? Legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mnesarchum, Panaetium, multos alios, in primisque familiarem nostrum Posidonium. Quid? Theophrastus mediocriterne delectat, cum tractat locos ab Aristotele ante tractatos? quid? Epicurei num desistunt de iisdem, de quibus et ab Epicuro scriptum est et ab antiquis, ad arbitrium suum scribere? Quod si Graeci leguntur a

2. *Panaetium* om. C 3. *Theophrastum* [A]EPMCR 5. *non* [A, sed superscripto *num*] L *nam* C [*isdem* A] 6. *quibus ab* LM

IV, 53 dolorem dicit *asperum et vix ferendum*, V, 32 etiam dolores *non ferendos*, et pro Cael. 37 patres *ferreos et vix ferendos* et in Catil. II, 28 *vix optandum*. Sed horum nemo ad illud *vix* (*non*) *ferendus* quidquam addidit, quo magis emineret potestatis significatio, ut a Velleio II. 46 scriptum est: *res vix multis voluminibus enarrandae*. Deinde autem a posterioribus dictum est etiam *nulli cernendus*, *non cognoscendus*, de eo, qui cerni cognoscive non posset, quod genus Ovidius primus frequentavit, raro tamen sic, ut cum verbo *esse* coniungeret (Metam. VIII, 785). In aienti sententia posuit in Fast. VI, 720: *Continua Delphin nocte videndus erit* (*Gegenstand der Betrachtung*). [Trist. III, 4, 56. Ibd. IV, 4, 36: *Ultima si demas*, *vita tuenda mea est*, hoc est, defendi potest.] Prosa oratio vel postea modestior fuit in hoc usu.

Mnesarchum, *Panaetium*) Mire, cum in ceteris temporum ordinem et disciplinae servasset (nam Chrysippi Diogenes Babylonius, huius Antipater Tarsensis auditor fuerat), in his invertit; nam Mnesarchus Panaetium audierat, post quem Athenis docuit (de Orat. I, 45, Acad. II, 96), Panaetius Antipatrum. Aut igitur Cicero neglegentius scripsit, aut nomina transposita sunt, ut Gzius putat.

familiarum nostrum Posidonium) Eum Cicero viderat et audiverat Rhodi (Tusc. II, 61, de N. D. I, 6, Plutarch. Cic. 4). Venerat etiam Romam circa C. Marii mortem (Svid. v. *Ποσειδώνιος*, Plutarch. Mar. 45). Ad eum Cicero post consulatum litteras misit (ad Att. II, 1, 2).

Quid? Theophrastus) Etiam margo Crat., cod. Mor., Pall. praeter tertium et Oxx. omnes *Theophrastum*, ut satis certum sit, non solum in Davisii et Gzii codd. idem fuisse, sed in cod. archetypo. Et tamen recte mutatus est accusativus, qui ex praecedentibus nominibus ortus erat. Ac ne quis defendere conetur: *quid Theophrastum?* superioribus annexum, sequitur: *quid? Epicurei* cet.

Graecis, iisdem de rebus alia ratione compositis, quid est, cur nostri a nostris non legantur?

III. 7. Quamquam, si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poëtae fabulas, male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem. Sed id neque feci adhuc nec mihi tamen, ne faciam, interdictum puto. Locos

3. *plane se sic* E 4. *mali* E 5. *meretur* E 6. *transferrem ingenia* M (*ingenita* E) 7. *neque tamen mihi* L *ut faciam* C [*nec faciam* A¹] *interdictum puto ne faciam* P

iisdem de rebus — compositis) Haec verba in Spir., Gud. 2, Par. 2 exciderunt (vid. ad § 27), sine quibus sententia non constat, quae vertitur in illis: *iisdem de rebus*. Alia ratione composita recte dicuntur, quae alio ordine scribendique forma tractata erant.

Cap. III, 7. *male, credo, mererer*) Scaliger „ad oram libri sui“, El. 2, ed. P. Marsi: *non male*. Aperta est ironia. Sed annotanda est duplex sententia condicionalis uni primariae, quae media interiecta est, circumdata, quod fit item interdum in sententiis causalibus ita, ut posterior specialius aliquid contineat et ad rem, de qua agatur, propius pertinens, quod in priore quasi involutum lateat. Citatur ab Ottone Verr. IV, 43: *Si emeras, quid erat, quod confirmabat, se abs te argentum esse repetiturum, si id tibi sua voluntate vendiderat?* Eodem modo scribitur Tuscul. V, 24 (quamquam ibi alterum *cum* magis comparare contrarium quam causam significare videtur), de Divin. II, 57, ad Attic. I, 5, 4 (*cum multos dies aures meas Acutilio dedissem, non mihi grave duxissem scribere ad te de illius querimoniis, cum eas audire, quod erat subodiosum, leve putassem*). Add. pro Tullio 12, ubi attigit hoc genus Beier p. 21; dixerat aliquid Heindorfius loco non apto ad Cic. N. D. I, 25 (nam is locus, in quo prior sententia cum altera pugnat, graviter mendosus est); de eadem Graecorum forma (sic enim sponte nascitur, ut apud eos quoque sit) v. Matthiaeus Gr. Gr. § 636, 2. Sunt aliae cognatae formae, in quibus post primariam sententiam distinctius explicatur, quod ante generalius et brevius dictum est, velut in consilio significando (Cic. pro Rosc. Amer. 14 ibique Matth.), in comparando (ad Q. Fratr. II, 15 a [13]: *hoc fortasse efficiam, quod saepe* etc.). Diversa est ea condicionalium sententiarum ratio, de qua dicetur ad II, 112.

et maxime ab iis) Ad Att. VI, 2, 3: *Atque istum ego locum totidem verbis a Dicaearcho transtuli.* Male igitur in Svetonii

quidem quosdam, si videbitur, transferam, et maxime ab iis, quos modo nominavi, cum inciderit, ut id apte fieri possit, ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet. Nec vero, ut noster Lucilius, recusabo, quo minus omnes mea legant. Utinam esset ille Persius! Scipio vero et

2. *his* CR 3. [*amandro* A] 4. *nec ut* (om. *vero*) PR *aut noster* E [*omnis* A]

vit. Terent. c. 5, quod olim edebatur: *cum centum et octo fabulis conversis a Menandro*, nescio quando mutatum est, ut esset: *e Menandro.* Nam etsi dicitur (libro II, 2): *e Platone intellegi potest*, de significationibus per scripta sparsis, tamen loci et fabulae sumuntur et convertuntur *a* Menandro. *Solet* om. cod. Scaligeri.

Ut noster Lucilius) II de Orat. 25: *C. Lucilius, homo doctus et perurbanus, dicere solebat, ea, quae scriberet, neque ab indoctissimis se neque ab doctissimis legi velle, quod alteri nihil intellegerent, alteri plus fortasse quam ipse; de quo* (non recte recentiores contra codd. *de* omittunt; *quo* sic dici nullo modo potest;) *etiam scripsit: Persium non curo legere; hic enim fuit, ut noramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus; Laelium Decimum volo; quem cognovimus virum bonum et non illitteratum, sed nihil ad Persium.* De C. Persio, Gracchorum aequali, cfr. Brut. 99.

Scipio vero et Rutilius) Scipionem litteratum illa aetas vix habuit nisi P. Africanum minorem, de quo vid. Ellendt. Prolegg. ad Cic. Brut. p. 25. P. Rutilii Rufi, hominis prope perfecti in Stoicis, qui post consulatum (a. 105) iniustae damnationis calamitate nobilitatus est, multa apud Ciceronem mentio est (Ellendt. l. c. p. 49, quosque citat Henrichsenius ad Cic. de Or. I, 227). Scripserat etiam Graece historiam (Athen. IV, p. 168 e). Hos igitur iudices nimis intellegentes, Scipionem etiam orationis elegantia excellentem, Lucilius reformidans, illis se scribere dixerat, qui in confiniis, ut ita dicam, Graecae et Latinae aut potius Oscae linguae nati parum subtiles essent scriptorum iudices. *Bilingues Brutates* Ennius dixerat, quod Graece et Osce loquerentur (Fest. v. *Bilingues*); in Bruttiis Consentia erat. A. S. Wesenbergius, amicus meus, (in censura quadam Danice scripta) scite suspicatur, Lucilium illo, quem Cicero significat, loco facete orationem parum puram et Graecis verbis intermixtam excusasse. Neque enim constat, ex eodem Lucilii loco sumpta esse et illa de Persio et haec de Scipione et Rutilio; potiusque e duobus petita videntur; altero non doctissimis nec tamen rudibus se scribere significabat, Laelii exemplo utens, altero indoctis et vulgo.

Rutilius multo etiam magis; quorum ille iudicium reformidans, Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere. Facete is quidem, sicut alia; sed neque tam docti tum erant, ad quorum iudicium elaboraret, et sunt illius scripta leviora, ut urbanitas summa appareat, doctrina mediocris. 8. Ego autem quem timeam lectorem, cum ad te, ne Graecis quidem cedentem in philosophia, audeam scribere? Quamquam a te ipso id quidem facio provocatus gratissimo mihi libro, quem ad me de virtute misisti. Sed ex eo credo quibusdam usu venire, ut abhorreant a Latinis, quod

3. *alias* omnes, Or. *nec* C *tunc* PCOr. 6. *ego quidem quem* E *timeatur* Em (non Eh) 8. [*provocatis* A'] *gravissimo* L 10. [*usui venire*, mutat. ab ead. m. in *illud evenire* A] *venire usu* LPMCR

sicut alia) Sic Ursinus in codice esse scribit, suspecto testimonio; sed iure ipsam scripturam probat Wesenbergius. Nam primum *alias* apud Ciceronem et omnes ante Plinium est *alio tempore*, numquam *alio loco*; (in epist. ad Attic. XVI, 11, 7 apertissime tempus significatur; scire vult, qui nunc in illis locis gratia floreant, quoniam non iidem semper gratiosi sint); temporis autem significatio in scriptis sic citandis inepta est. Deinde *alias* significat unum aliquod aliud tempus. Atqui nec loco uno alio nec tempore facete Lucilius scripserat Ciceronis iudicio, sed saepe multa, id est, *alia*. Litterula ex sequenti voce adhaesit.

sed neque tam docti etc.) Sententiae paulo obscurius sic cohaerent: Sed neque tum, si Scipionem et Rutilium et fortasse paucissimos alios excipias, erant homines tam docti, quam nunc sunt, ad quorum iudicium scripta sua componeret; (itaque, cum se ad minus excultae multitudinis captum accommodaret, iure subtiles illos arbitros vitabat); et scripta illa leviora sunt, ut vix videri queant summos illos viros doctrinae copia tenere potuisse. (*Tum* pro *tunc* etiam cod. Vict. et Davisius e tribus suis.)

8. *ne Graecis quidem cedentem*) Vid. Acad. I, 12, Tuscul. V, 1 et 30. Veterem academiam ab Antiocho suscitatam Brutus sequebatur (Plut. Brut. 2). Scripta Bruti de philosophia Quintilianus non mediocriter laudat X, 1, 123; cfr. Dialog. de orat. 21. Librum *de virtute*, quem ad Ciceronem miserat, id est, ei inscripserat, nominat Seneca Cons. ad Helv. 9; *de officiis* Charisius p. 83 et Priscian. p. 679, quem Senec. ep. 95, 45 περὶ καθήκοντος appellat; *de patientia* Diomedes p. 378.

inciderint in inculta quaedam et horrida, de malis Graecis Latine scripta deterius. Quibus ego assentior, dum modo de iisdem rebus ne Graecos quidem legendos putent. Res vero bonas, verbis electis graviter ornateque dictas, quis non legat? nisi qui se plane Graecum dici velit, ut a Scaevola est praetore salutatus Athenis Albucius. 9. Quem

1. *in* om. L *male* Or. 2. *quid ego assencio* E 3. [*hisdem* A] 4. *dictatas* [A] PMCR 6. *praetor* [A] LPMCR

in inculta quaedam et horrida) Amafinii et Rabirii (Acad. I, 5, Tusc. IV, 6) et Catii Insubris (ad Fam. XV, 16 et 19), Epicureorum, quos Cicero etiam Tusc. I, 6 et II, 7 et h. oper. libr. III, 40 tangit.

de malis Graecis) Aberravit Ernestius et post eum alii, *de male Graecis* scribentes, quod Ernestius in editione principe Moguntina esse dicit, deceptus, si Coloniensem intellexit, compendio minime dubio. Nemo dixit nec *male Graecus* nec *bene Graecus*, quia *bene et male* non adduntur adiectivis huiusmodi definitae notionis, quae gradum non habent. Illud dicitur, *bene Latine* (lib. II, 10) et *non optime Graece respondere* (II de Orat. 75), adverbiis ex aequo positis. Deinde orationis Graecae vitia non offendebant eos, qui in Latinas interpretationes incidebant; Cicero intellegit malos Graecos libros vertendo, accedente horrido sermone Latino, factos deteriores. Itaque, ne de solo orationis genere dici putes (et qui potest, quoniam aperte Epicurei significantur, qui non verborum genere, sed rebus a ceteris abhorrebant?), addit *de iisdem rebus*.

dictas) Vereor, ut in Erl. hic silentio eorum, qui eum mihi contulerunt, confidere possim [sed etiam de Eh tacetur]; nec de Par. I Davisii res certa. Restant Par. 8 et Leid., mali sponsores scripturae necessariae, a Lambino repertae. Ceteri omnes *dictatas*, duo Gzii *ditatas*. Res bonas bene scriptas Cicero dicit.

est praetore) In E, de quo tacetur, fortasse compendium fuit (*PR*); ceterorum mendum Manutius correxit. Res intellegitur ex Lucilii versibus et ex eo, quod Albucius praeturam in Sardinia longe post gessit. T. Albucius cum Athenis adulescens esset, perfectus Epicureus evaserat (Brut. 131). Q. Scaevolam augurem repetundarum accusavit nec damnavit (Brut. 102, de Orat. II, 281); postea ex praetura Sardiniensi ipse repetundarum damnatus (pro Scauro 40, in Pison. 92) Athenis exulavit (Tusc. V, 108), doctus homo Graecis litteris vel potius paene Graecus (Brut. 131) ac levis (de prov. cons. 15), quem etiam ob ineptias orationis Lucilius irriserat (de Orat. III, 171, Orat. 149). Cetera de

quidem locum cum multa venustate et omni sale idem ·Lucilius, apud quem praeclare Scaevola:

2. [*Scaevola dicit* A²]

eo collecta sunt in ind. Orelliano. In eum adulescentem Athenis incidit Q. Scaevola in Asiam proficiscens praetor (de Orat. I, 75). [A. 121 a. Chr. Scaevolam praetorem fuisse, sine certo, opinor, testimonio ponitur, coniectura ducta ex consulatu, quem 117 gessit.]

9. *Quem quidem locum*) Apparet, aut verbum excidisse aut aliquid depravatum esse. Nam qui verbum eiusmodi, quale est *persequitur*, *tractat*, omitti potuisse statuunt, ut Wopkens. Lectt. Tull. p. 52, non tenent, quos fines illa res habeat. Praetermittam nunc dicendi verba, de quorum ipsorum omissione possunt quaedam utiliter notari, velut recte omitti *inquit* in hoc positu: *mihi vero*, *ille*, de quo dubitatum est ad Acad. I, 14; cfr. de R. P. III, 44, Tusc. I, 104; non recte omitti coniunctivi modi verbum in sententia condicionali coniunctioni causali subiecta, ut factum est in Acad. II, 88 (*diceret*). Sed alia verba omittuntur, oratione ad familiarem consuetudinem accedente, in brevi sententia a reliquis diiuncta, aut cum adverbio posito iudicatur de re aliqua, aut ubi partim ex subiecto et cohaerentia orationis, partim ex obiecto aut praepositione verbo subiecta intellegitur una illa, quae apta sit, verbi notio, ut hic II, 17, IV, 1 et 80, ad Att. I, 18, 6, II, 12, 2, IV, 8 B init., de N. D. III, 94, II, 1 et 11, Tusc. I, 34, II, 41. Interdum quidem ex sola cohaerentia orationis et ex rei praegressa commemoratione verbum definitur, ut II Philipp. 72 (*A me Caesar pecuniam?* Gravius sic primariae notiones aures feriunt; cfr. ibd. 74, ubi ego delevi *accepisti*), ad Attic. IV, 8 B 2; cfr. Orat. 20, de Off. III, 109, quo utroque loco ἀπὸ κοινοῦ sumitur faciendi notio. Hoc igitur, de quo agimus, loco neque propter incertam notionem neque propter adiecta illa *cum multa venustate* neque propter sententiae cum proxima implicationem audiri verbum potuit. Emendandi conatus parum felices fuerunt, primum Ursini: *iocum* — *ridet* (pro *idem*) *Lucilius*; (*iocum* etiam Scaliger in cod. invenisse dicitur; neque *iocus* neque *locus* ridebatur); deinde Moseri: *quem iocum* — *reddit Lucilius.* Prorsus tenendum *idem* propter superiorem Lucilii facetiarum mentionem. Locus autem ille a Lucilio tractatus non solum iocus ille Scaevolae fuisse videtur, sed de nimio et affectato rerum Graecarum studio; itaque signantius Cicero dixit: *quem quidem locum.*

Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti, Tritanni, centurionum,
Praeclarorum hominum ac primorum signiferumque,
Maluisti dici; Graece ergo praetor Athenis,
Id quod maluisti, te, cum ad me accedi', saluto:
Χαῖρε, inquam, Tite! Lictores, turma omni' cohorsque:
Χαῖρε, Tite! Hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus.

2. *Pontii* codd. [A] [*Tiranii* A¹, *Tritanii* A²] *Titi Annii* C 4 *enim* E 5. *quod id* PMC *quod* L *quod tu id* R *accedis* et *omnis* plene scribitur. 6. [*chaere* et mox *chere* A] *care* et mox *chere* E *chere* bis LPMCR *chorusque* omnes 7. [*hic* A¹] [*mi* om. in rasura A; pro eo] *Mucii* (*Mutii*) LCR *mummi* PM [*Albutius* A]

cum multa venustate) Addita una cum adiectivo praepositio, in qua fuit, qui offenderetur, magis comitatum aliquem et adiunctionem (ut hic venustatem per omnem narrationem fusam) quam modum significat. Exempla quaedam collegit Handius Turs. II, p. 156—158, qui quod Latinos dixisse putat *fide amicitiam colere*, nemo dixit. [Gr. Lat. § 258.]

Ponti, Tritanni) T. Pontius centurio viribus excellens nominatur Cat. 33. Tritannus alius esse videtur ac gladiator ille eximiis viribus, quem Varronem sequens Plinius commemorat H. N. VII, 81 [ubi Ianus e codd. *Tributanum* edidit] et Solinus, pater filii non minus eo genere excellentis (add. Vopisc. Firm. c. 4, coll. Duk. ad Liv. IX, 40, 2). Neque enim gladiatorem centurionem illa aetas vidit.

praeclarorum hominum ac primorum) *Homines primi* aliquotiens cum laude honestatis dicuntur in Verrinis (vid. Zumpt. ad I, 67 et add. IV, 50), Tusc. I, 81, pro Sest. 114. Rustica haec nobilitas fortium hominum atque antiquorum in memoriam revocat *pueros* illos *magnos*, *magnis e centurionibus ortos* apud Horat. Sat. I, 6, 73 et *gentem hircosam centurionum* apud Pers. III, 77, coll. V, 189.

cohorsque) Sic primus, quantum video, Manutius; codices etiam aliorum (etsi de plerisque tacetur) *chorusque*, ut Oxx. Eξψ.

mi Albucius) Sic („proxime mss. nostros“ Grut.) etiam margo Crat. (de Vict. cod. dubito), e Davisii codd. El. unus; cetera turba eius et Oxx. *Muti, Mutii, Mucii.* Gzius tacet.

10. Sed iure Mucius. Ego autem mirari *satis* non queo, unde hoc sit tam insolens domesticarum rerum fastidium. Non est omnino hic docendi locus; sed ita sentio et saepe disserui, Latinam linguam non modo non inopem, ut vulgo putarent, sed locupletiorem etiam esse quam Graecam. Quando enim nobis, vel dicam, aut oratoribus bonis aut

1. *satis* om. omnes; *satis mirari* Or. 2. *tam* om. LPR 3. *hic omnino* R 4. *non modo inopem* [A] EP 6. *nobis ut dicam* E *vel nobis dicam* LMCR

10. *mirari satis non queo*) Necessarium supplementum primus interposuit P. Manutius, sed ante *mirari*; apud Ciceronem bis legitur *mirari satis non queo*, semel *satis mirari, iudices, non queo*. Codicum scripturam defenderunt Rathius et Gzius, qui hoc Ciceronem dicere putant, causam se quidem videre, sed non esse hic eius exponendae locum. Lepide profecto Cicero, cum rei tam mirae, et de qua tam multa dixerit, causam sciat, eam nec hic nec alibi exponit, sed alia narrat. Et tamen dixerat initio (§ 4) se hoc mirari; et statim ostendit, non se causam tenere illius fastidii, sed nullam esse causam. Nihil dico de orationis forma, in qua *mirari non queo* erit *non miror*. Sed boni illi viri ea, quae sequuntur, de causa fastidii intellexerunt, cum hoc Cicero dicat, se iudicium suum de divitiis linguae Latinae nunc plene explicare non posse. [Quod Baiterus, Alani Hiberni coniecturam secutus, scripsit *rimari non queo*, nihil obstabat, quo minus Cicero rimaretur, unde fastidium illud esset, sed intellegere non poterat. Nec potest sic intellegi, non esse nunc tempus id rimandi; nam nec *nunc* additur et hoc post demum dicitur: *Non est omnino* etc. Neque in tali re Cicero *rimari* quasi de investigatione rei occultatae dixisset.]

non modo non) Alteram negationem a quattuor suis optimis abesse Gzius dicit. Non est opus eos refutare, qui, erroribus aliquot librariorum patrocinantes, omitti *non* ante *sed etiam* posse defenderunt [non animadverso, qua sententiae singulari inclinatione fiat, ut ante *ne — quidem* omitti possit. Et tamen in illo numero fuit C. O. Mueller ad Varr. de L. L. IX, 7 et 14 (VIII, p. 128 et 129 Bip.). Sed Varronis codicibus quid in hoc genere tribuendum sit, apparet vel ex eo, quod in eodem libro (p. 130) pro *non modo* habent *modo*]. De ipso hoc iudicio cfr. III, 5, Tusc. II, 35, de N. D. I, 8. Simplicius verum fatetur alibi, ut hic III, 51 in persona Catonis.

nobis, vel dicam) E codice suo hoc sumpsit Victorius, quem Orellius secutus est, nec aliud significat Erl., in quo fere

poëtis, postea quidem quam fuit, quem imitarentur, ullus orationis vel copiosae vel elegantis ornatus defuit?

IV. Ego vero, quoniam forensibus operis, laboribus, periculis non deseruisse mihi videor praesidium, in quo a

1. *poëtis* om. L [*quem* corr. eadem manu ex *quae* A] 2. *ornatus ne fuit* E 3. *cum forensibus* omnes, Or. 4. *videri* [A] E *quo M populo* E

semper pro *vel* scribetur *ut*, rarius *et* (vid. I, 47, 52, III, 21, 52, 53, IV, 13, 60, V, 6, 55, 85). Item in ceteris optimis fuisse, facili mihi persvadeo, etsi Gruterus suos vulgatum *vel nobis dicam* tueri dicit, Pal. I non excipiens [quem debuisse excipi nunc constat]; neque enim ordinem verborum curare solet. *Nobis*, *vel dicam*, *aut oratoribus*, id est, *vel potius* (ne de nobis dicam) *omnino aut oratoribus* etc. Sic ad Fam. IV, 7, 3: *a plerisque*, *vel dicam*, *ab omnibus*; ad Attic. IX, 7, 1: *ne quid turpiter facerem*, *vel dicam*, *iam fecissem*; Brut. 207: *mihi placebat Pomponius*, *vel dicam*, *minime displicebat*; ibd. 246: *nec hebes in causis*, *vel dicam*, *plus etiam quam non hebes*; Phil. II, 30: *sed stuporem hominis*, *vel dicam*, *pecudis attendite*. In solo hoc extremo loco unus codex deflectit, tentabatque Lambinus *ne dicam*. Svetonius Calig. 13 habet: *populum Romanum*, *vel dicam*, *hominum genus*; in Claud. 4 et 39 minus recte hanc formulam inferre conantur. [Varro L. L. VIII, p. 106 Bip. dixit in augendo: *omnes binos consules*, *vel dicam amplius*, *omnia nomina*.] Coniecturas omitto.

Cap. IV. *Quoniam* — *mihi videor*) Tollendus erat apertus vulgatae scripturae soloecismus, quem Ernestius viderat, ea ratione, qua post alios nuper Wunderus et Orellius in epistularum Ciceronis libris usi sunt; correxit etiam Otto. Bremius indicativum post *cum* eo defendens, quod Cicero de hac re tamquam certa et non dubia loquatur, incidit in errorem se indignum eorum, qui in causali sententia ceterisque, in quibus coniunctivus e nexu sententiarum oritur eiusque index est, incertae et dubiae rei eum significationem habere putant, quasi, cum ita dicam: *cum videam*, *haec fingi*, *non refutabo*, dubitem, aut, cum ita: *quaero*, *cur dicas*, non certum mihi sit, alterum dicere. Et tamen in hac notionum confusione et elementorum ignoratione quam se iactant! vid. modo Ramshorn. p. 712 et 768 et Kritz. ad Sall. Iug. 4, 4. Neque tamen Bremius, quod Gzius ei affingit et probat, sic haec accipi vult, ut ante *debeo* intellegatur *tum*, sed cum ibi Lambinus *tum* addidisset (audiri enim posse, neutri in mentem venit, nec potuit nisi Gzio), ostendit, sic tolli apertam conclusionem. Magnum numerum locorum, in quibus imperite *cum* causale indicativus sequi putatur, rectius interpretando removit Wun-

populo Romano locatus sum, debeo profecto, quantumcumque possum, in eo quoque elaborare, ut sint opera, studio, labore meo doctiores cives mei, nec cum istis tanto opere

1 *sim* [A] PMCR 2. *possim* [A] LPCROr. *laborare* LPMCR *labore studio* L 3. [*tantopere* A semper et *magnopere*]

derus ad Cic. pro Plancio § 29, qui tamen quod ubique *cum* pro *eo*, *quod* accipit, mallem in aliquot locis admonuisset, Ciceronis aetatem retinuisse vetustiorem consuetudinem post *laudandi* et *gratulandi* verba *cum* ita ponendi, ut esset *quod*, de ipsa re, quae laudaretur et ob quam gratiae agerentur (vid. Terent. Andr. IV, 4, 32, Heaut. II, 4, 2, Phorm. V, 8, 74, Adelph. I, 2, 58, Andr. III, 5, 17; Plautina tria exempla e pluribus habet Gron. ad Liv. XXXIX, 12, 7, qui locus vel propter *id* eam defensionem respuit; sed dixit ita Cicero non solum ad Fam. XIII, 24, 2: *gratias ago, cum tantum litterae meae potuerunt*, et IX, 14, 3, sed etiam pro Mil. 99; Sallustius quoque Iug. 102: *magna nobis laetitia est, cum te talem virum di monuere*). Deinde neque in ipso illo Plancianae loco neque in § 78 *cum* est *eo, quod*, non magis quam in Verr. Act. I, 28: *quid faceres pro innocente homine et propinquo, cum propter hominem alienissimum de officio decedis?* Sed Latini interdum, cum, quid alicui rei consequens et consentaneum sit, ostendunt, actiones similes tamquam eiusdem temporis animo concipiunt; itaque, prorsus ut Cicero, Vergilius dixit (Ecl. III, 16): *quid domini facient, audent cum talia fures?* [et Horat. Sat. I, 5, 60: *Ni..., quid faceres, cum sic mutilus minitaris*, et Od. I, 29, 16 (*tendis*)]. Haec si exceperimus, ceteros locos, ubi extra comicorum antiquam orationem (velut apud Terent. Hecyr. IV, 1, 53) *cum* causale indicativum habet, non dubitabimus mendosos dicere. Ut hic in Erl. [A] pro *videor* est *videri*. sic in Epist. Balbi apud Cic. ad Att. IX, 13 A 2: *quod si una essem, aliquid fortasse proficere possem videri* (nulla sententia, nisi deleas *videri*) pro: *posse videor* (*videor mihi posse, si* etc.).

quantumcumque possum) *Possum* habet etiam Ox. E; res nunc nota est. Haeret tamen de Orat. III, 192: *qui debilitatur. in quacumque sit parte titubatum* pro *est.* Ad rem cfr. Acad. II, 6: *Quod si, cum fungi munere debebamus, non modo operam nostram numquam a populari coetu removimus* etc., ut emendavit e codd. Durandus; in vulgata scriptura *debeamus* intolerabilem habet soloecismum.

elaborare) Tres Gzii quoque et Ox. U mendose *laborare*; in hoc molestiae anxiaeve curae (*non laboro*, id est, *non curo*; *brevis esse laboro*), in illo studii et consilii cum efficiendi spe

pugnare, qui Graeca legere malint, modo legant illa ipsa, ne simulent, et iis servire, qui vel utrisque litteris uti velint vel, si suas habent, illas non magno opere desiderent. 11. Qui autem alia malunt scribi a nobis, aequi esse debent, quod et scripta multa sunt, sic ut plura nemini e

1. *malunt* E *ipsà illa* COr. 2. *nec simulent* Or. *his* C 5. *ut* om. E *memini* (pro *nemini*) omnes

(*in aliqua re elaboro*) significatio eminet; fallitur Doederlinius (Lat. Synonym. I. p. 116). Quis credat, fuisse, qui putaret infra IV, 30 et 31 eodem significatu posita esse *elaborare* et *laborare*?

qui Graeca legere malint) Poterat expectari indicativus de certo genere hominum ante notatorum; sed sequitur *velint*, *desiderent*. Igitur generaliter Cicero locutus est et propter infinitam sententiam coniunctivo usus. Sed in hac coniunctione offendit illud *si suas habent*, in quo dure reditur ad notionem definitam, ut non sine causa Lambinus *habeant* scripserit, etsi Ciceronem ipsum correxisse videtur.

modo legant illa ipsa, *ne simulent*) Duo etiam Gzii *ipsa illa*, quod secutus est Orellius; vid. Opusc. nostra Acad. I, p. 131, ubi tamen vereor, ne nimis haec ad certam regulam astrinxerim. In Tusc., si optimos codd. sequimur, uterque ordo saepius reperitur (*illi ipsi* II, 17 et 49, V, 65 et 108, *ipsi illi* II, 7, IV, 44 et 55). Gzius *illa*, quod abesse nequit, delevit, omissum dicens in Spir. (Eξ et unus Gzii habebant *ea*.) Ut indicative dicitur: *legunt*, *non simulant*, ita, quoniam dicitur *modo ne*, fit *modo legant*, *ne simulent*, quod in omnibus codd. fuisse certum est, etsi omnes, nescio a quo inde tempore (nondum P. Mars. nec Crat.), *nec* ediderunt, nulla discrepantia annotata nisi ex Oxx. quattuor. Dixit hoc Cicero non in eos, qui furtim Latinis interpretationibus uterentur (nihil enim tale significat), sed in eos, qui, cum Graeca se legere malle dicerent, ne haec quidem legerent, sed nihil legentes illam simulationem inertiae obtenderent.

11. *sic ut plura nemini e nostris*) *Memini* etiam „fere" Gziani, Eψ. Annotandus hic locus ad quaestionem de dativo pro praepositione *ab* verbis passivis subiecto, praesertim cum hoc respondeat praecedenti *a nobis*. Collegit igitur Otto eiusmodi locos in excursu ad h. l. scripto. Exempla bonorum scriptorum prosae orationis aut in participio sunt, ut res effecta tamquam extet et teneatur (*pertractata mihi sunt*, id est, habeo pertractata, II de Orat. 146; *elaboratum mihi est*, Div. in Caec. 10), aut in eiusmodi verbis, ut non solum ab aliquo, sed etiam alicui res fieri intellegatur, ut in *quaerendi* verbo. In

nostris, et scribentur fortasse plura, si vita suppetet; et tamen, qui diligenter haec, quae de philosophia litteris mandamus, legere assveverit, iudicabit nulla ad legendum his esse potiora. Quid est enim in vita tanto opere quaerendum quam cum omnia in philosophia, tum id, quod his libris quaeritur, qui sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda, quid sequatur natura ut summum ex rebus expetendis, quid fugiat ut extremum malorum? Qua de re cum sit inter doctissimos summa dissensio, quis alienum putet eius esse dignitatis, quam mihi quisque tribuat,

1. *suppetit* E 3. *iudicabit ullam* E 4. *iis* M 5. *cum* om. E *in philosophia* om. L *cum id* E 6. *iis* C *quis* [A] LPR *quid* EMCOr. 7. *consimilia referendi* E 8. *sequitur* L *nrā natura* C 9. *expetendum* LPMCR 11. *dignitatis esse* E [*tribuat* A¹; A² et ceteri] omnes *tribuit*

incertis exemplis pono Cic. de Invent. I, 86 (*illa nobis (a nobis) alio tempore explicabuntur*), in falsis Cat. 38 (*viventi* pertinet ad *obrepit*), in summa vero inscitia eiusmodi locorum usum, qualis est in epist. Pompeii apud Cic. ad Att. VIII, 12 A 4 (Ramshorn. p. 351), aut illorum, in quibus dicitur: *Cui non hoc auditum?*, cum ceteris confusionem. Ad Attic. I, 16, 8 *aliis legi* aut est *aliis recitari* (cfr. XVI, 13 A) aut scribendum *ab aliis*. [Conferatur Wesenbergius, Emendatt. Cic. Epist. p. 22.] De Livio annotatio est Drakenborchii ad VI, 11, 4, ubi loci corrupti, unius aut alterius boni aut mali codicis scriptura ab ceteris discrepans, structurae hinc remotissimae et pervagatae, accedente prava interpretatione (velut XL, 26, 8, ubi *naves iis ornatae sunt* est: *ad eorum usum*), in unum acervum ab homine diligentissimo coniciuntur. Non poterat ergo Cicero dicere: *scribuntur nobis multa*, poterat: *scripta sunt nobis*. Ceterum Ciceronem Varro iam tum fortasse librorum multitudine superabat; sed Cicero de eo genere haec dixit, quod a se expectaretur, orationibus.

qui sit finis) *Quis* etiam Gud. 2 et praeter R aliae veteres editiones. Receperunt Vict. et Lbinus, hic simul bis *quod* scribens. Et *quis* geminata littera et *quid* ortum ex *qui*, quod iam Orellio visum est. Non agitur de notione finis et extremi, sed quaeritur, *qui* sit finis et in qua re positus, cfr. IV, 5 et 14; adiectiva recte adiunguntur pronomini substantivo (*quid sit summum et extremum*); cfr. 29 et V, 15.

quis alienum putet) Quod Vict. e cod. suo edidit: *quid alienum putem*, probarunt Davisius et Ernestius; erit tum *quis-*

quid in omni munere vitae optimum et verissimum sit, exquirere? 12. An, partus ancillae sitne in fructu habendus, disseretur inter principes civitatis, P. Scaevolam M'que Manilium, ab iisque M. Brutus dissentiet (quod et acutum genus est et ad usus civium non inutile, nosque ea scripta reliquaque eiusdem generis et legimus libenter et legemus), haec, quae vitam omnem continent, neglegentur? Nam, ut sint illa vendibiliora, haec uberiora certe sunt. Quamquam id quidem licebit iis existimare, qui legerint. Nos autem hanc omnem quaestionem de finibus bo-

1. *omni genere* C 2 *habendus in fr.* L 3. *M. que* A *M'.* E (?) Or. *M vel* P *M.*LMCR 4. *Mallium* L *Manlium* PMR *hisque* [A] ELPCROr. 7. *continent omnem* LPMCROr. *negleguntur* [A] LPMCR (etiam Eh.) 8 [*sunt* A] 9. *quod licebat* E *his* CR 10. [*hoc* A[1]]

que tribuit dictum pro eo, quod est *omnes tribuunt*, ut Cicero certam quandam dignitatem sibi ab omnibus tribui dicat, satis arroganter. Sed numquam sic illud pronomen ponitur, quod semper cum aliqua distributione singulos separatim significat. Vulgata contra recte hoc significat: eius dignitatis, quam mihi pro se quisque sive magnam sive parvam tribuit. [Tum autem sententia relativa non per se dicitur, sed sic cum primaria connectitur, ut paene necessarius sit coniunctivus modus, quem ex A[1] restitui; cfr. Off. I, 47.] Non raro in hoc vocabulo aberratur: cfr. IV, 76. Itaque de Divin. II, 124 imperite alii coniciunt scribendum, alii probant: *sed haec cuique in promptu*, ut sit. *omnibus*, *cuivis*. Nec apud Lucretium I, 243 *vis quaeque* est *omnis*, vel minima, sed, ut Germani loquuntur, *die jedesmalige*.

12. *An, partus ancillae* etc.) Nota controversia, utrum eius, qui usumfructum servae haberet, partus fieret, an eius, qui dominus esset. Nam cum aliquando etiam de pecoribus dubitatum esset, postquam de iis constitit, in serva alio ducebat rei notio, alio hominis. Ulpian. in Digest. VII, I, 68: *Vetus fuit quaestio, an partus ad fructuarium pertineret; sed Bruti sententia obtinuit, fructuarium in eo locum non habere.* Cfr. Ulpian. in Dig. V, 3, 27, Gai. XXII, 1, 28, Iustinianus Institt. II, 1, 37.

P. Scaevolam M'que Manilium) [Sic ex A Baiterus; *M'.* pro *M.* quis restituerit, nescio.] M'. Manilius (nam de P. Scaevola pont. max., qui primus iuris prudentiam in illam familiam intulit, omnia nota sunt), Manilius igitur, cos. a. 149, cum iuris prudentiae laude commemoratur etiam in libris de oratore et de re publ., nominanturque eius tres libri de iure civili a Pomponio. (Vid. Maii prosopogr. libb. de R. P., Henrichs. ad Cic. de Orat.

norum et malorum fere a nobis explicatam esse his litteris arbitramur, in quibus, quantum potuimus, non modo quid nobis probaretur, sed etiam quid a singulis philosophiae disciplinis diceretur, persecuti sumus.

V. 13. Ut autem a facillimis ordiamur, prima veniat in medium Epicuri ratio, quae plerisque notissima est, quam a nobis sic intelleges expositam, ut ab ipsis, qui eam disciplinam probant, non soleat accuratius explicari. Verum enim invenire volumus, non tamquam adversarium aliquem convincere. Accurate autem quondam a L. Torquato, homine omni doctrina erudito defensa est Epicuri sententia de voluptate, a meque ei responsum, cum C. Triarius, in primis gravis et doctus adulescens, ei disputationi interesset. 14. Nam cum ad me in Cumanum salutandi causa

1. *iis* M 2. *modo* om. E *quid a nobis* E 3. *a* om. R 4. [*disciplinae* A[1]] *discipulis* C 5. *ordinamur* L 7. [*ab* (ante *ipsis*) om. A[1]] *ab hiis* C 10. *M. Torquato* E 12. *T. Triarius* C

I. 212). M. Iunii Bruti, qui paulo ante Mariana tempora floruit (Brut. 175), in eodem genere laudem et Cicero aliquotiens commemorat et Pomponius Dig. I, 2, 2 § 39.

his litteris) *Libris* multi scribendum putarunt, quemadmodum est Tuscul. III, 6: *his autem libris exposita sunt* etc., itaque in Ursini cod. (?) et El. primo erat. Nec sine causa offendunt, cum ipse, qui alterum defendit, Bremius *litteras* de libris in universum poni dicat, non de certo quodam librorum genere. Rectius dixisset, non de certis libris; nam de genere et de omnibus iis, quae de aliqua re scripta sint, ponitur. Nugatur Gzius, non litteras pro libris poni, sed significari: *in dieser Schrift*; quasi id aliud sit. Similia ex aliqua parte sunt haec (de Orat. I, 192): *neque ita multis litteris aut voluminibus magnis continentur* et (de Div. II, 5): *ut Graecis de philosophia litteris non egeant*, propter adiecta *multis* et *de philosophia*, [Brut. 205, pro Arch. 14]; nec tamen dubitationem prorsus tollunt. Mox *discipulis* mendose etiam in Spir. et Gud. 2 erat, idemque „Scaliger ad oram libri allevit“.

Cap. V, 13. *Ut autem a facillimis ordiamur*) Saepe hoc Cicero et iure dicit, facillimam esse Epicuri disciplinam, quod nulla sit in ea subtilitas, nulla rerum verborumve obscuritas. Cfr. § 27, Tusc. IV, 6 et 7. Paulo post, cum ederetur *ab his*, in marg. Crat. et e cod. Vict. annotatur *ab ipsis*. Vid., quae dicentur ad II, 93.

uterque venisset, pauca primo inter nos de litteris, quarum summum erat in utroque studium; deinde Torquatus, Quoniam nacti te, inquit, sumus aliquando otiosum, certe audiam, quid sit, quod Epicurum nostrum non tu quidem oderis, ut fere faciunt, qui ab eo dissentiunt, sed certe non probes, eum, quem ego arbitror unum vidisse verum maximisque erroribus animos hominum liberavisse et omnia tradidisse, quae pertinerent ad bene beateque vivendum; sed existimo te, sicut nostrum Triarium, minus ab eo delectari, quod ista Platonis, Aristoteli, Theophrasti orationis orna-

1. *primum* L *inter nos primo* E [Post *de litteris* A² inserit *contulimus*] 3. *hac tite* (pro *nacti te*) E [*hac tite* A¹ *hac die* A²] [*ociosum* A et sic semper] 4. *quid* (pro *quod*) EL [om. A¹] [*nostrum istiter non* A, sed *istiter* linea subducta prima manus delendum significavit] [*quide* A] 5. *oculis* (pro *oderis*) E *certe fac.* M 6. *maximis* (om. *que*) LP 8. *pertinent* LPMCR 10. [*quid isti* A¹] *Aristotelis* [A²] LPMCROr. *ornamenta orationis* COr.

14. *quae pertinerent*) Bene, quod nunc Erl. [et A] silentium fidem facit, sic esse in melioribus codicibus; nam et edd. ante Gruterum, excepta Lbiniana, et Davisii codd., quos ipse secutus est, et Oxx. praeter U habent *pertinent*; Gzius *pertinerent* scripsit, de codd. tacet.

minus ab eo delectari) Praepositionem abiecerant Vict., Man., Lamb., postea Davisius, qui a Par. 1 (?) et 3 abesse dicit; Oxx., cum in textu omitterent, tantum ex χξ eam annotarunt. Gruteri et Gzii codd. omnes tenent. Comparatis ceteris locis, ubi sic dicitur (Div. in Caec. 44: *cuius ego ingenium ita probo, ut me ab eo delectari facilius quam decipi putem posse*, ubi aliquid ad hanc formam eligendam valuisse videtur adiectum *decipi*; Orat. 195: *alterum nimis est vinctum —, alterum nimis dissolutum —, ut ab altero non delectere, alterum oderis*; [Brut. 193: *vulgus a mediocri . . . oratore delectatur*;] de R. P. III, 42: *significabant, ab eo (Laelio) se esse admodum delectatos*), primum facile apparet, non rectum esse, quod in loco Oratoris Handius (Turs. I, p. 26), Gzium sequens, ascripsit: *ab altera parte poëmatis*, cum ibi duo componendae orationis genera describantur, quorum alterum delectationem afferat, alterum non afferat. Deinde intellegitur, addita praepositione magis significari motum aliquem et actionem hominis aut rei nos certo tempore aliquo modo afficientis; itaque *delector aliquo* est universe: *probo, placet mihi*; *delector* autem *ab aliquo* est: *delectationem mihi* (aliquo temporis momento) *parit.* Id maxime in loco de R. P. apparet, ubi praepositio omitti nullo pacto potuit; neque enim significabant, Laelii naturam sibi placuisse.

Aristoteli) Hanc formam genetivi Erl. et hic praebet et V, 12 et 14, ad quam cum semel (V, 12) Gzius atten-

menta neglexerit. Nam illud quidem adduci vix possum, ut ea, quae senserit ille, tibi non vera videantur. 15. Vide,

1. *illuc* PMCROr. [*ad illud* A[2]] 2. *videntur* C

disset, negavit Ciceronem ea uti; scilicet, si isto modo codices inspicias. Si terminationes littera praecedenti distingvere quis velit, dixit *Praxiteli* in Verr. IV, 4 et 12. Idem codex [et A] *Carneadi* dedit II, 35 et II, 116 *Aristidi*, *Themistocli*, haec quidem a Gzio recepta, et V, 5 *Pericli*. Atque ego cum videam ubique fere, ubi codices boni adhibeantur, eam formam prodire (vid. de Verrinis, in quibus magna est copia Graecorum nominum, Epist. mea ad Orell. p. 22 et Zumpt. ad II, 108 et ad IV, 4, coll. de opt. gen. orat. 14 in edit. Orell. min.), vereor, ut alia Cicero umquam usus sit. Sed tamen in hac re, ut in aliis similibus, quae vocum scriptionem et formam attingunt, apparet quoddam iudicium et potestas eorum, qui vetustissimos codices singulorum operum Ciceronianorum scripserunt. Itaque in Tuscul. III, 54 et V, 88 et cod. reg. et ceteri retinent *Carneadis*. Ne nimium constantiae darem in ea re, in qua potest Cicero inconstans fuisse, neque paulo ante § 4 *Euripidi* recepi ex parum noto libro neque II, 118 *Herculi* scripsi, etsi ita est Acad. II, 108.

orationis ornamenta) Persvaseram olim Orellio, ut e cod. Bas. et ed. P. Marsi scriberet *ornamenta orationis* (ut est pro Sulla 82: *cuiusquam ornamenta orationis*), quod putabam duplices genetivos ab eodem nomine aptos numquam sic poni, ut primo loco esset principalis, altero secundarius, tertio nomen regens, ne coniungeretur *Theophrasti oratio*. Sed scribitur Brut. 163: *Scaevolae dicendi elegantia*; Tusc. IV, 31: *animi multarum rerum brevi tempore percursio*; [Off. I, 43]. Neglexisse Epicurum omnem dicendi ornatum, et alii testes sunt et Diog. Laërt. X, 13: *κέχρηται δὲ λέξει κυρίᾳ κατὰ τῶν πραγμάτων, ἣν, ὅτι ἰδιωτικωτάτη* (sic Menagius pro *ἰδιωτάτη*) *ἐστίν*, *Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς αἰτιᾶται.* Alia, quae huc pertinent, citat Fabricius ad Sext. Empir. p. 215.

Nam illud quidem adduci vix possum, ut — videantur) Non ignota in hoc verbo dicendi brevitas, qua *adducor* fit *adducor ad credendum*. Sed cum id initio efficiendi notionem habeat, in nova significatione partim retinet priorem sententiae annectendae formam (*ut*), partim eam asciscit, quaé novae significationi accommodata est, accusativum cum infinitivo. *Ut* praeter hunc locum habet infra IV, 55, et apud Lucretium V, 1341, accusativum cum infinitivo de Divin. I, 35, ad Attic.

quantum, inquam, fallare, Torquate. Oratio me istius philosophi non offendit; nam et complectitur verbis, quod

1. *fallere* LPMCR 2. *non* om. C

XI, 16, 2 (*sed ego non adducor, quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti fuisse* etc.), de Legg. II, 6, pro Cluent. 104 (ubi *adducti* Classenius e codd. restituit pro barbaro *addocti*); eodemque modo Curtius scripsit X, 10 (2, 19) [et Colum. II, 1, 4, Festus v. *Oscos* p. 198 M.: *quod verum esse non adducor*]. Alia est ratio in orat. de prov. cons. 39, quem locum minus recte tractavit vir egregius, E. Wunderus in iis, quae scripsit de particula *ut* (Iahn. Annal. V, p. 158). Sic enim ibi orsus est orator (*Nam ut C. Iulius* etc.) tamquam subiecturus: *fieri non potest*; deinde, cum longius tracta oratio esset, dixit: *adduci ad suspicandum nullo modo possum.* Sed quod in adducendi verbo orationis brevitate fit, ut res effecta (*adducor, ut sit*) dicatur pro fide rei effecta (*adducor, ut esse existimem*, quod plene scribitur ad Att. XI, 7, 3), eius rei simillimum est exemplum in orat. pro Sulla 40: *nec vero possum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinas — mea sponte dispexerim*, hoc est, *me dispexisse credam.* Eadem confusio rei effectae et notionis iudiciique de re effecti est in cogendi verbo, cum de necessaria conclusione dicitur, ut ἀναγκάζειν. Itaque vulgo quidem dicitur: *ratio cogit, verum esse* (vid. lexica et add. de Fat. § 9); sed huius operis libr. III, 42 scribitur: *eorum autem ratio certe cogit, ut in omnibus tormentis conservetur beata vita sapienti.* De ipso *efficiendi* verbo et similibus pervagata res est. Sunt, qui parum Latine dici putent: *hoc sic accipiendum est, ut Cicero posuerit* etc.; dicendum enim esse: *posuisse statuatur* aut: *sic accipiendum est, Ciceronem posuisse*; nam scripsisse ipsum Ciceronem (Off. I, 96): *illud superius sic fere definiri solet, decorum id esse*, non: *ut decorum id sit.* Verum dixit tamen Tusc. IV, 47: *ita enim definit, ut perturbatio sit aversa a ratione animi commotio* (non: *ut dicat esse*), et de Legg. III, 33: *ego in ista sum sententia, — nihil ut fuerit in suffragiis voce melius* (non: *fuisse putem*), et ad Fam. XV, 2, 8: *hac opinione, ut — meus adventus — liberarit.* Durius est, ex eodem tamen genere, quod legitur de leg. agr. III, 3: *numquid est causae, quin illa criminatione — vestram diligentiam prudentiamque despexerit*, hoc est, *despexisse iudicetur.* [Nec multum discedit de Or. I, 115: *Neque haec ita dico, ut ars aliquos limare non possit.* Temere, ut saepe, cavillatus est Wolfius in orat. pro Marc. 34. Eadem in voluntatis notione brevitas est in Cat. IV, 3: *Moveor his rebus omnibus, sed in eam partem, ut salvi sint vobiscum*, hoc est, *salvos*

vult, et dicit plane, quod intellegam; et tamen ego a philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner, si non habeat, non admodum flagitem; re mihi non aeque satisfacit, et quidem locis pluribus. Sed quot homines, tot sententiae; falli igitur possumus. Quamobrem tandem, inquit, non satisfacit? te enim iudicem aequum puto, modo, quae dicat

1. [*quam intellegam* A[1]] *ego* om LPMCROr 3. *satisfecit* omnes. 4. *et equidem* L *plurimis* E 5. [*possimus* A] *tandem* om. L *satisfecit* LR

esse velim.] Ergo hic quoque accidunt eadem aut similia Latinis in naturali sermonis cursu, quae nobis. Restat *illud* pro *illuc* ex optimo cod. et L receptum. Est hoc ex pervagato genere accusativorum pronominalium, qui initio sententiae ad rem universe significandam poni solent, etsi nullum accusativo proprie aptum verbum subicitur, ut cum dicitur: *Hoc irascor*, *illud tibi assentior*, vel: *quid sim tibi auctor*, vel: *quod quidam auctores sunt* (Liv. XXIII, 16, 15, XXX, 26, 7), vel etiam: *id operam do* (Ter. Andr. I, 1, 130, II, 1, 7), ubi olim ellipsin grammatici advocabant (Ruddim. II, p. 148, not. 10 et p. 160, Ramshorn. p. 394). [Gr. Lat. § 229.]

15. *et tamen ego a philosopho*) *Ego* habuit etiam cod. Vict. Formam orationis huius loci declaravi in Emendatt. Ciceronianis p. 50, ubi, comparatis similibus exemplis (ad Fam. III, 8, 7, pro Mil. 33, de N. D. I, 23, aliis, Graecis quoque) ostendi, primariam sententiam hanc esse: *a philosopho eloquentiam non flagitem*, sed ei adiectam observationem, cum posset, nostro more etiam deberet, per concedendi particulam interponi (*etsi non asperner*), ex aequo interiectam et annexam esse. Cfr. ad libr. V, 89. *Tamen* Cicero dixit, quod generalem sententiam de ea re adiungit, de qua quaeri non necesse sit, cum iam concesserit, Epicurum satis bene loqui.

non aeque satisfacit) *Satisfecit* etiam Oxx. Eξψ et „plerique fere codd.“ Gzii. Sed quod per se, cum ad lectionis tempus referretur, recte diceretur, hic inter cetera praesentia ferri nequit. Et mox recte Erl. [A] et cod. Vict. (id est, optimi) et alii nonnulli *satisfacit*; nam ibi *satisfecit* tantum ex E notatur.

pluribus) Non secutus sum Erl., quod illo modo vel optimi codd. aberrant, etiam ubi prorsus ineptus est superlativus; vid. Orell. ad Cic. de R. P. I, 12.

quot homines, tot sententiae) Terent. Phorm. II, 4, 14.

ille, bene noris. 16. Nisi mihi Phaedrum, inquam, mentitum aut Zenonem putas, quorum utrumque audivi, cum

1. *hic* (pro *nisi*) LPC *mihi aut Phaedrum pulchrum* E *meritum* P

16. *Nisi misi Phaedrum*) „Est a Pal. notae melioris tribus tres enim reliqui: *Hic mihi Phaedrum*; nam Aldi vetus: *hic nis mihi.*" Grut. *Hic mihi* (Oxx. EU§) aut *hic nisi* etiam Davisian et Goerenziani, etsi hoc posterius ex nullo nominatim citatur Verum habet etiam cod. Morel. et mg. Crat. Victorius annotavit *nisi tu Phaedrum*, et sic edidit, secutusque Davisius est.

Phaedrum aut Zenonem) Coryphaeos Epicureorum illius aetati appellat. Phaedrum Cicero, ut apparet ex XIII ad Fam. 1 iam puer Romae audiverat et postea Athenis, cum eum, familiariter cum Attico viventem, ut virum bonum et svavem probaret De Attici erga eum amore cfr. lib. V, 3. *Phaedro nihil elegantius nihil humanius* esse dicitur N. D. I, 93. Ex huius Phaedri libr περὶ θεῶν sumpsisse Ciceronem, quae in libro primo de N. D de aliorum philosophorum sententiis in Velleii persona ex ponuntur, nunc patet ex reliquiis Herculani repertis, quas i Germania seorsum edidit Petersenius in programmate Hamburgensi a. 1833. [Eas tamen reliquias potius Philodemi libri περ εὐσεβείας esse, Spengelius 1863 et Sauppius 1864 disputarunt. Hunc denique Phaedrum nomine omisso intellegi voluit Cicer I N. D. 58, ubi nunc miro modo locum eius homo longe di versus occupavit: *Saepe enim de L. Crasso, familiari illo tu videor audisse, cum te togatis omnibus sine dubio anteferret e paucos tecum Epicureos e Graecia compararet* etc. Mire Cotta d scientia philosophiae Epicureae testem dat oratorem Romanum quem neque in Bruto neque in libris de oratore Epicuro faviss significatio ulla est, eumque de iis etiam Epicureis iudicantem qui in Graecia viverent, quorum paucissimos, si quemquam homo consularis norat; mire etiam dicit de Crasso: *familiar illo tuo*, tamquam de homine remoto et in quo hoc memorabil sit. Ipsa vox *togatis* significat, Graeci hominis iudicium e auctoritatem proferri. Iam omnes Davisii codd., omnes Oxx. apud Moserum A, C (sane etiam B, si recte inspectus esset) ceteri, ipse interpolatissimus Glogaviensis nomen omittunt Unus Rehdig. aperte coniecturam nomen quaerentium ostendit *de Lucilio, de Crasso.* In Crassum incidebant propter III d Orat. 78. Phaedrum, qui Romae fuerat, Cicero satis signifi catum putabat. Zenonem non esse familiarem illum Velleii intellegitur ex § 59. Acriculus hic senex, Epicureorum illiu

mihi nihil sane praeter sedulitatem probarent, omnes mihi Epicuri sententiae satis notae sunt; atque eos, quos nominavi, cum Attico nostro frequenter audivi, cum miraretur ille quidem utrumque, Phaedrum autem etiam amaret; cotidieque inter nos ea, quae audiebamus, conferebamus, neque erat umquam controversia, quid ego intellegerem, sed quid probarem.

VI. 17. Quid igitur est? inquit; audire enim cupio,

1. [*sed utilitatem* A] 2. *quos modo nom.* L 4. *Phaedrum pulchrum* E *autem* om. L 5. *cotidie* (om. *que*) L

temporis acutissimus, quem Philo eorum coryphaeum appellabat, commemoratur etiam I N. D. 93, Tusc. III, 38.

Cap. VI, 17. *Principio in physicis — primum totus est alienus)* Cum Davisius et Ernestius, *principio* et *primum* eodem referentes, alterum abundare putassent, eamque abundantiam Wopkensius defendere conatus esset (Lectt. Tull. p. 255), recte Bremius et Matthiaeus docuerunt, *principio* pertinere ad divisionem philosophiae, in cuius tribus partibus Epicurus reprehendatur, ut huic respondeant illa in § 22: *Iam in altera philosophiae parte, primum* eo referri, quod non solum aliena sint, quae Epicurus in physicis dicat, sed etiam multis novis erroribus implicata. Hoc ostendit Cicero § 18 sqq., nec tamen ponit *deinde*, sed alia forma alteram partem adiungit, ut facit saepissime [velut I N. D. 43—44, 62—64, pro Mil. 84 sqq.]. (Vid., si tanti est, P. Manut. ad Epist. ad Fam. II, 9 et VII, 23, Wopkens. Lectt. Tull. p. 52, Beier ad Offic. I, 44, Heusinger ad Offic. I c. 28, 9; quamquam quis hoc non attigit, etiam nuper?) Similis divisionis gradatio bis eadem voce *primum* notata est II N. D. 142. De Epicuri physicis a Democrito, qui doctrinam de atomis post Leucippum uberius exposuerat et expoliverat, traductis, cum Nausiphanem Democriteum solum audivisset, satis expositum est ab iis, qui philosophiae historiam scripserunt; itaque ipse Metrodorus, alter Epicurus, dixerat: *εἰ μὴ καθηγήσατο Δημόκριτος, οὐκ ἂν προῆλθεν Ἐπίκουρος ἐπὶ τὴν σοφίαν* (Plut. adv. Colot. 3, p. 1108 E; Cic. Acad. I, 6: *si Epicurum, id est, si Democritum probarem).* Sed Democritus vertice quodam et vertigine (*δίνῃ*) necessaria et ictibus effici putabat atomorum *σύγκρισιν, συμπλοκήν, ἐπάλλαξιν*, e qua orirentur innumerabiles mundi; Epicurus motum deorsum fieri iussit et, ne necessitate omnia fierent, libertatis vindicem casum attulit, cum atomos recta linea deorsum descendentes perpaulum declinare itaque cohaesiones fieri statuit. Ex Ciceronis libris huc pertinent N. D.

quid non probes. Principio, inquam, in physicis, quibus maxime gloriatur, primum totus est alienus. Democritea dicit, perpauca mutans, sed ita, ut ea, quae corrigere vult mihi quidem depravare videatur. Ille atomos, quas appellat id est, corpora individua propter soliditatem, censet in in-

2 [*Democrite adicit* A[1] et Eh] *Democriti adicit* Em *Democrito adiici* [A[2] sed *adicit*] LPMCROr. (*adiecit* C *abiicit* L) 4. [*athomos* A] ἀτό-μους Or.

I, 69 et 73, de Fat. 21 sqq. De gloriatione Epicuri in hac parte cfr. ad § 63.

Democritea dicit) Praeclare haec sanavit Erl. [e quo *Democriti* posueram]; nam in vulgata scriptura iure et Ursinus offendera (*adhaerescit* in suo illo ficto libro legi dicens) et Davisius qui primum, quod in CCC et ed. Venet. 1471 erat *adieci* (etiam in Oxχ), scribendum putabat: *Democrito accedit, perpauca mutans*, deinde, cum in Par. 1 (?) et 3 (et cod. Vict.) *addici* repperisset: *Se Democrito addicit* (pravo verborum ordine). Frustra ceteri explicare vulgatam scripturam conantur, ali *adicit* interpretantes *accedit* aut ex male intellecto Vergilii loc in Aeneid. X, 182 aut ellipsi inaudita utentes vocis *calculum* alii (Gzius, Orell.) mire interpungentes: *adicit perpauca, mutans* quasi *mutans* sic absolute dici possit aut non sic id, quod summum est, Democrito Epicurum adhaerere, obscuretur, cum tantum adiectio significetur. [Cfr. § 21, IV, 13 *Pauca mutat.*] *Dicer* Cicero saepissime de philosophorum sententiis ponit, ut de hi ipsis libro IV, 13: *cum de plurimis eadem dicit, tum certe d maximis.* Quod ad adiectivum *Democritea* mox refertur prono men *ille*, de eo (est enim notum schema) cfr. V, 16: *Carneadi nobis adhibenda divisio est, qua noster Antiochus libenter uti solet Ille igitur* (Carneades) etc., et quae ibi dicentur.

atomos) Graece Gzius et Orellius. Transierat vox, opinor in ius Latii.

id est, corpora individua propter soliditatem) Recte Davisiu citat Lucret. I, 485: *Sed quae sunt rerum primordia, nulla potes vis Stingvere; nam solido vincunt ea corpore demum.* Addendu Plut. (?) Plac. Philos. I, 3, p. 877 F (sive Stob. Eclog. Phys p. 306 Heer.): *ἄτομος οὐ δύναται τμηθῆναι, ἀπαθὴς οὖσα κα ἀμέτοχος κενοῦ*, et paulo ante: *σώματα — ἀμέτοχα κενοῦ ἀγέννητα. ἀΐδια, ἄφθαρτα, οὔτε θραυσθῆναι δυνάμενα οὔτ διάπλασμον ἐκ τῶν μερῶν λαβεῖν οὔτ᾽ ἀλλοιωθῆναι.* Nec quem quam fugere potest, ideo atomos putari, quod nihil habean vacui, nihil compositi, quod dissolvi possit. (Quae Bremius ex Diog. Laërt. IX, 44 (de Democrito) citat, minus huc pertinent

finito inani, in quo nihil nec summum nec infimum nec medium nec ultimum nec extremum sit, ita ferri, ut concursionibus inter se cohaerescant, ex quo efficiantur ea, quae sint quaeque cernantur, omnia; eumque motum atomorum nullo a principio, sed ex aeterno tempore intellegi convenire. 18. Epicurus autem, in quibus sequitur Democritum, non

1. *innatu* E 2. *citimum* (pro *extremum*) Or. *inferri* R [*ita ferri ut* om. A[1]] 5. *sed externo* L *sed extremo* E

quoniam ibi non ipsae solum atomi, sed prima quaedam earum *συγκρίματα*, ea, quae vulgo elementa appellantur, dicuntur esse *ἀπαθῆ καὶ ἀναλλοίωτα διὰ τὴν στερρότητα*). Imperitissime Gzius, individui et solidi notiones confundens, quarum altera ex altera apud Democritum et Epicurum nascitur, ad tautologiam scilicet vitandam defendit editionum quarundam interpunctionem casu ortam: *corpora individua, propter soliditatem censet* etc., quasi soliditas quidquam ad infinitum et atomorum in eo verticem pertineat. Neque Epicurus, nedum Democritus, motum atomorum soliditate, sed pondere effici dicebat; iam motas, cum colliderentur, repelli ictu et plaga propter soliditatem statuebat; (*ἡ στερεότης ἡ ὑπάρχουσα αὐταῖς κατὰ τὴν σύγκρουσιν τὸν ἀποπαλμὸν ποιεῖ*, Diog. Laërt. X, 44, coll. Lucret. II, 84 et 85). Nec iure Matthiaeo haec omnia verba suspecta erant; neque enim Cicero res Torquato ignotas explicat, sed lectorum rationem habet, ut II, 1 et 20, neque nomen tantum vertit, sed causam nominis et ipsam notionem atomi ostendit.

in infinito inani) ἐν τῷ ἀπείρῳ κενῷ. Nam Omne (*τὸ ὅλον*) Democritus docebat constare *τῷ κενῷ*, spatio per se vacuo, quod infinitum quoquoversus pateret, et atomis, quae in eo vagarentur, corporibusque, quae inde orirentur. Semper a Democrito et Epicuro notiones spatii et vacui confunduntur.

nec extremum) Non videtur hoc diversum esse ab *ultimo*; itaque, cum diligenter hic distingvi notiones putent, corrigunt, Goerenzius et Orellius ex Ursini cod. et duobus Parisiensibus Lallemandi, id est, coniectura Ursini, *citimum* pro *extremum* scribentes, Davisius *primum* pro *ultimum*. Sed in hac coacervatione vix tam diligens Cicero fuit; nulla est enim notio, quae recte includi possit nisi *primi*; *citimum* ad eam divisionem locorum pertinet, quae etiam in infinito fieri potest, si in uno aliquo eius loco ipse sis. Itaque amplificatam esse notionem puto, quemadmodum I N. D. 37 (quem locum Bremius citat) est *ultimus et altissimus atque undique circumfusus et extremus ardor.* Ultimum est, quod ab initio remotissimum, extremum, quod cetera finit et cingit.

fere labitur. Quamquam utriusque cum multa non probo, tum illud in primis, quod, cum in rerum natura duo quaerenda sint, unum, quae materia sit, ex qua quaeque res efficiatur,. alterum, quae vis sit, quae quidque efficiat,

1. *vere* R *proba* E 3. *ex quo* [A] ELP 4. *efficitur* E *efficiantur* MC *quodque* EOr.

concursionibus inter se cohaerescant) Συγκρούσεις hae sunt et συμπλοκαί et συγκρίσεις et περιπλοκαί et ex iis συστήματα, cum ex atomis coniunctis et propter figuram implicatis res oriuntur. Diog. Laërt. IX, 32 (de Leucippo), 44 et 45 (de Democrito), X, 40 (de Epicuro); Lucret. II, 95 sqq.

intellegi convenire) hoc est, ut nunc loquuntur, *cogitari* (man muss sich die Bewegung von Ewigkeit her denken); cfr. IV, 38; male Gzius addi vult *esse.*

18. *non fere labitur)* non quod verae sint sententiae, sed quod ordine et sine perturbatione expositae.

cum multa — tum illud) Saepe Latini in huiusmodi coniunctione omittunt vocem *alius*, quae ex adiecto intellegitur. Pro Cluent. 140: *cum multorum, tum L. Crassi auctoritatem sequor*; Brut. 152: *et apud Scaevolam et apud multos*; in Verr. IV, 147: *cum multa, tum etiam hoc me memini dicere*; pro Cael. 42: *ego fortasse et pauci*; add. Lael. 48, N. D. I, 57. Male igitur III Off. 47 contra codices et longe plures et optimos quosque adiectum est *alias* in his: *cum saepe, tum maxime bello Punico.* Simile est, quod de *ceteri*, *reliquus* posui in Emendatt. Cic. p. 197.

in rerum natura duo quaerenda sint) Haec etsi Acad. I, 24 Peripateticis et Academicis veteribus tribuuntur, tamen hac forma maxime explicabantur a Stoicis, qui duas ἀρχάς statuebant esse, materiam (τὸ πάσχον, τὴν ἄποιον ὕλην) et vim efficientem (τὸ ποιοῦν. τὸν ἐν τῇ ὕλῃ θεόν); Diog. Laërt. VII, 134, ubi omnes Stoicorum coryphaei in hoc dogmate citantur, Sext. Emp. adv. Mathem. IX, 11, Plut. de Plac. Philos. I, 3, p. 878 C, Senec. Ep. 65, 2—3.

quae quidque efficiat) Paene perpetuam codd. Erl. et Spir. confusionem sequens Gzius pro substantivo *quidque* substituit adiectivum, cui nihil hic loci est. Secuti tamen ceteri. Repetitur error III, 67 *(quo minus suum quodque cuiusque sit)* et V, 16 *(quo quodque referatur)*, propagaturque ad pronomen interrogativum V, 15; in omnibus editionibus haerebat V, 36, animadversus tamen a Bremio. Contrarius error erat infra II, 109 *(aliud aliquid summum bonum).* Simile mendum *(aliquid dictum)* in orat. pro Cluent. 184 sublatum est a

de materia disseruerunt, vim et causam efficiendi reliquerunt. Sed hoc commune vitium; illae Epicuri propriae ruinae:

1. [*deseruerunt* A¹] *efficiendi* om L 2. [*vicium* A]

Classenio. Recte etiam Wesenbergius meus (in programmate Danice scripto de oratione Caeliana p. 21) in orat. pro Rosc. Am. 83 restituit: *unumquidque tangam* (coll. Divin. in Caec. 45). Sed restant alia. In rhetoricis ad Herenn. II, 46 editur vitiose: *ut quodque primum*, quod recte improbatur apud Cic. de Inv. I, 19; de Inv. I, 28 retinetur vitiosum *(etsi semel unumquodque dicetur)* contra cod. Turicensem. Mox *reliquerunt* est: *non tractarunt*, ut IV, 7, de Legg. I, 6. *Causa efficiendi*, quae proprie est, propter quam quis aliquid efficiat, minus proprie pro *efficiente* dicitur.

illae Epicuri propriae ruinae: censet enim) Pronomen *ille*, ut saepe, explicatur sententia per *enim* subiecta; vid. ad III, 26. Nec tamen explicatio illa prima sententia absolvitur; neque enim ulla ruina est, etsi pravum est, quod Epicurus atomos deorsum ferri putat, nedum plures ruinae; sunt eae in eorum, quae adiciuntur, repugnantia. Fit hoc interdum apud Ciceronem, ut, oratione non statim recto cursu eo progrediente, quo debebat, particula sententias connectens inepta videatur, si ad eam solam sententiam referatur, in qua posita sit, maximeque hoc accidit in iis particulis, quae conclusivae dicuntur, *itaque*, *quare*, aliis. Velut Tusc. II, 62 si haec sola legas: *Itaque semper Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat*, nihil sit ad superiora ineptius; sin perrexeris: *cuius in primis laudabat illud*, *quod diceret*, *eosdem labores non esse aeque graves imperatori et militi* etc., apparebit hoc dicendum fuisse: *Itaque Africanus laudabat illud*, *quod Xenophon diceret* etc. Adiecta observatio primariae sententiae locum occupavit. Eiusdem generis hoc est de Orat. II, 217: *Itaque cum quosdam Graecos inscriptos libros esse vidissem de ridiculis*, *nonnullam in spem veneram*, *posse me aliquid ex istis discere.* Sensit Ernestius, male haec cohaerere cum superioribus, in quibus nulla significata est causa huiusmodi spei, sed potius desperandi. Recta erit conclusio, si *itaque* ad proxima rettuleris: *inveni autem ridicula et salsa multa Graecorum; — sed qui eius rei rationem quandam conati sunt artemque tradere*, *sic insulsi extiterunt* etc. Eadem ratio est in libro I de N. D. 85, ubi *itaque* pertinet ad illa: *in hac ita exposita sententia sunt*, *qui existiment* etc. [et in Verr. IV, 108]. Handius in Turs. III, p. 504 in hoc et aliis aliquot locis, qui nullo artificio egebant, *itaque* vult esse: *auf gleiche Weise*, quod numquam significat. Cognata est haec sententiae, quae subnecti debebat, cum primaria permutatio aut saltem aequalis connexio cum iis,

censet enim, eadem illa individua et solida corpora ferri deorsum suo pondere ad lineam; hunc naturalem esse omnium corporum motum. 19. Deinde ibidem homo acutus, cum illud occurreret, si omnia deorsum e regione ferrentur et, ut dixi, ad lineam, numquam fore, ut atomus altera alteram posset attingere, itaque attulit rem commenticiam: declinare

1. *et censet* R *ferri suo deorsum* LPMCBOr. 2. *habent* pro *hunc* E 4. *deorsus* [A] P 5. [*adlimam* A¹] *fore umquam* E *atomos* E [*athomos* A]

quae attigi supra ad § 15. *Ruinae* nomen h. l. eodem modo de errore poni videtur, quo apud Lucretium I, 740 *(Principiis tamen in rerum fecere ruinas)* et verbum coniunctum infra II, 18. De Epicuri physicis quae sequuntur, nota sunt et explicata ab iis, qui de veterum philosophia scripserunt.

deorsum suo pondere) Sic praeter Erl. „alii" apud Gzium; Bas. om. *deorsum*, et putat Gzius abesse posse, quod satis sit *ad lineam*, quasi non *sursum* quoque *ad lineam* iri possit. De motu atomorum ad lineam et declinatione, quae casu fiat, brevia et obscura nec satis emendata sunt Epicuri verba apud Diog. Laërt. X, 43 et 61 (ubi commemoratur *ἡ κάτω φορὰ διὰ τῶν ἰδίων βαρῶν*), luculentiora, quae Lucretius exponit II, 80 sqq. Cfr. Cic. N.D. I, 69, de Fat. 22. Tertius atomorum motus, quem Democritus solum probabat, qui plaga efficeretur, hic omittitur. Quod hic *ad lineam*, de Fato *rectis lineis* dicitur.

19. *Deinde ibidem)* Eodem modo dixit II Acad. 44; transitur a loci ad temporis notionem, ut sit: *paene eodem temporis momento.* Cfr. ad Att. II, 12, 2: *ibidem illico puer abs te cum epistulis.*

occurreret) Interpretantur *adversaretur, repugnaret*, ut simile sit ei, quod libro II, 108 scriptum est paulo insolentius: *quid occurrat, non videtis*; comparantque eos locos, in quibus de iis ponitur hoc verbum, qui aliquid argumentis refellant, ut Offic. II, 7, Acad. II, 44. Hic tamen obstat sententia infinita, quae subicitur, cogitque accipere pro eo, quod est: *in mentem veniret et cogitanti contrarium videretur.* Mox pro *deorsum* e Pal. 1 *deorsus* scribere, cum paucis ante verbis *deorsum* teneretur, nulla ratio erat. Mihi nondum certi quidquam, et quod bonorum codicum aliqua constantia confirmetur, effectum de hac duplici forma videtur, etsi de *quorsum* et *quorsus* Gernhardus conatus est regulam constituere (ad Cat. Mai. 42; *quorsus haec*, quod ille probat, est in optimis codd. Cat. 42, Off. III, 68, Legg. I, 62, sed *quorsum haec* Lael. 42, Phil. VII, 26).

itaque attulit) Insolens oratio et quae dubitatione non careat.

dixit atomum perpaulum, quo nihil posset fieri minus; ita

1. [*athomos* A] [*posset fieri posset* A, sed alterum *posset* ab ead. m. deletum]

Nam primum *itaque* nec solet poni in oratione, quae a proposito et periodi forma paulo liberius evagata est, revocanda, sed *igitur*. nec significatione et compositione, qua coniungendi vim habet, ad eum usum aptum est; exemplo utuntur uno Liviano ex II, 12, 3, ipso propter hanc insolentiam dubio; deinde nulla omnino hic est periodi talis inflexio, ut in viam revocanda fuerit; protasi satis brevi subicitur ordine apodosis, ne minima quidem sententia interposita. Itaque hic ne *igitur* quidem locum habiturum erat, nec simile ullum anacoluthon reperietur. Apud Ottonem quidem, qui excursum de anacoluthis Ciceronis ad hunc ipsum locum scripsit, sic inter cetera hoc intermiscetur, ut unum de multis esse videatur; negat enim ad certa genera posse referri, et omnia dissimillima uno ordine enumerat. Non iniuria igitur suspectum *itaque* fuit Manutio, Ursino, qui ad cod. illum suum confugit, Ernestio; etsi addendi quae potuerit causa esse, non apparet; et fortasse aliud latet mendum, ut exciderit verbum aliquod, cuius subiectum esset *homo acutus*.

declinare atomum perpaulum) De Fat. 22: *declinat atomus intervallo minimo; id appellat ἐλάχιστον; quam declinationem sine causa fieri, si minus verbis, re cogitur confiteri.* Add. § 46. (In priore loco paulo post, ubi scribitur: *Sequitur enim, ut, si alia ab alia numquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam*, Cicero scribere debuit: *ut alia ab alia numquam depellatur, si ne* etc. Nam ita concluditur, cum atomi rectis lineis deorsum ferantur, aliam aliam non attingere; itaque ne depellere quidem; itaque non pulsu, sed sine causa fieri declinationem. Et quae non contingit, non potest depellere; quae non depellit, potest tamen sane contingere. Si, ut editur, Cicero scripsit, incidit in conclusionem paene aeque inanem atque hoc opere II, 35. Pluribus rem persequitur Lucretius II, 216 sqq. *Παρέγκλισιν* appellant Ioannes Stob. Ecl. Phys. p. 346 Heer., Plut. de plac. philos. I, 12, p. 883 A.

quo nihil posset fieri minus) Exprimitur *τὸ ἐλάχιστον*. Lucretius v. 219: *paulum, Tantum, quod momen mutatum dicere possis*; v. 244: *nec plus quam minimum.* Non attendebat Bakius (ad Cleomedem p. 418), cum haec a Cicerone negante dici putavit; itaque scribi volebat *potest.* Quid editores nostri? Eadem sententia accipiunt et tamen coniunctivi imperfectum defendunt, Orellius, quod sit omnium sanorum philosophorum sententia (bonam causam coniunctivi!), Otto, imperfecto usum

effici complexiones et copulationes et adhaesiones atomorum inter se, ex quo efficeretur mundus omnesque partes mundi, quaeque in eo essent. Quae cum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem, quod vult. Nam et ipsa declinatio ad libidinem fingitur (ait enim declinare atomum sine causa, quo nihil turpius physico quam fieri quidquam sine causa

1. *adhaesitationes* [A] PMROr. 2 *efficitur* C 3. *tota res* E *puer sit* P om. *sit* E 4. *cum ne* E *quidem* om. [A] LPMCR *et* om. E 5. *fungitur* E 6. *sine causa quidquam* LPMCROr.

esse Ciceronem tradens, quia rem significaret, quae prorsus fieri nequiret. Itaque dicam: Nihil posset dici perversius; dicturus alioquin eram: Nihil potest.

et adhaesiones) Erlangensem sequens mutavi, quod erat *adhaesitationes*, orta forma ex *copulationes*; quamquam sic scribebatur in Pall. omnibus, Davisianis, Oxx. etiam; Gziani plerique paulum abibant (Gud. 1 et Bas. *adescitationes*, Gud. 2 *adhaesitiones*). Nec *adhaesitare* reperitur et ipsum *haesitare* apud Ciceronem semper significatu translato; nec aptum est frequentativum in generali notione. Idem Lambini et Bremii iudicium fuit.

ex quo efficeretur) Poterat scribi: *ex quo effici*, id est, *et ex eo*; continuativa enim oratio est; sed vitavit Cicero in eodem praesertim verbo similitudinem nimiam. Vid. ad § 30.

cum res tota ficta sit) De hoc coniunctivo, quo significatur, non prorsus eodem loco utrumque haberi, sed alterum aut generalius aut dignitate prius esse (nam in iis, in quibus etiam temporis discrimen est, non fere offenditur), cum Heindorfius ad I N. D. 1 dubitasset, infinitum est, quot contra dixerint, ut iam in scholasticis libris res tradatur. Sed hoc loco sane suspectus coniunctivus fit, quoniam et Erl. et cod. Vict. omittunt *sit*. Potuit excidere, ut saepe excidit, librariis non intellectum *est*. [Tenet tamen A.]

ne efficit quidem) Om. *quidem* omnes Dav., Oxχ; fuisse dicitur in omnibus Gzii. Pro *tum ne* Eξ, Bas. *tamen non*, quos miror non omittere *quidem*, ut in eadem scriptura facit ed. Crat. et fortasse aliae vett.

quo nihil turpius physico quam) Quod inerat in ipso relativo, explicatur adiecta per *quam* integra sententia, quo fit, ut alterum comparationis membrum dupliciter significetur. Dixit de hoc epexegesis genere, Graecis et Ciceroni valde usitato, nec magis in relativo quam in demonstrativo, Heindorfius ad I N. D. 38, citatis etiam superioribus, Marklando,

dicere) et illum motum naturalem omnium ponderum, ut ipse constituit, e regione inferiorem locum petentium, sine causa eripuit atomis; nec tamen id, cuius causa haec finxerat, assecutus est. 20. Nam si omnes atomi declinabunt, nullae umquam cohaerescent, sive aliae declinabunt, aliae suo nutu recte ferentur, primum erit hoc quasi provincias atomis dare, quae recte, quae oblique ferantur; deinde eadem illa atomorum (in quo etiam Democritus haeret) turbulenta concursio hunc

2. *a regione* E *regionem* (om. *e*) LP 3. *hoc* L *id* C 5. *suo motu* EL 6. *hic* L 7. *eadem* om. L 8. *etiam* om. L

Toupio, Wopkensio; vid. de Orat. I, 169, II, 38 et 302, Verr. IV, 77, ad Attic. IV, 8 B 2, Acad. I, 45. De Graecis satisfaciet exempla quaerenti Matthiaeus Gramm. Graec. § 450 not. 2 et quos ille citat. Hoc loco rem a plerisque superioribus editoribus non intellectam iam Bremius confecerat coniecturasque refutarat, advocato illo ex libro I de N. D. loco et comparatis aliis generibus pronominis adiecta sententia declarandi (velut: *quod* — *quanta vis insit*, II N. D. 24 etc.). Ne sic quidem Gzius, quid ageretur, intellexit.

20. *Si omnes* — *sive aliae)* Tuetur hanc dilemmatis formam codicum consensus; exemplum eiusdem generis nec apud Ciceronem nec apud quemquam alium prosae orationis scriptorem inventum est, immo ne apud poëtam quidem; nam aut dissolutis sententiis ponitur *si* — *sin (si)* aut coniunctis *sive* — *sive*. Plautus et Terentius paucis locis *si* — *sive* dixerunt, sed in una sententia (*si media nox est sive est prima vespera*, Plaut. Curcul. I, 1, 4; cfr. Bentl. ad Ter. Andr. I, 3, 11 [et Ritschl. in proll. ad Plaut. Trin. p. 85]). Quae praeterea comparantur a Gzio ad Acad. I, 7, alienissima sunt. In illo ipso loco Cicero incipit a forma dilemmatis connexi (*sive enim Zenonem sequare*); deinde autem, interpositis aliquot verbis, cum longior facta esset prior pars, tamquam de integro orditur (*si vero Academiam veterem persequamur*), ut, modo vera sit scriptura ac non Turnebi coniectura sequenda (neque enim satis causae videtur fuisse ab instituto cursu deflectendi in aperto orationis progressu), non alius generis sit hoc anacoluthon, quam cum pro altero *nec* in disiunctione negativa alia forma substituitur, de quo genere dicetur in exc. ad I, 23; eaque ratio certa est Tusc. I, 97. Mox *nutus*, ut tribus aliis Ciceronis locis, est *pondus et inclinatio.*

in quo etiam Democritus haeret) Non videtur dicere, ipsum Democritum difficultatem confessum esse, sed in ea deprehensum se non expedivisse. Neque enim quidquam ab eo ad eam

mundi ornatum efficere non poterit. Ne illud quidem physici, credere aliquid esse minimum, quod profecto numquam putavisset, si a Polyaeno, familiari suo, geometrica discere maluisset quam illum etiam ipsum dedocere. Sol Democrito magnus videtur, quippe homini erudito in geometriaque perfecto; huic pedalis fortasse; tantum enim esse censet,

1. *efficere ornatum* E *physici* om. C 3. *geometricam* [A] L *geometriam* MCROr. 4. *illud* E *illam* [ceteri praeter A] Or. *ipsam* L 5. *geometricaque* LPM *bipedalis* LPMCROr.

solvendam excogitatum videtur. Lucret. II, 167 sqq. affirmando pugnat.

credere aliquid esse minimum) Nam materiae partes *infinite secari et dividi posse*, *cum esset nihil omnino in rerum natura minimum*, *quod dividi nequiret* (Acad. I, 27), ceteri philosophi docebant, cum viderent, nullo iure in eadem materiae notione insisti aliquo loco, ultra quem procedi dividendo non posset. Epicuri doctrinam (*τὴν εἰς ἄπειρον τομὴν ἐπὶ τοὔλαττον ἀναιρετέον*, Epic. in epist. ad Herodot. apud Diog. Laërt. X, 56) Lucretius explicat I, 528 sq.

Polyaeno) Lampsaceno, qui cum magnus mathematicus fuisset, postea, Epicuro auctore, totam geometriam falsam esse putavit. (Acad. II, 106). Nominatur aliquotiens a Diogene inter Epicuri familiares.

geometrica) Quod est in Erl., coniectura reppererat I. F. Gronovius (Obss. II, 2) probaveratque Bremius, cum in quinque Pall. esset *geometricam*, ut in Vict. codice. Davisius de suis codicibus tacet, Oxx. item; Gzius suos vulgatam „mordicitus" tenere narrat, nescio qua fide in ceteris, de Erl. falso. Sic in Tusc. I, 57 est *geometrica discere*, multaque eiusdem generis alibi (*musica*, *dialectica* cett.). Quod sequitur mox substantivum, eodem modo de Orat. I, 187 est: *in musicis* — *in geometria.*

quam illum etiam ipsum) Sic cod. Vict., [A,] videbaturque latere in Erl. scriptura: Gronovius oblitus erat hoc simul corrigere. In vulgata scriptura pravus est ordo verborum, cum *etiam ipsum* praeponendum fuerit.

homini erudito in geometriaque perfecto) Solet Cicero etiam magnificentius de Democrito loqui, famam quandam sequens, simul ut Epicurum deprimat: Tusc. I, 22, Acad. II, 73. *Ἤσκητο καὶ τὰ μαθηματικά*, Diog. IX, 37; cfr. Plut. adv. Stoic. 39, p. 1079 E.

huic pedalis fortasse etc.) Ipse Epicurus in epist. ad Pythoclem (Diog. X, 91): *τὸ μέγεθος ἡλίου τε καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων κατὰ μὲν τὸ πρὸς ἡμᾶς τηλικοῦτόν ἐστιν ἡλίκον φαίνεται,*

quantus videtur, vel paulo aut maiorem aut minorem. 21. Ita, quae mutat, ea corrumpit, quae sequitur, sunt tota

2. *itaque* (pro *ita quae*) [A] EMCR *corrumpit mutat ea* (pro *mutat ea corr.*) E *ea quae* (pro *ea*) C [in A *ea* superscriptum est] *quod* (pro altero *quae*) L *sequitur quae* (*que*) *sunt tota* MC et, om. *sunt*, I.PR

κατὰ δὲ τὸ κατ' αὐτὸ ἤτοι μεῖζον τοῦ ὁρωμένου ἢ ἔλαττον μικρῷ ἢ τηλικοῦτον ἡλίκον ὁρᾶται, ut iam alios (velut Lucret. V, 564 sqq., Cleomed. περὶ μετεώρων II, 1) nihil opus sit testes citare. Sequebatur hoc ex doctrina de sensibus numquam fallentibus et imagines ab ipsis rebus emissas accipientibus. Frustra autem Schneiderum (ad Epicuri Physica p. 105) Epicurum inscitiae crimine liberare conari, quod τὸ πρὸς ἡμᾶς μέγεθος et τὸ κατ' αὐτὸ distinxerit, satis patet et notavit Bakius ad Cleomed. l. c., quoniam de ipso τῷ κατ' αὐτὸ μεγέθει haec dicuntur. Nimirum in omni hac parte Epicuri physicorum hic est error, quod, quae dici possunt de φαντασίᾳ, transfert ad res externas, de quibus sensus iudicant. De eadem re Cic. Acad. II, 82: *Quantulus nobis (sol) videtur! Mihi quidem quasi pedalis. Epicurus autem posse putat etiam minorem esse eum, quam videatur, sed non multo; ne maiorem quidem multo putat esse, vel tantum esse, quantus videatur, ut oculi aut non multum mentiantur aut nihil.* Pedalem solem, oculorum mensura utens, dixerat iam Heraclitus (Plut. de plac. philos. II, 21, p. 890 E), quem Epicurus secutus videtur; cfr. Senec. Quaest. Nat. I, 3, 10 (*solem sapientes viri pedalem esse contenderunt*) et Arnob. adv. gent. II, 61. (Apud Achillem Tatium III, p. 82 Petav. Bakius ad Cleomed. II, 1 p. 389 recte pro ποδιαῖον scribi vult διπλάσιον.) Non potui igitur facere, quin Erl. [et A] et Vict. cod. sequerer contra alteram scripturam, in qua editores nihil aliunde discrepantiae annotarant. Erroris origo obscura est.

21. *Ita, quae mutat — quae sequitur)* Editam scripturam prorsus confirmat Vict. cod., illa: *quae mutat. ea corrumpit*, etiam margo Crat. Similiter atque in meis aberratum in aliis fuisse, certus sum; annotatur tantum ex ξχ *sequitur quae* pro *sequitur*. El. 2 habebat *sequuntur*, ut quosdam legi velle, Lambinus annotarat; probabat Davisius, *quae sequuntur* barbare accipiens de iis, quae Cicero subiecturus esset. Cicero, ut utrumque membrum simile esset, cum abundantia quadam dixit, quae sequeretur Epicurus, id est, quae a Democrito sumeret nec mutaret, ea esse tota Democriti. Non multo aliter dixit V, 22: *cum a Peripateticis et Academicis omnia transtulissent, nominibus aliis easdem res secuti sunt.* Easdem esse res, significatum satis erat, cum omnia illinc translata dixisset.

Democriti. Atomi, inane, imagines, quae εἴδωλα nominant, quorum incursione non solum videamus, sed etiam cogitemus, infinitio ipsa, quam ἀπειρίαν vocant, tota ab illo est; tum innumerabiles mundi, qui et oriantur et intereant cotidie. Quae etsi mihi nullo modo probantur, tamen Democritum, laudatum a ceteris, ab hoc, qui eum unum secutus esset, nollem vituperatum.

VII. 22. Iam in altera philosophiae parte, quae est quaerendi ac disserendi, quae λογική dicitur, iste vester plane, ut mihi quidem videtur, inermis ac nudus est. Tollit definitiones; nihil de dividendo ac partiendo docet; non, quomodo efficiatur concludaturque ratio, tradit; non, qua via captiosa solvantur, ambigua distingvantur, ostendit;

1. *inanes* LPMC *idola* [A], *ydola* codd. 2. *quarum* Non. p 129 Merc., qui haec citat: *quarum — vocant.* *incursionem* LPMCR Non. 3. *invitricio ipsa* E *apirian* (*m*) codd. *vocantur* E 4. *quae et* E *cum et* L 5. *in illo modo* E 6. *eum* om. E *est* (P) 7. [*vituperare* A'] *vituperatur* R 8. *alt. in* E 9. *disserendi ac quaerendi* L [*logice* A] *noster* C 10. *quidem* om E *ac mundus* E 11 *de* om. L *aut* L

Atomi, inane, imagines etc.) Longum est et non necessarium de his dicere, quae a Cicerone nominantur tantum et in libris pervagatis traduntur. Pro *quorum* Davisius et Ernestius *quarum* malebant, ut non ad Graecum vocabulum perspicuitatis causa additum, sed ad Latinum referretur. Non necessaria mutatio est.

qui eum unum secutus esset) Pro *esset*, quod Latinorum more ad primariae sententiae formam accommodatur, Manutius et Lambinus dederant *est*, quod ab uno El. 1 confirmatum Dav. tenuit. Ceteri Dav., Oxx. χψ, Gzii omnes *esset*. Epicurum in Democritum ingratum fuisse, Cicero dicit etiam N. D. I, 93; cfr. Plut. Non posse svaviter etc. 18, p. 1100 A, Diog. Laërt. X, 8; quamquam alii Democritum ab eo in honore habitum narrabant; Plut. adv. Colot. 3, p. 1108 E.

Cap. VII, 22. *Iam in altera philosophiae parte*) E tribus illis, quae in scholis numerabantur. Epicurus logicam ὡς παρέλκουσαν ἀπεδοκίμαζε (Diog. X, 31) et pro ea relinquebat τὸ κανονικόν, partem de iudicio (περὶ κριτηρίου), qua constitueretur regula (κανών) veri et falsi, proxime physicis adiunctam, ita ut dubitaretur, bipertitam an tripertitam disciplinam fecisset. Vid. Diog. Laërt. X, 31, Sext. Emp. adv. Mathem. VII, 14, Senec. Ep. 89, 11; cfr. h. libr. 63, Acad. II, 97.

iudicia rerum in sensibus ponit, quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne iudicium veri et falsi putat.**** 23. Confirmat autem illud vel

3. Lacunae nota nulla in codd. *illud et maxime* E

iudicia rerum in sensibus ponit) Iudicia rerum hic singulatim dicit, universe *iudicium veri* Acad. II, 29. Diog. X, 31: Ἐν τῷ κανόνι λέγει ὁ Ἐπίκουρος κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις καὶ προλήψεις καὶ πάθη. Sed ipsa πρόληψις a sensu quodam saepe repetito ducebatur, nec πάθος a sensu distingvebatur. Itaque omnes sensus semper veros esse docebat (infra 64), errores ex opinione adiecta oriri (vid. Diog. X, 31 sqq., Epicur. apud eundem Diog. X, 146, κυρ. δοξ. 23 sqq., Cic. Acad. II, 79, N. D. I, 70, Lucret. IV, 379 sqq.), in eo saepissime labens, quod affectum et rem afficientem confundebat, talia omnia esse, qualia viderentur, affirmans. Mox Davisius male e Parisiensibus: *et veri et falsi*, quasi horum separatum iudicium sit ac non hoc ipsum iudicetur, utrum verum an falsum aliquid sit.

23. *Confirmat autem illud* etc.) Patet, excidisse in nostris codicibus [fortasse etiam] finem reprehensionis alterius partis, [sed certe] initium eorum, quae ad tertiam partem, ethicam, pertinent. Explere lacunam Marsus conatus est, cuius supplementum alii quidam tenuerunt: *In tertia vero parte*, *quae est de vita et moribus*, *in constitutione finis nil generosum sapit atque magnificum*. *Confirmat illud* etc. (deleto *autem*, quod cum Gruterus, qui supplementum expulit, non revocasset, restitutum est a Davisio e quinque codd.; habebant sine dubio omnes; tenent Oxx. et Gziani). Sed ea, quae post lacunam prima sequuntur, vulgo pro integris sic eduntur, ut sunt apud Orellium, non solum contra codices, e quibus *sciscat* scriptum erat etiam in Vict., Pall. omnibus, Oxx. EUχ (Dav. et Gzius tacent), *probet* habet etiam Pal. 1, id est, optimi, sed etiam contra sententiam; neque enim recte Epicurus *confirmare voluptatem et dolorem* dicitur. Itaque Davisius et Bremius scribi volebant: *id esse*, quibus perverse obloquitur Gzius. Sed evertunt istam coniecturam voces *ut ait*, quae hoc modo inepte interponantur sententiae incipienti a *confirmat*. Postremo *reprobare* nec Cicero alibi nec eius aequales habent; apud Quintilianum demum positum est (VI prooem. 3), apud quem ipsum codex praestantissimus, Ambros. 1, habet *repugnantibus*, deinde apud iurisconsultos tertii saeculi; nec, si diceretur Ciceroniane, aptum esset dolori, qui non improbatur, sed fugitur. Itaque haec quoque verba, cum praecedentia exciderent, per-

maxime, quod ipsa natura, ut ait ille, sciscat et probet, id est, voluptatem et dolorem. Ad haec, et quae sequamur et quae fugiamus, refert omnia. Quod quamquam Aristippi est a Cyrenaicisque melius liberiusque defenditur, tamen eiusmodi esse iudico, ut nihil homine videatur indignius. Ad maiora enim quaedam nos natura genuit et conformavit, ut mihi quidem videtur. Ac fieri potest, ut errem; sed ita prorsus existimo, neque eum Torquatum, qui hoc primus cognomen invenit, aut torquem illum hosti detraxisse,

1. *asciscat* LCOr. *reprobet* LMCOr. *idem voluptatem* E [*idē* A] 2. *et* ante *dolorem* om. E 3. *quamquam omnia Arist.* L 6. *confirmavit* R 8. *ne enim* (pro *neque eum*) E *prius* L 9. *cognicionem* (pro *cognomen*) E *invenerit* [A] LPMCROr

turbata sunt. Videtur Cicero dixisse, Epicurum sententiam suam eo confirmare, quod idem natura sciscerет ac probaret, traducto similitudine *sciscendi* verbo. Cetera non expedio. [Frustra Graser in programmate gymnasii Gubenensis a. 1847 p. 1 sqq. ostendere conatus est, nihil excidisse, etsi Baitero satisfecit. Nam nec post illa in § 17: *Principio in physicis* et in § 22: *Iam in altera* cet. sic occulte transiri ad tertiam partem poterat longeque diversa est ratio brevissimae illius in § 26 percursionis, et ipse ordo verborum (*confirmat autem illud*) ostendit non ad novam rem hic transiri (dixisset saltem: *Summum autem bonum confirmat*), sed pergi in eiusdem rei expositione, et pravissime dicitur Epicurus *confirmare* id, quod natura sciscat, pro eo, quod est *probare et tenere*, nisi quod pravius est: *quod natura probet, id est, voluptatem et dolorem.*]

melius liberiusque) quod illi aperte unam et veram voluptatem, in iucundo motu positam, defendebant, Epicurus inconstanter alteram non dolendi admiscebat. Vid. II, 19 et 35 sqq. Victorius e suo cod. *uberius*, quod natum est littera *l* non satis porrecta.

neque eum Torquatum) Cum duorum Torquatorum exempla commemoraturus esset, exorsus est a forma diiunctionis negativae (*neque — neque*), sed priore parte longius tracta, alteram aliter subiecit: *Quid? T. Torquatus* etc. Haec bimembris orationis interruptio quoniam late patet pluresque complectitur species, de ea re exponendum putavi in excursu ad h. l. Ipsam T. Manlii Torquati pugnam cum Gallo ad Anienem et torquem caeso hosti detractum fama celebravit; vid. Liv. VII, 10, Quadrig. apud Gell. IX, 13, Flor. I, 13 etc.

cognomen invenit) Personam ex pluribus unam definit ad-

ut aliquam ex eo perciperet corpore voluptatem, aut cum Latinis tertio consulatu conflixisse apud Veserim propter voluptatem. Quod vero securi percussit filium, privavisse

1. *corporis vol.* M *vol. corpore* Or. 2. *conflixisse Vesuvium* C 3. *percusserit* omnes, Or. *privasse* E

dita rei gestae nota extra reliquae orationis obliquae nexum. Itaque requirebatur indicativus non minus hic quam in Tusc. IV, 49: *Ego ne Torquatum quidem illum, qui hoc cognomen invenit, iratum existimo Gallo torquem detraxisse.* Atque hic concursus memorabilis illius loci et optimi codicis [adversante tamen A] id etiam efficere debet, ut in similibus locis aliquid rationi tribuatur, quod Wesenbergius iure fecit in programmate de orat. Caeliana p. 15, de Brut. 57 et 79 Schuetzio assentiens; in orat. de imp. Pomp. 5, ubi ipsa personae significatio continetur sententia relativa, amico non assentior. Cavendum autem, ne quis eos etiam locos attingat, in quibus latet aliqua aut causae aut contrarii significatio, velut pro Flacc. 33 (ubi: *qui L. Flacco successerit*, est: *qui tamen eodem loco fuerit*) et ad Att. XII, 21, 1 (*Caesaris, qui tum praetorio loco dixerit*).

corpore voluptatem) *voluptatem corpore* Gzius e tribus suis; quartus habebat *voluptatem corporis.* Vitiose dissolvitur verborum compages ablativo in ultimum locum reiecto, et quod accusatur eadem vox bis in fine sententiae posita, prorsus in eiusdem notionis repetitione sic poni debet. Dav. e Par. 1 et 3 annotat: *corpore perciperet voluptatem.* Scilicet scribae coniunxerunt *ex eo corpore.* Delendi vocabuli nulla est ratio, cum hoc ipsum Cicero premat, corporis esse illam voluptatem. Cfr. N. D. I, 111.

tertio consulatu conflixisse apud Veserim) a. 340 a. C. n. cum collega P. Decio, qui in eo proelio se devovit, „haud procul radicibus Vesuvii montis, qua via ad Veserim ferebat". (Liv. VIII, 8, 19). Veserim fluvium (sic appellat Victor de vir. illust. 26 et 28) in hac narratione omnes nominant, quos enumerat Beier ad Cic. Off. III, 112, alibi nemo. *Vesuvium,* notius nomen, subiciebant duo Gzii codd. et veteres quaedam edd. Itaque in marg. Crat. et e cod. Vict. verum annotatur.

securi percussit) eodem bello ante pugnam; Liv. VIII, 7, Gell. IX, 13, cett. Ausus sum hic sine codicibus [cod. Glogaviensis apud Baiterum nulla auctoritas est] indicativum restituere, ut paulo ante cum optimo codice. Res ex historia sumpta, de qua iudicatur, ipsa plane seiuncta est ab illo *videtur*; ac ne sic quidem defendi coniunctivum verborum

se etiam videtur multis voluptatibus, cum ipsi naturae patrioque amori praetulerit ius maiestatis atque imperii. 24. Quid? T. Torquatus is, qui consul cum Cn. Octavio fuit, cum illam severitatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat, ut eum, Macedonum

1. *et* (pro *etiam*) E *patrio quoque* PMCR *primoque* L 3. *L. Torquatus* omnes [*cum G. N. Oct.* A] *cum C. Oct.* L 5. [*Sillano* A] *manciparat* C

ordo sinit, ut ultra veros fines progressa infinitae orationis vis putetur. [Scrupulum tamen hoc inicit.] Simile dicas II de Divin. 67: *quod ipse et equus eius repente conciderit, non sane mirabile hoc quidem.* Sed ipsae voces *hoc quidem* admonent, ut melius verba interpungamus et *quod* alio referamus: *Atque etiam a te Flaminiana ostenta collecta sunt: „Quod ipse et equus eius repente conciderit.“* (Haec ex adverso dicuntur et hoc primum est membrum, cui Marcus occurrit.) *Non sane mirabile hoc quidem. „Quod evelli primi hastati signum non potuerit.“ Timide fortasse signifer evellebat* cett. Itaque ibi *quod* ponitur in iis, quae universe cum significatione dicendi aut sentiendi comprehensa sunt, particulatim adiungendis, ut saepe, [de quo genere dixi Opusc. II, p. 236]. Similiter Philipp. V, 17 (*An illa non gravissimis ignominiis monumentisque huius ordinis ad posteritatis memoriam sunt notanda, quod unus M. Antonius in hac urbe palam secum habuerit armatos* etc.) sic *quod* annectitur pronomini *illa*, ut ad ipsam sententiam pertineat vis verbi praecedentis, quasi sit: *an non notandum, Antonium habuisse* etc. (Cfr. Caes. B. C. I, 23: *pauca apud eos loquitur, quod* etc.) [Proprio loco habendum esse, quod Cicero bis, in Pison. 66 et in Verr. V, 175, eodem modo, quo comici aliquotiens, *quod* cum coniunctivo posuit ita, ut esset: *si forte*, *etiamsi*, dixi Emendatt. Liv. p. 415 not. Nam olim hic in Pisonianae loco *videtur* scribendum iudicaveram. Singulare est etiam et indidem, opinor, ortum, quod Ovidius aliquot locis *quod* cum coniunctivo ponit fere pro *quamquam* in concedendo: Heroid. IV, 157, Metam. VII, 705, Trist. IV, 9, 17, ex Ponto IV, 10, 25; nam Heroid. XVII, 251 et XVIII, 41, ut par est, non numero.]

24. *T. Torquatus*) Verum praenomen plurium coniectura restitutum; nam codd. etiam aliorum *L.* Constat non solum e Liv. epit. 54 et Val. Max. V, 8, 3, ubi eadem res narratur plenius, et didascalia Hecyrae Terentianae, sed e fragmentis Capitolinis. [Baiterus praenomen omisit.] Consul fuit a. 165.

D. Silano emancipaverat) Itaque apud Livium et Val. Max. ipse D. Silanus appellatur. Proprie autem Cicero dixit;

legatis accusantibus, quod pecunias praetorem in provincia cepisse arguerent, causam apud se dicere iuberet, reque

1. *pecuniam* L

nam adoptio fiebat mancipatione, patre filium ter emancipante, de quo more vid. Sveton. Aug. 64, Gell. V, 19, Gai. Inst. I, 134, l. ult. Cod. de adopt. (VIII, 48) et qui ex his fontibus rem exposuerunt, ut Heineccius in Syntagm. Antiqu. I, 11, 15. Mox, ubi est *pecunias cepisse*, addi poterat *contra leges*; sed alibi quoque, illo omisso, in hanc partem dicitur, ut Verr. III, 218, de Legg. III, 46, Liv. XLIII, 2, 3.

causam apud se dicere iuberet) In epitoma Liv. narratur, cum senatus cognoscere vellet, Torquatum petisse et impetrasse, ut sibi cognitio mandaretur, similiterque apud Valerium, qui solum per totum biduum utrique parti vacasse addit. Haerent Sigonius et Dukerus, quod legati senatum adeunt senatusque cogniturus fuisse dicitur, cum iam aliquot annis ante (a. 149 a. Chr.) lege Calpurnia quaestio de pecuniis repetundis constituta esset; nam Silanum ex Liviana epitoma intellegitur Macedoniam rexisse post Q. Pompeii consulatum (a. 141). Equidem ne antea quidem senatum neque de repetundis neque de ullo alio crimine cognovisse et iudicasse arbitror, neque sine lege aliis mandasse, ut quaererent; sed longum est hoc contra Dirksenium (Civilistische Abhandlungen I, 2) persequi. Deinde privato homini et uni cognitionem mandari a senatu mirantur; nam patriae potestatis nec huiusmodi cognitio erat, nec eam Torquatus habebat filio in adoptionem dato. Scilicet iudicii forma et apparatus a narrantibus et rem exornantibus accessit. Legati provinciae, qui accusatores Romanis legibus esse non poterant, ad senatum adierunt iniurias suas querentes et remedia petentes. Quae de ea re senatus decresset, si res relata esset, et existimationem Silani laedere potuissent et praeiudicio esse, si quis postea vere in foro accusaret. Torquatus petiit, ut ea res ne ante ageretur, quam ipse causam cognosset. Sed tota haec privata cognitio erat, cuius nec absolutio veram accusationem impeditura erat neque damnatio poenam ullam legitimam afferebat. Cicero tamen iudiciali verbo utitur: *videri* pronuntiasse dicens (II Acad. 146, in Verr. V, 14). Pro *videri* codices deteriores miro errore alii (Lambini et Gulielmi quidam) *fideri* (Germanica illa pronuntiatione, quae in comment. in Verr. I, 141 *fabrum* ex *vafro* fecit), alii illinc progressi *fidei* habent (eorundem aliquot, Gud. 1, Bas.). Vict. cod. *furti* habuit.

ex utraque parte audita, pronuntiaret, eum non talem videri fuisse in imperio, quales eius maiores fuissent, et in conspectum suum venire vetuit, numquid tibi videtur de voluptatibus suis cogitavisse? Sed ut omittam pericula, labores, dolorem etiam, quem optimus quisque pro patria et pro suis suscipit, ut non modo nullam captet, sed etiam praetereat omnes voluptates, dolores denique quosvis susci-

1. *pronuntiasset* C *talem fidei fuisse* PR 3. *videtur tibi* LPMCROr. 5. *dolores* E 6. *suscepit* E 7. *denique pro suis suscipere* L

et in conspectum suum venire vetuit) Melius sane, quoniam in hoc ipso inest severitas, Cicero scripsisset *vetaret*, ut coniungeretur cum *iuberet* et *pronuntiaret*; duriorque etiam hic neglegentia ea est, quod non in exitu periodi postremum membrum dissolvitur, sed in media periodo. Nec tamen dubitari potest, quin sic Cicero scripserit; vid. excurs. I extr. (Handius Turs. II, p. 486 simplicem ait esse verborum rationem; sic enim pergere, quasi ante dixerit: *severitate adhibita pronuntiavit et vetuit.* At qui ex hoc: *pronuntiavit et vetuit.* fit: *pronuntiaret et vetuit?* Mirifice interdum philologi conivendi artem tenent.) Valerius Max. et epitome Liviana addunt, Silanum vitam suspendio finisse nec patrem ei exequias isse. [Mox *tibi videtur* pro *vid. t.* ex AE restitutum.]

dolores denique — officii partem) Adeo haec, si sola spectantur, apte et Ciceroniane dicta sunt, adeo nullam additamenti aut notam aut causam habent, ut deleri mutarive nullo modo possint, cum praesertim apertum sit, quid Ciceroni acciderit, ut sic scriberet. Nam cum de praetermittendis voluptatibus dixisset, augendo progressus est ad dolorum officii causa susceptionem commemorandam. Et tamen ita haec scripta sunt, ut, qui tamquam recte scripta defendere velit, nihil agat; voluerunt autem Gzius et Otto; volet omnes natio superstitiosorum Ciceronianorum. Inceperat enim a rerum iniucundarum et molestarum commemoratione, quae nulla expectata voluptatis mercede susciperentur; addere poterat: cum omissione etiam voluptatis; illud vitiosum est: ut etiam molesta suscipiantur. Davisius haec omnia delebat; Bremius modestius supra tollebat voces *dolorem etiam*, ut pro *quem* scriberetur *quae*, quo remedio non multum efficitur. Nam vel sic haec dicuntur: ut omittam molesta, quae optimus quisque suscipit sine spe mercedis, (hic subsistendum erat; sed additur:) „ita ut etiam dolores suscipiat“. Non tulerunt

pere malit quam deserere ullam officii partem, ad ea, quae hoc non minus declarant, sed videntur leviora, veniamus. 25. Quid tibi, Torquate, quid huic Triario litterae, quid historiae cognitioque rerum, quid poëtarum evolutio, quid tanta tot versuum memoria voluptatis affert? Nec mihi illud dixeris: Haec enim ipsa mihi sunt voluptati, et erant illa Torquatis. Numquam hoc ita defendit Epicurus neque

2. [*veniamus* corr. ex *videamus* A] 7. *Torquati* [A] EPM

in Cicerone naevum; at quam multos et in hoc opere et in omni hoc genere eius scriptorum non viderunt! Cfr. ad II, 35 et quae de toto genere in praefatione nostra II, § 4 exposita sunt.

omittam — veniamus) Numeri mutatio in eadem periodo non ita infrequens, etsi ad nostras aures offensionem habet. Vid. § 1. Vereor, ut recte olim mutaverim, quod scribitur pro Ligario 20: *Sed ut omittam communem causam, veniamus ad nostram. Utrum tandem existimas* etc., quamquam ibi et in brevissima oratione et membrorum aequalitate durior est mutatio.

25. *quid historiae cognitioque rerum*) Mire Bremius dubitat, quo casu *historiae* positum sit, et eo delabitur, ut genetivum esse velit, ut si dicatur: *historiae cognitio cognitioque rerum*, quod ferri nullo modo potest. Ecce autem Goerenzius *cognitionem rerum* philosophiam esse statuit; eam una notione cum historia coniungi non posse; itaque delevit *historiae* et *que*; nam *que* „glossis iungendis inservire“; o barbariem! et quam mira narrantur de librariis! Cicero Torquato Epicureo non illam cognitionem rerum tribuit, quam philosophia promittit (et belle huic superaddidisset poëtarum evolutionem, versuum memoriam!), sed encyclopaedicam illam, quae in liberaliter instituto homine esse solet, eamque in litteris partiendis cum historia coniungit, quod ex prosae orationis scriptis hauritur rerumque magna pars ex historia sumitur. (Plin. Epist. I, 22: *Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet*!) *Historias* dixit de singulis historiae partibus, ut V, 64. Aliter historiae a Quintiliano I, 8, 18 et poëtis dicuntur.

Haec enim ipsa) Non tam ellipsis est in hoc particulae usu, quod negat Handius II, p. 394, quam coniuncta affirmationis et causae explicationisque additae significatio; sed tamen haec in particula ipsa inest, illa ex hac oritur. Exemplis add. Brut. 152.

Metrodorus aut quisquam eorum, qui aut saperet aliquid

1. *vero tu aut* (pro *Metrodorus aut*) [A] ELMOr. *vero troii aut* PR *vero tu Triari aut* C

neque Metrodorus [in priore editione *neque vero tu*] *aut quisquam*) Quod in ed. I est: *neque vero tu, Triari, aut quisquam,* tenuerunt Vict., Grut., Ernestius. Vocativum neque Palatinus ullus habet neque, ut videtur, Oxon.; Davisius in eo omittendo uno auctore utitur codice Ball., Gzius Erl. et Spir. Nec Triarium Cicero hic alloquitur, neque Stoicus (II, 119) inter Epicureos, a quibus desciscere Torquato non liceret, referri potuit. Perverse tamen scripsit Cicero, si ita, ut edebatur, scripsit. Nam cum Torquatum admoneat, non licere ei, si verus Epicureus esse velit, illo modo sententiam defendere, quid ad rem pertinet, quid ipse Torquatus ante dixerit? Scholae constantia commemoranda sola erat. Et qui poterat Cicero illud scire, quocum Torquatus numquam ante de hac re locutus esset (§ 14)? (Nam quod Gzius ad *tu* audiri vult *defenderes*, primum non potest ullo modo sic mutari intellegendo verbi modus in novo subiecto per *neque* adiuncto, cum praesertim in *quisquam* redeatur ad *defendit*; deinde nimis lepide Cicero Torquatum admonet, ne id dicat, quod dicturus non sit: *ne feceris; nam non faceres.*) Haec incommoda sensit P. Manutius intellexitque inter Epicuri nomen et illa: *aut quisquam* apte nihil aliud interponi posse nisi praestantis alicuius veteris Epicurei nomen. Ergo venit ei in mentem: *neque Metrodorus aut quisquam*, scite hercle; neque enim alius aptior huic loco quam Epicuri collega sapientiae (vid. ad II, 7). Sed ipse a libris longius hoc discedere confitetur, a melioribus praesertim; nam illo spectare videri possint illa in deterioribus: *neque vero troii* (etiam in veteribus libris Lbini, Pal. 4, Oxx. Uχ; Gzius partim hoc, partim *neque vero torii* in suis praeter Erl. et Sp. esse dicit; cod. Vict. *neque vero modo aut qu.*). Sed nec haec proxime accedunt et periculosissime ex his codd. coniecturae ducuntur, praesertim ne conspirantibus quidem; nam in LM, Oxx. saltem Eξ nihil tale. *Neque vero* rarius ponitur in novo substantivo eidem verbo adiungendo, nisi in diiunctione negativa (*neque — neque vero*, de qua forma vid. Opusc. mea Acad. I, p. 406); alibi fere augetur res negando (*und zwar nicht*), ut in Tusc. III, 24, hic IV, 11, aut nova sententia sic annectitur. Sed tamen eodem modo ponitur I N. D. 18 (*non opificem aedificatoremque mundi Platonis de Timaeo deum nec anum fatidicam, Stoicorum πρόνοιαν — neque vero mundum ipsum animo et sensibus prae-*

aut ista didicisset. Et quod quaeritur saepe, cur tam multi sint Epicurei, sunt aliae quoque causae, sed multitudinem haec maxime allicit, quod ita putant dici ab illo, recta et honesta quae sint, ea facere ipsa per se laetitiam, id est, voluptatem. Homines optimi non intellegunt, totam rationem everti, si ita res se habeat. Nam si concederetur,

2. *sunt* LPMCR *Epicuri* ECR 3. *hoc* MROr *putat* PMCR 4. *licenciam* E 6. *se res* LPMCOr.

ditum). [Nunc cum Baitero *Metrodorus* posui. Prorsus enim apertum est, inter *Epicurus* et *aut quisquam*, *qui aut saperet* antiquum Epicureum nominatum esse.]

cur tam multi sint) Leviculum errorem (*sunt*) Lambinus tacite correxit, deinde Davisius. Rectum habuit etiam Spir. Deinde *haec maxime* (causa) recepi ob auctoritatem Erl., [A,] Spir., Gud. 2. Est etiam in Ox. χ. De ipsa re cfr. Tusc. IV, 7, ubi Cicero recte addit facilem doctrinae minime abstrusae cognitionem. Conveniebat Epicuri disciplina animis a religione aversis et in perdita re publica et moribus otium sectantibus, non veritatem.

ita putant dici) Sic (pro *putat*) Dav. in El. 2 legi annotat, Gzius in Gud. 1 et Bas. (Erl. oblitus est et fortasse etiam Spirensem); est ita in Crat. margine [et A]; Vict. cod. *putavit*. Recepit *putant* Orellius, citans Tusc. IV, 6. Recte de Ciceronis usu praecepit Zumptius § 366. In illo autem Tusculanarum loco quod Klotzius *invitabatur* sic tuetur, ut sit: *es wurde eingeladen*, *es fand eine Einladung statt*, nihil prorsus proficit; nullius enim verbi Latini passiva forma impersonaliter ponitur, nisi quod aut intransitivum est aut pro intransitivo poni potest (ut *amo*, *bibo*). [In eo, quod I de Orat. 186 scribitur: *posteaquam est editum* (nullo subiecto), iure Schuetzius haesit, nec dubitandum videtur, quin aliquid subsit mendi.]

si ita res se habeat) Hoc ordine etiam [A,] cod. Vict., Spir., Gud. 1 apud Gzium. Sequor codicum praestantiam, regulam certam non novi. Hoc ordine II de Orat. 271, N. D. II, 23 et III, 89 (ex optimis codd.), Acad. II, 54, Legg. I, 36 (sed postposito *sic*), altero fortasse etiam saepius, ut II de Orat. 23, Cat. 65, Tusc. V, 63, ad Att. II, 22, 1, Legg. I, 58. Aliter implicatur ordo adverbiorum transpositione, de qua quae dixit Handius Turs. III, p. 498, parum firma reperientur, si ad ipsos locos exacta fuerint.

etiamsi ad corpus nihil referatur, ista sua sponte et per se esse iucunda, per se esset et virtus et cognitio rerum, quod minime ille vult, expetenda. 26. Haec igitur Epicuri non probo, inquam. De cetero vellem equidem aut ipse

2. [*esset iocunda* A]

etiamsi ad corpus nihil referatur) De re vid. ad § 55. Mirari aliquis possit, Ciceronem in hac inclusa sententia et pendenti praesens tempus retinuisse nec ad condicionalem formam primariae eam accommodasse, in ea praesertim re, quae non extra condicionem et ab ea seiuncta intellegeretur, cum alibi propter notum Latinorum studium sententias annexas ad primarias verbi tempore accommodandi ad condicionalem formam etiam ea revocet, quae noster sensus diiungat tamquam ad rem veram et praesentem pertinentia: Off. II, 51: *quod scribere, praesertim cum de philosophia scriberem, non auderem, nisi* etc.; ad Fam. XIII, 66, 1: *A. Caecinam non commendarem tibi, cum scirem, qua fide in tuos soleres esse, nisi* etc.; Acad. II, 65: *Itaque, nisi ineptum putarem in tali disputatione id facere, — iurarem me ea sentire, quae dicerem* (id est, *nunc dico*); Philipp. V, 51: *audebo etiam obligare fidem meam, quod profecto, cum me nulla vis cogeret, facere non auderem* etc. [Add. Verr. III, 127, pro Balb. 60.] Ideo hic II, 22 dicitur: *cum praesertim esset, ut tu ais*, etc., non *sit*, et I, 27 *quae diceret*, non *quae dicit*. [Plusquamperfecti exempla sunt pro Sull. 14: *investigasset — aperuisset — vindicasset*, in Pis. 81, pro Rab. Post. 33, pro Mil. 82.] Livius quoque VIII, 5, 3: *Tempus erat tandem iam vos nobiscum nihil pro imperio agere, cum florentissimum nunc Latium videretis* etc. Similiter atque hic Tusc. I, 60: *illud, si ulla alia de re obscura affirmare possem, sive anima sive ignis sit animus, eum iurarem esse divinum.* Videtur Cicero ipsam rem controversam universius eloqui velle. [Ed. Tur. *est*, errore, ut videtur.]

26. *vellem — doctrinis fuisset instructior*) De Epicuri et ipsius *ἀπαιδευσίᾳ* et ad eam cohortatione multa veteres, fortasse non sine exaggeratione aliqua. Praeter cetera memorabilis ipsius Epicuri vox ex epistula ad Pythoclem annotata (Diog. Laërt. X, 6): *Παιδείαν πᾶσαν, μακάριε, φεῦγε*, ubi Menagius plura congessit. Athen. XIII, p. 588 A: *Καὶ πρῶτόν γε μνησθήσομαι τοῦ φιλαληθεστάτου Ἐπικούρου, ὅστις ἐγκυκλίου παιδείας ἀμύητος ὢν ἐμακάριζε καὶ τοὺς ὁμοίως αὐτῷ ἐπὶ τὴν φιλοσοφίαν παρερχομένους, τοιαύτας φωνὰς προϊέμενος· Μακαρίζω σε, ὦ οὗτος, ὅτι καθαρὸς πάσης παιδείας* (sic recte Schweighaeuser pro *αἰτίας*) *ἐπὶ φιλοσοφίαν ὥρμησαι.* Sext. Empir. adv. Mathem. I init., Plut. Non posse svaviter

doctrinis fuisset instructior (est enim, quod tibi ita videri necesse est, non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur), aut ne deterruisset alios a studiis. Quamquam te quidem video minime esse deterritum.

VIII. Quae cum dixissem, magis ut illum provocarem, quam ut ipse loquerer, tum Triarius leniter arridens: Tu quidem, inquit, totum Epicurum paene e philosophorum choro sustulisti. Quid ei reliquisti nisi te, quoquo modo loqueretur, intellegere, quid diceret? Aliena dixit in physicis, nec ea ipsa, quae tibi probarentur. Si qua in iis

1. *ita tibi* LPMCOr. *ita* om. R 3. *non* E 6. *tu Triarius* E [*leviter* AEh.] *tum quidem totum inquit* E 8. *quoque ut id modo* LPMCR [*quoque modo* A¹] 9. *dicit* LPMCR 10. [*ipsa ea* A] *si quae* Or. *sed si qua* LPMCR *his* [A] EPCROr.

etc. c. 12 et 13 (ubi p. 1095 E sic distingvenda oratio: *ἆρ' οὐκ ἂν εἶπε· Τοῖς Σαμίοις, ὦ Μοῦσα, τίς ὁ φθόνος; Ἀθηναίων γὰρ οὐδενὶ πρέπει κ. τ. λ.*; significatur Epicuri patria). Quas artes Cicero intellegat, patet ex Athenaeo, tum distinctius dicitur h. libr. 72. Invidiose I N. D. 72 *pueriles disciplinas* appellat. [Mox *tibi ita* ex AE restitutum.]

Cap. VIII. *Quid ei reliquisti*) Non inscite orationis cohaerentiam ostendunt Oxx. Eξ scribentes: *quid enim reliquisti.*

quoquo modo) Sic etiam Spir., mg. Crat., El. 2, cod. Vict., id est, optimi. Ceteri, quorum fit mentio, ut nostri deteriores. Coniectura verum invenerat Manutius, cum in Maffei libro esset [ut in A¹, teste iam Grutero]: *quoque modo.* Morelii cod. *quoque ut modo.*

aliena dixit) Sic etiam Pal. 1, Spir., Bas. Ceteri, de quibus constat, *dicit*, quod etiamsi non optimorum codicum testimonio convinceretur, tamen in hac brevi coacervatione ferri inaequalitas temporum non posset, nec in hac commemoratione praesentis iudicii excusari: *dicit*, *quae — probarentur.*

si qua) Sic (non *quae*) Pal. 1 et Erl., ediditque Gruterus et post Davisius, de codicibus tacens. *Si quae* Bremius „ex quibusdam libris" (ipse nullos codices habuit), Gzius, Spir. et Bas. testes citans; *sed si qua*, quod antea edebatur (nisi quod quidam *sed si quae*) Oxx. omnes, certe *sed si*; hoc etiam Gziani praeter Erl. et Sp. De discrimine formarum illarum plura legi, quam res merebatur, nihil, quod non ex uno alterove loco sine causa arreptum aut in eo ipso loco aut in proximo a codicibus argueretur, saepe etiam tale esset, ut illa celeriore aut spissiore pronuntiatione significari nullo modo posset, velut ea, quae nuper a Stuerenburgio ad orat. pro

corrigere voluit, deteriora fecit. Disserendi artem nullam habuit. Voluptatem cum summum bonum diceret, primum in eo ipso parum vidit, deinde hoc quoque alienum; nam ante Aristippus, et ille melius. Addidisti ad extremum, etiam indoctum fuisse. 27. Fieri, inquam, Triari, nullo pacto potest, ut non dicas, quid non probes eius, a quo dissentias. Quid enim me prohiberet Epicureum esse, si probarem, quae ille diceret? cum praesertim illa perdiscere ludus esset. Quamobrem dissentientium inter se reprehensiones non sunt vituperandae; maledicta, contumeliae, tum iracundae contentiones concertationesque in disputando per-

1. *deteriora — voluptatem* om. E 3. *quod* (pro *quoque*) E 4. Post *melius* addunt: *etenim quoniam detractis de homine sensibus* LPMCR *disci* (pro *addidisti*) E [*disti* Eh] 5. *Triario* E *o Triari* LPMCR 6. *quod* E *eius* om. E 7. *Epicurum* ER *esse et probarem* E 9. *esset* om E *disserentium* LMCR *differentium* P *repreh. dissentientium int. se* E 10. *cum* E 11. *iracundiae contentiones* omnes, Or. *contemptiones* L

Arch. 11 excogitata sunt. Ipsa natura pronominis indefiniti et brevioris formae, quae coniunctioni enclitica adhaerebat, commendabat celeriorem pronuntiationem, quam infinito plures poëtarum loci habent, Priscianus solam. In uno et altero loco poëtae licenter produxerunt syllabam. In prosae orationis scriptis librarii ad eam ferebantur formam, quae in relativo et interrogativo sola erat. Probabo igitur *qua*, sequar optimos codices in singulis locis.

melius. Addidisti) Quae nostri deteriores, eadem addunt Palatini, excepto 1, Davisiani omnes, Oxx., Gziani praeter Erl. et Spir., e § 30. Primus delevit non P. Marsus, sed Manutius. Erratum est, cum ad novam paginam exempli transiretur, nec postea deleta, quae prave scripta erant. Morelii codex etiam plura inde transcripta habebat.

27. *Triari. nullo pacto*) *Triario* „tres potiores" Gzi; *o Triari* Davisiani, duo reliqui Gziani, Oxx. (silentio).

dissentientium) Sic cod. Vict. (qui primus sic edidit) et Mor. et mg. Crat., Pal. 1. *Disserentium* Pall. ceteri, Oxx.

iracundiae, contentiones) Lambinus scribendum putavit: *iracundae contentiones*, quem Davisius et Gzius sequuntur, ille in Par. 1 et 3 ita esse scribens, hic P. Marso eam scripturam tribuens errore, ut solet. Commendat correctionem particula *tum*, quae mutationem aliquam structurae significare videtur, et adiectivum *pertinaces*, ad *iracundias* parum aptum, a quo nomine si seiungitur, ne ad *contentiones* quidem videtur perti-

tinaces indignae philosophia mihi videri solent. 28. Tum Torquatus: Prorsus, inquit, assentior; neque enim disputari sine reprehensione, nec cum iracundia aut pertinacia recte disputari potest. Sed ad haec, nisi molestum est, habeo quae velim. An me, inquam, nisi te audire vellem, censes

1. *Tunc* (P) C 2. *Torquatus inquit prorsus* C 5. *at* omnes

nere; contra aptissime utrique substantivo suum additur adiectivum. [Itaque nunc sic scripsi, cum praesertim sequatur eadem distributio bipertita: *cum iracundia* (hoc est, iracunda contentione) *aut pertinacia* (hoc est, concertatione in disp. pertinaci).]

in disputando) Omittunt Par. 2 Davisii, Spir. et Gud. 2, quorum in hoc genere mendi conspiratio iam § 4 et 6 apparuit.

28. *Tum Torquatus*) Sic Gzius ex Oxx. quattuor, suis omnibus. In transitu et progressu narrationis numquam ponitur *tunc*, quae particula rem uno aliquo temporis puncto definit. Cfr. 29, II, 6.

recte disputari) Omittunt verbum Oxx. Eξ, e Gzianis Spir. et Gud. 1, delevitque Gzius, quo facto, contra atque is putavit, *recte potest* necessario coniungitur cum superiore *disputari*, pravo positu, peritque sententia, quae posita est in disputatione, reprehensionem requirenti, et recta disputatione, iracundiam respuenti, inter se contrarie relatis.

ad haec — habeo quae velim) Brevius Tusc. I, 55: *nisi quid habes ad haec*; hic libr. IV, 1: *aut omittamus contra omnino velle aliquid.* Comparandus est is verbi usus, quo dicitur: *paucis te volo* et similia.

An me, inquam) *An* Par. 2 et El. „unus“ apud Dav. [Glogav.] (Gzius: Vacillant, inquit, codd. in *At*; *atque*, *ac* et *an* exhibentes.) Id, etsi exigua auctoritate munitur, propter sermonis legem cum Davisio et Orellio tenendum erat; nihil enim ex adverso obicitur. Itaque Handius Turs. I, p. 438 ex hoc uno exemplo singulare constituit genus interrogationis ab *at* incipientis, in qua aliquid reiciatur. At Cicero idem se velle significat, quod Torquatus, ut hic loquatur. Annectitur interrogatio alterius verbis, e quibus nata et apta est (*denn*): II, 74: *An me, inquis, tam amentem putas —?* Tusc. V, 73: *An tu me in viola putabas aut in rosa dicere?* ibd. V, 35: *An ego possim, cum ignorem, quam sit doctus, quam vir bonus?* De Fat. 4: *An mihi, inquam, potest quidquam esse molestum, quod tibi gratum futurum sit?* ubi, ut hic, aliquot codd. *at*, vulgari errore

haec dicturum fuisse? Utrum igitur percurri omnem Epicuri disciplinam placet, an de una voluptate quaeri, de qua omne certamen est? Tuo vero id quidem, inquam, arbitratu. Sic faciam igitur, inquit: unam rem explicabo eamque maximam; de physicis alias; et quidem tibi et declinationem istam atomorum et magnitudinem solis probabo, et Democriti errata ab Epicuro reprehensa et correcta permulta. Nunc dicam de voluptate, nihil scilicet novi, ea tamen, quae te ipsum probaturum esse confidam. Certe, inquam, pertinax non ero tibique, si mihi probabis ea, quae dices, libenter assentiar. 29. Probabo, inquit, modo ista sis

1. *utrum qui percurri* E *Utrum igitur inquit percurri* [A^2] Or. [A^1 ut ceteri] 2. *aut de* C 3 *inquam* om. LMCR 5. *alias equidem* E 7. *correpta* L 10. *probaveris* R *dicis* L 11. *modo inquit* E

(cfr. supra 5); Brut. 184: *An tu, inquit, id laboras?* Legg. III, 33: *An etiam id dubium est?* [Ibd. II, 23: *An censes* cet.] Handius I, p. 335 unum huius generis exemplum posuit Terentianum neque admodum perspicue de eo scripsit.

Utrum igitur percurri) Verbi *inquit*, quod post *igitur* Davisius tamquam e tribus Parisiensibus interposuit, nemo alibi vestigium invenit, ut in illis codd. conferendis erratum esse suspicer. [Est tamen in A^2 et Glog.] In Erl. *qui* natum est e compendio vocis *igitur*; vid. var. script. ad IV, 2. Mutatio personae hic ipsa interrogationis forma et particula *igitur* significata videtur. Cfr. ad II, 9.

reprehensa et correcta) Bremius *deprehensa* malebat; nam in reprehendendo errore nullum esse meritum, sed primum in deprehendendo, tum in corrigendo. Addere poterat, reprehensum esse ab Epicuro Democritum, satis notum fuisse. Sed *errata* illa fuisse, non conveniebat; nec Cicero aut ea aetas *deprehendere errorem* dixit; in facinoribus et rebus consilio et fraude occultatis id verbum ponebatur.

si mihi probabis ea) Oxx. Eξ, Gud. 2 *probaveris*, non necessaria correctione; poterat enim Cicero disputanti etiam tum statim assentiri.

29. *ista sis aequitate, quam ostendis*) Unus, quod sciatur. Vict. codex et eius editio *qua ostendis*, figura illa ex ellipsi et attractione nata, cuius exempla plenius quam ceteri collegit Kruegerus in libro de attract. p. 259 sqq., a quo tamen ipsa ratio non prorsus recte explicata est. Nam ex ea verbi omissione, quam tractat p. 263, paulo ultra fines suos progressa haec figura nata est, eaque causa est, cur tantum in

aequitate, quam ostendis. Sed uti oratione perpetua malo quam interrogare aut interrogari. Ut placet, inquam. Tum dicere exorsus est.

IX. Primum igitur, inquit, sic agam, ut ipsi auctori huius disciplinae placet: constituam, quid et quale sit id, de quo quaerimus, non quo ignorare vos arbitrer, sed ut ratione et via procedat oratio. Quaerimus igitur, quid sit

2. *Tunc* (P) COr. 4. *agam sic* LPMCR 5. *ipsius* (pro *huius*) L

certis quibusdam verbis et in brevissima sententiae forma locum habeat. Apud neminem enim Latinum simile reperietur exemplum Xenophontei, quod p. 258 ponit: *ὧν μὲν νῦν λέγονται λήψεσθαι οἱ στρατιῶται, οὐδεὶς αὐτῶν ἐμοὶ τούτων χάριν εἴσεται*, nec, quod Horatius dixit: *iudice*, *quo nosti*, *populo*, poterat etiam dicere: *iudice*, *quo te nosse dicis*, *populo*, nec Livio pro eo, quod est I, 29, 4: *raptim*, *quibus quisque poterat*, *elatis*, licebat scribere: *quibus quisque poterat efferre*. Et tamen hoc auditur; nam ipsum *posse* nullum habet legitimum casum, qui mutatus dici possit. Itaque omisso demum infinitivo verbi, quod casum pronominis definiebat, occasio attractionis data est; quod si concedere cogimur, nihil est, cur illud exemplum hinc removeatur, quo Bentleius usus est, ad Fam. V, 14, 1: *cum aliquid agas eorum*, *quorum consuesti*; nec sententia permittit; nam partitiva notio ad relativum non pertinet. Sed ea attractio in declarandi et sentiendi verbis aliquotiens etiam ibi valuit, ubi nullus erat certus omissus infinitivus, sed tamen laxior quidam verbi usus non directo et solita vi accusativum asciscentis, velut in illo Horatiano loco; neque enim *quo nosti* est: *quem*, *cuius naturam nosti* (den du kennst), sed: *quem iudicem esse nosti* (den du weisst). Hinc cetera orta sunt. Hoc loco vulgatam scripturam tuetur ceterorum codicum omnium auctoritas.

Tum dicere) Vid. paulo ante ad § 28. *Tunc* incuriose propagatum erat. Ex Oxx. tamen ξχ annotatur *tum*.

Cap. IX. *sic agam*, *ut*) Nescio, quis primus ita ediderit (est iam in Crat.); varietas nulla annotatur, etsi in ceterorum deterioribus codd. idem fuit atque in meis. De re cfr. Epicur. apud Diog. X, 37: *πρῶτον μὲν οὖν τὰ ὑποτεταγμένα τοῖς φθόγγοις, ὦ Ἡρόδοτε, δεῖ εἰληφέναι, ὅπως ἂν τὰ δοξαζόμενα ἢ ζητούμενα ἢ ἀπορούμενα ἔχωμεν εἰς ταῦτα ἀνάγοντες ἐπικρίνειν*. Cfr. libr. II, 6. A verborum igitur vulgaris usus explicatione et a *προλήψει* illa, quae ibi inesse videbatur, Epicurus ordiebatur.

extremum et ultimum bonorum, quod omnium philosophorum sententia tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam. Hoc Epicurus in voluptate ponit, quod summum bonum esse vult summumque malum dolorem; idque instituit docere sic: 30. Omne

1. *quid ultimum* LPMCROr. 2. *ut* om. E 5. *idque — docere* om. E

extremum et ultimum bonorum) Optimos codd. (Pal. 1, Spir.) nemo praeter Davisium secutus erat. Et oratorie haec diducuntur a Cicerone, ut § 11, et coniunguntur, quae unius notionis plura nomina sunt; vid. II, 5. Cfr. V, 17.

quod omnium philosophorum sententia) *Τοῖς ἀρχαίοις* haec tribuitur definitio apud Ioannem Stob. Ecl. Eth. p. 278 Heer. *λεκτέον, τέλος εἶναι, οὗ χάριν πάντα πράττομεν, αὐτὸ δὲ οὐδενός.* Similiter Sext. Emp. Pyrrh. Hypotyp. I, 25: *Ἔστι μὲν οὖν τέλος τὸ οὗ χάριν πάντα πράττεται ἢ θεωρεῖται, αὐτὸ δὲ οὐδενὸς ἕνεκα· ἢ τὸ ἔσχατον τῶν ὀρεκτῶν.* Stoici in ipsam definitionem includebant officii et virtutis significationem; Stob. Ecl. Eth. p. 56 Heer. *Λέγεται δὲ ὑπὸ τῶν Στωικῶν ὁρικῶς· τέλος ἐστὶν οὗ ἕνεκα πάντα πράττεται καθηκόντως, αὐτὸ δὲ πράττεται οὐδενὸς ἕνεκα. Κρατῖνος* (hoc corruptum; fort. *Καὶ ἐκείνως·*) *οὗ χάριν τἄλλα, αὐτὸ δὲ οὐδενὸς ἕνεκα. Καὶ παλιν, ἐφ' ὃ πάντα τὰ ἐν τῷ βίῳ πραττόμενα καθηκόντως ἀναφορὰν λαμβάνει. αὐτὸ δ' ἐπ' οὐδέν.* Non satis caute Cicero et hoc libro § 42 Torquatum dicentem facit, *omnes r e c t a s res atque l a u d a b i l e s eo referri, ut cum voluptate vivatur*, et II, 5 ei Stoicam subicit definitionem: *omnia, quae recte* (*καθηκόντως*) *fierent.* Certe si ipsi sibi constare volebant Epicurei, sic loqui non poterant. Imprudentis erat a summo bono, voluptate, agendo aberrare, contra virtutem, quae postea tamquam ministra nascebatur, non erat.

quod summum bonum esse vult) In Par. 2 et Gud. 2, aberrante librario in voce *summum* bis posita, exciderunt haec: *summum — vult.* Est quaedam hic orationis copia non vitiosa; nam pronomen *hoc* refertur ad superiorem circumlocutionem; deinde nomen ipsum additur.

instituit docere sic) Eodem modo haec argumentatio a pueris et bestiis desumpta (lib. II, 31) exponitur apud Diogenem X, 137 (*Ἀποδείξει δὲ χρῆται τοῦ τέλος εἶναι τὴν ἡδονὴν τῷ τὰ ζῶα ἅμα τῷ γεννηθῆναι τῇ μὲν εὐαρεστεῖσθαι, τῷ δὲ πόνῳ προσκρούειν φυσικῶς καὶ χωρὶς λόγου*) et apud Sext. Emp. Pyrrh. Hypotyp. III, 194 (*ὅθεν καὶ οἱ Ἐπικούρειοι δεικνύναι νομίζουσιν, φύσει αἱρετὴν εἶναι τὴν ἡδονήν· τὰ γὰρ ζῶά φασιν ἅμα τῷ γενέσθαι ἀδιάστροφα ὄντα* (*nondum depravatum* Cicero

animal, simul atque natum sit, voluptatem appetere eaque gaudere ut summo bono, dolorem aspernari ut summum malum et, quantum possit, a se repellere, idque facere nondum depravatum, ipsa natura incorrupte atque integre iudicante. Itaque negat opus esse ratione neque disputatione, quamobrem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit. Sentiri hoc putat, ut calere ignem, nivem esse albam, dulce mel, quorum nihil oportere exquisitis rationibus confirmare; tantum satis esse admonere; interesse enim inter argumentum

1. *quod* (pro *eaque*) E [*que* Eh] 5. *nec* C 7. [*haec* A] [*mel dulce* A] 8. *oporteret* omnes *tantum* om. E 9. [*esse satis* A] *enim argumentumque* E (om. *inter*) [*augmentatum* A]

appellat) *ὁρμᾶν μὲν ἐπὶ τὴν ἡδονήν, ἐκκλίνειν δὲ ἀλγηδόνας*). Cfr. adv. Math. XI, 96 (*μηδέπω τοῖς κατὰ δόξαν δουλεῦον*).

30. *negat opus esse ratione neque disputatione)* Sine causa Ernestius *atque disputatione* malebat; vid. Acad. II, 79: *Tu autem te negas fracto remo neque columbae collo commoveri*, et quae de toto genere negativae adiunctionis post negationem scripsimus ego in Epist. ad Orell. p. 66 et Opusc. Acad. I, p. 344, Zumptius ad Verr. III, 220. Erravit in hoc quoque genere, qui nuper iuvenili protervia Ciceronis de officiis libros commaculavit, in libro II, 84, ubi legitur: *Numquam nec maius aes alienum fuit nec melius nec facilius dissolutum est.* Similiter offendit Gzius libr. II, 48, ubi pro *neque videre* possit videri dicendum fuisse *atque videre.*

quorum nihil oportere) Aut sic scribendum erat contra codd. aut paulo post: *tantum satis esset*; variari in hac contrariorum coniunctione non potuit. Itaque secutus sum cum aliis Aldi Nepotis coniecturam; (P. Marsus non sic scripsit). Non attendit ad sententiarum coniunctionem Handius ad Wopkensii Lectt. Tull. p. 177, qui quod de condicionali sententiae colore dixit, nihil est; Epicurus diceret simpliciter: *Nihil oportet.* Alioquin poterat sane in sententia relativa pro infinitivo, quem continuativum appellare soleo, retineri finita forma, ut supra 19 et II N. D. 44. (De Orat. I, 5 infinitivus poni non poterat; itaque huc non pertinet.) Alia reperiuntur apud Kruegerum in fasciculo primo Quaestionum grammaticarum p. 45, 46.

oportere — confirmare) Ernestius *confirmari*; opposuit Bremius Off. III, 3, Lael. 59 (add. 61 etc.).

tantum satis esse admonere) Ernestius *tantum* omittendum putabat. Bremius advocat II de Orat. 139: *Tantum satis est intellegi, ne hoc quidem eos consecutos* etc., et Cornel. Nep. Hannib.

conclusionemque rationis et inter mediocrem animadversionem atque admonitionem; altera occulta quaedam et quasi in-

2. *monitionem* E [*ammonicionem* Eh] *occultata* L

10: *praecipit, omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem, a ceteris tantum satis habeant se defendere*, ubi citaverat II de Divin. 104: *Nihil est necesse dicere, quae sequuntur; tantum sat est intellegi* etc. Addo pro Sulla 39: *Iam non quaero, purgetne Cassius Sullam; illud mihi tantum satis est, contra Sullam nihil esse in indicio*, ubi memorabile est addi *illud*. Patet enim ex hoc loco, in unam formulam coaluisse *tantum satis*; cum enim initio *tantum satis est* hoc sensu diceretur: nur dieses (und nicht mehr) ist genug, id est, schon dieses, deinde *tantum satis* prorsus est: schon genug. Erlangensis omittendo saepissime peccat. [Apparet, cur A in verborum ordine non sim secutus. Eadem abundantia dicitur apud Livium XXXI, 26, 12: *neque enim diruere modo ipsa templa satis habuit* et XLI, 22, 7: *tantum — satis habuit*, nec alius generis est apud eundem I, 10, 1: *nec domi tantum indignationes continebant* (rectius erat solum *nec domi*; neque enim etiam alibi continebant), et XXXIX, 17, 4, et XXIV, 18, 7: *neque senatu modo — cura se tenuit*, aut apud Quintil. I, 10, 12: *nec illa modo contenti — concordia.* Graeci eodem modo: *οὐ μόνον τοῦτο ἀρκεῖ.* Schneider ad Xen. Hell. III, 2, 21, Wolf. ad Demosth. Lept. § 112.]

conclusionemque rationis) Hanc Gzius ad III, 59, quasi ibi primum nominetur, ait esse, „quam a priori petitam vocemus“, ad syllogismos transferens cognitionis divisionem. Sed *conclusio rationis*, quae dicitur etiam II de Divin. 101 et 103, nihil est nisi syllogismus et argumentatio per syllogismos procedens (*ἀπόδειξις*); nec enim ratio concludit, sed concluditur; vid. supra 22, II N. D. 22, de Divin. I, 71, II, 25, 61, de Fat. 31 et 41, Tusc. II, 29; eodemque modo *argumentum concludi* dicitur; vid. Acad. II, 27 et 44, hoc opere III, 27; in Orat. autem 137 et hic IV, 8 *argumentum ratione concludi*; nam argumenti nomen ad effectum pertinet, rationis ad actum mentis. (In Orat. 122 et de Invent. I, 54 *argumentatio concludi* dicitur, sed, ut consentaneum erat, longe aliter, de fine et extrema parte argumentationis.) Hinc *argumenti conclusio* appellatur Academ. II, 26 et 30 et 40. Patet, longe ab hoc usu loquendi abhorrere non solum quod N. D. I, 89 editur: *argumenti sententiam concludere*, verum etiam id, in quod coniectura inciderunt: *argumento sententiam concludere.* Latine rationem, argumentum concludere dicimur, etiam aliquid concludere, ut accusativus pronominis addatur; *sententiam, rem* non magis *concludere* dicimur

voluta aperiri, altera prompta et aperta iudicari. Etenim quoniam, detractis de homine sensibus, reliqui nihil est, necesse est, quid aut ad naturam aut contra sit, a natura

1. *indicari* LOr. 2 *quo* (pro *quoniam*) E 3. *aut* om. E *aut secundum nat.* LMC

quam, quod fere cotidie etiam in philologorum libris lego, *rem negare* aut *veritatem rei.*

prompta et aperta iudicari) Vict., Man., Lbinus *indicari.* Ex apertis et promptis iudicium fit et sententia, ipsa non indicantur; nec enim opus est.

necesse est) Dav. et Ernestius malebant scribi *necesse esse*; debebant igitur etiam: *Eam quid percipere* etc.? Recte Bremius et Matthiaeus Ciceronem hic, ut non raro alibi, in exponenda philosophi veteris sententia subito, omissa obliqua oratione, in rectam transisse statuunt. quod is facit non solum, ubi ipse aut is, qui loquens inducitur, eandem sententiam sequitur, ut hic Torquatus Epicuri, ut etiam tamquam suam ponere possit, sed etiam alibi interdum. Exempla et Matthiaeus et ante eum Wopkensius (Lectt. Tull. p. 65 et 95) nonnulla posuerunt non apta nec huc pertinentia (velut Tusc. IV. 24, ubi non propter alienae sententiae significationem, sed propter orationis initium infinito modo pergi debuit): apta ad rem declarandam haec sunt: hoc opere II. 48 (*ut enim consuetudo loquitur*). III. 64 (*ut enim loquor*). Tuscul. IV. 43. N. D. II. 129. de Fat. 41. Num Cicero contrario genere Acad. II. 40, cum instituisset alienam conclusionem sic proponere, tamquam ipsi eius auctores loquerentur, subito in uno membro ad obliquam narrandi formam (*ut ...*) transierit, deinde autem ad rectam orationem redierit (*Nunc ...*), non sine causa dubitatum est. In libris de Divin. quater (I. 32 et 55 et 56. II. 69) Cicero in narrando a recta oratione, in qua nulla est significatio alienae sententiae, subito ad obliquam transit.

ad naturam) Tenuerunt hoc fere editores ante Ma[illegible] et Lambinum. E [illegible] quasi [illegible] Dav. Parr. 1 et 3 [illegible] E [illegible] et Bal[illegible] quid [illegible] [illegible] [illegible]. Non [illegible] utrum ex interpretamento [illegible] Cicero [illegible] I in Verr. [illegible] aut in [illegible] ponit. [illegible] Tusc. I. [illegible] πρὸς [illegible]

[illegible]

ipsa iudicari. Ea quid percipit aut quid iudicat, quo aut petat aut fugiat aliquid, praeter voluptatem et dolorem? 31. Sunt autem quidam e nostris, qui haec subtilius velint

1. Post *iudicari* add. *voluptatem etiam et per se expetendam esse et dolorem ipsum per se esse fugiendum* LPMCR *ei quid* E *et quid* L *en quid* MR *enim quid* C *Ecquid* Or. *praecipit* C *et quid* (P)C *ecquid* Or. 3. *hoc* L

naturae, nescio; philosophus quidem in hac notione nemo dixit, sed κατὰ φύσιν omnes. Permulta huiusmodi Graeca homo audax et, quod pudeat, imperitus finxit Graecis inaudita. [Graser *quid aptum ad naturam.*]

a natura ipsa iudicari) Verba eadem, quae nostri deteriores, e loco paulo inferiore (31) huc errore translata addunt Palatini praeter primum, plerique Davisiani, Oxx. omnes. Gzius narrat „plures scriptos, in iisque Erl., Spir., Gud. 2," ea verba addere; illos ipsos (saltem Erl.) excipere debebat incredibilis neglegentiae homo. Etiam codd. Mor. et Vict. omittunt.

Ea quid percipit aut quid) In singulis prope verbis erratur. *Ea quid* est ex Pall. 1 et 4, marg. Crat. et fortasse pluribus, postulatque oratio; cum enim demonstrasset, naturae hoc iudicium esse, addit: Ea (igitur, quae iudicat) quid percipit? Vict. cod. et quattuor Pall. (in Gruteri nota erravit typotheta), Oxx. Eξψχ *en quid*; Ursini cod. (?) *at quid*; Dav. *ea* edidit cum Grutero, de codd. tacet; e Gzianis Bas. *et quid*, Gud. 1 *en quid*, Spir. (ut Erl.) *ei quid*, Gud. 2 *en vel ea quid.* Hinc P. Marsus fecerat *Ecquid*, idque Gzius et Orellius receperunt, sublato orationis nexu et obscurata primaria notione. Deinde *praecipit* (cod. Vict., Spir., Gud. 1) probavit Gzius, nulla sententia. Negabat Epicurus quidquam a natura percipi, quo ad appetendum aut ad fugiendum moveri posset, praeter voluptatem et dolorem. Tum *aut*, quod diiunctioni aptum est, tenent e Davisianis El. uterque, Parr. 1, 3, Mead., Oxx. omnes, Gzii „complures"; ediderat sic Vict. (cod. eius *en quid*); retinuerunt *et quid* Man., Lbinus, Gruterus. Gzius hic quoque *ecquid* scripsit. Sententia est Epicurea apud Plut. adv. Colot. 27, p. 1122 D: *Αἴσθησιν ἔχειν δεῖ καὶ σάρκινον εἶναι, καὶ φανεῖται ἡδονὴ ἀγαθόν.*

31. *Sunt autem quidam)* De horum rationibus nihil traditum est; sed, ut fiebat in illa schola, eadem mutatis verbis dixisse videntur. Ut adversarii non satis explicabant, unde oriretur boni notio a iucundi seiuncta, sic illi e προλήψει, quae a sensibus nascebatur et qua hoc tantum iudicabatur, quomodo aliqua res sensum afficeret, frustra efficiebant, petendam eam esse.

tradere et negent satis esse, quid bonum sit aut quid malum, sensu iudicari, sed animo etiam ac ratione intellegi posse, et voluptatem ipsam per se esse expetendam et dolorem ipsum per se esse fugiendum. Itaque aiunt, hanc quasi naturalem atque insitam in animis nostris inesse notionem, ut alterum esse appetendum, alterum aspernandum sentiamus. Alii autem, quibus ego assentior, cum a philosophis compluribus permulta dicantur, cur nec voluptas in bonis sit numeranda nec in malis dolor, non existimant oportere nimium nos causae confidere, sed et argumentandum et accurate disserendum et rationibus conquisitis de voluptate et dolore disputandum putant.

1. *malum sit* R 4. *ipsum per se ipsum esse* E 5. *esse* (pro *inesse*) E *rationem* C 7. *quam pluribus* EC 8. *dicuntur* LPMCR *nec* om. E 9. *ac* (pro *nec*) E 10. *sed* om. E 11. *acute* L *caute* C

Πρόληψις est enim illa *naturalis atque insita in animis nostris notio*; cfr. Diog. Laërt. X, 33, Clem. Alexand. II Strom. p. 157 Sylb. Loquitur autem Cicero paene ita, tamquam Epicurus eam innatam putaverit; atque aperte id dicit I N. D. 44, a Platone et Stoicis colorem ducens. Itaque iure in hoc Cicero reprehenditur ab iis, qui philosophiae historiam scripserunt, ut nuper a Rittero (III p. 472 ed. 1). Sed ipse Epicurus parum explicabat, qua nota vera *πρόληψις* a falsa vulgi opinione discerneretur.

animo etiam ac ratione) Insolentius dixit *animo*, cum mentis rationes intellegantur; sed contrarii intelleguntur sensus corporis. De aiente significatione eruenda ex neganti (*negant esse satis*) vid. ad II, 25.

Alii autem) Hi qui sint, quos Torquatus, id est, Cicero videtur significare et ipso Epicuro et illis, qui insita animi notione nitebantur, subtilius disputasse, nescio, nec, quid dixerint, explicat. Nam mox non in aliorum illorum argumentatione pergit, sed ad removendas argumentis ipsius Epicuri dubitationes transit. Vereor, ut Cicero haec satis diligenter scripserit.

dicantur) Oxx. quoque EUξχ atque edd. vett. aliae, etiam Manutii, *dicuntur*, ut, licet ceteri taceant, hoc in omnibus deterioribus fuisse appareat. Verum iam Cratander habet, Lambinus: *quoniam — dicuntur*.

X. 32. Sed ut perspiciatis, unde omnis iste natus error sit voluptatem accusantium doloremque laudantium, totam rem aperiam eaque ipsa, quae ab illo inventore veritatis et quasi architecto beatae vitae dicta sunt, explicabo. Nemo enim ipsam voluptatem, quia voluptas sit, aspernatur aut odit aut fugit, sed quia consequuntur magni dolores eos, qui ratione voluptatem sequi nesciunt. Neque porro quisquam est, qui dolorem ipsum, quia dolor sit, amet, consectetur, adipisci velit, sed quia nonnumquam eiusmodi

2. *sit error* [Eh] PMCROr. *si error* E *sit errorem* L 6. *oderit* PCR *fugiat* C [*consecuntur* (A)]

Cap. X, 32. *inventore veritatis*) Pervagatae in illa hominum dictata magistri reddentium schola magnificae hae Epicuri laudes; vid. supra 14, infra 71; cfr. Lucret. init. lib. I et III, fragm. Hercul. *περὶ θεῶν* [aut *περὶ εὐσεβείας*] extr., quod expressit Cicero N. D. I, 43. Quae sequuntur, breviter comprehensa sunt septima Epicuri sententia (Diog. Laërt. X, 141): *Οὐδεμία καθ' ἑαυτὴν ἡδονὴ κακόν, ἀλλὰ τα τινων ἡδονῶν ποιητικὰ πολλαπλασίους ἐπιφέρει τὰς ὀχλήσεις τῶν ἡδονῶν.* Epicurus in epist. ad Menoec. (Diog. X, 129): *Καὶ ἐπεὶ πρῶτον ἀγαθὸν τοῦτο καὶ σύμφυτον. διὰ τοῦτο καὶ οὐ πᾶσαν ἡδονὴν αἱρούμεθα, ἀλλ' ἔστιν ὅτε πολλὰς ἡδονὰς ὑπερβαίνομεν, ὅταν πλεῖον ἡμῖν τὸ δυσχερὲς ἐκ τούτων ἕπηται. καὶ πολλὰς ἀλγηδόνας ἡδονῶν κρείττους νομίζομεν, ἐπειδὰν μείζων ἡμῖν ἡδονὴ παρακολουθῇ πολὺν χρόνον* (leg. certa emendatione: *οὐ πολὺν χρόνον*) *ὑπομείνασι τὰς ἀλγηδόνας κ. τ. λ.* Add. Tusc. V, 95, Senec. de Otio 7, 3 (32, 16). [Paulo ante *error sit* ex A.]

consequuntur magni dolores eos) Saepius res *sequi* aut *consequi aliquem* dicitur, ubi recentiores aut absolute sequi eam dicerent aut aliquem in eam incidere. In Verr. V, 189: *ut C. Verrem — dignus exitus eiusmodi vita consequatur*; Tusc. II, 28: *Quis igitur Epicurum sequitur dolor, cum hoc ipsum dicit?* [Terent. Phorm. V, 1, 23: *Matrem ex aegritudine mors consecuta est.* Sallustius in orat. Philippi § 9: *ubi malos praemia sequuntur.*] Quintilianus et Seneca participii accusativum adiungunt, ut *facientes* sequi aliquid dicatur, quod nobis *factum* sequi dici debuisse prima specie videatur, ille IV, 2, 44: *quae nimium corripientes omnia sequitur obscuritas*, et VIII, 3, 82: *Hoc male imitantes sequitur obscuritas*, hic de Benef. VI, 4, 6: *si secuta est dantem paenitentia*, et de Ira II, 2, 1: *sequitur vertigo praerupta cernentes.*

ratione voluptatem sequi) id est, considerate et cum iudicio,

tempora incidunt, ut labore et dolore magnam aliquam quaerat voluptatem. Ut enim ad minima veniam, quis nostrum exercitationem ullam corporis suscipit laboriosam, nisi ut aliquid ex ea commodi consequatur? quis autem vel eum iure reprehenderit, qui in ea voluptate velit esse, quam nihil molestiae consequatur, vel illum, qui dolorem eum fugiat, quo voluptas nulla pariatur? 33. At vero eos et accusamus et iusto odio dignissimos ducimus, qui blanditiis praesentium voluptatum deleniti atque corrupti, quos dolores et quas molestias excepturi sint, occaecati cupiditate non provident, similique sunt in culpa, qui officia deserunt mollitia animi, id est, laborum et dolorum fuga. Et harum quidem rerum facilis est et expedita distinctio. Nam libero

1. *dolore et labore* E 2. *minimam* C 3. *suscepit* Eh 5. *quia in ea* E (*quia mea* Eh) *esse velit* L *qua* C 7. [*quid* pro *quo* A¹] *Atque vero* C 8. *qui per blanditias* E [*qui perblanditus* Eh] 9. [*deliniti* Eh] 10. *sunt* C 12. *laborum fuga et dol.* L 13. *est expedita* (om. *et*) L

non impetu, non temere. Male Gzius probavit mendum cod. Spirensis: *recte*. Saepe horum compendia permutata sunt; cfr. Opusc. mea Acad. I, p. 333. Ipse non recte *ratione* pro *recte* posui in orat. pro Rosc. Am. 138. Ad Att. XII, 44, 3 *ratione fecisti* paulo insolentius ponitur in facto comprobando.

quam nihil etc.) *Qua*, quod fere edebatur ante Lambinum, Gruterus negat in ullo Pal. esse, Gzius in suis praeter Erl. et Spir. esse dicit; Davisius (*quam*) tacet; Oxx. Eψ *qua*, U *quia*. Frustra *qua* defendit Wopkensius p. 4; primum non potest sic absolute dici *consequi*, ut pro accusativo per praepositionem *in* adiungatur res praecedens (*in hac voluptate nihil molestiae consequitur*); nam aliter longe dicitur: *in hac re consequitur* (accidit) *obscuratio* (IV, 29); deinde, quod Handius (ad Wopk. l. c.) animadvertit, sed unius mendosi loci testimonio (ad Fam. IV, 13, 5) in dubitationem vocat, numquam Cicero aut quisquam bonus scriptor ante relativum praepositionem, quae ante demonstrativum affuisset, omisit, nisi idem verbum audiretur.

33. *iusto odio dignissimos*) Non ferens copiam orationis emendator ille, a quo orti sunt Oxx. Eξ, cum nemo iniusto odio dignus esset, *multo odio* scribendum putavit, inciditque in idem Th. Bentleius, quasi non *multo* illud aeque insit in superlativo.

id est, laborum et dolorum fuga) Non commemoravit ante *mollitiam animi*, ut ea nunc, quae sit, explicetur, sed, cum

tempore, cum soluta nobis est eligendi optio cumque nihil impedit, quo minus id, quod maxime placeat, facere possimus, omnis voluptas assumenda est, omnis dolor repellendus. Temporibus autem quibusdam et aut officiis debitis aut rerum necessitatibus saepe eveniet, ut et voluptates repudiandae sint et molestiae non recusandae. Itaque earum

1. *est* om. R 2. *placeat max.* E *possumus* E 3. *depellendus* [A] LPMCR 5. *ut ei* E 6. *harum* C

doloris fugam ante commemorasset, admonet, eandem nunc a se recte mollitiam animi appellari. Itaque praeponitur explicatio sive potius, quoniam nihil hic obscuri explicatur, nova notio appellatioque, sequitur, quod notum erat et ante dictum, ut *id est* sit fere: *id est enim* (de quo vid. ad IV, 26). Fit id aliquotiens apud Ciceronem, ut supra 25: *laetitiam, id est, voluptatem*; Tusc. I, 75: *a voluptate, id est, a corpore* (de corpore agitur); Lael. 97: *in scaena, id est, in contione* (contionem et orationem Laelii commemorarat); [etiam in *hoc est* Verr. V, 114: *de latronum, hoc est, de comitum suorum sententia*; ibd. III, 27 et 84]. Itaque sic Cicero loquitur, ubi Graeca subicit interpretationi Latinae, Acad. II, 93 et Tusc. III, 65, ubi Davisiuls duos Quintiliani locos (II, 15, 4 et III, 11, 6) ascripsit.

eligendi optio) Abundantia quadam substántivum non generale, tamquam generale sit (*potestas*), definitur ascito gerundii genetivo. Praeter Brut. 189 cfr. ad Att. IV, 18, 3: *hiberna legionum eligendi optio delata.* [Similiter dicitur apud Livium III, 24, 1: *frustratio legis tollendae* et apud Tacitum Ann. I, 76: *remedium coërcendi fluminis*, quoniam apud Latinos *remedium* semper est, quo utimur contra rem aliquam.]

repellendus) Sic etiam Spir., edideratque Lambinus, deinde Ernestius, recte; nam *depellitur*, quod locum iam tenet, ut febris corpore, [fames, § 37,] alia, *repellitur*, quod appropinquat et instat, *pellitur* omnino, quidquid loco movetur; *pellitur* hostis in acie stans, *repellitur* irruens, *depellitur* praesidium colle; *repellitur*, quod admitti vult. Cfr. Zumptius in vol. V Quintiliani Spald. p. 18. Mira narrat Otto, *animi* dolorem posse *depelli*, non *corporis*, qui *repellatur* remediis. Cfr. IV, 20.

et aut officiis debitis aut etc.) Offendit interpretes, quod haec copulative adiunguntur, quae tamquam species subiecta sunt *temporibus*. Itaque Gruterus *id est* scribi voluit, Bremius *et* deleri, quod fecerant ante Manut. et Lbinus; minus probabilia alii tentant. Adiunguntur per *et* ipsa exempla et species, non quo *et* pro *et quidem* positum sit (nihil enim intenditur),

rerum hic tenetur a sapiente delectus, ut aut reiciendis voluptatibus maiores alias consequatur aut perferendis doloribus asperiores repellat. 34.(Hanc ego cum teneam sententiam, quid est, cur verear, ne ad eam non possim accommodare Torquatos nostros? quos tu paulo ante cum memoriter, tum etiam erga nos amice et benevole collegisti;

1. *aut ut* LPMCR 2. *maioris* [A]E *consequantur* L 3. *asperioris* [A]E 4. *eadem* (pro *ad eam*) E 5. *tum memoriter* PMCR 6. *et* (pro *etiam*) E [*benivole* A]

sed quod, non satis distincto gradu et discrimine notionum, aliud hoc visum est esse atque prius (*temporibus*). Cfr. quae de *atque* dicentur ad 34. *Necessitatibus*, ad quod non pertinet *debitis*, ita positum est, ut ablativus non multum a significatione *propter* praepositionis discrepet. Comparat Matthiaeus III de Legg. 15: *regale civitatis genus non tam regni quam regis vitiis repudiatum est.* Add. de Divin. I, 13, pro Mur. 23, [Philipp. I, 30. Gr. Lat. § 257 n. 2].

saepe eveniet) Quod Ernestius requirebat, *evenit*, irrepserat errore in veteres quasdam editiones (Iunt., Crat., deinde Vict., Lamb.). Mox Manutius et Lambinus cum ed. prima *harum rerum* (de quibus agitur), non incommode.

ut aut reiciendis) Sic etiam Spir., id est, meliores, etsi Vict. cod. habuit *aut ut*, quod cum esset in antiquis edd., nescio a quo primum correctum sit (iam in Ascensiana et Crat.). Tacent Grut., Davisius, Oxx., sed in deterioribus libris sine dubio erat, ut in Gzianis praeter Erl. et Spirensem, *aut ut*, defendebatque Wopkens. Lectt. Tull. p. 33; Handius (Turs. I, p. 554) etiam proprie dici statuit, quod esset aliquid, si bis *aut ut* scriberetur; verum tum duplex delectus significaretur, non unus. Seiuncta hinc est neglegentia illa, qua semel et iterum post *ut aut* abundanter alteri *aut* additur *ut*. (Praeter Livium, quem Handius citat, vid. Cic. Orat. 149.)

34. *cum memoriter*, *tum etiam*) Sic etiam Spir., id est, optimi; ceteri Gzii et editiones quaedam *tum* — *tum*. Eodem modo deteriores hoc libr. 50, 51, cett. Res confecta est a Stuerenburgio ad Cic. pro Arch. 31 p. 164 edit. prioris; confici iam pridem potuerat Drakenborchii nota ad Livium VI, 23, 3. In Verr. IV, 147 Zumptius non animadvertit *cum* — *tum* esse in optimo cod. regio. Tum *memoriter* nec hoc loco nec usquam aut apud Ciceronem aut apud quemquam veterum est, ut in lexicis omnibus ponitur [etiam Freundii], *e memoria* (auswendig, aus dem Kopfe), ut contrarium sit, quemadmodum Nizolius docet, *de scripto*, quam significationem cum ineptam esse hoc loco

nec me tamen laudandis maioribus meis corrupisti nec seg-

1. [*me* om. A[1]] [*cum* pro *tamen* Eh] *corripuisti* [A] EPMCR

interpretes Germani sentirent, substituerunt: mit Achtung gegen ihr Andenken, non minus falso. Semper enim hoc vocabulum laudem habet bonae et copiosae memoriae; idque tam perspicue ubique apparet, ut mirer, ne in secundo quidem loco hanc vocis vim usquam commemorari. Huius operis libr. IV, 1 non ideo Catonem Cicero laudat, quod sine libris locutus sit, sed quod bona memoria tam multa comprehenderit; de Orat. I, 64, .ubi in laude oratoris ponitur *composite*, *ornate*, *memoriter dicere*, satis patet, non de modo dicendi (e memoria, non de scripto), sed de facultate verbum intellegendum esse; eademque ratio est in Bruto 303. In orat. in Vatinium 10 hunc ipsum Cicero hortatur, ut *memoriter respondeat*, id est, plene et recte, nihil ut obliviscatur. Acad. II, 63 laudat orationem a Lucullo habitam *memoriter*, *accurate*, *copiose*; itaque eodem modo intellegendum est, quod, si solum esset, ambiguum videri posset, I de Orat. 88: *memoriter multa ex orationibus Demosthenis pronuntians*; quamquam quid sit *memoriter pronuntiare*, apparet etiam e II de Divin. 14; nam non de scripto Quintum illa recitasse, nihil opus erat dici, [et e III ad Herenn. 30]. In eodem igitur genere laudatur Velleius I N.D. 91, quod *memoriter et copiose* philosophorum sententias enumerarit. Nec in Laelii initio ideo Cicero scripsit, *memoriter et iucunde* Mucium multa de Laelio narrare solitum esse, ut ostenderet, non de scripto illa in familiari colloquio dicta esse, sed ut vim ingenii praeteritae aetatis memoriam conservantis laudaret. Non discrepant comicorum loci. Apud Plautum Asin. III, 2, 38 in exclamando dicitur: *ut memoriter*, hoc est, quam bene recordans; Capt. II, 1, 53: *si istuc potes memoriter meminisse*, id est, bene et probe meminisse; Amphitr. I, 1, 261 Sosia alterum Sosiam, qui Mercurius est, miratur ea, in quibus ipse interfuerit, *memoriter memorare*, id est, ita ut non erret. Apud Terentium Eun. V, 3, 6 cum quaesitum esset, agnosceretne nutrix signa quaedam, respondetur: *Ac memoriter*, id est, et quidem clare et perspicue; memoriae ope sane omnia agnoscuntur. E posterioris aetatis scriptoribus Plinium narrant in Epist. VI, 33 extr. dixisse *memoriter tenere*, id est *memoria*; at is dixit *tam memoriter*, id est, tam bene. Itaque quod Svetonius (Ner. 10) narrat, Neronem *omnes ordines subinde ac memoriter salutasse*, non significat *e memoria*, sed: *ita ut singulos bene meminisset*, quod erat humanitatis et studii. [Contra haec quae M. Seyffertus ad Laelii initium scripsit,

niorem ad respondendum reddidisti. Quorum facta quemadmodum, quaeso, interpretaris? Sicine eos censes aut in armatum hostem impetum fecisse aut in liberos atque

3. *aut in sangvinem* LPMCR

refutare supersedeo; nam obtrectandi studio nec, quid locorum singulorum sententia et cohaerentia postularet, consideravit nec, quid ex omnibus coniunctis et comparatis sequeretur de singulis. Illud addam, prorsus eodem modo apud Graecos *μνημονικῶς* dici. Nam et apud Xenophontem Cyrop. V, 3, 46 *ὡς μνημονικῶς πᾶσιν ὀνομάζων ἐνετέλλετο* est: *quanta memoriae vi*, in quo simul studium et observantia significatur, et apud Platonem Polit. 257 B *μνημονικῶς ἐπέπληξας* cum laude bonae memoriae dicitur, et apud scriptorem orat. in Neaeram 110 et apud Aeschinem 2, 48 similiter *μνημονικῶς καὶ ἐπιμελῶς* et *μνημονικῶς καὶ δυνατῶς κατηγορεῖν*, eademque significatio satis eminet Aesch. 2, 42.]

corrupisti) In cod. archetypo fuit *corripuisti*; nam sic et boni (etiam mg. Crat., codd. Mor. et Vict.) et mali (Pall. omnes, Oxx. ξχψ, Gzii tres aut fortasse plures; Davisius tacet). Recte emendatum in L et fortasse aliis; vid. lib. II, 72: *quamquam te non possum, ut ais, corrumpere.*

Sicine eos censes) Recte sic Erl. [et A], ut optimi quique codices in hac et ceteris eiusdem formae vocibus, non *siccine*; (vid. Drakenb. ad Liv. VI, 16, 2 et VII, 15, 2 etc.). Postulat id ratio; nam ut ex *h* et vocali, addito *ce*, fit *hice* et *hic* (de barbaro et ficto pronomine *hicce* vid. F. Ritter ad Terent. Andr. I, 5, 1, cui utinam grammatici nostri obtemperent; quamquam quid fiet illis, qui tum demum mirabiliter se locutos putant, si quam saepissime *hicce liber* et similia scripserint?), et ut ex *ille* et *iste* et eadem syllaba fiunt *illic* et *istic*, quae etiam nunc tradunt ex *ille (iste)* et *hic* orta esse, sic ex *si* et *ce* fit *sic*, similiterque *nunc* et *tunc*; atque hae omnes voces, cum adiungitur *ne*, pronuntiationis adiuvandae causa retinent ex antiqua forma *e* vocalem in *i* brevem transeuntem; itaque et *hicine* et *illicine* et *isticine*, et *nuncine* (Ter. Andr. IV, 1, 59) et *sicine* dicitur. Si antiquiores haberemus codices epistularum ad Atticum, ibi quoque legeremus *hocine*, non *hocne* IX, 7, 3, XIII, 16, 2, ut Livio XXXVIII, 49, 4 Kreyssigius e codd. reddidit *huicine* (ipse quidem non recte *huiccine*).

atque in sangvinem) Sic etiam Spir., recepitque Gzius pro vitioso *aut*. Ernestius e Dav. coniectura scripserat: *et in sangvinem*; Bremius voces *aut in liberos* deleri volebat, sine causa. Recte proprio superadditur figuratum gravius, etiam inter-

in sangvinem suum tam crudeles fuisse, nihil ut de utilitatibus, nihil ut de commodis suis cogitarent? At id ne ferae quidem faciunt, ut ita ruant itaque turbent, ut, earum

1. *nihil — utilitatibus* om. L *voluptatibus* Or. 2. *ut* om. C [*ad*, superscr. *at* A] 3. *atque* Or. *turbentur* LMCR

posita coniunctione, ut in Verr. V, 184: *dignum Capitolio atque ista arce omnium nationum.* Generalius praeponitur in orat. de imp. Pomp. 69: *hoc beneficio P. R. atque hac potestate praetoria.* Explicativam potestatem coniunctionibus tribuunt, qui in naturalibus sermonis inflexionibus novas significationes quaerunt. Offendat forsitan aliquem repetita in cognatae significationis verbis praepositio; sed exempla prorsus similia habet Zumptius ad Divin. in Caec. 41, qui tamen non satis attendisse videtur, aliam esse rationem interioris illius coniunctionis, quae particula *que* efficitur.

de utilitatibus) Sic quidquid est codicum (etiam mg. Crat. et cod. Vict.), nisi quod in Pal. 2 et CCC voces *nihil ut de util.* omissae erant ob repetitum *nihil ut de.* Sed nec *utilitates* recte sic a *commodis* diiungi videntur, ut fit in hac repetitione vocis *nihil*, nec voluptas, quae praecipua est, hoc loco praeteriri potuisse. Itaque iam in ed. Iunt. scriptum est: *de voluptatibus*, probatumque a multis; quin recte coniungerentur *commoda* et *utilitates*, quod Davisius confirmandum exemplis putavit, nemo dubitarat. Nec tamen illa argumenta assensum extorquent. Nam et pro voluptate recte hic in rebus gravibus et tristibus nominatur sola ea, quae eius locum tenet, utilitas, ad quam deinde Torquatus maiorum suorum facta interpretando trahit (cfr. II, 82: *utilitatis causa — spe voluptatis*), et in huiusmodi oratoria unius notionis diiunctione multa sibi Cicero permittit; habet enim oratio hoc loco vehementiam quandam. Cfr. ad 29 et infra 50 (*nec divelli nec distrahi*).

ita ruant itaque turbent) *Itaque* habebant omnes Lbini codd., Pall. item omnes, Mor., Vict., Oxx. præter Eξ; Davisius *itaque* tenens tacet; sed ecce Gzius narrat universe, „scriptos cum olim vulgata" habere *atque*, ut tres suos optimos. Atqui de his optimis falli eum ostendit Erl.; fortasse igitur nullus codex praeter duos illos singulares Oxx. habet *atque*; Orellius ait, ita esse in ed. Ven. 1480; deinde sic edidit Victorius; *itaque* praeter CR etiam P. Marsus, Crat., cett. Aptissime sic Cicero dixit in brevi et concitata oratione. Coniunctionis Gzio ignotae *ita — itaque* tria exempla Handius habet III, p. 500, qui nescio cur antiquo

motus et impetus quo pertineant, non intellegamus; tu tam egregios viros censes tantas res gessisse sine causa? 35. Quae fuerit causa, mox videro; interea hoc tenebo, si ob aliquam causam ista, quae sine dubio praeclara sunt, fecerint, virtutem iis per se ipsam causam non fuisse. — Torquem detraxit hosti. — Et quidem se texit, ne interiret.

3. [*si obliquam* A¹] 4. *sint* E 5. [*is* A¹] *si* E *his* [A²] (P) CROr. *ipsam per se* COr. *tamen* (pro *causam*) C 6. *te* (pro *se*) E *interirent* E

tempori eam ascribat; quattuor alia posui in Epist. ad Orellium p. 85; poteram plura; nihil enim vulgatius. Deinde *turbent* praeter Pal. 1 et Erl. habebant codd. Mor. et Vict., hoc est, meliorum familia; habebant etiam Lbiniani et ex minus bonis Pall. 2 et 4; Dav. (*turbent*) nihil dixit; *turbentur* Pall. deteriores duo (5, 6; 3 *trahantur*), Oxx. omnes. Gzius flagitiose „codices tantum non omnes" hoc habere scripsit, Erl. et Spir. oblitus, recepitque. *Turbentur* (ab aliis) nihil est; *turbare* absolute dici, etiam a Cicerone, ut sit *turbas dare*, lexica docent. Nec de animo hic agitur, sed de corporis actu et motu non sine causa suscepto.

intellegamus) *intellegantur* codex Io. Fr. Gronovii ignotus et Dav. pessimus, CCC, quod Gronovius attractionis specie exornabat. Quod sequitur *videro*, de eo exposui in disputat. de formis quibusdam verbi Latini, Opusc. Acad. II, p. 92 et 96.

35. *per se ipsam*) Sic etiam [A,] Vict. cod. et „bini" Gzii.

Et quidem se texit) De harum particularum usu in eius, quod ex adverso dictum esset, et concessione et elevatione exposui in Emendatt. libello (1826) p. 90 sqq. multosque Ciceronis locos explicavi. *Et* annectit observationem, *quidem* ad eius potestatem attendi iubet. Miror prorsus neglectum esse hoc genus ab Handio in particula *Et*. Singulare aliquid habet locus de Divin. II, 114, ubi expressae concessioni annectitur elevatio: *Ille vero, et ea quidem* (id est, sed nihil nisi ea), *quae omnes eo tempore, ne acciderent, timebamus*. Rarius omittitur *et*, ut hic post pauca verba: *In oculis quidem exercitus*, nec tamen numquam; vid. Verr. I, 25: *Causam, inquit, cognosci oportet. Ea re quidem, quod aliter condemnari reus non potest* (ergo accusatoris causa id est institutum, non rei); ibd. IV, 20: *At publice commodasti. Non sine magno quidem rei publicae detrimento*; pro Caec. 8 (e cod. palimpsesto): *Est enim turpe iudicium. Ex facto quidem turpi. Videte* etc. De N. D. III, 82: *At Phalaris, at*

— At magnum periculum adiit. — In oculis quidem exercitus.)— Quid ex eo est consecutus? — Laudem et caritatem, quae sunt vitae sine metu degendae praesidia firmissima. — Filium morte multavit. — Si sine causa, nollem me ab eo ortum, tam importuno tamque crudeli; sin, ut dolore suo sanciret militaris imperii disciplinam exercitumque in gravissimo bello animadversionis metu contineret, saluti prospexit civium, qua intellegebat contineri suam. 36. Atque haec ratio late patet. In quo enim maxime consuevit iactare vestra se oratio, tua praesertim, qui studiose antiqua persequeris, claris et fortibus viris commemorandis eorumque factis non emolumento aliquo, sed ipsius honestatis decore laudandis, id totum evertitur eo delectu rerum, quem modo dixi, constituto, ut aut voluptates omittantur maiorum voluptatum adipiscendarum causa aut dolores suscipiantur maiorum dolorum effugiendorum gratia.

XI. 37. Sed de clarorum hominum factis illustribus

1. [*ad magnum* AEh] *quidem* om. L 5. *inoportuno* C 6. *sentiret* E 7. *metum* E 9. *atque ad haec* LPMCR *satis* (pro *late*) C 10. *nostra* E 11. *prosequeris* L *virum* (pro *viris*) P 13 *quaeritur* C [*deflectu* A] *deflexu* P *defluxu* E 15. [*adispicarum causa aut* |' *lores* A']

Apollodorus poenas sustulit. Multis quidem ante cruciatis et necatis.

est consecutus) In editiones inde a Manutio irrepserat *consecutus est.* Revocavit alterum Gzius ex Erl., Spir., Gud. 1, Bas.

36. *Atque haec ratio*) Commune mendum est deteriorum *atque ad haec*; nam sic ξχ et „plures" Gziani.

factis non emolumento aliquo — laudandis) In his ablativum non tam causam significare, ut pro *propter* positus sit, quam qua parte res censeatur et aestimetur, recte Otto intellexit; eodem modo 42: *gubernatoris ars — utilitate, non arte laudatur.* Ne illud quidem longe discedit, quod II, 83 legitur: *si fructibus et emolumentis et utilitatibus amicitias colemus*; est enim fere: pro portione fructuum etc. [Gramm. Lat. § 255 b.]

delectu) Aberratum in archetypo; nam etiam mg. Crat. *deflexu*, cod. Vict. *deflectu*, et Gzius scribas ait „in omnia alia, *deflexu*, *defluxu*, *defectu*, vagari".

Cap. XI, 37. *dictum est*) Recepi hoc ex Spir. et Gud. 1, quod et indicativus accommodatior videbatur (cfr. ad Att.

et gloriosis satis hoc loco dictum est. Erit enim iam de omnium virtutum cursu ad voluptatem proprius disserendi locus. Nunc autem explicabo, voluptas ipsa quae qualisque sit, ut tollatur error omnis imperitorum intellegaturque, ea, quae voluptaria, delicata, mollis habeatur, disciplina quam gravis, quam continens, quam severa sit. Non enim hanc solam sequimur, quae svavitate aliqua naturam ipsam movet et cum iucunditate quadam percipitur sensibus, sed maximam voluptatem illam habemus, quae

1. *dictum sit* omnes, Or. 3. *ipsa* om. L 4. *omnium* E 5. *disciplinata* [A]EP 6. [*sit* om. A¹] 9 *illam voluptatem* LPMCROr.

VI, 9, 1: *quare de hoc satis*; omittitur *est*, non *sit*); et longe facilius ex *est* fit *sit* quam contra.

proprius disserendi locus) Cap. 13 sqq. *Cursus* non de studio dicitur, sed de via et, ut barbare dicitur, directione, ut *eo cursu* pro Planc. 17; cfr. de leg. agr. II, 44.

Nunc autem explicabo etc.) Epicuri doctrina de duplici genere voluptatis, quarum altera esset *ἐν κινήσει*, quae sensus iucunditate aliqua moveret, altera *ἐν στάσει* (*καταστηματική*), quae efficeretur omni dolore detracto (*stantem* et *moventem* Cicero in libro II appellat), exponitur breviter nec constantissime, si cum reliqua doctrina de origine voluptatis compares, apud Diog. Laërt. X, 136, Clem. Alexandr. Stromat. II p. 179 Sylb. Tertia est Epicuri sententia apud Diog. X, 139 (Gell. II, 9, Sext. Emp. adv. Mathem. I, 273, 283): *Ὅρος τοῦ μεγέθους τῶν ἡδονῶν ἡ παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις.* Coniuncta cum hac sententia erat duodevicesima, quam Cicero paulo post exprimit (Diog. X, 144): *Οὐκ ἐπαύξεται ἡ ἡδονὴ ἐν τῇ σαρκί, ἐπειδὰν ἅπαξ τὸ κατ' ἔνδειαν ἀλγοῦν ἐξαιρεθῇ, ἀλλὰ μόνον ποικίλλεται.* In epist. ad Menoec. (Diog. X, 128) Epicurus animi et corporis quietem coniungit: *Τούτου γὰρ χάριν ἅπαντα πράττομεν, ὅπως μήτε ἀλγῶμεν μήτε ταρβῶμεν· ὅταν δὲ ἅπαξ τοῦτο περὶ ἡμᾶς γένηται, λύεταί πως ὁ τῆς ψυχῆς χειμών. οὐκ ἔχοντος τοῦ ζώου βαδίζειν ὡς πρὸς ἐνδέον τι καὶ ζητεῖν ἕτερον, ᾧ τὸ τῆς ψυχῆς καὶ τὸ τοῦ σώματος ἀγαθὸν συμπληρωθήσεται.*

naturam ipsam movet) Non satis apparet, cur *ipsam* addatur; sed natura non alia est ac sensus; videtur igitur Cicero sic loqui, tamquam altera voluptas non sit in sensu. Atqui non dolendi voluptas sentiri tamen debet.

percipitur omni dolore detracto. Nam quoniam, cum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiae gaudemus, omne autem id, quo gaudemus, voluptas est, ut omne, quo offendimur, dolor, doloris omnis privatio recte † nominata est voluptas. Ut enim, cum cibo et potione fames sitisque depulsa est, ipsa detractio molestiae consecutionem affert voluptatis, sic in omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis. 38. Itaque non placuit Epicuro, medium esse quiddam inter dolorem et voluptatem; illud enim ipsum, quod quibusdam medium videretur, cum omni

1. *quoniam* om. E *privamur omni dolore* E 3. *omne autem* — *gaudemus* om. C *autem* om. E *esset* E 5. *est nom.* C 7. *motio* R 8. *effecit* R 9. *quoddam* ELOr. 10. *videtur* omnes, Or. *cum* om. Or.

ut omne) Editiones pleraeque a Victorio ad Ernestium et Bremius *ut omne id*, contra codices (Oxx., cett.)

38. *medium quiddam*) [Sic A.] *Quoddam* etiam Spir., Oxx. Eξ, recepitque Gzius; alioquin enim *quidquam* poni debuisse. Ex hac quidem parte eadem ratio est substantivi pronominis et adiectivi; sed negatio pertinet ad definitam notionem certi cuiusdam medii; deinde non solet Cicero huiusmodi adiectivis, quale est *medium*, adiectivum pronomen addere. Cfr. ad 18.

illud enim ipsum etc.) Primum tenendum est, non posse divelli has voces: *illud enim ipsum, quod*, ut illa: *quod* — *videtur* (sic enim est in codd. et edd. omnibus) e Torquati persona pro parenthesi interponantur, quod svadebat Matthiaeus, ut deinde appositione adiungeretur: *omni dolore carere*. secutusque est Gzius in alia scriptura. Et sane haec est necessaria pars Epicuri orationis, qua declarabat, quid de eo iudicaret, quod alii medium putarent. Sed tum non minus necessario scribendum erat *videretur*, quae lenissima mutatio iam Rathio in mentem venerat. Tum edebatur: *cum omni dolore caret*, vitiose et contra codices, qui habent *careret* (Maffei lib., cod. Vict., Pall. omnes, Parr. tres, Mead., Ball., Oxx. Uχψ, Gzii quattuor; alterum annotatur e CCC et Eliensi utroque). Sed quaeritur, quodnam sit subiectum. Gzius putat esse *voluptatem*, tamquam quis in voluptate medium illud posuerit inter voluptatem et dolorem et tamquam Epicuro dicendum fuerit, voluptatem esse voluptatem. Ergo cum in Morelii cod. (ut in I. F. Gronovii) abesset *cum*, Morelius et Manutius scribendum putaverunt: *omni dolore carere*, idque Lambinus et alii receperunt, ad sententiam fere recte. nisi quod ad medii notionem constituendam requirebatur

dolore careret, non modo voluptatem esse, verum etiam summam voluptatem. Quisquis enim sentit, quemadmodum sit affectus, eum necesse est aut in voluptate esse aut in dolore. Omnis autem privatione doloris putat Epicurus terminari summam voluptatem, ut postea variari voluptas distingvique possit, augeri amplificarique non possit. 39. At etiam Athenis, ut a patre audiebam, facete et urbane Stoicos irridente, statua est in Ceramico Chrysippi sedentis

1. *caret* C *carere* Or. 2. *et quisquis* C 3. [*effectus* Eh] 4. *omni* omnes. 5. *numerari* C 6. *distingvi possitque* L 7. *e patre* [Eh]Or. 8. *arridente* [A]EPMCR *ridente* LOr.

etiam alterum: *et omni voluptate.* Sed nulla mutatione opus est; subiectum enim est *illud ipsum*, hac sententia: Is ipse status, qui aliis medius videtur inter dolorem et voluptatem, cum nullum habeat dolorem, ipsa voluptas est. Non minus recte status aliquis et genus vitae *carere dolore* dicitur quam homo; vid. II, 42: *vacuitas doloris, quae, etiamsi malo caret* etc.

Omnis autem privatione doloris) Sic mendum codicum (*omni*) ex vicinitate vocum ortum corrigendum esse monuit Morelius, correxerunt Lbinus, Dav., cett. Neque enim de quavis privatione doloris agitur, sed de omnis doloris, *παντὸς τοῦ ἀλγοῦντος.*

39. *At etiam Athenis*) Statuam Chrysippi in Ceramico positam commemorat etiam Diog. Laërt. VII, 182; interiorem, celebrem locum, recte Menagius intellexit ex Pausan. I, 17, 2, ubi statua illa dicitur fuisse *ἐν τῷ Πτολεμαείῳ* prope forum.

ut a patre audiebam) *E patre* Erl., Spir., Gud. 2, editionesque Crat. et Victorii; [sed *a* cum ceteris tenet A]. Sane saepius Cicero *audire ex* aut *de aliquo* dixit, rarius *audire ab al.* In Vat. 37 meliores codd. habent *audire te*, id est, *e te.* Cat. Mai. 43 pro *a maioribus* cod. Paris. habet *ea a maioribus*, ambigua scriptura, sed magis inclinante ad *e* aut *ex*, [Leid. *ea mai.*], Erf. *e.* mox tamen omnes *a senibus* et paulo post Par. et plerique *audisset a Thessalo*, deinde autem omnes *ex eo audientes.* Ad Att. II, 24, 3 editio Ascens. I, Crat., Lamb. *audisse ex Curione*, ceteri *a*; Tusc. III, 30 omnes constanter *a docto se audisse.* Eodem modo Cicero et *ab aliquo* et *de al.* et *ex al. quaerere* dixit. [Ad Fam. X, 28, 3 mire haec coniunguntur: *illa cognosces ex aliis, a me pauca.*]

Stoicos irridente) Quod ex meis unus L habet, *ridente*, Gzius e Spir. edidit, modo tuta fides sit; ceteri codd. (Tosani,

porrecta manu, quae manus significet, illum in hac esse rogatiuncula delectatum: Numquidnam manus tua sic affecta, quemadmodum affecta nunc est, desiderat? — Nihil sane. — At, si voluptas esset bonum, desideraret. — Ita credo. — Non est igitur voluptas bonum. Hoc ne statuam quidem dicturam pater aiebat,

3. *quemadmodum affecta* om. R 4. *At si — credo* om. C *homini* (pro *bonum*) M *desideraret — bonum* om. E 6. *quam dicturam* E *dicturam quidem* PCR *dicturam* L

Pall. 1 et 3, Oxx. EUχψ, Gzii reliqui) *arridente*, quod ferri nequit; sed ex eo probabiliter Manutius *irridente*, quod tamen e Gruteri Davisiique silentio non sequitur in iis codd., de quibus taceatur, fuisse. *Facetiae* in irrisione magis apparent quam in risu.

in hac esse rogatiuncula delectatum) *Delectari in aliqua re* bis alibi dixit Cicero, ad Fam. VI, 4, 4 (*in hac inani prudentiae laude delector*) et Legg. II, 17 (*in hoc admodum delector*), occasionem delectationis significans; in Lael. 97 non recte Orellius e Beda et uno nullius pretii cod. addidit *in*; *delectari in assentatione* potius ipse assentator diceretur; simile est *laetari* et *gloriari in aliqua re.* Non necessaria igitur Gzii suspicio, *delectatum* delentis; nam ex eo, quod artifex eum in hac potissimum rogatiuncula occupatum finxerat, intellegebatur, eum omnino ea delectatum esse. *Rogatiunculam* Cicero dixit totum syllogismum, ut alibi *interrogationem*, *interrogare* (lexicis add. huius operis IV, 7, de Fato 28, Senec. Epist. 82, 9), Graecum *ἐρωτᾶν, λόγον ἐρωτᾶν, συνερωτᾶν* exprimens. Origo sic loquendi ex hoc ipso syllogismo apparet.

Numquidnam manus tua) Solebat Chrysippus quaerere ex eo, quicum colloquebatur; artifex non poterat rem significare nisi ipsius Chrysippi manu porrecta.

ne statuam quidem dicturam) *Quam* in Erl. nihil est nisi ipsum *quidem*, solita illius librarii confusione (vid. II, 5, 17, 23, III, 68, V, 55, 88). Alibi *quid* scribit (II, 82, V, 3, 6, 30, 31 cett.) aut *quid est* (II, 79) aut *quod* (I, 53, 56). Itaque soli deteriores discrepant, *dicturam quidem* transponentes, etiam tres Gzii. Ruhnkenius (ad Rutil. p. 129) cum in cod. Leidensi *quidem* abesse vidisset, probavit omissionem habuitque assentientem Gzium, qui nescio quid de sono balbutit. Si quis diligenter locos eos examinaverit, qui proferuntur, ut *ne* pro *ne-quidem* dictum esse ostendatur (vid. interpretes, qui citantur a Ramshornio p. 885 ed. 2 [et Hand.

si loqui posset. Conclusum est enim contra Cyrenaicos satis acute, nihil ad Epicurum. Nam si ea sola voluptas esset, quae quasi titillaret sensus, ut ita dicam, et ad eos cum svavitate affiueret et illaberetur, nec manus esse con-

1. Post *posset* add. *verum* LPMCR *igitur* (pro *enim*) L 3. *et ea ad* C

Turs. IV, p. 69, 70]), primum reperiet, hic illic in deterioribus quibusdam codd. excidisse *quidem*, quod sit in optimis, ut h. l., ut supra 19, paucos illos esse locos, in quibus in omnibus codd. omittatur, magnam partem eiusmodi, ut, qui exciderit, facile appareat (ut II Acad. 52 ante *quae*); deinde aliquot locos eiusmodi esse videbit, ut et sententia et codices non solum *quidem*, sed etiam *ne* eiciant et longe aliam scripturam postulent, velut hic II, 55 et V, 20 extr.; tum alias quoque vehementer dubitandi causas cognoscet, velut illam, quod ex toto Livii opere unus profertur huiusmodi locus ex ea parte, quae in uno cod. Laurishamensi extat, XLIV, 36, 8; postremo in aliquot locis etiam singulari quadam orationis forma ac necessitate requiri *ne* — *quidem* animadvertet, cum negative concludatur, de quo genere exponetur in exc. ad II, 25. Neque ulla ratione defenditur particulae *quidem* omissio; neque enim intentio illa negationis, quae inesse debet, est in solo *ne*, quod ut pro *non* in hac significatione retineretur ex antiquo sermone, ipsa altera particula adiecta et pronuntiandi ratio effecit; postea autem adeo *ne* pro *non* obsoleverat, ut solum poni incipere non potuerit. Itaque ego ne poëtas quidem *ne* pro *ne* — *quidem* dixisse concesserim, velimque animadverti, solius Horatii (Sat. II, 3, 262) et Persii (V, 172) eandem rem ex Horatio narrantis auctoritatem proferri, neutram a codicibus firmam.

si loqui posset) *Verum* additur etiam in aliorum codd. deterioris generis, Davisianis quinque, Oxx. duobus, Gzianis praeter Erl. et Spir. Quis editorum primus sustulerit, nescio; habet Marsus, non Crat.

nihil ad Epicurum) In Pison. 68: *recte an secus, nihil ad nos aut, si ad nos, nihil ad hoc tempus*; cfr. de Divin. II, 78, Verr. I. 116: *quid ad praetorem?* Nam aliter dicitur in comparando *nihil ad Caelium, nihil ad Persium.*

titillaret sensus) Epicuri verbum est, ut ait Cicero I N. D. 113, Graecum γαγγαλίζω, γαργαλίζω.

affiueret et illaberetur) Nimis diligens fuit nec tamen satis attendit Lambinus, qui *allaberetur* scribi voluit; nam primum *affluit* voluptas, deinde *illabitur* et se insinuat.

tenta posset nec ulla pars vacuitate doloris sine iucundo motu voluptatis. Sin autem summa voluptas est, ut Epicuro placet, nihil dolere, primum tibi recte, Chrysippe, concessum est, nihil desiderare manum, cum ita esset affecta, secundum non recte, si voluptas esset bonum, fuisse desideraturam. Idcirco enim non desideraret, quia, quod dolore caret, id in voluptate est.

XII. 40. Extremum autem esse bonorum voluptatem, ex hoc facillime perspici potest: Constituamus aliquem magnis, multis, perpetuis fruentem et animo et corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediente nec impendente; quem tandem hoc statu praestabiliorem aut magis expetendum possimus dicere? Inesse enim necesse est in eo, qui

1. [*nec ulla par* A] *ut ulla pars* E *ulla* (om. *nec* et *pars*) ceteri, Or. 4. *effecta* E 5. *secundum si non recte vol.* E 10. *perpetuisque* L 11. *nec* om. E (priore loco) *impediente* (pro *impendente*) L 13. *possumus* ELMOr. *quia* E

nec ulla pars vacuitate doloris) Postulabant hanc scripturam, a Th. Bentleio et Davisio probatam, vestigia in Pal. primo manifesta, in Erl. obscuriora, in ceteris paene oblitterata; nam in El. 2 ad marginem scriptum erat: *Alii ut ulla pars vacuitate*; in margine Crat. ad *ulla vacuitate* annotatum est: „*illa*; alii, *ut ulla pars vacuitate*"; Bas. habebat: *posset ne ulla parvitate doloris*; postulare etiam sententia et oratio videbatur. Neque enim ullus hic est descensus neque ad praecedentem negationem adiunctio in voce *manus*, ut *nec* pro *ne — quidem* accipi vix recte possit; ac si possit, non poni ita a Cicerone, evincam in excursu ad II, 25. Ne *ulla vacuitas* quidem recte dicebatur, cum una esset nec genere differret. Itaque Gulielmus *illa* scribebat, fortasse e codice aliquo; nam sic Gud. 2 (cfr. mg. Crat.). At *nullam partem*, non addito *corporis*, nimis infinite dici contendunt. Equidem ex eo, quod una aliqua corporis pars, manus, nominata esset, satis illud audiri potuisse credo, atque etiam in lib. II, 113 Ciceronem, cum ante *membra sensusque* nominasset, subiecisse opinor: *ut reliquae partes*, non: *ut reliquae corporis partes*.

Cap. XII, 40. *facillime*) In edit. Man. irrepsit *facile* propagatumque est ad alios. Paulo post *possimus* (praeter PCR) etiam Gud. 1 et 2, Bas. Ferri potest, ut cum condicione interrogetur. [Itaque nunc A secutus restitui.]

Inesse enim necesse est) Similis imago sapientis beati est apud Diog. Laërt. X, 133 in Epicuri ep. ad Menoec.: Ἐπεὶ

ita sit affectus, et firmitatem animi nec mortem nec dolorem timentis, quod mors sensu careat, dolor in longinquitate levis, in gravitate brevis soleat esse, ut eius magnitu-

3. *lenis* [A]LMC *et* (pro *ut*) E

τίνα νομίζεις εἶναι κρείττονα τοῦ καὶ περὶ θεῶν ὅσια δοξάζοντος καὶ περὶ θανάτου διὰ παντὸς ἀφόβως ἔχοντος καὶ τὸ τῆς φύσεως ἐπιλελογισμένου τέλος καὶ τὸ μὲν τῶν ἀγαθῶν πέρας ὡς ἐστιν εὐσυμπλήρωτόν τε καὶ εὐπόριστον, διαλαμβάνοντος, τὸ δὲ τῶν κακῶν ὡς ἢ χρόνους ἢ πόνους ἔχει βραχεῖς. Sequuntur plura de fatis, quae describendo corrupta sunt, et de fortuna, quam sapiens non timeat, cum praesertim iudicet *κρεῖττον εἶναι εὐλογίστως ἀτυχεῖν ἢ ἀλογίστως εὐτυχεῖν.* Sed apud Epicurum haec subiciuntur sententiae de voluptatis et virtutis coniunctione; apud Ciceronem haec nondum satis praeparata sunt, quod illas sententias, quibus hic utitur, nondum attigit, nec ex voluptatis perceptione sequitur, ut is, qui eam percipiat, sit sapiens Epicureus. Itaque fere eadem dicuntur infra c. XVIII. 57 sqq., ubi in epilogo comprehenditur tota Epicuri beatae vitae constitutio.

et firmitatem animi) De partitione coepta in voce *et*, deinde interrupta, vid. exc. I ad § 23. Volebat Cicero adiungere: *et tranquillitatem*, *cum divinum numen non horreat*, *et memoriam praeteritarum voluptatum*; pro his subiecit: *Ad ea cum accedit* etc.

mors sensu careat) Cfr. 49 et 62. Secunda est Epicuri sententia, praeter Diogenem (X, 139) a multis aliis commemorata: *Ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς· τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς.* Vertit Cicero II, 100. Cfr. Epicuri ep. ad Menoec. apud Diog. X, 124. Ut alii, Epicurus statum post mortem consolabatur; ipsum vitae desiderium et timorem dissolutionis non attingebat.

dolor in longinquitate levis) Quarta est Epicuri sententia (Diog. X, 140): *Οὐ χρονίζει τὸ ἀλγοῦν ἐν τῇ σαρκί, ἀλλὰ τὸ μὲν ἄκρον τὸν ἐλάχιστον χρόνον πάρεστι, τὸ δὲ μόνον ὑπερτεῖνον τὸ ἡδόμενον κατὰ σάρκα οὐ πολλὰς ἡμέρας συμβαίνει, αἱ δὲ πολυχρόνιοι τῶν ἀρρωστιῶν πλεονάζον ἔχουσι τὸ ἡδόμενον ἐν τῇ σαρκὶ ἤπερ τὸ ἀλγοῦν.* (Recte habere videntur verba *τὸ δὲ μόνον — συμβαίνει*, quae omnes tentant; Epicurus tres quasi gradus esse vult: summus dolor brevissimus est; qui non summus et tantus tamen est, ut voluptatem in corpore vincat et obscuret, non longus; qui longus, ipse cedit saepe voluptati et per vices obscuratur.) Multa alia collegerunt Menagius ad Diog. 140 et Gatakerus ad Antonin. VII, 33;

dinem celeritas, diuturnitatem allevatio consoletur. 41. Ad ea cum accedit, ut neque divinum numen horreat nec praeteritas voluptates effluere patiatur earumque assidua recordatione laetetur, quid est, quod huc possit, quod melius

1. *elevatio* EC 2. [*nomen* Eh] 4 *huic* MCR *hinc* L

Cicero attingit hoc libro § 49, II, 22 et 94, Tusc. II, 45, V, 88. Brevitatem illam gravium dolorum mors afferebat: *Οἱ μεγάλοι πόνοι συντόμως ἐξάγουσιν, οἱ δὲ χρόνιοι μέγεθος οὐκ ἔχουσιν.* (Plut. de aud. poët. 14, p. 36 B.)

ut eius magnitudinem) *Et* etiam Spir. et Gud. 2; necessarium *ut* [A], quo significatur, ex illa doloris natura hanc repeti consolationem. *Elevatio* „bini" Gzii (alter Erl.), quod potius ex errore scribarum in composito nomine quam ex simplici (*levatio*) ortum est. *Elevatio* ipsa nihil ad hunc locum.

41. *neque divinum numen horreat*) quod di humanas res non curent neque iis irati offensique immisceantur. Vid. Epic. sententia prima (Diog. X, 139), I N. D. 45 sqq., cett.

neque praeteritas voluptates effluere patiatur) Hanc voluptatum memoriam Torquatus commemorat etiam 55 et 62; cfr. II, 104 et 105, Tusc. V, 96, Senec. de vita beata 6. E Graecis attingit Diog. Laërt. X, 137 et, de Cyrenaicis dicens, II, 89: *Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ κατὰ μνήμην τῶν ἀγαθῶν ἢ προσδοκίαν ἡδονήν φασιν ἀποτελεῖσθαι. ὅπερ ἤρεσκεν Ἐπικούρῳ.* Cum voluptas animi, qui ipse corporeus erat, ex affectione corporis necessaria quadam vi oriretur, quaerendum videtur fuisse, qui posset memoria corporis aut etiam animi prius aliter affecti vim ullam habere ad eam affectionem corporis et propter id animi, quae nunc esset, mutandam. Sed Epicurus hoc de memoria praeteritorum, spe futurorum, ut alia, ex communi quadam opinione disciplinae addiderat exornata et aucta.

quod huc possit — accedere) *Huic* quattuor, ut videtur, Pall. habebant, e Davisianis quattuor. Oxx. omnes (id est, tres praeter duos Davisii). Gud. 2, *hinc* Gud. 1 et Bas. *Huc* profertur etiam e Spir. et duobus Pall. [A]. Tum *accedere* fere Lbiniani, Pall. omnes. [etiam A.] Davisii saltem quattuor iidem, Oxx., excepto ξ, Gzii Gud. 2 et „plerique". *Accidere* etiam Spir. Tenendum videtur *huc*, quod trahit *accedere*; nec *accidere* aptum hoc quidem loco videtur, de cumulo felicitatis. Offensio, quae est in *accedit* et *accedere*, non durior est quam II N. D. 145 in *cognoscunt* bis posito aut Divin. I,

sit, accedere? Statue contra aliquem confectum tantis animi corporisque doloribus, quanti in hominem maximi cadere possunt, nulla spe proposita, fore levius aliquando, nulla praeterea neque praesenti nec expectata voluptate; quid eo miserius dici aut fingi potest? Quod si vita doloribus referta maxime fugienda est, summum profecto malum est vivere cum dolore; cui sententiae consentaneum est, ultimum esse bonorum cum voluptate vivere. Nec enim habet nostra mens quidquam, ubi consistat tamquam in extremo, omnesque et metus et aegritudines ad dolorem referuntur, nec

1. *accidere* E [*tanti* Eh] 2. *homine* LPMCR *maxime* ECR 3. *cuius* (pro *levius*) C *aliquanto* [A:h]C *nulla terra nec praesenti* C 4. *neque exp.* LPMROr. 5. *quid si* E 7. *cum doloribus* C 8. *hic* (pro *nec*) C

129 (*sentiunt inter se*, *quid quisque sentiat*), maximeque I Off. 8: *sic definiunt* — *ut* — *definiant.*

nulla praeterea neque) Pro *praeterea*, quod tuentur etiam ceterorum codices (Mor., Vict., mg. Crat., cett.), unus, de quo constet, cod. ξ et aliquot edd. (Crat., Vict.) *praeterita*, quod ortum est eorum correctione, qui tria tempora notari nec praeteritarum voluptatum memoriam praetermitti volebant. Praetermisit eam Cicero etiam II, 63. Vix fingi quisquam poterat, qui nullam umquam voluptatem cepisset; poterat, qui nec nunc ulla frueretur nec spem definitam futurae haberet.

cui sententiae consentaneum est etc.) Hanc sententiae appendiculam, qua in memoriam revocatur, quod initio capitis positum erat, plures, Th. Bentleio principe, damnarunt. Recte Bremius, frustra Gzio contra clamante, melius haec afutura fuisse putat, cum de summo malo pergat oratio, sed similes appendices sententiarum ad contrariam partem spectantes saepius a Cicerone adiungi, velut II, 86, ubi ad proximam disputationem de beata vita nihil pertineant verba: *item contra miseriam omnem in dolore.* Add. V, 90, ubi cum de solis *productis* Cicero loqueretur, adhaesit e contrario *et reducta*, in quo offendit Davisius.

quidquam) Quod facile ex adiunctis auditur *aliud* (*praeterea*), Lambinus addebat; similia annotavi ad 18. Mox metus esse venientium malorum, aegritudines praesentium, ut exponitur in tertio et quarto Tusculanarum, dico propter Gzii annotationem.

praeterea est res ulla, quae sua natura aut sollicitare possit aut angere. 42. Praeterea et appetendi et refugiendi et omnino rerum gerendarum initia proficiscuntur aut a voluptate aut a dolore. Quod cum ita sit, perspicuum est, omnes rectas res atque laudabiles eo referri, ut cum voluptate vivatur. Quoniam autem id est vel summum vel ultimum vel extremum bonorum (quod Graeci τέλος nominant), quod ipsum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes, fatendum est, summum esse bonum iucunde vivere.

XIII. Id qui in una virtute ponunt et, splendore nominis capti, quid natura postulet, non intellegunt, errore maximo, si Epicurum audire voluerint, liberabuntur. Istae enim vestrae eximiae pulchraeque virtutes nisi voluptates efficerent,

2. *tangere* [A]EPR *frangere* LMC 4. *aut dolore* E *et cum* (pro *quod cum*) C 5. *ferri* LMC 7. *bonorum* transp. post *summum* PMCROrL (hic *bonum*) [*telos* A] *et ipsum* C *quo ipsum* R 8. *aliam ad* L *feruntur* [A] LMR [*ferentur* Eh] 10. *quidem in* L *una* om. C 12. *voluerunt* E *liberantur* LPMCR 13. *nostrae* C *voluptatem* [A]LPMROr.

aut angere) Duplicata littera factum est *aut tangere* (in Pall. quinque, aliquot Dav., Oxx. Uχ, Gzii omnibus); hinc corrector in Eξ effecit *frangere*, quod Manutius et Lambinus receperunt. Verum primus Victorius edidit. *Angor* cum sollicitudine coniungitur (Tusc. IV, 18); *sollicitare et angere* Cicero aliquotiens dixit (ad Att. I, 18, 1, ad Q. Fr. III, 3, 1).

42. *extremum bonorum*) Hoc loco ponitur *bonorum* praeter [A et] Erl. in Spir. et Gud. 2. Cod. Mor. omittere hoc vocabulum dicitur; vereor, ne tantum transposuerit.

quod ipsum — ad id autem) Relativa sententia, cum adversative sic continuatur, ut opus sit pronomine expresso, naturali quodam orationis flexu transit in demonstrativam; cfr. II, 5. Latini non solum hoc modo saepe locuti sunt, sed, ut opinor, altero (*ad quod autem*) numquam. Dixi de hoc genere in disput. alt. de Iuvenale, Opusc. Acad. II, p. 177 sq., paulo distinctius quam Wopkensius, Heindorfius, Ellendtius (ad Brut. 258), Kritzius (ad Sallust. Iugurth. 101, 5).

Cap. XIII. *liberabuntur*) *Liberantur* etiam Oxx. Uχ et sine dubio deteriores longe plurimi, etsi tacent Dav. et Gzius. *Liberabuntur*, nescio a quo primum ascitum (est apud Crat., non apud Mars.), a Man. et Lbino neglectum, Gruterus revocavit, cum in membranis Pall. [hoc est, in A] repperisset.

Istae enim vestrae virtutes) Nota Epicuri sententia, διὰ τὴν ἡδονὴν καὶ τὰς ἀρετὰς αἱρεῖσθαι, οὐ δι' αὐτάς, ωσπερ τὴν ἰατρικὴν

quis eas aut laudabiles aut expetendas arbitraretur? Ut enim medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonae valetudinis causa probamus, et gubernatoris ars, quia bene navigandi rationem habet, utilitate, non arte laudatur, sic sapientia, quae ars vivendi putanda est, non expeteretur, si

1. [*arbitretur* A¹] 2. *sententiam* C

διὰ τὴν ὑγίειαν (Diog. X, 138 ex Epilectis Diogenis Tarsensis; ea est ipsa comparatio, quam Cicero posuit); superbius quodam modo ipse Epicurus in libro *περὶ τέλους* apud Athenaeum XII, 546 F: *Τιμητέον τὸ καλὸν καὶ τὰς ἀρετὰς καὶ τὰ τοιουτότροπα, ἐὰν ἡδονὴν παρασκευάζῃ· ἐὰν δὲ μὴ παρασκευάζῃ, χαίρειν ἐατέον.* Itaque instrumenti loco virtutem voluptati inseparabilem adhaerere statuebat; est enim quinta Epicuri sententia (Diog. 140): *Οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως, οὐδὲ φρονίμως καὶ καλῶς καὶ δικαίως ἄνευ τοῦ ἡδέως*, quae vertuntur hic § 57. Sed inter virtutes, quarum genera et discrimina ipse Epicurus subtiliter persequi omiserat, sic prima ponitur prudentia illa (*φρόνησις*), quae proprie erat rerum expetendarum fugiendarumque scientia (ut a Stoicis definiebatur, Off. I, 153), ut, quoniam haec theoretica, ut nunc loquimur, virtutis pars erat, cum ipsa sapientia (*τῇ σοφίᾳ*) confundatur, eique praeter rerum bonarum et malarum cognitionem tribuatur etiam aliorum errorum, ut de dis, de morte, depulsio. Hanc etiam Epicurus (epist. ad Menoec. apud Diog. X, 132) ceterarum virtutum matrem facit. Nec Stoici semper id discrimen servarunt, quod I Off. 153 exponitur, cum praesertim sapientia omnes virtutes comprehenderet. *Voluptates* recte Erl. [et B], quoniam ad *virtutes* (non *virtutem*) hoc refertur.

sapientia — ars vivendi) Tralaticium hoc apud omnes veteres philosophos; ut satis sit ex hoc ipso opere citasse lib. III, 4 et V, 16 et Acad. II, 23; cfr. Sext. Emp. XI adv. Mathem. 168 sqq. (*εἰ ἔστι τις τέχνη περὶ τὸν βίον*). Ceterum non multum ab Epicuro discedebat Carneades exemplisque utebatur iisdem in illa sua parum seria de summo bono disputatione; vid. V, 16, ubi *prudentia* est, quae hic *sapientia*. Sed omnino cum veteres philosophi docerent fere communiter *τὴν φρόνησιν ποιητικὴν εἶναι τῆς εὐδαιμονίας* (Plut. de Stoic. repugn. 26, p. 1046 E, Sext. Emp. adv. Math. XI, 110 et 170 etc.) et ideo omnes sapientem semper beatum inducerent, non tam in primo hoc gradu discedebat Epicurus quam cum, quae esset et quo efficeretur *ἡ εὐδαιμονία*, quaerebatur. Paucis verbis ante Cicero commodius dixisset *non sua sponte* quam (*ars*) *non arte*; similiter II, 33: *natura — natura sua.*

nihil efficeret; nunc expetitur, quod est tamquam artifex conquirendae et comparandae voluptatis. 43. (Quam autem ego dicam voluptatem, iam videtis, ne invidia verbi labefactetur oratio mea.) Nam cum ignoratione rerum bonarum et malarum maxime hominum vita vexetur, ob eumque errorem et voluptatibus maximis saepe priventur et durissimis animi doloribus torqueantur, sapientia est adhihenda, quae, et terroribus cupiditatibusque detractis et omnium falsarum opinionum temeritate derepta, certissimam se nobis ducem

3. *ego* om. LPMCROr. 5. *et malarum* om. C 6. *purissimis* [A] EPR *pravissimis* MC *gravissimis* Or. 7. *adhibenda est* E *quod* P 8. [*erroribus* Eh] *falsorum opinione* L 9. *direpta* PMCR *directa* L *nobis* om. L

43. *ego dicam*) Pronomen addunt etiam [A,] Spir. et Gud. 2, id est, meliores; se a Cyrenaicis et vulgo seiungit.

et durissimis animi doloribus) Sumptum hoc e codicibus corrigendo emendatis, L et Pal. 2, sed proxime ad optimorum et mediocrium complurium scripturam (*purissimis*) accedit (Lbini omnium, Pall. 1, 4, 6, Parr. trium Dav., Ox. U); ceteri (Pall. 3, 5, Davisii tres, Oxx. duo, Gzii aliquot) *pravissimis*, e quo Lamb. *gravissimis*. Fateor, *durum* dolorem apud Ciceronem alibi non dici, et in hoc substantivo scriptores prosae orationis iis potius adiectivis uti, quae ab onere aut a tactu aut gustu imaginem traducant, cum hoc magis ad rigorem quendam spectet, ut aliter *dura condicio* dicatur et *servitus*. Sed tamen admodum propinqua haec sunt; et transierunt finem illum poëtae, quin ipse antiquus usus cotidianus, ut in *duro vino* apud Catonem.

est adhibenda) *Adhibenda est* Goer. ait scribi in Gud. 2 et Bas., Erl. et Spir. omittere *est*, falso de Erl., nec minus, opinor, de Spir. Eorum, qui verbo *est* bellum indictum habuerunt, hoc quoque praeceptum est, a Beiero ad Off. I, 25 ita expositum, ut in ea re unius codicis (nec genera is discernere in talibus rebus solebat) auctoritatem ceterorum consensui praelaturum se profiteatur, a Cicerone hoc verbum omitti solere apud gerundiva. Non omittit nisi in brevi sententia, initio periodi, cum rhetorica quadam gravitate.

terroribus) mortis et deorum, § 63.

temeritate derepta) Sic e suis Lbinus, Gruterus tacite; Gzii praeter Erl. et Spir. *direpta*, ut Dav. El. uterque, Mead., CCC, Ball., vel *diremta* (*dirempta* cod. Urs.). Insolens est *deripere alicui temeritatem* pro eo, quod est *detrahere*; simile tamen pro

praebeat ad voluptatem. Sapientia enim est una, quae maestitiam pellat ex animis, quae nos exhorrescere metu

1. enim om. E

Sulla 2: *quantum de mea auctoritate deripuisset*, et de prov. cons. 13: *haec vos de provinciis, si non aliquando deducendi essent, . . . deripiendos putaretis?* Et dicitur a Cicerone *eripere alicui errorem* (ad Att. X. 4. 6), *dolorem* (ibd. IX. 6. 5), *timorem* (in Cat. I. 18). Significantur opiniones animo firmiter inhaerentes. Dav. e tribus Parisinis et deinde Ern. *dempta*; dubito de codicibus. Val. Max. [etsi III. 2 E 4: *dereptum hostibus victoriam* dixit, tamen] scripseritne II. 9, 8 *dereptis equis publicis* pro *ademptis*, incertum puto: *demere* quidem (nam poterat ibi quoque in mentem venire *demptis*) cum dativo plerumque dicitur de mala re et onere. Tacitus Ann. II. 45 *tela Romanis derepta* dixit, sed de iis, quae mortuis detracta essent.

Sapientia enim est) In Spir., Gud. 2, Bas. Gzius *est enim* scribi dicit, cui hic eo magis credendum est, quod recte de Erl. annotavit. Ea est huius positus (*Sap. est enim*) ratio, ut, elata voce in primo vocabulo, quo gravissima notio contineatur, obscuretur enclitica; in altero positu vox minus in primum vocabulum incidit potiusque ad sequentia trahitur et ea insignit, ut paulo post: *Cupiditates enim sunt insatiabiles.* Cumque in huiusmodi sententiis, non solum in negativis (*nemo, nihil est*) et interrogativis, Latini plerumque primarium vocabulum in initium periodi retrahere possint, sane saepius Cicero scripsit *est* (*sunt*) *enim* (*autem, igitur*) quam *enim est*. [Contrarii positus locos numeravit Ellendtius ad Cic. de Orat. III, 120 p. 407. Utriusque generis numerandi erant per aliquot libros, quorum boni sunt codices, eique bene collati, tum videndum, num quid discriminis esset.] Hic quoque sic scribendum videretur, ut mox 47, nisi adderetur *una*. Hanc regulam, contrariam prorsus Gzii aliorumque praeceptis, qui, naturam encliticae vocis ignorantes, asseverationem aliquam in *est* secundo loco posito inesse putarunt, adhibito optimorum codicum testimonio in iis libris, quorum omnino boni codices sunt, et recta interpretatione stabilitum iri puto in re parva, sed multum iactata, ac ne ab Handio quidem (Turs. I, p. 578 sqq., II, p. 400 sqq.) optime expedita; quamquam is principium veri fere vidit, sed plura admiscuit nec vera nec inter se consentientia. Sed tamen ea fuit in re levi vel, opinor, scriptorum incuria vel librariorum licentia, ut loci aliquot vel in optimis codicibus repugnent, quos intactos relinquere praestat; velut *neque enim est* (*sunt*) legitur de R. P. I, 12, Lael. 47 et 48, [N. D. II, 37,] contrarium Tusc. I, 46

non sinat; qua praeceptrice in tranquillitate vivi potest, omnium cupiditatum ardore restincto. Cupiditates enim sunt insatiabiles, quae non modo singulos homines, sed universas familias evertunt, totam etiam labefactant saepe rem publicam. 44. Ex cupiditatibus odia, discidia, discordiae, seditiones, bella nascuntur. Nec eae se foris solum iactant, nec tantum in alios caeco impetu incurrunt, sed intus etiam in animis inclusae inter se dissident atque discordant; ex quo vitam amarissimam necesse est effici, ut sapiens solum, amputata

4. [*et* pro *etiam* Eh] 5. *dissidia* Or. 6. *eas se* E *hae sese* PCROr. *eae sese* LM *solum foris* L 9. *esse* (pro *necesse est*) E *circumcisa amputataque* L

[ubi cod. B Baiteri *enim est*; melius verbum abesset]. Atque in hac quoque re (cfr. ad § 14 de genetivi forma) apparet diversum iudicium librariorum eorum, a quorum codicibus singulorum librorum Ciceronianorum nostri derivati sunt; nam in libris de Officiis in multo pluribus locis quam alibi optimi codices *est* tertio loco habent contra illam regulam (vid. ex libro I § 27, 42, 53, 56, 61 (in codd.), 64, 68, 102, 104, 129, 131, 140, 154). Nobis in huiusmodi rebus difficile est perpetuum quendam Ciceronis morem invenire, periculosum in libris edendis sequi.

qua praeceptrice — *potest*) Paulo durius hoc propter adiectum *praeceptrice* seorsum extulit; expectabatur *possit*. Ceterum in *pellat* et *sinat* coniunctivus potestatem rei, non ipsam rem directo significat. Nam § 47 dicitur: *Temperantia est enim, quae monet*, et Lael. 84: *Haec est societas, in qua omnia insunt*, et ibd. 86: *Una est enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes consentiunt.* Haec in II de N.D. 133 tueri videntur receptam scripturam: *ratio est enim, quae praestat omnibus*; optimi tamen *praestet*; et legitur hic § 54: *voluptas est sola, quae nos vocet ad se.* [Durior etiam indicativus apud Livium IX, 3, 12.]

44. *odia, discidia*) Sic etiam Lambinus ex „omnibus suis vett. libris." *Dissidia* Davisius intulit ex El. utroque et CCC, (at Oxx. ex ξ annotant *discidia*), secutique pravam formam ceteri tacite. Vid. exc. ad h. l. Mox *nec hae sese* omnes edd., taceturque de codd. [Sed *eae se* A.]

ut sapiens solum) Expectatur *solus*; est enim: *nemo nisi sapiens*; atque ita e Lambini coniectura scripsit Ernestius. Defendit *solum* Bremius usu loquendi, quo Gzius non contentus ita disputat, ut eam ipsam regulam, quam illi in corrigendo

circumcisaque inanitate omni et errore, naturae finibus contentus sine aegritudine possit et sine metu vivere. 45. Quae est enim aut utilior aut ad bene vivendum aptior partitio quam illa, qua est usus Epicurus? qui unum genus posuit earum cupiditatum, quae essent et naturales et necessariae, alterum, quae naturales essent nec tamen necessariae, tertium, quae nec naturales nec necessariae; quarum ea ratio est, ut necessariae nec opera multa nec impensa expleantur; ne naturales quidem multa desiderant, propterea quod

4. [*que e usu Epicurus* A¹] *possit* E 5. *et* (prius) om. EL 6. *non tamen* E 9. *nec naturales* L

secuti erant, proponat paulo minus recte et exempla perversissima interpretatione ad eam accommodet. Latini solent adiectivo subiecti unitatem significare; nihil tamen prohibet, quo minus adverbium eodem modo ponant, quo *tantum*, *modo*; ita unitas subiecti ad totum enuntiatum transfertur. Itaque quod infra II, 45 est: *non sibi se soli natum*, id de Off. I, 22 est: *non nobis solum nati sumus*; cfr. hic III, 63: *immanes quaedam bestiae sibi solum natae sunt*, et Tusc. IV, 44: *neque vero solum hanc libidinem laudant, sed ipsum illud genus libidinis ad summam utilitatem esse dicunt a natura datum.*

inanitate) *Κενοδοξίαν* appellat Epicurus apud Diog. X, 149.

45. *Quae est enim utilior — partitio*) Tricesima est Epicuri sententia apud Diog. X, 149: *Τῶν ἐπιθυμιῶν αἱ μέν εἰσι φυσικαὶ καὶ ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ φυσικαὶ καὶ οὐκ ἀναγκαῖαι, αἱ δὲ οὔτε φυσικαὶ οὔτε ἀναγκαῖαι, ἀλλὰ παρὰ κενὴν δόξαν γινόμεναι.* Addit deinde ipse Diogenes exempla. Ad primariam bipertitae divisionis formam, quam Cicero II, 26 postulat, ipse haec revocarat Epicurus in ep. ad Menoec. apud Diog. X, 127. Pluribus Cicero hanc divisionem a multis veterum commemoratam exponit Tusc. V, 93 sqq.

et naturales) Gzius scribit, multos codices tresque suos omittere *et*; nemo, quod sciam, superiorum quidquam annotarat.

quarum ea ratio est) De orationis forma in verbis *ne naturales quidem multa desiderant* ab instituto cursu deflectentis dixi in exc. I (ad § 23), IX.

propterea quod ipsa natura) Epicurus in quarta decima sententia (Diog. X, 144): *Ὁ τῆς φύσεως πλοῦτος καὶ ὥρισται καὶ εὐπόριστός ἐστιν, ὁ δὲ τῶν κενῶν δοξῶν εἰς ἄπειρον ἐκπίπτει*, et in ep. ad Menoec. (§ 130): *Τὸ μὲν φυσικὸν πᾶν εὐπόριστόν ἐστι, τὸ δὲ κενὸν δυσπόριστον.* (Cfr. Tusc. l. c., ubi tollendum est grave mendum. Editur enim § 94: *eaeque voluptates singulatim*

ipsa natura divitias, quibus contenta sit, et parabiles et terminatas habet; inanium autem cupiditatum nec modus ullus nec finis inveniri potest.

XIV. 46. Quod si vitam omnem perturbari videmus errore et inscientia, sapientiamque esse solam, quae nos a libidinum impetu et a formidinum terrore vindicet et ipsius fortunae modice ferre doceat iniurias et omnes monstret vias, quae ad quietem et tranquillitatem ferant, quid est, cur dubitemus dicere, et sapientiam propter voluptates expetendam et insipientiam propter molestias esse fugiendam? 47. Eademque

4. [*quid si* A^{1}] 5. *inscitia* C *nos et libid.* L 6. *et formid.* LC 7. *modeste* C *doceat* (pro *monstret*) LPR om. MC 9. *voluptatem* LPMCROr.

extenuantur, *quarum genera non contemnunt*, *quaerunt tamen copiam*. Nec *extenuantur* et *non contemnunt*, nec *non contemnunt* et *quaerunt tamen* conveniunt; multo minus, quae de generibus sequuntur. Hic, ut alibi saepe, *non* natum ex *con*; fuerat enim scriptum: *quarum genera contemnunt*, *quaerunt tamen copiam*. Generatim contemnebant et extenuabant, velut obscenas, cibi, ceteras; vivere tamen in omnium copia malebant. Bentleius vitium orationis senserat, a sententia aberravit, ad quam propius accessit H. Wolfius, sed soloecam fecit orationem. Moserus nec retinere *non* nec tollere absurdum putat. O beatum criticum!) [Perverse contra dixit Kuehner, non intellegens ipsa genera singulatim extenuari.] Coniuncta huic sententiae erant, quae de frugalitate praecipiebantur; vid. II, 90.

Cap. XIV, 46. *inscientia*) *ignoratione rerum bonarum et malarum*, § 43. Perverse Eξ, Spir., Bas. *inscitia*, quae facultati aliquid recte et ordine, hoc est, scite agendi contraria est (ut *inscitia loquendi*, *negotii gerendi*), non cognitioni et intellegentiae. Vid. Gernhardus in exc. ad Cat. Mai.; tractavit rem etiam Otto ad h. l. Nescio tamen, cur I Off. 144 *inscitiam temporis* pro *inscitia temporis capiendi* nominatam non ferant.

a formidinum) Praepositionem, quam Dav. e Parr. tribus et Mead. addidit, habebant Oxx. Eξχ, Gzii omnes.

monstret) Cum Erl. faciunt Pal. 1, Spir., codd. Scalig., Mor., mg. Crat. Excidit verbum in vulgaribus (Pal. 5, χψ, Gud. 1); deinde substitutum *doceat* (Pall. quattuor, EUξ, Gud. 2). Mox *ἀπονία καὶ ἀταραξία* ab Epicuro laudata significatur.

47. *ut rationem*) In Manutianam irrepsit *rationem ut* (nam altero ordine etiam Marsus, Crat.), idque silentio propagatum est.

ratione ne temperantiam quidem propter se expetendam esse dicemus, sed quia pacem animis afferat et eos quasi concordia quadam placet ac leniat. Temperantia est enim, quae, in rebus aut expetendis aut fugiendis ut rationem sequamur, monet. Nec enim satis est iudicare, quid faciendum non faciendumve sit, sed stare etiam oportet in eo, quod sit iudicatum. Plerique autem, quod tenere atque servare id, quod ipsi statuerunt, non possunt, victi et debilitati, obiecta specie voluptatis, tradunt se libidinibus constringendos nec, quid eventurum sit, provident, ob eamque causam propter voluptatem et parvam et non necessariam, et quae vel aliter pararetur et qua etiam carere possent sine dolore, tum in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt, saepe etiam legum iudiciorumque poenis obligantur. 48. Qui autem ita frui volunt voluptatibus, ut nulli propter eas consequantur dolores, et qui suum iudicium retinent, ne voluptate victi faciant id, quod sentiant non esse faciendum, ii voluptatem maximam adipiscuntur praetermittenda voluptate. Iidem etiam dolorem saepe perpetiuntur, ne, si id non faciant, incidant in maiorem. Ex quo intellegitur, nec intemperantiam propter se esse fugien-

2. *affert* E *eo* L 4. *aut* (pro *ut*) *rat.* E *rat. ut* LOr. 5. *admonet* E 6. *et* (pro *sed*) E 8. *ipsi* om. LPMCROr. *possent* L 9. [*si* A¹] 10. *proventurum* LMCR *perventurum* P 11. [*non* om. A¹] 12. *etiam* om. C 16. *nullos* E *dolores consequantur* LPMCROr. *dolores* om. E 17. *sentiant* ELPMCROr. 18. *hi* [A²](PL)COr. [*in* Eb] 19. [*idem* A] *cum idem* C 20. [*non* om. A¹] 21. *nec* om. L *fugiendam esse* LPMCOr.

ipsi statuerunt) Sic etiam Spir. [et A]. Gravius sic notatur mollis inconstantia quam omisso pronomine.

nec, quid eventurum) Sic etiam Pal. 1, El. 2, Spir., mg. Crat. Idem ediderat Lambinus. Deteriores (Pall. et Davisiani reliqui, Oxx. Eψχ, Gziani tres) *proventurum*; Ox. U *perventurum*. Ursini codex, id est, coniectura: *porro eventurum*. Nulla hic continuatio et progressio significatur. Mox *vel aliter* (quoniam Bremius haesit) est: *si omnino quis eam desideraret, etiam aliter pararetur*.

48. *voluptatem — adipiscuntur*) Vid. 33. [Paulo ante *sentiant* nunc ex A et B receptum post Baiterum.] Paulo post *esse fugiendam* etiam Spir. [et A].

dam temperantiamque expetendam, non quia voluptates fugiat, sed quia maiores consequatur.

XV. 49. Eadem fortitudinis ratio reperietur. Nam neque laborum perfunctio neque perpessio dolorum per se ipsa allicit, nec patientia nec assiduitas nec vigiliae nec ipsa, quae laudatur, industria, ne fortitudo quidem, sed ista

5. *assiduitates* [A]PMCRE [Eh *assiduitas*] [*ea* (pro *nec*) *ipsa* A] *nec ea ipsa* LPMCROr. 6. *nec fort.* LC *et* [Eh]L (pro *sed*)

Cap. XV, 49. *nec assiduitas*) Emendatio haec est Manutii et Lambini, et iam ante veteris correctoris in L. Nam Pall. omnes *assiduitates*, tacentque Dav. et Oxx. Quod autem Gzius dicit, „potiores suos omnes" habere *assiduitas*, id, ut de Erl., sic de ceteris falsum est. [Confirmat tamen Halmius.] Teneo tamen singularem, quod nullus omnino hic locus est notioni subiectorum aut rerum, in quibus versetur, numero multiplicatae, sed generali, qualis est *patientia*, *industria*, videturque pluralis ortus esse ex sequenti *vigiliae*.

nec ipsa) Sic etiam Spir., Gud. 2, Bas. [In A *ea* ex *nec* factum.] Editiones ante Gzium omnes *nec ea ipsa*, taceturque de codd., nisi quod in ξ omittitur *ipsa*, in E utrumque pronomen. Non haec industria ab aliis separatur (velut a prava), sed universe industria ab aliis rebus; itaque nihil omnino huc pertinet quaestio de pronomine *ipse* pro *is ipse* posito. Sed *ipsa*, *quae laudatur*, ideo dicitur, quod haec tamquam propria quaedam virtus laudari in hominibus solet, non vigiliae, quae in hominibus non sunt, nec assiduitas, quae in certis actionibus spectatur, non in toto ingenio.

ne fortitudo quidem) Mali quidam codices, ut solent, *nec* (EUξ; multos Gzius dicit), quod si esset Latinum (vid. exc. ad II, 25), huius loci non esset, sive enumerationem finiri sive argumentum concludi iudicamus. Dubitatum est enim, quomodo extremo loco adhaereret ipsa fortitudo, cuius superiores partes essent. Itaque nuper Dietrichius (Quaestt. gramm. et critt. de locis aliquot Cic., Lips. 1835, p. 72) concludi rationem sic putavit: *itaque ne fortitudo quidem* (ut esset: *also auch nicht*); et dicitur sic *ne* — *quidem*; sed neque particula conclusionis index omitti poterat, neque, si a partibus ad totum ratio transferretur, recte deesset periculorum susceptionis mentio. Itaque fortitudinem sic tamquam summum adiungi puto, ut, cum ante eae res nominatae sint, quae sub ampliorem et latius patentem eius virtutis notionem cadant nec tamen eo nomine appellari soleant, hic ea intellegatur, quae magis proprie dicatur, quae

sequimur, ut sine cura metuque vivamus animumque et corpus, quantum efficere possimus, molestia liberemus. Ut enim mortis metu omnis quietae vitae status perturbatur, et ut succumbere doloribus eosque humili animo imbecilloque ferre miserum est, ob eamque debilitatem animi multi parentes, multi amicos, nonnulli patriam, plerique autem se ipsos penitus perdiderunt, sic robustus animus et excelsus omni est liber cura et angore, cum et mortem contemnit, qua qui affecti sunt, in eadem causa sunt, qua antequam nati, et ad dolores ita paratus est, ut meminerit, maximos morte finiri, parvos multa habere intervalla requietis, mediocrium nos esse dominos, ut, si tolerabiles sint, feramus, si minus,

1. *metuve* L 2. *possumus* L 4. [*et* om. A] 8. *tum* M om. C [*quum*] Or. [*qua quia* A^1Eh] 11. *quietis* C *medicorum* E 12. [*feramus* om. A^1] *sin* POr.

in periculis adeundis cernatur. Epicurus τὴν ἀνδρείαν φύσει μὴ γίνεσθαι, λογισμῷ δὲ τοῦ συμφέροντος putabat. (Diog. X, 120.)

plerique — perdiderunt) Narrat, quid saepe factum sit, ut intellegatur, quid fieri soleat. Dico propter Gzium, qui ludibrium aoristi adhibuit. [Op. Acad. II, p. 114.]

cum et mortem contemnit) Non causa indicatur, sed ipse status animi describitur adiungendis iis, in quibus appareat. [Gr. Lat. § 358 n. 2.]

in eadem causa, qua antequam nati) De re vid. ad § 40; de praepositione ante relativum omissa, cum audiatur, non exprimatur idem verbum, quod praecesserit, annotatum breviter ad § 32; pervagatum enim genus est et a multis commemoratum. Exempla Ciceroniana collegit Otto in exc. ad II, 13, 40. *Causa*, ut hic, de statu et condicione saepe ponitur ea coniunctione, ut aut *esse in aliqua causa* aliquis dicatur aut *haec vel illa alicuius esse causa.* Cicero (ad Att. XI, 13, 1) dixit etiam *venire in eam causam*, et quemadmodum I de Orat. 159 scripsit *causam imperii cognoscendam esse*, sic pro Sulla 32: *causam rei publicae non tenes.* Liv. XXXIX, 18, 5: *Magna vis in utraque causa virorum mulierumque fuit.*

si minus) [Sic A, Gzii omnes, confirmante de Erl. Halmio.] Edebatur inde a Crat. *sin minus.* [*Animo aequo* etiam A.] De re cfr. ad 62 et II, 95. Seneca epist. 12, 10 Epicuri vocem ait esse: *Malum est in necessitate vivere, sed in necessitate vivere necessitas nulla est.* Alibi non memini commemorari, Epicurum mortis sibi consciscendae auctorem fuisse; tantum eius timorem

animo aequo e vita, cum ea non placeat, tamquam e theatro exeamus. Quibus rebus intellegitur, nec timiditatem ignaviamque vituperari nec fortitudinem patientiamque laudari suo nomine, sed illas reici, quia dolorem pariant, has optari, quia voluptatem.

XVI. 50. Iustitia restat, ut de omni virtute sit dictum; sed similia fere dici possunt. Ut enim sapientiam, temperantiam, fortitudinem copulatas esse docui cum voluptate, ut ab ea nullo modo nec divelli nec distrahi possint, sic de iustitia iudicandum est, quae non modo numquam nocet cuiquam, sed contra semper aliquid** cum sua vi atque natura,

1. *aequo animo* LPMCROr. 2. *intellegitur* om. LPR 4. *illas* om. E *hos* E 6. [*sic* A[1]] 7. *vere* E *temperantiam sap.* MC 10. *numquam* om. C 11. *alit quid* [pro *aliquid*] LPM *alit aliquid* C *allicit* Or. (cum mendi nota) *tum* LMCR *vi sua* LPMCOr. *in sua* ER

eximere studet. Sed tamen doloris asperitatem consolabatur mortis spe; vid. ad § 40. In proximis *optari* apertam habet *optionis* significationem.

Cap. XVI, 50. *nec divelli nec distrahi*) Repetita particula oratorie unam notionem dissolvit in duas; cfr. ad § 34. Nam (quod Goerenzii causa dico) utrumque verbum ab ea vi, quae corpore fit, transfertur ad rerum non corporearum in vita diiunctionem. De iure et iustitia non ex natura ortis, sed in conservando hominum pacto quodam tranquillitatis (τῆς ἀταραξίας) causa positis praecipuus Epicuri locus est in sententia tricesima tertia proximisque ad duodequadragesimam (Diog. X, 150 et 151); cfr. sent. sexta decima (Diog. 144): Ὁ δίκαιος ἀταρακτότατος, ὁ δὲ ἄδικος πλείστης ταραχῆς γέμων. (Cfr. Lucr. V, 1151 sq.)

*aliquid** cum*) Notavi lacunam, quam ostendunt meliores codices (praeter Erl. etiam Pal. 1, Spir., tum ex ceteris Pal. 3, Eξ, fortasse plures). In deterioribus tentata emendatio, ut esset: *alit quid* (in cod. Urs., Pall. plerisque, parte Davisianorum, Oxx. Uχψ, Gzianis reliquis), inepto verbo et prava hoc loco pronominis forma. Ante Gzium edebatur *alit aliquid*. Is correctionem Rathii, F. A. Wolfio probatam (in censura Ienensi), recepit: *semper allicit*, specie quam re meliorem. Nam allicere iustitiam homines ad se, concedebatur ab omnibus; quaerebatur, per se ipsane (49) an emolumentis. Itaque perverse damno contraria ponitur ipsa illa conciliatio, cum significari debeat, qua utilitate alliciat. Accedit, quod coniunctivus *tranquillet*, si *quod* coniunctio est, rationem non habet. Excidit

quod tranquillet animos, tum spe, nihil earum rerum defuturum, quas natura non depravata desideret. *Et* quemadmodum temeritas et libido et ignavia semper animum excruciant et semper sollicitant turbulentaeque sunt, sic *improbitas si* cuius in mente consedit, hoc ipso, quod

2. *nostra* (pro *natura*) C *non* om. PMCR *desiderat* C *Et* om. omnes. *quemadm. libido temeritas et* L 3. *semper* om. L 5. *improbitas si* om. omnes; *iniustitia cuius* Or. cum mendi notis

igitur verbum eiusmodi, ut haec esset forma orationis et sententiae: *aliquid (affert) cum sua vi.* [Sic A pro *v. s.*] *Cum* pro *tum*, quod edebatur, Gzius restituit ex „suis omnibus" (Eξ) [A].

natura non depravata) inanibus cupiditatibus (§ 43); nam recte indicanti *εὐσυμπλήρωτόν τε καὶ εὐπόριστον τὸ τῶν ἀγαθῶν πέρας* (Diog. X, 133). Excidit *non* in codd. deterioribus; restituit primus Lambinus; habebant (praeter Erl.) cod. Urs. (?), Pal. 1, Scalig., Spir. In El. 2 erat *natura nondum depravata*, inutili mutatione. *Desideret*, quod paucae veteres editiones habebant (R, Marsus, Lambinus in marg. repet. edit. e „v. c."), deinde Gruterus, Davisius, Oxx. ediderant, nulla adiecta codicum mentione (nam Gruteri nota ad solam vocem *non* pertinet), in codicibus esse, nunc demum confirmatur; nam Gzius rettulit *desiderat*, nihilo plus dicens. Coniunctivum postulat oratio obliqua.

Et quemadmodum) Retinui *et*, additum a Lambino, quod necessario haec, quae e contraria parte iniustitiae dicuntur, cum superioribus connectenda fuerunt.

sic improbitas si cuius) In meliorum codicum (Pal. 1, Erl., Spir., mg. Crat.) scriptura (*sic cuius in mente consedit hoc ipso quod adest turbulenta et si vero*) apparet excidisse subiectum sententiae, tum verbum deesse ad adiectivum *turbulenta*; nam recte abesse posse in tali oratione, Gzio credendum non est. Ac verbum quidem in *et* latere, quae particula plane non convenit cum *si vero*, vidit iam Gruterus. Subiectum varie addunt, plerique ex Ursini codice, id est, coniectura: *sic iniustitia cuius*, paulo duriore verborum ordine et relativi coniunctione; Lambinus: *sic cuius in mente iniustitia*; in nostra ratione (in quam inciderat etiam censor quidam editionis Gzianae) et facilior fit oratio et apparet, librarii oculum aberrasse in litteris *sic*. Sed *improbitas* scripsi potius quam *iniustitia*, quod prudentiae temeritatem, temperantiae libidinem Cicero contrarias posuit, non imprudentiam et intemperantiam, et quod sequitur *improborum facta* et (53) *fugiendam improbitatem*. In eo, quod I. F. Gronovio

adest, turbulenta est; si vero molita quidpiam est, quamvis occulte fecerit, numquam tamen id confidet fore semper

1. *turbulenta et si* [A]E *turbulenta non potest fieri et si* LPMCR [*mollita* Eh] 2. *confidet id* LPMCR *fore* om. C

in mentem venit: *sic cum vis in mente*, prorsus desideratur propria eius, quod iustitiae contrarium est, vitii nota. Deteriorum codicum corrector subiectum putavit *iustitiam*, non animadvertens, quod ne Davisius quidem intellexit, transiri hic ad vitiorum effectum et cum tribus ceteris vitiis comparari quartum. (In El., si Davisio credimus, 2, sed opinor esse 1, scriptum est: *sic cuius in mente consedit iustitia.*) Itaque supplevit: *turbulenta non potest fieri*, *et si vero* etc. (in Pall. praeter 1, Davisianis, Oxx., Gzianis praeter duos illos), unde Lambinus, cum verum subiectum repperisset, faciebat: *non potest non fieri*, quod prudentibus hominibus, si semel a bonis codicibus aberrarant, probandum erat, probatumque est ab I. F. Gronovio et aliis. Sed tum corrector haerebat in proximis, quae aliud subiectum requirebant. Itaque ibi P. Manutii liber, Par. unus Davisii, El. 2 (?), ed. Ven. 1480 nova interpolatione habent: *etsi vero impietas molita* etc., quod Dav. probabat. Patet erroris progressio. In vera scriptura omnia optime procedunt: ipsa iniustitiae praesentia turbulenta mens est; si vero etiam suscepit aliquid, multo magis.

id confidet fore occultum) Expressit Cicero Epicuri sententiam tricesimam septimam (Diog. X, 151): *Οὐκ ἔστι τὸν λάθρα τι ποιοῦντα ὤν* [Meibomius *παρ' ἃ*, sed mendum videtur esse in participio; fort. *κινοῦντα*] *συνέθεντο πρὸς ἀλλήλους εἰς τὸ μὴ βλάπτειν μηδὲ βλάπτεσθαι. πιστεύειν, ὅτι λήσει, κἂν μυριάκις ἐπὶ τοῦ παρόντος λανθάνῃ· μέχρι γὰρ καταστροφῆς ἄδηλον εἰ καὶ λήσει.* *Id confidet* etiam Spir. [et A]. Otto Lindemannum sequens (Lectt. Ciceron. Spec. 1, Zwiccaviae 1830, quem libellum non vidi), excursum conscripsit (ad V, 93) de positu pronominis personalis, quod subiecti locum in sententiis infinitis teneret, qui definitur pondere singularum notionum et deinde omnino numeris sententiae. Sed is cum pronominis in sua sententia locum ab hac verbi regentis interpositione non seiungeret, incidit in eum errorem, ut hic quoque singularem id vim adipisci et voce insigniri putaret, quod et hoc loco et infinitis aliis redarguitur, quorum in uno et altero (velut huius libri § 1, Acad. II, 10) mire ille argutatur. Natura quadam Latini sermonis implicantur inter se sententiae; sed et numeris et licentia orationis libere fluentis hoc temperatur. Recte Gzius animadvertit, librarios interdum pronomen sic transponere, ut sententiae dissolvantur (*confidet*

occultum. Plerumque improborum facta primo suspicio insequitur, dein sermo atque fama, tum accusator, tum iudex; multi etiam, ut te consule, ipsi se indicaverunt. 51. Quod si qui satis sibi contra hominum conscientiam saepti esse et muniti videntur, deorum tamen horrent, easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctesque diesque exe-

1. *morborum* (pro *improb.*) C 2. *deinde* LPMCROr. *accusatorum* E [*index* A] 3. [*indicaverat* A¹, *iudicaverunt* Eh] 4. *sequi* (pro *si qui*) E *satis* om. E *satis cum hominum sibi contra conscientiam* (*scientiam* PR)LPMCR 5. *et* om. E *deos* L 7. *noctes diesque* L *noctes atque dies* Or.

id fore), modo ne levem rem intolerabiliter iactasset et observatiuncula interdum contra sententiam et codices abusus esset.

tum iudex) Pal. 1. *indèx*, ut ediderat Lambinus; sed accusatorem praecedit index, sequitur *iudex* et poena; his, quae gradatim fiunt, respondet unum illud: *multi etiam* etc. [*Dein* etiam A.]

51. *sibi contra hominum conscientiam*) Sic primus Gruterus e Pal. 1; consentit (praeter Erl.) mg. Crat. et, quod miror, ed. Ven. 1480, si Orellius recte attendit. Cod. Morelii, ut edidit P. Marsus: *satis hominum sibi contra conscientiam*; (idem om. *et muniti*). Ut mei LM, habent Pall. 5, 6, ut P, Pall. 2, 4; utrisque assentiri videntur aliquot Davisii; Pal. 3 et Eξχψ: *satis animi hominum sibi contra conscientiam*, Mead. *satis animi cum hominum sibi contra scientiam.* Gzii „Latinitas“ nihil annotavit nisi „in his varimode transponendis peccare scribarum Latinitatem“. Orta haec e vocabulo *animi* ad *hominum* ascripto, cum, *conscientia* quae esset, non intellegeretur. Hinc nescio quis primum finxit, quod vulgo ante Gruterum (apud Crat. etc.) legebatur: *quod si qui satis opibus hominum sibi contra conscientiam.* Serpsit deinde ulterius corruptio, ut in aliquot edd. (Ascens., Crat., Lbin.) scriberetur: *deorum tamen numen* (cfr. cod. L).

noctesque diesque) Expressi, quod erat in codd., etiam Davisii quinque, Ox. χ, Gzii omnibus. Quod post Man. et Lbinum Gruterus tacite edidit: *noctes atque dies*, confirmatur, si ea confirmatio est, a CCC et Ball.; Ox. E ut L *noctes diesque*; alterutrum verum videtur; nam id, quod reliqui, poëtarum est. Dixit Cicero alibi *noctes diesque* (Act. I in Verr. 52, Verr. V, 112), *noctes et dies* (de Orat. I, 260, Brut. 308, Tusc. V, 70 etc.), *et dies et noctes* (ad Att. XII, 46), *dies noctesque* (pro Rosc. Am. 67, 81, Deiot. 38, alibi).

duntur, a dis immortalibus supplicii causa importari putant. Quae autem tanta ex improbis factis ad minuendas vitae molestias accessio potest fieri, quanta ad augendas, cum conscientia factorum, tum poena legum odioque civium? Et tamen in quibusdam neque pecuniae modus est neque honoris neque imperii nec libidinum nec epularum nec reliquarum cupiditatum, quas nulla praeda umquam improbe parta minuit, potiusque inflammat, ut coërcendi magis quam dedocendi esse videantur. 52. Invitat igitur vera ratio bene sanos ad iustitiam, aequitatem, fidem. Neque homini infanti aut impotenti iniuste facta conducunt, qui nec facile efficere

1. [*ad his* A¹, *a diis* A²] 3. *fieri potest* LPMCROr. *tum* LMCR 4. [*odique* A¹] 5. *nec honoris nec* C 7. *nullas* E *improbe* om. E 8. [*imminit* Eh] *potius* om. *que* [A]E *potius atque* LPR *sed auget potius atque* MCOr. *potiusque* (pro *magis quam*) L 9. *docendi* E 11. *atque* C

ad minuendas vitae molestias accessio) Paulo minus proprie dixit, ut concinne diceret: *quanta ad augendas*. [*Potest fieri* etiam Vict. cod.]

pecuniae, *honoris* — *reliquarum cupiditatum*) Non prorsus accurate coniunxit cupiditates et ea, quae cupiuntur. Sed in huiusmodi inaequalitatem facile incidit libere currens oratio, festinantis praesertim. Durius etiam eidem voci ex aequo adiunguntur, quae ei recte singula, sed contraria ratione adiungi possunt, ut cum pro Balbo 41 Hispani dicuntur *agris stipendiisque multati*, id est, agris ademptis, stipendiis impositis; [Liv. II, 19, 6: *aetate et viribus gravior*]; cuiusmodi etiam illud est apud Xenophontem (Memor. I, 5, 1) *ἥττων γαστρὸς ἢ οἴνου ἢ ἀφροδισίων* (ad abstinendum) *ἢ πόνου* (ad tolerandum). Ex alia forma, cognatum tamen, infra 72: *aut se in musicis, geometria, numeris, astris contereret.* Neque enim Cicero dicturus erat *conterere se in astris.*

minuit, potiusque inflammat) Non potest ferri, quod est in Erl. et Pal. 1 [B]; poterat in gravi epiphonemate, inverso ordine: *inflammat potius.* Sed tamen altera scriptura (Pall. 2, 4 et, ut videtur, Gud. 2, Spir.): *minuit potius atque inflammat*, non tam verbi omissi indicium habet quam conatum grammaticam orationis formam etiam cum sententiae interitu conservandi; ex correctione ortum est, quod ceteri deteriores (Pall. 3, 6, Oxx., sine dubio etiam Davisii aliquot et Gzii duo reliqui) praebent: *sed auget potius atque inflammat.* In optimorum igitur scriptura copulativam particulam addidi, adversativa vi post negationem.

52. *infanti*) In hoc vocabulo incredibiliter nonnulli errarunt,

possit, quod conetur, nec obtinere, si effecerit, et opes vel fortunae vel ingenii liberalitati magis conveniunt, qua qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant et, quod aptissimum est ad quiete vivendum, caritatem, praesertim cum omnino nulla sit causa peccandi. 53. Quae enim cupiditates a natura proficiscuntur, facile explentur sine ulla iniuria; quae autem inanes sunt, iis parendum non est; nihil enim desiderabile concupiscunt, plusque in ipsa iniuria detrimenti est quam in iis rebus emolumenti, quae pariuntur iniuria. Itaque ne iustitiam quidem recte quis dixerit per se ipsam optabilem, sed quia iucunditatis vel plurimum afferat. Nam

1. *qui con.* E 2. *fortuna* E *ingenia* [A]ELPMR 3. [*utantur benivol.* A] 4. *ad beate viv.* L 6. *proficiscantur* PR *iniuria ulla* E 7. *his* [A]EPCROr. [*non* om. A[1]] 8. [*plusque iniuria ipsa* A] 9. *his* ECR *iniuria par.* MC 10. *quod* (pro *quidem*) E

non videntes, significari, ut aliis Ciceronis locis (vid. lexic.), eum, cui desint eloquentiae tela, quae apud veteres potentissima erant; itaque ex altera parte ponuntur *opes vel fortunae vel ingenii*, id est, ut saepissime, oratorii. *Impotens* insolenter omnino dicitur, qui potentiam et opes non habeat; sed eodem modo Cicero dixit pro Mur. 59 et Sallustius; *impotentia* apud Terentium sic ponitur; tollebatque ambiguitatem ipsa coniunctio cum altera voce negativa. *Vel ingenia* annotatur etiam in marg. Crat. et e codice Mor.; mendosus igitur codex archetypus fuit; nam nominativo casu accipi, ut Morelius volebat, neque particula *vel* sinit, quae recte bis ponitur, cum genus in duas species nullo discrimine dividitur, non recte, si tria diversa coniunguntur, et *ingenium* dicendum erat de vi et facultate, nec *fortunae* simpliciter pro divitiis dicuntur. Persequor haec, quia nunc parati sunt omnium mendorum patroni. Poterat haec sententia commode superioribus annecti, aut quomodo Schuetzius scripsit: *Nam neque*, aut ut Gzius volebat: *Neque enim*; plane necesse non erat. Et tamen facile excidebat *enim*; cfr. ad § 58.

53. *Quae enim cupiditates* etc.) Praeter ea, quae supra ad § 45 et 46 ascripsi, apte Davisius citat Epicuri verba apud Ioannem Stob., Floril. XVII, 35, p. 159 Gesn.: Οὐ γάρ ἡ τῆς φύσεως ἡδονὴ τὴν ἀδικίαν ποιεῖ ἔξωθεν, ἀλλ' ἡ περὶ τὰς κενὰς δόξας ὄρεξις.

ulla iniuria) Invertunt ordinem tres Gzii (opinor, Spir., Gud. 2); om. *ulla* Bas. et ed. Marsi.

diligi et carum esse iucundum est propterea, quia tutiorem vitam et voluptatem pleniorem efficit. Itaque non ob ea solum incommoda, quae eveniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus, sed multo etiam magis, quod, cuius in animo versatur, numquam sinit eum respirare, numquam acquiescere. 54. Quod si ne ipsarum quidem virtutum laus, in qua maxime ceterorum philosophorum exultat oratio, reperire exitum potest, nisi dirigatur ad voluptatem, voluptas autem est sola, quae nos vocet ad se et alliciat suapte natura, non potest esse dubium, quin id sit summum atque extremum bonorum omnium, beateque vivere nihil aliud sit nisi cum voluptate vivere.

XVII. 55. Huic certae stabilique sententiae quae sint coniuncta, explicabo brevi. Nullus in ipsis error est finibus bonorum et malorum, id est, in voluptate aut in dolore, sed in iis rebus peccant, cum, e quibus haec efficiantur, ignorant. Animi autem voluptates et dolores nasci

1. *carus* R *et tut.* L 2. *pleniorem volupt. eff.* E *volupt. eff. plen.* LPMCROr. [*eam* A¹] 3. [*et veniunt* A] 4. *optimus* (pro *quod cuius*) C 6. *non* LPMR [*quid* (pro *quidem*) Fh] 8 *potest ex.* LPMCOr. 9. *sola est* L *sola* om. C *allic. et voc. ad se* L 10. *dub. esse* L *sit* om. R 11. *nil* C 12. [*cum* om. A¹] 15. *in* ante *dolore* om. L 16. *his* [A]ELPCROr. [*ei quibus* Eh]

voluptatem pleniorem efficit) Ut Erl., Spir., Gud. 2; per se alter ordo nihilo deterior, sonantior etiam. [Itaque nunc A secutus sum.]

Cap. XVII, 55. *sed in iis rebus*) *Iis* debebat definiri adiecto relativo: *e quibus haec efficiuntur*, vel: *effici putant.* Deflexit oratio eo genere, de quo ad II, 39 dicetur; itaque *in iis rebus* est fere *in eo.* Eo pravius erat *his*, quoniam alio refertur *haec.* Duo Gzii *iis.*

Animi autem voluptates) Breviter et apte rem complectitur Clemens Alexandrinus II Stromat. p. 179 Sylb.: *Ὁ δὲ Ἐπίκουρος πᾶσαν χαρὰν τῆς ψυχῆς οἴεται ἐπὶ πρωτοπαθούσῃ τῇ σαρκὶ γίνεσθαι.* Itaque Plutarchus (Non posse svaviter etc. 4, p. 1088 E) Epicureos inducit *μαρτυρουμένους καὶ βοῶντας, ὡς ἐπ' οὐδενὶ ψυχὴ τῶν ὄντων πέφυκε χαίρειν καὶ γαληνίζειν πλὴν ἐπὶ σώματος ἡδοναῖς παρούσαις ἢ προσδοκωμέναις.* Alia Epicuri dicta, quae idem magis articulatim significant, commemorabuntur ad II, 7, et Metrodori ad II, 92. Sequebatur hoc necessario e corporea animi natura; verum

fatemur e corporis voluptatibus et doloribus. Itaque concedo, quod modo dicebas, cadere causa, si qui e nostris aliter existimant, quos quidem video esse multos, sed imperitos; quamquam autem et laetitiam nobis voluptas animi et molestiam dolor afferat, eorum tamen utrumque et or-

1. *fateatur* C *ita* R 2. *cedere causae* omnes *vestris* C 3. *quidem* om. E 4. *et* om. E 5. *et dolores molestiam* E *afferet* [A¹]EC *afferret* LPMR

eadem Epicurum inevitabili implicabat repugnantia, cum propriam quandam et separatam animi voluptatem et laetitiam induceret. (Plutarchus, Non posse svaviter etc. 5, p. 1089 E, Epicureorum exprimens sententiam, *τὸ ἡδόμενον* in corpore ponit, *τὸ χαῖρον* in animo, nescio, num etiam usum verborum conservans.) Ne expectatio quidem illa futurae voluptatis aut memoria praeteritae (§ 41) qui aut oriretur aut constaret, ratio reddi poterat, nec omnino, qui afficeretur animus, cum omnis ea, quae nunc conscientia sui dicitur, ipseque sensus in atomis interiret. Rursus Epicurus, cum docuisset omnem animi dolorem e corpore esse, ob hoc ipsum reprehendebat aliorum inanes angores et maerores, quod non essent orti e corpore, non animadvertens, se, cum negaret *dolendum esse* nisi propter corpus (§ 59), concedere, saepe *doleri* alia causa. Non iniuria Plutarchus (Non posse svaviter etc. 5, p. 1089 D) Epicureos ait *τὴν εἴτ' ἡδονὴν εἴτ' ἀπονίαν ἢ εὐπάθειαν ἄνω καὶ κάτω μεταίρειν ἐκ τοῦ σώματος εἰς τὴν ψυχήν, εἶτα πάλιν ἐκ ταύτης εἰς ἐκεῖνο, τῷ μὴ στέγειν ἀπορρέουσαν καὶ περιολισθαίνουσαν, ἀναγκαζομένους τῇ ἀρχῇ συνάπτειν.*

cadere causa) Codices *cedere causae* (Pall., Dav., Oxx. EUξ, Gzii praeter duos; hi cum χ *cedere causa*). Victorium primum correxisse puto (cfr. II de Invent. 57, ad Fam. VII, 14, 1); nam Marsus, Crat., ceteri vetus tenent. [*Modo dicebas*, cfr. § 25.]

si qui existimant) Ernestius *existiment*. Verum obliquae orationis vis in huiusmodi sententiis, quae a primae personae verbo pendent, facile extingvitur, eaque, quae in parte orationis pendentis esse debebant, absolute ponuntur.

quamquam — afferat) In codice archetypo fuit sine dubio *afferet*, unde deteriores (EUξχ) *afferret* (Gzius: „alii codd. *affert*. *afferet* et *afferret*"). Nihilo longius distabat *affert*, quod Marsus habet; sed hic, longius iam progressa orationis obliquae implicatione, minus probabilis indicativus erat.

tum esse e corpore et ad corpus referri, nec ob eam causam non multo maiores esse et voluptates et dolores animi quam corporis. Nam corpore nihil nisi praesens, et quod adest, sentire possumus, animo autem et praeterita et futura. Ut enim aeque doleamus [animo],

4. *abest* L 5. *animo* sine uncis Or.

nec ob eam causam non etc.) Diog. X, 137: *Ἔτι πρὸς τοὺς Κυρηναϊκοὺς (διαφέρεται ὁ Ἐπίκουρος)· οἱ μὲν γὰρ χείρους τὰς σωματικὰς ἀλγηδόνας τῶν ψυχικῶν· κολάζεσθαι γοῦν τοὺς ἁμαρτάνοντας σώματι· ὁ δὲ τὰς ψυχικάς· τὴν γοῦν σάρκα τὸ παρὸν μόνον χειμάζειν, τὴν δὲ ψυχὴν καὶ τὸ παρελθὸν καὶ τὸ παρὸν καὶ τὸ μέλλον· οὕτως οὖν καὶ μείζονας ἡδονὰς εἶναι τῆς ψυχῆς.* Eadem tractat Cicero in Tusc. V, 95 et 96. De usu particularum *nec* — *non* apud Ciceronem et eos, qui eandem consvetudinem sequuntur, in tollenda negatione post Thomasium (ad Turs.) exposuit Buttmannus ad Quintilian. XII, 10, 46; sed res pervagata est. (Cfr. IV, 13.)

praesens, et quod adest) *Adesse* ad locum pertinere annotant hic et ad I de Off. 11 (*ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paulum admodum sentiens praeteritum aut futurum*), comparantque Tusc. IV, 14. Sed *praesens* non minus a loco transfertur ad tempus, quod omnia vocabula illinc mutuatur; nec *adsum* minus dicitur de tempore; et apparet, prorsus hinc alienam esse loci notionem. Itaque vocibus coniunctis tantum gravius rei tempore praesentis notio signatur (das unmittelbar gegenwärtige), ut contra de loco Terentius dixit: *ades praesens.*

Ut enim aeque doleamus [*animo*]) Notavi vocem suppositiciam, quae si retinetur, sententia haec debet esse: Ut enim concedam, tum, cum corpore doleamus, non maiorem esse animi dolorem, potest tamen fieri maior etc. Sed nullo modo haec verba: *ut aeque doleamus* in concedendo hanc minuendi vim habere possunt, sed contrariam: *ut non minus*, quo evertitur tota sententia; sic enim loquitur, qui ipse animi dolorem aeque magnum esse non iudicans, hoc tamen concedit, sed ita, ut tamen aliquid in corpore accedere possit. Deinde, etsi oritur Epicuri sententia animi dolor e corpore, tamen perinepta est haec temporis significatio: *Ut aeque doleamus animo, cum corpore dolemus*; nam sic contrarium aliud tempus cogitatur: *ac cum non dolemus corpore*, quod sensum non habet. Comparatio haec esse debebat: *atque corpore dolemus* (cum utroque dolemus). Deleta illa voce, omnia recta erunt: Ut

cum corpore dolemus, fieri tamen permagna accessio potest, si aliquod aeternum et infinitum impendere malum nobis opinemur. Quod idem licet transferre in voluptatem, ut ea maior sit, si nihil tale metuamus. 56. Iam illud quidem perspicuum est, maximam animi aut voluptatem aut molestiam plus aut ad beatam aut ad miseram vitam afferre momenti quam eorum utrumvis, si aeque diu sit in corpore. Non placet autem, detracta voluptate, aegritudinem statim consequi, nisi in voluptatis locum dolor forte successerit; at contra gaudere nosmet omittendis doloribus, etiamsi voluptas ea, quae sensum moveat, nulla

1. *corpore non dol.* E 2. *aliquid* omnes [*externum* Eh] 5. *illud quod* E [*animi maximam* A] 6. *ad* om. E (bis) Post *beatam* add. *vitam* L 7. *eorum utriusque utrumvis* R

enim tum, cum corpore dolemus, non minorem dolorem percipiamus (quam cum animo), ita ut nondum in ipso momento percipiendi praesentis doloris excellat animi dolor, tamen permagna accessio fieri potest etc. Gzius tradit pro *enim* duos suos codices habere *non*, ex nota *n.* scilicet, duos: *aeque non doleamus.* Paulo post *aliquid* etiam „plures scripti" Gzii et χ; vid. ad § 18.

56. *Iam illud quidem perspicuum est*) Perbreviter attingitur res obscura, quae nusquam alibi exponitur. Nam cum ante singulas animi et corporis voluptates doloresque comparasset, nunc negat, utriusque generis eandem vim esse ad totum statum εὐδαιμονίας efficiendum aut minuendum. In quo miror, quid novi discriminis oriri possit praeter gradus illos, quos ante posuit; nam genere non differebat utraque voluptas. Sed Epicurus, quae coniunxerat, rursus divellit et utitur incuriosus communi hominum opinione de animi voluptatis et doloris vi.

Non placet autem etc.) Haec paulo neglegentius exponuntur. Nam quae de sublato medio inter voluptatem et dolorem dicuntur, neque hic cum ceteris cohaerent et posita erant iam § 38, et prave concluditur, hinc intellegi, quanta voluptas sit non dolere; nam Epicurus contra, cum ostendisset, in non dolendo iam esse voluptatem, hinc efficiebat, nihil esse medium. Omnino haec, quae ad notionem voluptatis explicandam pertinent, rectius initio posita essent; sed id ne ipse quidem Epicurus curasse videtur, ut certo ordine haec exponerentur. Cum in salebras inciderat, oriebatur nova sententia.

successerit; eoque intellegi potest, quanta voluptas sit non dolere. 57. Sed ut iis bonis erigimur, quae expectamus, sic laetamur iis, quae recordamur. Stulti autem malorum memoria torquentur; sapientes bona praeterita grata recordatione renovata delectant. Est autem situm in nobis, ut et adversa quasi perpetua oblivione obruamus et secunda iucunde ac svaviter meminerimus. Sed cum ea, quae praeterierunt, acri animo et attento intuemur, tum

1. *eo intellegi* C *non dolere sit* LMPCR 4. *renov. grata record.* C 6. *et* (prius) om. E *saecula* (pro *secunda*) E 8. *intento* EOr. *tunc* C

sit non dolere) Sic etiam Spir., edideratque iam Gruterus [ex A].

57. *Est autem situm in nobis*) Enarrat Gzius: *A natura habemus*, et repetit Otto. Ergo etiam stulti hoc facient, si ipsa natura id efficit. Cicero in nostra potestate esse significat; vid. pro Arch. 1, Acad. II, 39: *Ubi igitur virtus, si nihil situm est in ipsis nobis?* [Hic II, 89, V, 12.] Ostendit, quid ex eo sequatur, quod ante exposuit, si nulli rei assentiamur, nihil fore *in nostra potestate*. Sed cur tam imperitos puto lectores fore, quam editores fuerunt, cum praesertim in lexicis hic ipse locus recte declaretur? Rem ipsam explicat Cicero Tusc. III, 33. Nihil Epicurus subtilius de hac animi nostri potestate disputasse videtur, sed contentus fuisse communi opinione, multum in hac re valere voluntatem, alterum omisisse, non omnia eam posse. Quod deinde a Doederlinio poni video et ab Ottone ad hunc locum ascribi, *iucunde* referri ad animum, *svaviter* ad corpus, hoc quidem loco aperte utrumque dicitur de animi voluptate, quae ex memoria oriatur, et multis locis Cicero in voluptate definienda iucundum motum sensus aut corporis dixit; utrumque coniunxit II, 13: *commotionem svavem iucunditatis in corpore*; cfr. de Orat. III, 56. *Iucundus* generalius est, *svavis* magis ad mollem quendam affectum spectat. Saepe viri docti synonyma tali regula distingvunt, ut vocum flexus et in eosdem fines a diversa parte incursiones non animadvertant, cum tali quodam discrimine, quod non ubique appareat.

et attento) „Tres optimi" Gzii *intento*, ut pro Flacco 26 Cicero dixit: *intentis oculis acerrime contemplari*, et Tusc. IV, 38: *acrem aciem intendere*, quae citat Gzius; contra de Orat. III, 17: *acerrimam atque attentissimam cogitationem.* [Revocavit me A.] Deinde *tum* pro *tunc* (quod post *cum* vitiosum erat) revocavit Gzius e tribus suis, Oxx. Eξχ.

fit, ut aegritudo sequatur, si illa mala sint, si bona, laetitia.

XVIII. O praeclaram beate vivendi et apertam et simplicem et directam viam! Cum enim certe nihil homini possit melius esse quam vacare omni dolore et molestia perfruique maximis et animi et corporis voluptatibus, videtisne, quam nihil praetermittatur, quod vitam adiuvet, quo facilius id, quod propositum est, summum bonum consequamur? Clamat Epicurus, is, quem vos nimis voluptatibus esse deditum dicitis, non posse iucunde vivi, nisi sapienter, honeste iusteque vivatur, nec sapienter, honeste, iuste, nisi iucunde. 58. Neque enim civitas in seditione beata esse potest nec in discordia dominorum domus; quo minus animus a se ipse dissidens secumque discordans gustare par-

1. *sequitur* L *laetitia si bona* [A]PMCROr. 3. *At* (pro *O*) C *aptam* C 6. *videtis inquam* R 7. *quo* (pro *quod*) C *quo* om. C 8. *consequatur* C *prosequamur* E 9. *vos* om. LPR *esse ded. volupt.* L 12. *enim* om. E *potest esse beata* C 13. *neque* L 14. *ipso* R *discedens* C [*discordans* A]

si bona, *laetitia*) Hic ordo codicis Erl. [et B, dissentiente tamen A,] habet inversionem eam in contrariis membris, quam Cicero amat; vid. Beierus ad Off. I, 11; in hoc ipso opere [II, 44,] III, 3: *ut commoneri satis sit*, *nihil attineat doceri*; ibd. 4: *nobis incognitis*, *usitatis sibi*; ibd. 10: *ratio nostra consentit*, *pugnat oratio*; V, 28: *eligendam Metelli*, *Reguli reiciendam*; de R. P. II, 33: *matrem habemus*, *ignoramus patrem*.

Cap. XVIII. [*O praeclaram*) Novo sumpto exordio Torquatus ostendit, omnia apud Epicurum comparata esse ad beate vivendum, primum ethica, deinde etiam (§ 63) physica.]

Clamat Epicurus) Vid. ad § 42. (Paulo ante Spir. *videtis* sine *ne*).

58. *Neque enim*) Necessarium videtur *enim* in annectenda probatione et exemplo. Abest tamen etiam a Spir. et Gud. 2, [non A].

quo minus) Hoc est, *et tanto minus*. Vix debuerat loco cedere, quod erat de Fato 33: *Ita ne praeterita quidem — Apollini nota esse censebat*, *quo minus futura*. Tum Gzius incredibiliter (de Erl. falso) narrat, codices suos omnes *a se ipso* habere. Et defendit.

tem ullam liquidae voluptatis et liberae potest. Atqui pugnantibus et contrariis studiis consiliisque semper utens nihil quieti videre, nihil tranquilli potest. 59. Quod si corporis gravioribus morbis vitae iucunditas impeditur, quanto magis animi morbis impediri necesse est! Animi autem morbi sunt cupiditates immensae et inanes divitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum. Accedunt aegritudines, molestiae, maerores, qui exedunt animos conficiuntque curis, hominum non intellegentium, nihil dolendum esse animo, quod sit a dolore corporis praesenti

1. *atque* Or. 3. *quiete* C *tranquille* C 4. *vitae* — *morbis* om. E 5. *necesse est* om. M [*necesse potest* A; *necesse* linea prima manu ducta delendum significatur.] 6. *immanes* [A *inmanes*] EPM *imanes* C 7. [*dominationes* AEh] 8. *quae* L *excedunt an.* E *exedunt nos* PR *animos exedunt* MCOr. 10. [*adere* pro *a dolore* A[1], *adore* A[2]]

Atqui pugnantibus — *potest*) Haesit Bremius in *atqui*; neque enim h. l. quidquam obici aut concludi; itaque malebat *atque*; id ex Spir. [non B] et ξ posuit Gzius. Sed aperte concluditur hoc modo: Animus a se dissidens beatus esse non potest; atqui animus pugnantibus studiis utens, quod facit, si non honeste sapienterque vivit, non est tranquillus et a se dissidet; ergo animus non honestus non est beatus. Itaque ponitur *atqui*, ut solet, in assumenda ea, quam logici propositionem minorem appellant. Handius in Turs. I, p. 523, qui exempla habet, non satis perspicue ipsam vim declarat. Erravit in eodem huius particulae usu Bremius in libro II, 5: *Atqui haec patefactio quasi rerum opertarum* — *definitio est*; (ergo definitione carere non possumus. Gzius putat particulam indicare „obiectionem cum consecutione refutationemque"). Sed hoc loco Gzius longius progressus postquam *atque* esse *atque ita* docuit, *potest*, quod sequitur, deleri vult, ut per *atque* continuetur praecedentis verbi vis. Itaque haec fit sententia: *et eo minus animus a se ipse dissidens* — *potest* — *nihil quieti videre*, id est, cogitur tranquillus esse; neque enim *atque* — *nihil* est: *aut quidquam.* Delevit Schuetzius *potest* nec improbavit Orellius.

59. *immensae et inanes*) *Immanes* etiam Spir., et sic post aliquot superiores (Crat., Vict.) Davisius e Parr. 1, 3, El. utroque, Ball. (Eξ); sed nec τοῦ κενοῦ significatio recte omittitur (cfr. ad § 53) et nimium ac paene ridiculum est *immensae et immanes*; alius generis in Verrinis *ingens et immanis.* Paulo post *exedunt animos* etiam Spir. [et A].

dolendum esse animo) Vid. ad § 55. Cum in paucas quas-

futurove seiunctum. Nec vero quisquam stultus non horum morborum aliquo laborat; nemo igitur est non miser. 60. Accedit etiam mors, quae, quasi saxum Tantalo, semper impendet; tum superstitio, qua qui est imbutus, quietus esse numquam potest. Praeterea bona praeterita non meminerunt, praesentibus non fruuntur; futura modo expectant, quae quia certa esse non possunt, conficiuntur et angore et metu; maximeque cruciantur, cum sero sentiunt, frustra se aut pecuniae studuisse aut imperiis aut opibus aut gloriae. Nullas enim consequuntur voluptates, quarum

2. *eorum est* (pro *est*) L *eorum* Or. 3. *Accedit — numquam potest* citat Nonius p. 324 Merc. *etiam* omittens. 4. *impendit* E *tum quia qui* (om. *superstitio*) Non. 9. *pecuniis* E

dam editiones (Crat., Vict.) irrepsisset *omnino*, et in marg. Crat. et e cod. Mor. verum annotatum est.

est non miser) Ex Ursini codice, qui nullus erat, Davisius et Gzius *eorum* pro *est* asciverunt, ne nimis generalis sententia ipsum sapientem comprehenderet. Sed non difficulter e proximo auditur *stultus*; etsi melius illo modo scriberetur. Mox de Tantali saxo, cuius similitudine Lucretius III, 980 sqq. in deorum timore utitur, vid., si tanti est, Porsonus ad Eurip. Orest. v. 5.

60. *et angore et metu*) Quoniam haec repetita particula distingvuntur, angor ad praesentis status taedium pertinere videtur.

quarum potiendi spe) Incertum est, utrum Cicero *quarum* a verbo regi voluerit an utrumque ad substantivum referri. Nam *potior* cum genetivo extra notissimam formulam (*p. rerum*) dixit etiam I ad Fam. 7, 5 (aliud est enim longe, de Lentulo imperatore, *regni illius potiri*, aliud *regni potiri*, id est, regem fieri) et de Off. III, 113 (*pot. castrorum*). Si tamen a substantivo, quo magis inclino, usus est Cicero, ut V, 19 (*eorum, quae secundum naturam sunt, adipiscendi causa*), noto schemate, cuius exempla collegerunt Ruddimannus II, p. 245, Ramshornius p. 650, Kritzius ad Sallustii Catil. 31, rationem Stallbaumius et Kritzius minus recte explicuerunt. Primum etiam nunc ad hanc figuram referunt illa *sui purgandi causa* (de pluribus) et similia, nec attendunt, numquam quemquam dixisse *sui purgandorum*, quod *mei, tui, sui, nostri, vestri* genetivi sunt singu-

potiendi spe inflammati multos labores magnosque susceperant. 61. Ecce autem alii minuti et angusti, aut omnia

2. *Ecce — monstrosi* citat Non. p. 345. *mali* (pro *alii*) Non. *inimici* (pro *minuti*) E *ut* (pro *aut*) E *et* Non.

laris numeri neutri generis, de quo ipse Kritzius alibi disputavit. [Vid. Gr. Lat. § 297 b et § 417.] Deinde putant substantivum prius, quod regens appellamus, et gerundium in unam notionem conflari, hinc alterum genetivum pendere. Atque in hac explicatione ad singulos locos accommodanda adeo non difficiles sunt, ut etiam ad illa omnia, de quibus dixi, in quibus numquam aliter Latini loquuntur, eam aptam crediderint. Sunt pauca quaedam eiusmodi exempla in Ciceronis scriptis, quae posui in Emendatt. Ciceronianis p. 197 (Acad. II, 128, de Orat. III, 156) et alius comparatione declaravi (de Orat. III, 111: *res eandem habet naturam ambigendi*); addi potest pro Caelio 62, [nec abhorret, quod apud Varr. L. L. V, p. 5 Bip. scribitur: *quorum (verborum) quattuor explanandi gradus*]. Sed longe plurimi loci vehementer repugnant, ut, si quis illam rationem sequi velit, dicere debeat (quod in multis sane dicendum est, in quibus frustra laborant grammatici, ut in singulis locis primariam significationem ostendant), illam fuisse huius constructionis originem, sed deinde eam, obscurata origine, ibi quoque positam esse, ubi sic concipi notio non posset. Quid est enim absurdius, quam apud Plautum in Capt. IV, 2, 72 (*Nominandi istorum tibi erit magis quam edundi copia*), in illo praesertim verborum ordine, *nominandi copiam* una notione complecti (at quam inepta ac non naturali!), aut apud Ciceronem in Philipp. V, 6 coniungere *facultatem condonandi*, ut tum adiungatur *agrorum*? Nam *agros condonare* naturalem habet notionem et definitam, *facultas condonandi* nullam. Sed considerent verborum ordinem et quae inter ea verba, quae coniungunt, interiecta sunt; de artificio desistent (*facultas detur opprimendae rei publicae*, *caedis faciendae bonorum*, *urbis diripiendae* [?], *agrorum suis latronibus condonandi*). Hoc igitur modo potius iudicandum est: In loquendo Latini utroque trahebantur, ut et gerundium tenerent ac verbi notionem primariam facerent (*facultas condonandi agros*) et substantivum substantivo coniungerent subiecto gerundivo (*facultas agrorum condonandorum*). Antiquo igitur tempore oratio interdum, vitans etiam occulte molestiam terminationis longioris et insvavioris repetendae, in medio substitit, ut diceretur *facultas agrorum condonandi*. Illud addo, quod hanc expli-

semper desperantes aut malevoli, invidi, difficiles, lucifugi.

1 aut om. B. incipit difficiles L. difficile est Non.

rationem valde confirmat, neminem [saltem si Plautum (Capt. V. 4. 11) et Ennium excipias] sic dixisse nisi in plurali, numquam *terrae* (*urbis*) *exhauriendi*. [Nam quod Tusc. V. 70 in codicibus est *studium eius aeternitatis imitandi*, quis putet Ciceronem uno loco sic scripsisse, infinitis contra, hoc praesertim ordine: *aeternitatis imitandi*? Videtur Cicero reliquisse *illius aeterni status imitandi*. Quod apud Gellium VII (VI). 14. 4 Hertzius edidit, nulla sententia: *non sane dignum esse imponendi poenae studium eius est*, scribi debet: *non sane dignum esse imponendi poenae studio eius est*.] De pronominibus possessivis, quae pro personalibus habentur, dixi, quorum ratio falsa analogiae specie, quae multa in lingvis gignit, cum *mei* putaretur esse ab *ego*, traducta videtur ad *eius* in Terentii Hec. III. 3. 12; nam in Phorm. I. 3. 24 *eius* refertur ad *amorem*; alibi *eius videndae* dicitur, ut Phorm. V. 4. 7 *spes huiusce habendae*, et V. 6. 40, ubi prave Bentleius *habendi*. E contrario nescio, an Ovidius Epist. XI. 106, ut erat novator, dixerit in femina: *Amissae memores sed tamen este mei*, ut est in optimis codicibus. Nulla huius generis exempla post Ciceronem reperiuntur, nisi apud Gellium (IV. 15. 1, V. 10. 5. XVI. 8, 3) et Frontonem antiquarios; est enim ex iis, quae postea obsoleverunt. [Nam in Svetonii Aug. 98 aliud in codicibus latere iam Oudendorpius viderat; de Livii XXIV, 23, 1 dici nihil opus est. In cod. Iustin. V, 37, 22 § 5 is est usus, quem supra declaravi, ut *ipsius pecuniae* (hoc est, in ipsa pecunia) commemoretur *fenerandi usus*. Nihil neglexi ex iis, quae Klotzius habet, Krit. Nachtr. zu Ciceros Tusculanen, p. 195.]

61. *minuti et angusti*) Μικροψύχους Cicero ita dixit, cum proprium nomen Latinum non haberet; *minutum animum* in exemplo licentioris translationis ponit III de Orat. 169; *angustum* quoque animum alibi dixit, non hominem; nec tamen ideo assentiendum Gulielmo ex *aut* facienti *animi*. Contra Davisium, qui a Nonio *et* sumi volebat, quod iidem essent angusti illi et desperantes, recte Matthiaeus duo genera minuti animi notari docet, alterum positum in timiditate quadam et desperatione, alterum in invidia et morum difficultate. *Lucifugi* Lucretiano adiectivo appellantur. Quod sequitur *monstrosi*, tenui propter auctoritatem; sed hunc locum in iis numero, in quibus iam Nonius corrupto codice usus est (vid. ex hoc opere IV, 60, V. 86). Nam neque *monstrosi* homines moribus et vitae genere abhorrentes dici posse videntur, et, si sic diceretur, summa

maledici, monstrosi, alii autem etiam amatoriis levitatibus deditі, alii petulantes, alii audaces, protervi, iidem intempe-

1. *monstruosi* Non. *etiam alii autem* R *alii etiam* L 2. *alii appetendo omnia petulantes* C [*idem* A] *id est* PR

perversitas totius naturae indicaretur, non unum quoddam vitium cotidianum; neque a comico haec sumpta esse, quod Orellius suspicatur, ullum est indicium. Itaque cum multis aliis probo Lambini coniecturam *morosi*, quae vox aptissime cum ceteris coniungitur. Nam maledicentia et morositas in nimio reprehendendi studio sunt, difficultas et lucis fuga in vitae communis insvavitate.

alii autem etiam) Non ita raro in hac partitione voci *alii* altero loco additur *autem*, ut IV, 28 et pro Plancio 15, similiterque post *partim* I N. D. 66 (qui locus ex optimorum codd. indiciis sic scribendus est: *alia aspera, rotunda alia, partim autem angulata forma, hamata quaedam et quasi adunca*; pro *forma hamata* in illis est *foramata*, *firamata*; corpuscula ἀγκιστροειδῆ significantur). Sed Gzius „sine probato exemplo ullo" concurrere putat *autem* et *etiam*; itaque *autem* delet; addit alia, quae refutari non debent. Repugnat Handius Turs. I p. 286; rara tamen reperiri exempla putat. Cur non concurrant, cum in contrariis et transitu etiam gradatio aliqua sit? ut hoc loco; aliquanto enim peiores sunt ad turbandam animi tranquillitatem amatoriae levitates. Itaque praeter huius libri 16 et II, 113 in uno libro quinto tria sunt exempla, § 35: *Est autem etiam actio quaedam corporis* (ut ex optimis codd. restituam) et 55: *Sunt autem etiam clariora indicia naturae* (ubi ipse Gzius ex optimis codicibus revocavit impudenterque ascripsit: „Sed supra vidimus, *etiam* in transitione pro *adeo* post *autem* addi, atque tertio loco positum ubique a scribis sollicitari") et 63: *Cum autem etiam exitus ab utroque datur regi* cet.

alii petulantes, alii audaces, protervi) Mihi, ut aliis, non satis perspicuum est, quomodo haec, quae sub genus amatoriarum levitatum cadunt, in species distribuantur. Sed tamen puto, primum partite *petulantes* dici, qui verecundia aliorum non cohibeantur, *audaces*, qui amoris causa pericula non vitent, tum communiter *protervos*, sine pudore et pudicitia; nam coniungi protervos cum audacibus, ut contrarii sint petulantibus, neque membrorum aequalitas neque proxima cognatio petulantium et protervorum sinit. Hi igitur simul (*iidem*) et in-

rantes et ignavi, numquam in sententia permanentes, quas ob causas in eorum vita nulla est intercapedo molestiae. Igitur neque stultorum quisquam beatus neque sapientium non beatus. Multoque hoc melius nos veriusque quam Stoici. Illi enim negant esse bonum quidquam nisi nescio quam illam umbram, quod appellant honestum, non tam solido quam splendido nomine; virtutem autem nixam hoc honesto nullam requirere voluptatem atque ad beate vivendum se ipsa esse contentam.

XIX. 62. Sed possunt haec quadam ratione dici non modo non repugnantibus, verum etiam approbantibus nobis. Sic enim ab Epicuro sapiens semper beatus inducitur: finitas habet

3. *nec st.* C [*quisque* Eh] *sapientum* [A]LR 4. *verius nos meliusque* L *que* (post *verius*) om. E 5. *neg. en.* E *bon. quidq. esse* LPMCROr. 9. *se ipsam* C 12. *beatus* om. PR.

temperantes atque, dum cupiditatibus obsequuntur, ad agendum prompti, et ignavi, a vera industria et fortitudine remoti sunt. *Id est* pro *iidem* etiam Parr. 1, 3 Dav.

Igitur neque stultorum) Exempla Ciceroniana vocis *igitur* initio sententiae positae in aperta et simplici conclusione, ubi nulla alia vox una praecipuam dignitatem haberet, collegit Boetticher in Lexico Taciteo p. 237, cum de eo ab ipsis Ciceronis editoribus dubitatum esset ob Quintiliani auctoritatem (I, 5, 39) aut saltem, ut a Bremio, condiciones particulae sic ponendae non satis verae scriptae. De ipso Quintiliano cfr. nunc Bonnellus. Tum usque ad Gzium fere editum *sapientum*; alteram formam hic revocavit e quattuor suis codd., [et sic A quoque § 70]. Paulo post *illi negant enim* (etiam Gud. 2), quod Gzius probabat, ordinem habet prosae orationis scriptoribus non usitatum (vid. Hand. Turs. II, p. 399). [In ordine proximorum verborum nunc secutus sum A, Eh, B; antea posueram *esse quidq. bonum* tamquam ex Erl.] (Crat. habet: *esse bonum quidquam esse.*)

virtutem nixam hoc honesto) Quid hoc et aliis locis intersit inter τὴν ἀρετήν et τὸ καλόν, brevissime significaro, si nostrorum philosophorum verbis utens alteram subiectivam notionis partem dixero esse, alteram obiectivam. Deinde *solidum nomen* aequalitatis causa, ut contrarium esset *splendido*, Cicero insolentius dixit pro eo, cui subesset res solida.

Cap. XIX, 62. *Sic enim ab Epicuro* etc.) Insitum erat hoc veteri philosophiae, certe post Aristotelem, qui hanc rem

cupiditates; neglegit mortem; de dis immortalibus sine ullo metu vera sentit; non dubitat, si ita melius sit, migrare de vita. His rebus instructus semper est in voluptate. Neque enim tempus est ullum, quo non plus voluptatum habeat quam dolorum. Nam et praeterita grate meminit et praesentibus ita potitur, ut animadvertat, quanta sint ea quamque iucunda, neque pendet ex futuris, sed expectat illa, fruitur praesentibus, ab iisque vitiis, quae paulo ante collegi, abest plurimum, et cum stultorum vitam cum sua comparat, magna afficitur voluptate. Dolores autem, si qui incurrunt, numquam vim tantam habent, ut non plus habeat sapiens, quod gaudeat, quam quod angatur.]

1. [*nec legit* A[1]Eh] [*diis* A] 2. *vere* C 3. *iis* M 4. *plus habeat vol.* LPCMROr. 6. *sint in ea* E[A[2] *sit in ea* A[1]] *ea sint* L 7. [*quamquam* Eh]

non constantissime tractarat (Ethic. ad Nicom. I c. 8-10), philosophia non solum beatam vitam peti (V, 86), sed effici debere (cfr. ad § 42). Ipse Epicurus definiebat *τὴν φιλοσοφίαν ἐνέργειαν εἶναι λόγοις καί διαλογισμοῖς τὸν εὐδαίμονα βίον περιποιοῦσαν*. Sext. Emp. adv. Mathem. XI, 169. (Sceptici etiam gloriabantur, *τῆς σκέψεως εἶναι τὸν εὐδαίμονα βίον περιποιεῖν*, ibd. 140.) Itaque etiam Epicurus, Stoicis non cedens, sapientem inducit beatum, *κἂν στρεβλωθῇ* (Diog. Laërt. X, 118), idque qua ratione consequatur, dicit in epist. ad Menoec. iis verbis, quae ad § 40 ascripsi, post quae haec addit (§ 135): *Ταῦτα οὖν καὶ τὰ τούτοις συγγενῆ μελέτα διὰ παντὸς ἡμέρας καὶ νυκτὸς πρὸς σεαυτὸν καὶ πρὸς τὸν ὅμοιον σεαυτῷ, καὶ οὐδέποτε οὔθ' ὕπαρ οὔτ' ὄναρ διαταραχθήσῃ, ζήσῃ δὲ ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις.* Tantum liberae mentis agitationi tribuebat, prorsus initia doctrinae suae deserens. Duplicem tamen *εὐδαιμονίαν* ponebat, certe interdum, *τήν τε ἀκροτάτην, οἵα ἐστὶ περὶ τὸν θεόν, ἐπίτασιν οὐκ ἔχουσαν, καὶ τὴν προσθήκην καὶ ἀφαίρεσιν ἡδονῶν.* (Audiendum *ἔχουσαν*, nisi mendum subest.) Diog. Laërt. X, 121.

neglegit mortem etc.) De his omnibus dictum est ad § 40 et de morte subeunda ad § 49.

Neque enim tempus est ullum etc.) Cfr. II, 95 et V, 93. Graeca verba prorsus eiusdem sententiae non repperi; sed ex universa doctrina hoc sequitur; et simillimum est, quod de intervallis doloris mox dicit (*πλεονάζον ἔχουσι τὸ ἡδόμενον ἤπερ τὸ ἀλγοῦν*); vid. ad 40.

quod angatur) Ernestius, cum in mentem ei venisset *quo*,

63. Optime vero Epicurus, quod exiguam dixit fortunam intervenire sapienti, maximasque ab eo et gravissimas res consilio ipsius et ratione administrari, neque maiorem voluptatem ex infinito tempore aetatis percipi posse, quam

1. *dicit* LPMCROr. 2. *et ab eo et gr.* E *et ab eo gr.* C 3. *nec* C 4. *aetatis* om. E

recte se revocavit; nam usus ille accusativi, de quo dixi ad § 14, facillime ad huiusmodi verbum passivum (*angor*) transfertur, cum hinc etiam pro coniunctione dicatur: *esse, quod quis faciat aliquid.*

63. *Optime vero Epicurus*) Gud. 2, Bas., Oxx. E§ *optime autem*; utramque particulam Gzius tolli iubebat. In hoc transitu ad novam et magni momenti partem disputationis necessarium est *vero*, quod si abesset, videretur Cicero disputationem aliquam ab alio initio ductam confirmare addita Epicuri auctoritate. Sententia Epicuri quinta decima est, apud Diog. Laërt. X, 144: *Βραχεῖα σοφῷ τύχη παρεμπίπτει, τὰ δὲ μέγιστα καὶ κυριώτατα ὁ λογισμὸς διῴκηκε καὶ κατὰ τὸν συνεχῆ χρόνον τοῦ βίου διοικεῖ καὶ διοικήσει*, repetita in Ioannis Stob. Ecl. Eth. p. 355 Heer., expressa brevius Tusc. V, 26, quam plures veterum attingunt. [In *dixit* pro *dicit* ponendo parui coniunctis A et Erl., etsi praesenti convenit *percipiatur* et *videamus* et in contrariam fere partem Cicero in philosophorum commemoratione a praesenti ad praeteritum transire solet, de quo dicetur ad III, 67.]

maximasque ab eo — consilio ipsius) Voces *ab eo* non erant in Morelii cod. et El. 1, tollique Morelius et Davisius voluerunt [notavit uncis Baiterus], quod in Graecis non essent; Davisius etiam *ipsius*. Mutavit Cicero activam sententiae formam et ad ipsum sapientem rettulit, quod sapientis λογισμῷ tributum erat. Cum posuisset *ab eo*, non poterat tamen *ipsius* omittere, ne *consilio et ratione* esset *prudenter*, non *temere*. Poterat *suo* scribi, opus non erat.

neque maiorem voluptatem etc.) Cfr. II, 87 sqq. Epicuri sententia est undevicesima apud Diog. X, 145: *Ὁ ἄπειρος χρόνος ἴσην ἔχει τὴν ἡδονὴν καὶ ὁ πεπερασμένος, ἐάν τις αὐτῆς τὰ πέρατα καταμετρήσῃ τῷ λογισμῷ.* Verebatur, ne alioqui mors timeretur; itaque in sententia vicesima prima dicit: *Ἡ διάνοια τοῦ τῆς σαρκὸς τέλους καὶ πέρατος λαβοῦσα τὸν ἐπιλογισμὸν καὶ τοὺς ὑπὲρ τοῦ αἰῶνος φόβους ἐκλύσασα, τὸν παντελῆ βίον παρεσκεύασε καὶ οὐδὲν ἔτι τοῦ ἀπείρου χρόνου προσεδεήθημεν* (fort. *προσδεῖ ἡμῖν*), *ἀλλ' οὔτ' ἔφυγε τὴν ἡδονὴν οὔθ', ἡνίκα τὴν ἐξαγωγὴν ἐκ τοῦ ζῆν τὰ πράγματα παρεσκεύαζεν, ὡς* (male contra edit. I, cod. Arundel., interpretationem Ambrosii scri-

ex hoc percipiatur, quod videamus esse finitum. In dialectica autem vestra nullam existimavit esse nec ad melius vivendum nec ad commodius disserendum vim. In physicis plurimum posuit. Ea scientia et verborum vis et natura

1. *extra hoc* R 2. *nostra* E *nullam viam* LMCR *nullam vim* POr. *existimat* L *existimant* MC *neque — neque* E 3. *viam*[A]E om. ceteri, Or. *In phys. quod cum plurimum possit* (*possint* PMC) LPMCR

bitur *ἀλλ' ὡς* nulla sententia) *ἐλλείπουσά τι τοῦ ἀορίστου βίου κατέστρεψεν* (non ita moritur mens tamquam fraudata parte aliqua vitae certis terminis non definitae; contenta est eo, quod habuit). [Scribi debet *τοῦ ἀρίστου βίου*, tamquam non plane consecuta optimam vitam.]

In dialectica autem vestra) quam vos Academici cum Stoicis maxime excoluistis; vid. ad 22. [Tum *viam* priore loco Eξχψ (et sine dubio fere ceteri deteriores), altero praeter A et Erl. etiam Spir. (B), quibus de positu vocis parendum erat. Sed ars viam monstrat; *in arte esse viam ad melius vivendum* nemo dixit. Itaque tenui nunc quoque veterem emendationem, quam secuti ceteri sunt, Gruterus et Davisius de codd. tacentes.]

In physicis plurimum posuit. Ea scientia) Sic etiam Pal. 1, Spir., mg. Crat., codd. Mor. et Vict., id est, summo consensu meliores; recepit Gruterus. (Victorius: *quidem plurimum posuit; ea scientia.*) Deteriores aliorum ut nostri primum inter *physicis* et *plurimum* interponunt *quod cum* (Par. 2, Mead., U) aut *quod* (*quid*) *tamen* (Eξψ) aut *quodcumque* (χ) aut similia, deinde pro *posuit* habent *possit* (Eξψ) aut *possint* (Uχ, Mead.) aut *prosit* (Par. 2; Grut. et Gzius de suis non distincte dixerunt, sed eadem in iis esse significant; Davisius de CCC et Ball. paulo aliter quam Oxx. de ξψ). *Possit* ex *posuit* ortum (cfr. Erl. I, 45) fortasse coniunctiones illas genuit. Frustra Camerarius efficiebat: *quidem quam plurimum posuit*; nihil, quod hic agat, *quidem* habet; *multum*, *plurimum* in aliqua re ponitur (Acad. II, 92, ad Att. II, 23, 4), non *quam plurimum*, quasi de potestate agatur. Ceterum Cicero haec mire scripsit et parum recte; nam in physicis verborum vim ceteraque, quae dicit, Epicurus non tractabat. (Contra Davisium, qui *ea scientia* ad *dialecticam* referri putabat, neque orationis cursum neque pronomen, quod ad proxima adhaeret, curans, non est dicendum, cum praesertim efficiat, ut Torquatus eius artis, quam ipse Epicurus reiecisset, ostendat utilitatem.) Nam quod Epicurei *τὸ κανονικὸν ὁμοῦ τῷ φυσικῷ συνέταττον* (Diog. X, 30), id est, proximo loco tamquam accessionem adiungebant (Senec. Epist.

orationis et consequentium repugnantiumve ratio potest perspici; omnium autem rerum natura cognita levamur

89, 11) non continuo, quae ἐν τῷ κανονικῷ tradebantur, ea in physicis tradi dici poterant; ipse Diogenes Laërt.: διαιρεῖται τοίνυν, inquit, εἰς τρία, τό τε κανονικὸν καὶ φυσικὸν καὶ ἠθικόν. Et praeterea τὸ κανονικόν illud adiungitur a Cicerone postea his verbis: *servata illa, quae quasi delapsa* etc. Tum in canonico de sensuum iudicio disputabatur (περὶ ἐναργῶν καὶ ἀδήλων καὶ τῶν τούτοις ἀκολούθων, Sext. Emp. adv. Mathem. VII, 22); de natura orationis consequentiumque et repugnantium ibi expositum non puto, quae omnino Epicurus non explicabat. Nec huc pertinet, ut Orellius putat, quod in physicis, ut aliarum rerum, sic sermonis origo tractabatur (Epicur. epist. ad Herod. apud Diog. X, 75, Lucret. V, 1028); alia est enim eius natura, quae ad logicam et dialecticam spectat (de affirmando et negando generaliter et de singulis, quaeque similia a Stoicis diligenter exquirebantur). Accedit, quod paulo post, ubi ἀνακεφαλαίωσις fit (*Sic e physicis* etc.), nihil de hac physicorum laude dicit, sed a fortitudine incipit, quae respondet his proximis: *omnium autem rerum natura* etc. Itaque non iniuria superiores interpretes nonnulli offenderant, quos Gzius parum acute et intellegenter refellit. Sed omnem corrigendi conatum reprimit primum orationis apta forma et scripturae constantia, tum magis illud, quod nullis machinis effici potest, ut id Cicero dixerit, quod verum erat, haec Epicurum non tractasse, quod iis se facile carere posse putaret. Et incident etiam, qui corrigere volent, his ad dialecticam translatis, in eandem perversitatem, quam in Davisio notavi, ut laudetur necessariaque ostendatur dialectica. Itaque Th. Bentleius, cum Lambinus transponendo, mutando, addendo, delendo nihil profecisset, forti remedio haec omnia verba: *ea scientia — perspici* tollebat; oblitus tamen est simul pro *autem* reponere *enim*. [Corrigendi una esset via haec: *posuit. Nam sine illa* (vel: *N. sine dialecticae*) *scientia et — perspici; omnium* cet.] Quid ergo est? Cicero deceptus illa συντάξει τοῦ φυσικοῦ καὶ τοῦ κανονικοῦ physicae ampliores dedit fines, quam debuit, nec solum τὸ κανονικόν ei subiecit, sed nonnihil e Stoicorum dialecticis. Postremo quod Gzius dialecticam tantum *artem* esse ait, non *scientiam*, ut physicam, ignoravit Ciceronis interpres, ne physicam quidem aut ullam aliam illo modo, ut ipsa disciplina (*eine Wissenschaft*) intellegatur, Latine scientiam appellari, sed in physico esse physicae scientiam (*Wissen*), in dialectico dialecticae. Itaque dialectica continet et homini affert *perspiciendi, quid in quaque re*

superstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa horribiles existunt saepe formidines; denique etiam morati melius erimus, cum didicerimus, quid natura desideret. Tum vero, si stabilem scientiam rerum tenebimus, servata illa, quae quasi delapsa de caelo est ad cognitionem omnium, regula, ad quam omnia iudicia rerum dirigentur, numquam ullius oratione victi sententia desistemus. 64. Nisi autem rerum natura perspecta erit, nullo modo poterimus sensuum iudicia defen-

2. *ipsae* L *ipse* PCR 4. *quae* LPMCROr. 5. *sententiam* (pro *scientiam*) E 7. *diriguntur* E *illius* E *ratione* EC

sit, *scientiam* (II, 18), et ipsa, quatenus in homine est, dicitur *disserendi ratio et scientia* (Tusc. V, 72).

levamur superstitione etc.) Semper Epicurus physica sua sic laudat, non ut cognitioni ipsi et meditationi quidquam tribuat per se, sed ut miseram illam consolationem extollat, qua si non egeret, libenter physica non minus quam dialectica aliis relinqueret. Sententia est decima (Diog. X, 142): *Εἰ μηδὲν ἡμᾶς αἱ περὶ τῶν μετεώρων ὑποψίαι ἠνώχλουν καὶ αἱ περὶ θανατου, μή ποτε πρὸς ἡμᾶς εἴη, ἔτι τ' ἠδυνάμεθα νοεῖν τοὺς ὅρους τῶν ἀλγηδόνων καὶ ἐπιθυμιῶν, οὐκ ἂν προσεδεόμεθα φυσιολογίας.* (Extrema, quae fere ex Gassendii emendatione posui, apud Ciceronem his verbis exprimuntur: *Denique etiam* etc. Omittuntur apud Plutarchum, Non posse svaviter etc. 8, p. 1092 B.) Eiusdem argumenti proxima: *Οὐκ ἦν τὸ φοβούμενον λύειν ὑπὲρ τῶν κυριωτάτων μὴ κατειδότα. τίς ἡ τοῦ σύμπαντος φύσις, ἀλλ' ὑποπτευόμενόν τι τῶν κατὰ τοὺς μύθους* (sententia debet esse: si quis tantum fabulas suspicione sequeretur; [sed inauditum est *ὑποπτεύεσθαι* significatione activa; scrib. videtur: *ἀλλ' ὑπωπτεύομεν ἄν τι — μύθους*])· *ὥστε οὐκ ἦν ἄνευ φυσιολογίας ἀκεραίας τὰς ἡδονὰς ἀπολαμβάνειν.*

quid natura) Sic etiam cod. Vict. [et A], de ceteris tacetur; melius sic notio generis et gradus exprimitur.

delapsa de caelo est — regula) *Τὸν κανόνα* dicit, constitutionem veri et falsi; vid. ad 22. Caeleste Epicuri de regula et iudicio volumen Velleius appellat I N. D. 43 (*διοπετές*).

ullius oratione) Ne quem mendum Erl. (χ) moveat, in margine Crat. et e cod. Vict. pro *ratione* (sic enim edebatur) annotatur *oratione.*

64. *sensuum iudicia*) Pugnandum erat enim contra geometras, astronomos, ceteros: vid. ad 20.

dere. Quidquid porro animo cernimus, id omne oritur a sensibus; qui si omnes veri erunt, ut Epicuri ratio docet, tum denique poterit aliquid cognosci et percipi. Quos qui tollunt et nihil posse percipi dicunt, ii, remotis sensibus, ne id ipsum quidem expedire possunt, quod disserunt. Praeterea, sublata cognitione et scientia, tollitur omnis ratio et vitae degendae et rerum gerendarum. Sic e physicis et fortitudo sumitur contra mortis timorem et constantia contra metum religionis et sedatio animi, omnium rerum occultarum ignoratione sublata, et moderatio, natura cupiditatum generi-

3. *et recipi* [A¹]EMCR 4. *percipi posse* E [*ire motis* A¹ *hi remotis* A²] 5 *dixerunt* R 7. *a phys.* E 9. *occultarum* om. EL 10. *vera* (pro *natura*) M

Quidquid porro animo cernimus) Movetur enim animus imaginum incursione (vid. 21); qua ratione, explicat Lucretius IV, 722 sqq. Diog. X, 32: *Πᾶς γὰρ λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται.* et paulo post: *καὶ γὰρ καὶ ἐπίνοιαι πᾶσαι ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων γεγόνασι κατά τε περίπτωσιν καὶ ἀναλογίαν καὶ σύνθεσιν. συμβαλλομένου τι καὶ τοῦ λογισμοῦ.* Sed hic *λογισμός* unde esset et qui animus sentiret se pelli, non quaerebatur. *Omnes* sensus, in quo haerebat Ernestius, non quinque illi intelleguntur, sed, ut Bremius intellexit, omnes sensuum actus (sensationes barbare appellamus), ut Acad. I, 40 et 41, de N. D. I, 70 etc. Deinde pingvius aliquanto Torquatus *tolli sensus* ab Academicis dicit; neque enim sensus tollebant, sed eorum iudicium, quod tam falsi quam veri esse nec, quales essent, distingvi posset. Hoc Bremius animadverso, non necessario tamen et minus recte, corrigebat: *quod qui tollunt*; neque enim *quod* recte refertur ad solos infinitivos *cognosci et percipi.* Erat tamen *quod* in Vict. codice. (*Remoti* sensus recte dicuntur, a disputatione et veri quaestione.)

omnium rerum occultarum) in terra, aëre, caelo cett., qualia explicat Lucretius in quinto et sexto libro; supra: *non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa* etc. Dixi propter stultissimam Gzii annotationem, quam post Beieri (ad Off. I, 13) admonitionem, si admonitione opus erat, repetiit Otto, et inde natam Orellii coniecturam. Excidit *occultarum* etiam in [B et] Gud. 2 (Erl. Gzius non nominat); non potest abesse nec potuit addi.

et moderatio, natura cupiditatum etc.) Non potest hoc, ut enarratur, positum esse pro eo, quod est *moderatio cupiditatum, natura earum*; sed *moderatio*, audito etiam ex superioribus *animi.*

busque earum explicatis, et, ut modo docui, cognitionis regula et iudicio ab eodem illo constituto, veri a falso distinctio traditur.

XX. 65. Restat locus huic disputationi vel maxime necessarius, de amicitia, quam, si voluptas summum sit

1. *eorum* E *docuimus* E 2. *eadem illa* omnes [A²], Or. [*ea dein illa* A¹] 4. *vel* transp. ante *huic* C [*disputationibus maxime* A¹] 5. *bon. sit* M

per se dicitur, quemadmodum, nullo addito, Tusc. III, 16. Maluit hoc Cicero quam *temperantiam* dicere, quod *sedatio* praecedebat.

et, ut modo docui, etc.) Mendum, quod hic latebat, non dubitavi tollere. In vulgata scriptura, si *regula* nominativus est (nec potest non esse), divelluntur *regula* et *iudicium*, quae coniunctissima sunt et eadem duplici nomine (*de regula et iudicio* I N. D. 43), coniungiturque regula, quae ab Epicuro instrumenti loco data est, cum effectu, distinctione veri et falsi. Deinde iudicium *ab* regula constitutum dicitur, quod et re et orationis forma perversissimum est; singula iudicia regula illa reguntur; tum, quod apertissimum est, ab *eadem illa* sic dicitur, tamquam aliud aliquid ab eadem ante constitutum sit; neque enim a Latinis umquam, quod nunc fit saepe a male scribentibus, *idem* pro eo, quod est *is*, ponitur. Ablativus autem *regula* esse nequit; nam si ad *regulam et iudicium* coniunctim refertur *constituto*, ad utrumque etiam pertinebit necessario *ab eadem illa*; quae igitur haec tertia erit? Sed ut fingamus sic haec intellegi posse: *regula constituta, et ab eadem iudicio constituto*, cetera, quae in nominativo erant, incommoda manent, iudicium a regula tamquam subsequens divulsum et *ab* ea constitutum, tum pronomen *eadem* prave positum. Haec qui consideraverit, non negabit Ciceronem scripsisse: *et, ut modo docui, cognitionis regula et iudicio ab* e o d e m i l l o (qui physica docuit, Epicuro) *constituto, veri a falsi distinctio traditur.* Sic etiam illud patet, haec per se de canonicae partis utilitate adiungi, neque ex illis *e physicis* dure ad *traditur* repetendum esse *in physicis*, cum praesertim rei veritas, ut supra dixi, repugnet. Apparet etiam, cur de Epicuro, qui non proxime nominatus esset, additum sit *illo*. (Unus in hoc loco offenderat prudentis iudicii homo, F. V. Reizius, eumque in exemplo suo, quo Gzius usus est, notarat.)

Cap. XX, 65. *Epicurus ita dicit*) in sententia duodetricesima, Diog. X, 148: *Ὧν ἡ σοφία παρασκευάζεται εἰς τὴν τοῦ ὅλου βίου μακαριότητα, πολὺ μέγιστόν ἐστιν ἡ τῆς φιλίας κτῆσις.*

bonum, affirmatis nullam omnino fore; de qua Epicurus quidem ita dicit, omnium rerum, quas ad beate vivendum sapientia comparaverit, nihil esse maius amicitia, nihil uberius, nihil iucundius. Nec vero hoc oratione solum, sed multo magis vita et factis et moribus comprobavit. Quod quam magnum sit, fictae veterum fabulae declarant, in quibus tam multis tamque variis, ab ultima antiquitate repetitis, tria vix amicorum paria reperiuntur, ut ad Orestem pervenias profectus a Theseo. At vero Epicurus una in domo, et ea quidem angusta, quam magnos quantaque amoris conspiratione consentientes tenuit amicorum greges! quod fit etiam nunc ab Epicureis. Sed ad rem redeamus; de hominibus dici non necesse est. 66. Tribus igitur modis video esse a nostris de amicitia disputatum. Alii, cum eas voluptates, quae ad amicos pertinerent, negarent esse per se

1. *omnino nullam* C 4. [*iucundus* A] *neque vero* LPMCROr. [*hos* A[1] Eh] *solum* om. L 5. *et factis* om. C *factisque* L *comprobatur* E *quamquam* (pro *quod quam*) E 7. *tam variis* E 8. [*repperiuntur* A] 12. *omnibus* LPMCR 13. *ergo* E 14. *a nostris esse* E *esse* om. C 15. *pertinent* L

et factis) Excidit hoc etiam in Ox. χ et quibusdam vett. editionibus. Igitur e cod. Vict. annotatur. De re multa narrat Diogenes X, 9 sqq.

tria vix amicorum paria) Lael. 15: *Ex omnibus saeculis vix tria aut quattuor nominantur paria amicorum*; tertium illud praeter Theseum et Pirithoum et Orestem atque Pyladem est Achillis atque Patrocli; vid. Plut. de amic. multitud. 2, p. 93 E, Lucian. Toxar. 10. [De *ut* vid. ad II, 71.]

una in domo) Horti sunt Epicuri, quos testamento discipulis reliquit, quique ne abalienarentur, Ciceronis tempore Phaedrus et Patro operam dederunt; vid. ad Famil. XIII, 1.

de hominibus) Sic etiam Pal. 1, Spir., cod. Gifanii (in Burmanni Syll. Epist. II p. 307); ceteri mendum habent.

66. *Tribus igitur modis*) *Ergo* tres Gzii. Alter modus explicatur § 69 (*Sunt autem quidam*), tertius § 70 (*Sunt autem, qui dicunt*). De oratione in voce *alii* interrupta vid. exc. I ad § 23. Prima sententia Epicuri ipsius erat (II, 82), eaque constantissima. Idem alibi docuerat (Diog. X, 120): *τὴν φιλίαν διὰ τὰς χρείας γίνεσθαι· δεῖν μέντοι προκατάρχεσθαι· καὶ γὰρ τὴν γῆν σπείρομεν· συνίστασθαι δὲ αὐτὴν κατὰ κοινωνίαν ἐν ταῖς ἡδοναῖς.* [*A nostris esse* etiam B.]

ipsas tam expetendas, quam nostras expeteremus, quo loco videtur quibusdam stabilitas amicitiae vacillare, tuentur tamen eum locum seque facile, ut mihi videtur, expediunt. Ut enim virtutes, de quibus ante dictum est, sic amicitiam negant posse a voluptate discedere. Nam cum solitudo et vita sine amicis insidiarum et metus plena sit, ratio ipsa monet amicitias comparare, quibus partis confirmatur animus et a spe pariendarum voluptatum seiungi non potest. 67. Atque ut odia, invidiae, despicationes adversantur voluptatibus, sic amicitiae non modo fautrices fidelissimae, sed etiam effectrices sunt voluptatum tam amicis quam sibi;

1. [*ipsos* A¹] 3. *videntur mihi* L 4. *virtus* E *antea* E *supra* L 5. *a vol. posse* PMCR 7. [*manet* Eb] *confirmetur* [A]E *animus ad spem et par.* [A]E 9. [*atque udia* A¹ *atque odia* A²] *invidia* EPCR 11. *efficatrices* E

quo loco videtur — tuentur tamen eum) Recte prorsus inter se referuntur *quo* et *eum*, nec *quo* adiungitur ad praecedentia; in quem errorem cum quidam incidissent, haeserunt. Tantum paulo durior fit relativae et demonstrativae sententiae transpositio, quod casu in hanc ambiguitatem, si qua est, incurrit.

confirmatur) *Confirmetur* etiam [B et] Gud. 2, quod per se de consilio intellegi poterat, sed obstat *potest*.

67. *quam sibi)* Non sane *amicitiis*; sed reflexivum refertur ad latentem personae agentis notionem, ut sit: *einem selbst*, quemadmodum, cum actio aliqua infinitivo significata est, nulla definita persona, in sententiis annexis sic utimur finita verbi forma, ut *aliquis* audiri dicatur (Wopkens. Lectt. Tull. p. 2. Heusing. praefat. ad lib. de Off. p. 36 Zumpt., Beier ad Off. I, 121, [Gr. Lat. § 388 b not. 2]). Eodem modo dicitur infra II, 78: *amare est velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamsi ad se nihil ex iis redundet*; de Invent. I, 97: *oratio, quae aut sui laudem aut adversarii vituperationem contineat.* [Orat. 124 *ad commendationem sui*; Tusc. IV, 26, Off. I, 99; durius non praecedente infinitivo pro Rosc. Com. 52: *quod sibi petitur, alteri non exigitur.* Eodem modo ponitur *suus* de Inv. I, 30, Off. I, 17, N. D. I, 122: *mercatura utilitatum suarum*, Liv. XXIX, 37, 11. Addit quaedam Nipperdeius ad Tac. Ann. II, 38.] Interdum pro reflexivo ponitur *ipse*, ut Legg. II, 55: *Eas* (ferias denicales) *in eos dies conferre ius, ut ne ipsius* (eines selbst) *neve publicae feriae sint*; Wyttenbachius malebat *unius*; ibd. I, 56: *summum bonum est — naturam sequi, — id est, nihil quantum in ipso*

quibus non solum praesentibus fruuntur, sed etiam spe eriguntur consequentis ac posteri temporis. Quod quia nullo modo sine amicitia firmam et perpetuam iucunditatem vitae tenere possumus neque vero ipsam amicitiam tueri, nisi aeque amicos et nosmet ipsos diligamus, idcirco et hoc ipsum efficitur in amicitia et amicitia cum voluptate connectitur. Nam et laetamur amicorum lạetitia aeque atque nostra et

1. *pro praes.* F 2. *temporis ac post.* L 3. [*uite te tenere* Eh] 4. *possimus* R *nec vero* COr. *neque non* R *ipsi* (pro *nisi*) [A]P 5. *ut amicos et* L *amicos ac* R *nos ipsos* C 6. [*et amicitia* om. A; in mgine additur *amicicia*] 7. [*leticię* A[1]] *aeque ut nostra* LPMR *aeque ac n.* C

sit. praetermittere etc., pro Balb. 2: *Nihil umquam audivi, quod mihi de iure subtilius dici videretur, — nihil de re publica gravius, nihil de ipso* (id est, de ipso dicente) *modestius*; Garatonius malebat: *de se ipso*, quemadmodum I de Invent. 30, ubi itidem *ipsum* est *ipsum dicentem* (einen selbst) Iunta et Lambinus *se ipsum* ediderunt.

Quod quia nullo modo) Recte Matthiaeus ad hunc locum annotat, non alius generis hanc esse vocem, quae coniunctionibus ex abundanti praeponitur, nisi quod sententias coniungit, atque pronomen illud, quod initio sententiae sic ponitur ad superiora relatum, ut deinde tota aliqua sententia explicetur. Sed origine haec eadem sunt, non in singulis locis. Cfr. quae in Opusc. Acad. I, p. 514 dixi de ambigua huius vocis in aliquot locis natura.

amicos et nosmet ipsos) Urs. cod. et, quod miror, El. 2 (sed fortasse fuit 1) *ac nosm.* In hac quaestione de *et* pro *atque* posita post *aeque* nec Handius (Turs. I, p. 190) nec Otto ad h. l. satis distinxit eos locos, in quibus de subiectis coniunctis dicatur *aeque*, ut nihil prorsus singulare sit (velut Tusc. II, 62: *eosdem labores non esse aeque graves imperatori et militi*), ab iis, in quibus ex verborum positu (interiecto *aeque*) et ex sententia intellegatur *aeque* ad alterum subiectum pertinere et ad id referri *et*, ut IV, 64 (*caeci aeque et ii, qui modo nati*); in his est enim illud, quod singulare putatur, quamquam ex altero ortum est. In quibusdam locis dubia ratio est, ut in hoc, etsi magis ad alterum genus inclinare videtur. Cfr. ad II, 21.

aeque atque nostra) Sic, ut fere ab omnibus editum est, etiam Spir. [et A]. Deteriores (El. uterque, Mead., Oxx. omnes, Gzii praeter duos illos) *aeque ut nostra*, quod Gzius recepit, contra Ciceronis et antiquorum usum; vid. Hand. I, p. 192,

pariter dolemus angoribus. 68. Quocirca eodem modo sapiens erit affectus erga amicum, quo in se ipsum, quosque labores propter suam voluptatem susciperet, eosdem suscipiet propter amici voluptatem. Quaeque de virtutibus dicta sunt, quemadmodum eae semper voluptatibus inhaererent, eadem de amicitia dicenda sunt. Praeclare enim Epicurus his paene verbis: Eadem, inquit, sententia confirmavit ani-

1. *sap. eod. modo* L 3. *susceperit* (pro *susciperet*) LPMCROr. *susciperet* (pro *suscipiet*) E *recipiet* MCOr. 5. *hae* PROr. *haec* EC *inhaerent* LPMCR 6 *iis* M [*peuae* A[1], *pene* A[2]] 7. *eadem* transp. ante *his* E *scientia* [A]LPMCR

ubi quod citatur locus ex orat. pro domo 30, in quo sit *aeque ut*, vetus mihi cantilena canenda est, prius purgari debere illas orationes, quam de iis iudicium fiat; nam omnes 6 codices Oxx. (nec alios collatos habemus) omittunt *ut*, [etiam meliores, qui postea collati sunt].

68. *susciperet*, *eosdem suscipiet*) Priore loco ceteri quoque deteriores *susceperit*, omnes Oxx., quattuor Gzii (ergo etiam Spir. ?); *susciperet* editum a Crat., Vict., Grut.. Davisio sine varietatis annotatione. Altero loco *recipiet* Eχψ, quattuor Gzii; *suscipiet*, supra scripto *re* U, *recipit*, *recipiet* ξ. *Recipiet* ascivit Gzius; superiores tenent *suscipiet* nec quidquam annotant. Perverse variatur verbum, primum per se; cum enim idem Torquatus sapientem dicat sua et amici causa facturum, eodem verbo bis ubi debet, ut orationis pondus sit in contrariis *propter suam voluptatem* et *propter amici vol.* Non minus prave nonnulli in orat. de imper. Pomp. 45 in his: *quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecerit*, verbum variandum putarunt, conclusionem tollentes. Deinde *recipere* ab hoc loco alienissimum est; nam recipiuntur tantum ea. quae demandata et tradita sic suscipimus, ut promittamus aliquid et rationem debeamus (vid. disput. mea de Asconio, p. 98 not.), hoc loco de subeunda amici causa molestia agitur. Tum autem non minus sententiam turbat futurum exactum (*susceperit*); significat enim, quidquid prius sapiens sua causa fecerit, postea amici causa facturum, quod ineptum discrimen est; potentiali significatione illa forma in relativa sententia poni nequit, cum in demonstrativa simpliciter affirmetur. Aptissima contra condicionalis significatio est: quidquid, si ita usus esset, sua causa faceret, idem faciet amici causa.

inhaererent) Coniecturam Ernestii e sermonis lege natam confirmat etiam Spir. [et A].

Eadem sententia confirmavit animum) Sic „libri veteres ali-

mum, ne quod aut sempiternum aut diuturnum timeret malum, quae perspexit, in hoc ipso vitae spatio amicitiae praesidium esse firmissimum. 69. Sunt autem quidam Epicurei timidiores paulo contra vestra convicia, sed tamen satis acuti, qui verentur, ne, si amicitiam propter nostram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur. Itaque primos congressus copulationesque et consvetudinum instituendarum voluntates fieri propter voluptatem, cum autem usus pro-

1. [Litteras *turn* in *diuturnum* A in rasura habet] 2. *prospexit* E *ipso* om. L 3. [*est firm.* Eh] 5. *convicia nostra* E [*convitia* A] *qui verentur* om. E [*veretur* A[1]] 8-9. *et* om. MCR *voluntates* om. EC *voluptatum* PMR *et consvetudines instituendarum amicitiarum consvetudinum instituendarum voluptatum* L.

quot" Lbini, tres optimi Gzii, ut maluerat Morelius, edidit primus Davisius. Graeca enim haec sunt, in sententia undetricesima, Diog. X, 148: *Ἡ αὐτὴ γνώμη θαρρεῖν τε ἐποίησεν ὑπὲρ τοῦ μηδὲν αἰώνιον εἶναι δεινὸν μηδὲ πολυχρόνιον καὶ ἐν αὐτοῖς τοῖς ὡρισμένοις ἀσφάλειαν φιλίας μάλιστα κατειναι συντελουμένην.* (Pro *κατειναι* Gzius a Rathio adiutus scripsit *κατιδεῖν εἶναι*, quod Huebnerus recepit; debuit, ut apparet ex Ciceronis interpretatione, *κατεῖδεν* (*perspexit*); sed *εἶναι συντελουμένην* pro *συντελεῖσθαι* probari non potest nec coniungi *φιλίας εἶναι*, ut addatur seorsum *συντελουμένην* (cum perficiatur). Aut igitur cum censore quodam scribendum *φιλίᾳ* — *κατεῖδε συντελουμένην* aut *φιλίᾳ* — *κατενόησε συντελουμένην*. Otto multa de Diogenis loco ita dixit, ut transpositionem a Meibomio factam pro codicum scriptura haberet.) Eandem sententiam Epicurus appellat eandem philosophandi rationem et primam sententiam, eamque recte potuit dicere *perspicere* aliquid, in quo turpissime Gzius et Otto lapsi sunt.

69. *Itaque primos congressus*) Durius h. l. omittitur *dicunt* eiusque significatio petitur ex superiore *verentur*; nam sic *itaque* ad rem ipsam et argumenti conclusionem aliquam pertinere videtur, cum ad omissum illud *dicunt* pertineat.

et consvetudinum instituendarum voluntates) Huius loci restitutio debetur Pal. 1, quem Gruterus secutus est, et mgini Crat. Codex Morelii una littera aberrat (*voluptates*). In Erl. [et B] neglegentia vox omissa est, ut § 71 *confirmat*. Deteriores aberrant; *et* omitti notatur in Uχψ; tum *voluptatum* pro *voluntates* Pall. ceteri, Oxx. χψ; Davisius et Gzius de suis tacent. Veteres editores, nescio a quo tempore (Marsus, Crat.) usque ad Gruterum

grediens familiaritatem effecerit, tum amorem efflorescere tantum, ut, etiamsi nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi amici propter se ipsos amentur. Etenim si loca, si fana, si urbes, si gymnasia, si campum, si canes, si equos, si ludicra exercendi aut venandi consvetudine adamare solemus,

1. [*effeceris* A[1]] 3. [*fama* A] 5. [*ludicras* A[2]] *amandi* (pro *venandi*) L [*aut* || *aut* A] *consvetudines* [A]LPMCROr.

scribebant: *copulationesque consvetudinum, instituendarum amicitiarum fieri* etc.

si ludicra exercendi aut venandi consvetudine adamare) Habet tandem vera scriptura sponsorem Erl. [et B], non silentio, sed certum, quae antea nitebatur veterum quarundam editionum (ut Ven. 1480 et Iunt.) et Victorii fide (nam Lallemando de codicibus regiis credi nihil potest), sed probabatur ab intellegentibus (Man., Lbino, Dav., Ern., Bremio) propter sententiam. Concluditur enim sic, si alias res *consvetudine* amemus, idem fieri facilius in hominibus posse, quod illi Epicurei dicebant, ut eos consvetudine amemus; in ablativo *consvetudine* vertitur sententia. Inter ea, quae exempli loco ponuntur, sunt *ludicra exercendi aut venandi*, id est, ludicrae armorum et corporum exercitationes (*ludicram exercitationem* Cicero dicit I N. D. 102. I de Orat. 147) et venationes, quae ipsa erat ludicra et assimulata exercitatio belli (N. D. II, 161). *Ludicrum* pro substantivo Cicero dixit, ut Livius aliquotiens de ludis, nec habuit aliud, quo uteretur; nam nec ludi hi erant, nec exercitationes non inutiles lusus recte appellari poterant. Dupliciter haec scriptura corrupta est; nam in vulgaribus, Pall., Davisianis, Oxx., Gzii. ut ipse ait, praeter Spir., sed excipiendus erat saltem Erl., ceteri accusativi effecerunt, ut scriberetur *consvetudines*, retento tamen *ludicra*, ut nulla sit sententia. Sed in [A[2] et] Spir. et cod. Urs., quod mirere, idem librariorum error effecit *ludicras* — *consvetudines*, quod a Grutero et Gzio receptum est. Sententiae ne species quidem est; nam cum ex amoris in aliis rebus origine ratio concludi debeat de amicitia, nihil nunc de eo dicitur, sed, si loca et fana amemus, idem fieri iustius in hominibus dicitur; tantum inepte *in hominum consvetudine* ponitur. Itaque enarrat Gzius: *Si loca, si fana* etc. *propter se ipsa amamus, multo facilius homines propter se ipsos amare poterimus.* Ubi illud est *propter se ipsa*? aut ubi esse potest, in Epicureorum sententia? Nam illi si tot res a primo initio propter se amari putarent, concederent etiam de hominibus, nec tantis ambagibus uterentur. [Non recte Baiterus

quanto id in hominum consvetudine facilius fieri potuerit et iustius? 70. Sunt autem, qui dicant, foedus esse quod-

1. *poterit* R 2. *dicunt* EPMCR *quoddam esse* COr. *quoddam* om. E

Bakium ad Cic. Legg. p. 463 secutus scripsit: — *equos ludicra exerc. aut ven. consvetudine*; nam et nude *consvetudine* dici debet nec *ludicra exerc. aut ven. consvetudine* fana, urbes adamantur; quamquam per se minus commode cum rebus externis, quae adamantur, coniunguntur in hac hominum comparatione actiones.] *Exercendi* Cicero dixit pro *se exercendi*, *exercitationis*, propria quadam gerundii potestate, quae cum inde orta esset, quod interdum gerundium non ad ipsum sententiae subiectum, sed ad aliam cogitatam personam aut rem referretur (ut in noto illo: *urit videndo femina*), paulatim eo progressa est, ut gerundium genetivo casu non tam passive quam pro substantivo verbali poneretur. (Et alii et Kritzius ad Sallustii Iug. 62 in eodem sunt errore, de quo dixi ad § 60; non discernunt primam originem constructionis et usum longius progressum; itaque in contortas explicationes et falsas incidunt.) Sic Tusc. I, 53 dicitur: *ceteris hoc principium est movendi*, id est, *se movendi*, *motus* (ubi non contorte solum, sed absurde aliud subiectum quaeratur), et Acad. II, 101: *ut ei vera multa videantur neque tamen habere insignem illam percipiendi* (perceptionis) *notam*. [Liv. V, 27, 2 *lusus exercendique causa*. Alia posui in praefat. vol. III p. 1 Livii a me et Ussingio editi, p. XXIX.] Quod possit cuipiam in mentem venire, in ipso *exercendi* verbo, cum de hominibus se exercentibus dicatur, transitum aliquem eiusmodi fieri ad neutralem usum, quoniam etiam II de Orat. 287 dicatur: *ceteris in campo exercentibus*, id non tam ad hoc verbum quam ad illius participii proprietatem spectare docent duo Svetonii loci, in Iul. 26 (*ipsique dictata exercentibus darent*) et Aug. 98. Simile est igitur hoc ei, quod in aliis accidit, ut in *gignens* (Ramshorn. p. 171 ed. 2), sed maxime in *versans*, *pascens*, *vehens*; nam etiam *exerceri* quodam modo pro deponenti dicebatur de corporum exercitatione.

potuerit) Parum aptus est usus potentialis formae in huiusmodi interrogatione eius, qui concludendo urget, nugasque agit Gzius de optativa futuri exacti vi et 25 locis Ciceronis, ubi illud „citra ius“ exterminatum sit, loquens; nec indicativus futuri exacti pro simplici h. l. ullam ex iis significationibus habere potest, quae apud Ciceronem inesse solent; (vid.

dam sapientium, ut ne minus amicos quam se ipsos diligant. Quod et posse fieri intellegimus et saepe † enim videmus.

1. *sapientum* (LPM, CROr. *quam amicos* E [*quidem amicos quam* A] *amicos quidem quam* ceteri [*sii ipsos* A¹] 2. *fieri posse* EC

Opusc. Acad. II, p. 94 sq.). Itaque non reprehendo eos, qui *poterit* scripserunt (ed. Ven. 1480, Crat., Vict., Man., Lbin., alii). Oxx. ad *poterit* tantum ex uno χ annotarunt *potuerit*, sed erat in Pall. omnibus et Gzianis.

70. *Sunt autem, qui dicant*) [Correctio haec videbatur, quoniam praeter L testes citabantur tantum Ox. E et Bas. Nunc confirmant A et B.] Mihi, etiamsi correctio esset, ut corrigentes sequerer, huiusmodi maxime loci persvaderent, in quibus apparet librariorum etiam perantiquorum ad errandum in hac re proclivitas, ut Tusc. I, 18, ubi in sententiis ex aequo positis optimi codd., regius et Gud. 1, habent: *Sunt enim, qui — putant; sunt, qui censeant.*

ut ne minus amicos) Recte Manutius, Lambinus, Gzius deleverunt *quidem*, quod sive post *minus* sive post *amicos* additum perverse vocabulum praecedens insignit et extollit et prave cum *ne* coalescit. Edebatur ante Gruterum, exceptis Manutio et Lambino, ut mei deteriores habent; Gruterus et Davisius tacite transposuerunt *quidem amicos* [ille, ut apparet, A secutus]; Oxx. EU omittunt *quidem*; e Gzianis Gud. 2 *quidem amicos minus*, Bas. *quidem minus amicos*, Gud. 1 *minus amicos quidem*. De Erl. et Spir. Gzius nihil dixit, quorum ille [consentiente B] leviter corruptus rectum tamen ostendit. Dixi iam in Opusc. I, p. 406 et 407, saepius nescio quo errore *quidem* a librariis sic additum esse, ut aliqua vox prave insigniretur. In hoc ipso opere III, 28 et V, 28 huiusmodi menda optimorum codicum auxilio tollenda erunt.

posse fieri) Sic [A,] Dav. tacite, Gzius e Spir., Gud. 1, 2. Is ordo, quem Erl. et editiones antiquiores habent, tenetur II, 83: *id et fieri posse et saepe esse factum.*

et saepe enim videmus) Pro *enim* Dav. ex El. 1 scripsit *etiam*, Man. et alii *id*, Vict. e cod. *id fieri*. Gzius *saepenumero* pro *saepe enim*. Sed *videmus* respondet praecedenti *intellegimus*: requiri igitur videtur, quod respondeat verbis *fieri posse*; ergo Otto et Klotzius (Quaest. Tull. p. 50) scribunt: *et saepe esse factum videmus* ex II, 83; ad sententiam recte, sed facillime *enim* et *factum* propter simile compendium confundi potuisse et *esse* propter *saepe* excidere, non facile cuiquam persvadebitur. Fortasse sufficit Davisii correctio, ut in uno *videmus*

et perspicuum est, nihil ad iucunde vivendum reperiri posse, quod coniunctione tali sit aptius. Quibus ex omnibus iudicari potest, non modo non impediri rationem amicitiae, si summum bonum in voluptate ponatur, sed sine hoc institutionem omnino amicitiae non posse reperiri.

XXI. 71. Quapropter si ea, quae dixi, sole ipso illustriora et clariora sunt, si omnia [dixi] hausta e fonte naturae, si tota oratio nostra omnem sibi fidem sensibus confirmat, id est, incorruptis atque integris testibus, si infantes pueri, mutae etiam bestiae paene loquuntur, magistra ac duce natura, nihil esse prosperum nisi voluptatem, nihil asperum nisi dolorem, de quibus neque depravate iudicant neque corrupte, nonne ei maximam gratiam habere debemus, qui, hac exaudita quasi voce naturae, sic eam firme

1. [*repperiri* A, *reperire* Eh] 5. *amicitiae omnino* LPMCROr. 6. *dixi illustriora et sole clariora* L 7. *dixi* sine uncis Or. 8. [*cracio* A¹] *sens. fidem* L 9. *confirmat* om. E *et* (pro *atque*) E 14. *haec* LMCR *ex audito* C

(ipsam illam rem, quam fieri posse intellegimus) omnia insint. Malui tamen mendum notatum relinquere. [Halmius *saepe evenire videmus.* Non placet post *fieri* subiectum aliud verbum.]

Cap. XXI, 71. *si omnia* [*dixi*] *hausta*) Suspectum Th. Bentleio et Bremio *dixi*, non sine causa; Gzio defendenti non de auribus purgatis dicendum erat, sed quaerendum, num haec hanc sententiam habere possent: *ita dixi, ut hausta essent e fonte naturae*, id est, *omnia, quae dixi, hausta fuerunt.* Mihi id fieri posse non videtur necessarioque coniungi: *dixi hausta*, ut audiatur *esse*; atqui id ridiculum est, Torquatum eo niti, quod ipse ita esse dixerit. Librarius verbum, quod deesse videbatur, supplevit, non attendens, *sunt* pertinere ad utrumque membrum.

confirmat) Om. etiam Spir. et Gud. 2; [sed tenet A]. Terent. Hec. IV, 2, 5: *ei rei firmasti fidem.*

nihil esse prosperum) Nusquam alibi, quod sciam, aut Cicero aut quisquam alius *prosperum* dixit, quod iucundum esset et gratum et ob hanc causam expetendum, sed tantum, quod feliciter procederet. Videtur Cicero lusisse in simili sono verbi *asperum.*

qui hac exaudita etc.) Sic Pal. 1 et „tres optimi" Gzii;

graviterque comprehenderit, ut omnes bene sanos in viam placatae, tranquillae, quietae, beatae vitae deduceret? Qui quod tibi parum videtur eruditus, ea causa est, quod nullam eruditionem esse duxit, nisi quae beatae vitae disciplinam iuvaret. 72. An ille tempus aut in poëtis evolvendis, ut ego et Triarius te hortatore facimus, consumeret, in quibus nulla solida utilitas omnisque puerilis est delectatio, aut se, ut Plato, in musicis, geometria, numeris, astris contereret, quae et, a falsis initiis profecta, vera esse non possunt et, si essent vera, nihil afferrent, quo iucundius, id est, quo melius viveremus; — eas ergo artes persequeretur, vivendi artem tantam tamque operosam et perinde fructuosam relinqueret? Non ergo Epicurus ineruditus, sed ii indocti, qui, quae pueros non didicisse turpe est, ea putant usque ad senectutem esse discenda. Quae cum

2. *vitae* om. E *deduceretur* R 3. *ullam* E 4. *dixit* R 5. [*an si ille* A²] 6. *fecimus* C [*facinus* A¹] 7. *est* om. LMCR 8. *aut se aut* E *astrisque* L 9. *ea* (pro *et a*) L [*perfecta* Eh] 11. *est* om. E 12. *tantam* om. E [*tamque et oper*. A] 14. *hi* L [*hii* A] 15. *qui* (pro *quae*) E

editum est inde a Crat., nisi quod Manutius et Lambinus demonstrativum omiserunt. Ceteri Pall., Oxx. Uχ, Gzii reliqui *haec*. Paulo post pluribus adiectivis significatur ἡ τῆς ψυχῆς ἀταραξία.

duxit) Gzius in suis omnibus praeter Erl. ait esse aut *dixit* aut (ut in Gud. 2) *dixerit*; alius nemo quidquam annotavit. Fuerunt ante hos non ita multos annos, qui dubitarent, an Latine non diceretur *duco esse*; itaque post lexicorum auctores exempla collegerunt Moserus ad Cic. de R. P. p. 13 et in Add. p. 562 sqq., Beneckius ad orat. de imp. Pomp. p. 144. De re vid. ad § 26.

72. *An ille tempus* etc.) Hunc locum rectius distinxi, cum antea plene interpungeretur ante *Eas ergo*. Bimembris interrogationis forma ab initio instituta bis in priore membro obscuratur interpositis verbis ad elevandas artes et reprehendendas; itaque redintegratur oratio posita particula *ergo*, de qua dicetur ad II, 23. Prorsus idem in Tuscul. V, 73 factum esse ostendi in Emendd. Ciceron. p. 44. Verba *quae et a falsis initiis profecta* etc. non satis conveniunt cum *numeris* et *astris*; sed Cicero disciplinas harum rerum intellexit, cum musica, geometriam nominasset.

dixisset, Explicavi, inquit, sententiam meam et eo quidem consilio, tuum iudicium ut cognoscerem, quae mihi facultas, ut id meo arbitratu facerem, ante hoc tempus numquam est data.

1. [*quod* pro *quidem* Eh] 2. [*cōnsilium iudicium* A¹] *mea* (pro *mihi*) [A]EP [Subscribitur in A: *Marci Tullii Ciceronis de finibus malorum et bonorum ad Brutum primus liber explicit. Incipit liber secundus.*]

ea putant) In editionem Manutianam et proximas irrepserat *putent*. Id Davisius tantum El. utriusque, CCC, Mead. testimonio coarguit; Oxx. tantum ex EU afferunt *putant*. Recte omnes Gzii.

M. TULLII CICERONIS

DE

FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBER SECUNDUS.

ARGUMENTUM.

In hoc libro Epicuri decreta a Cicerone reprehenduntur et refutantur, qui initio non perpetua oratione utitur, sed mavult in singulis insistens Torquatum interrogare et ex iis, quae is concesserit, argumenta concludere (c. 1). Primum igitur Epicurum in ipsa vi et natura voluptatis constituenda a se dissidere ostendit, breviter subinde Torquato ad interrogata respondente; tum enim eam voluptatem Epicurum dicere, quae ab omnibus dicatur, quae sit in iucundo motu sensus, tum eam, quae posita sit in non dolendo; haec autem diversa esse, non eadem (c. 2--3); nec omnino voluptatem esse nihil dolere, sed inter voluptatem et dolorem tertium hoc interiectum esse, cum neque in dolore neque in voluptate simus (c. 4—5). Hinc iam Torquato respondere nolente, quod dialecticis captionibus se irretiri putat, Cicero perpetua oratione idem explicare pergit, Epicurum, si duo illa coniungere vellet, duplici fine bonorum uti debuisse (c. 6); duas enim esse res, non solum verba; nunc unum eum ex duobus facere conari; nam interdum ita loqui de motu voluptatis in corpore, ut etiam luxuriae patrocinium suscipere

videatur (c. 7), modo quis eleganter et caute luxuriosus sit; (et tamen luxuriosos suaviter vivere, non bene, quae longe sint diiuncta (c. 8); nec recte Epicurum cupiditates divisisse, desideria naturae cum cupiditatibus confundentem;) deinde autem, cum huius eum turpitudinis puduerit, sic alterum illud, non dolere, laudare, ut prior illa et vera voluptas obscuretur (c. 9)[1]*. Itaque non recte eum a pueris et bestiis argumentum sumere, cum eos suavem illam voluptatem expetere dicat, summum autem bonum non dolere esse velit (c. 10). Nec omnino animal primum ortum, ut voluptatem petat, natura moveri, sed ut se diligat et conservet; itaque in iis, quae prima appetantur, multa esse praeter voluptatem; atque ab horum primorum naturalium constitutione fluere omnem bonorum et malorum rationem*[2]*); ceteros philosophos sibi constitisse, ut iis, quae prima posuissent, finis bonorum responderet, Epicurum a se discrepare (c. 11). Deinde Cicero disputat, non sensuum hoc esse de summo bono iudicium, sed rationis, quae omnes sententias aut voluptatis participes aut virtutis expertes reiciat (c. 12). Huius se auctoritatem sequentem controversiam minuere velle, semoturumque a philosophia ceteras sententias, in quibus nulla sit virtutis adiunctio (c. 13). Ita relinqui inter virtutem et voluptatem ab Epicuro defensam certamen; iam, si ostenderit aliquid honestum esse, quod sit sua vi propter seque expetendum, iacere putat totam Epicuri disciplinam (c. 14). Exponit igitur, quomodo e natura hominis omnis virtus oriatur (ibid.), nec, ut Epicurus putet, id esse honestum, quod populari fama laudetur (c. 15); quod autem Epicurus voluptatis causa et incommodorum metu iustitiam expeti doceat, perinfirma ea improbitatis vincula in callidis et potentibus hominibus esse, cum praesertim Epicuro, et qui eum sequantur, etiam cum periculo magnae voluptates eaque, quibus illae parentur, velut pecuniae, petenda sint (c. 16 - 18); eandemque temperantiae et fortitudinis rationem esse,*

---

[1]) De progressu disputationis a c. 7 ad 9 vid., quae ad § 20 dicentur.

[2]) De tota hac disputatione vid. annot. et exc. ad § 33.

ut eae tum demum appareant, si nullius commodi causa honeste agatur (c. 19). Si Epicuri vera sit sententia, beatum dicendum esse, qui in omnium voluptatum copia molliter, sed caute et prudenter vivat, ut L. Thorius Balbus fecerit; sibi beatiorem videri fuisse Regulum tum ipsum, cum cruciaretur (c. 20). Epicuri sententiam sequenti et Lucretiae et L. Verginii facta vituperanda esse; nec omnino in illa schola claros viros testes adhiberi, virtutesque ipsas induci voluptatis ancillulas (c. 21). Quod autem neget Epicurus quemquam, qui honeste non vivat, iucunde vivere posse, non posse virtutem retineri, si omnia ad voluptatem dirigantur, sed tantum fictam speciem (c. 22). Illud autem quale esse, quod ne profiteri quidem quisquam eam sententiam audeat apud populum, se omnia voluptatis aut non dolendi causa facere? (c. 23). Nec amicitiam consistere posse, quae mutata utilitate ipsa mutetur necesse sit (c. 24). Quod ipse Epicurus amicitias cum fide coluerit, melius eum fecisse quam dixisse (c. 25); nec probandam esse ullam ex tribus rationibus, quas Torquatus de amicitia proposuisset (c. 26). Perfecto igitur et concluso, neque virtuti neque amicitiae in Epicuri disciplina locum esse, breviter Cicero reliquae Torquati orationi respondet; primum beatam vitam, si voluptas sit summum bonum, in potestate sapientis non futuram; nec verum esse, quod Epicurus dicat, non minorem voluptatem ex brevi tempore quam ex longinquo percipi (c. 27). Et si concedatur, ipsam naturam sapientem locupletare et summam voluptatem ex vilissimis rebus percipi, quid de dolore dicendum esse? qui si summum sit malum, omnem beatae vitae constitutionem everti (c. 28); nam remedia doloris ab Epicuro proposita nullam vim habere; virtutis potius et magnitudinis animi fomentis eum leniri, idque ex ipsius Epicuri epistula ad Hermarchum apparere (c. 29—30). Sed ut haec epistula laudanda sit, sic improbandum Epicuri testamentum, in quo, qui nihil ad quemquam post mortem pertinere statuerit, tamen diligenter de memoria sua caveat (c. 31). Percurruntur deinde, quae a Torquato de memoria voluptatum dicta erant (c. 32) et de animi voluptatum et dolorum e corpore origine et magnitudine (c. 33). Peroratio

libri excellentiam humanae naturae praedicat, ex qua appareat, nos ad altiora et magnificentiora quaedam natos esse, voluptate autem dominante vitam confundi omnesque virtutes iacere necesse esse (c. 34—35).

I. 1. Hic cum uterque me intueretur seseque ad audiendum significarent paratos, Primum, inquam, deprecor, ne me tamquam philosophum putetis scholam vobis aliquam explicaturum, quod ne in ipsis quidem philosophis magno opere umquam probavi. Quando enim Socrates, qui parens philosophiae iure dici potest, quidquam tale fecit? Eorum erat iste mos, qui tum sophistae nominabantur; quorum e numero primus est ausus Leontinus Gorgias in conventu poscere quaestionem, id est, iubere

1. *seque* L 3. [*scolam* A semper] *vobis* om. E *aliquam vobis* L 4. *quid* E *quidem* E in margine habet significaturque post *ipsis* inserendum 5. [*magno opere* om. Eh] [*numquam* Eh] 7. *tunc* R 8. *est* (pro *e*) E [*Leoncius* Eh] 9. [*Gorgius hi conventu posceret* A[1]]

Cap. I, 1. *intueretur — significarent paratos*) Recte mutatio numeri notabilis visa est grammaticis; non recte nonnulli eam sublatam voluerunt; nam *uterque* cum plurali (*intuerentur*) Cicero numquam ponit; alterum tentari nisi violenter non potest. Transiit igitur Cicero in altero membro ad singulorum significationem, paulo durius quam I, 25, quod in copulativo orationis progressu. Similem transitum post *quotus quisque* pro Flacco 104 Otto demonstrat.

deprecor) Om. cod. Mor. (qui initio *sic* pro *hic*), quod ne cui esse aliquid videatur, sciendum est, bonae aetatis prosae orationis scriptores numquam in prohibendo *ne facias* dicere pro *ne feceris*, quae res incredibiliter ignoratur. Vid. quae dixi Opusc. Ac. II, p. 105, 106. [Senec. cons. ad Helv. 12, 1 sic oratio distingvenda est: *Ne me putes — sapientum, aspice* cet.]

scholam) quales sunt Tusculanae (I, 8), perpetuae de quaestione proposita disputationes. Et tamen facit fere postea Cicero, quod hic se facturum negat. *Magno opere* „in tribus optimis“ Gzii aberat.

Leontinus Gorgias) Idem narratur de Orat. I, 103, III, 129. Res nota e Platonis Gorgia 447 C.

dicere, qua de re quis vellet audire. Audax negotium; dicerem impudens, nisi hoc institutum postea translatum ad nostros philosophos esset. 2. Sed et illum, quem nominavi, et ceteros sophistas, ut e Platone intellegi potest, lusos videmus a Socrate. Is enim percontando atque interrogando elicere solebat eorum opiniones, quibuscum disserebat, ut ad ea, quae ii respondissent, si quid videretur, diceret. Qui mos cum a posterioribus non esset retentus, Arcesilas eum revocavit instituitque, ut ii, qui se audire vellent, non de se quaererent, sed ipsi dicerent, quid sen-

1. *quisque* L 3. *philosophos nostros* [A]LPMCROr. [*esse* A¹] 5. [*percunctando* A¹] 7. *ad haec* LPMCROr. *hi* CROr. [*hii* A] 8. *dicerent* L *a* om. R 9. [*que* om. Eh] [*hi* A] *audiri* E [*audite* A¹] 10. *nondum* (pro *non de*) L *quod* E

id est, iubere dicere — audire) Suspecta haec Bremio erant, quod Torquato et Triario hoc explicari opus non esset. Sed ipse addit, quod ad defensionem satis est, Ciceronem, si haec scripserit, lectorum potius quam eorum, quibuscum se colloqui fingat, rationem habuisse; vid. ad I, 17. *Quaestionem poscere* nondum apud Latinos certam et notam rem significabat. Tum Oxx. Eξ (edd. Vict. et Lamb.) *dicerem et impudens*; Cicero dubitat, utrum nomen eligat, non de altero adiungendo (*etiam imp.*).

ad nostros philosophos) in scholis posteriorum, ex quo tempore, omnium dogmatis iam constitutis, cum quaerendi studium exaruisset, iactabant se homines in iisdem sententiis oratorie exornandis et in perpetua adversariorum insectatione, ut Stoici in Epicureorum. Academici autem versatilem artem eandem rem defendendi et refellendi atque contra omnia disputandi addebant. Et Academicos praecipue Cicero significat. Itaque *nostros*, quod ad sectam pertinet, praeposui; ceteri nihil e codd. annotant. [Sic etiam B.]

2. *ad ea, quae ii*) Bene, quod Erl. verum tuetur [et A], maxime in illo casu, qui difficilius mutatur (*ea*), contra deteriorum consensum; nam *haec* — *hi* pravissima tamquam praesentium demonstratione, e Davisianis Parr. tres, CCC, Mead., Ball. (Oxx. Eξχ), Gzii quattuor.

Arcesilas eum revocavit) Instituit non, quid ipse sentiret, sed contra id, quod quisque se sentire dixisset, disputare (III de Orat. 67). Credebat enim, Platoni, quem sequi volebat, summam disputationis fuisse in iis, quae contra alios diceret

tirent; quod cum dixissent, ille contra. Sed eum qui audiebant, quoad poterant, defendebant sententiam suam; apud ceteros autem philosophos, qui quaesivit aliquid, tacet; quod quidem iam fit etiam in Academia. Ubi enim is, qui audire vult, ita dixit: Voluptas mihi videtur esse summum bonum, perpetua oratione contra disputatur, ut facile intellegi possit, eos, qui aliquid sibi videri dicant, non ipsos in ea sententia esse, sed audire velle contraria. 3. Nos commodius agimus. Non enim solum Torquatus dixit, quid sentiret, sed etiam, cur. Ego autem arbitror, quamquam admodum delectatus sum eius oratione perpetua, tamen commodius, cum in rebus singulis insistas et intellegas, quid quisque concedat, quid abnuat, ex rebus concessis concludi, quod velis, et ad exitum perveniri. Cum enim fertur quasi torrens oratio, quamvis multa cuiusquemodi rapiat, nihil tamen teneas, nihil reprehendas, nusquam orationem rapidam coërceas.

1. *eum* om. LPMROr. *sed qui contradicentem* C 4. [*quid quidem* Eh] *etiam* om. E 7. [*possit ut eos* Eh] [*sibi aliquid* Eh] 10. *sed esse cur* E 12. *cum in viribus* R 13. [*ex quibus concessit* A¹] 15. *cuiusmodi* L 16 *apprehendas* [A]LPMCROr. 17. [*coherceas* A²]

Sed eum qui audiebant) *Eum* optime praeter Erl. etiam [A et] Spir. [B] et Bas. dederunt; contrarium huic est: *apud ceteros autem.* Diogenes Laërt. IV, 28 de Arcesila: *Πρῶτος δὲ καὶ ἐς ἑκάτερον ἐπεχείρησε καὶ πρῶτος τὸν λόγον ἐκίνησε τὸν ὑπὸ Πλάτωνος παραδεδομένον καὶ ἐποίησε δι' ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως ἐριστικώτερον.*

iam fit etiam in Academia) Spir. [B] quoque om. *etiam*; Bas. *iam etiam fit*, Gud. 2 *qui quidem etiam iam fit.* Si omitteretur *etiam*, ut Otto fecit, significaretur, quid, cum antea factum omnino non esset, nunc fieret in Academia.

3. *nihil reprehendas*) Recte hoc [quod est etiam in B] Wesenbergius commendavit, dictum de iis, quae celeriter currunt et paene effugiunt, retrahendis, cuius significationis exempla et a Plauto ac Terentio et a recentioribus sumpta lexica habent. (Add. Senec. epist. 95, 46: *quae reprehendunt animos ac detinent*, et Ovid. Heroid. XI, 53: *elapsaque verba reprendo.*) Cicero sic dixit Acad. II, 139: *revocat virtus vel potius reprehendit manu.* Nec aliter intellegendum, quod pro Flacco 22 in laude patroni ponitur: *Bene testem in-*

Omnis autem in quaerendo, quae via quadam et ratione habetur, oratio praescribere primum debet, ut quibusdam in formulis: EA RES AGETUR, ut, inter quos disseritur, conveniat, quid sit id, de quo disseratur.

1. [*quae via — ut quibusdam* om. A^1] *et oratione* E 2. *et oratio* C [*ne quib.*, superscripto *ut*, A] 3. *in* om. E *agitur* PL *agatur* MCROr.

terrogavit; callide accessit; reprehendit (quasi evolantem et fugientem); cfr. Verr. III, 51. (De Legg. II, 34 *reprehendere* est id, quod dictum sit, retractare.) Aptus est orationis ascensus: *nihil teneas*, *nihil* (si non statim tenueris, postea) *reprehendas*. Contra *apprehendere* prius est quam *tenere*.

ut quibusdam in formulis: ea res agetur) Etiam in Spir. [B] et Gud. 2 excidit *in* post *m*; sed quod Gzius dicit *ea* omitti in Spir., Erl., Gud. 2, Bas., fallitur de Erl. (non ex silentio hoc coicio), cui cum Pal. 1 consentiat, valde de ceteris dubito, de Spir. prorsus non dubito. Hinc tamen Gzius effecit: *debet (ut quibusdam formulis res agatur)*, *ut*, *inter* etc., sequens simul deteriorum scripturam *agatur* (Pall. praeter 1, 2, 4, Parr. 1, 2, El. utriusque, Mead., Oxx. omnium, Gzianorum praeter Erl. et Gud. 2, opinor, etiam praeter Spir.); nam Pal. 1 cum Erl. [et B] *agetur* („videbaturque etiam fuisse in Pal. 2“), Gud. 2 et Pal. 4 *agitur*. Omnia illa ratio perturbat, primum sententiam; neque enim iam postulatur, de qua Cicero dicit, definitio rei ad agendum propositae, sed (cuius causa illa requirebatur) consensus disputantium, et, inverso ordine, ideo postulatur, ut conveniat, ut quibusdam formulis res agatur; quae autem sint illae *quaedam formulae*, quibus res agatur, frustra quaeras; deinde comparationem cum formulis iurisconsultorum (et tamen Otto, haec sequens, de Gaio quaedam descripsit ab Orellio); postremo orationis cohaerentiam; nam post *praescribere* interponitur *ut — agatur*, et tamen non hoc eo refertur, sed *ut — conveniat*. De praescribendi verbo et ipsa re nondum dico. Viderant iam superiores, hoc dici, idem, quod in formulis quibusdam iurisconsultorum fieret, in disputando fieri debere; sed cum *praescribere* vulgari significatione acciperent nec ipsa formularum verba nossent, requirebant sententiam pendentem: *quae res agatur* (Manut.) aut: *qua de re agatur* (Lambin.). Nunc res dubitationi exempta est. *Praescriptiones* enim apud iurisconsultos, qui etiam verbo *praescribendi* sic utuntur, appellabantur ipsa illa, quae formulae praeponebantur, ut ea petitoris causa, ne formula caderet, ad eam rem, quae ageretur, certius ac-

II. 4. Hoc positum in Phaedro a Platone probavit Epicurus sensitque, in omni disputatione id fieri oportere. Sed quod proximum fuit, non vidit. Negat enim definiri rem placere, sine quo fieri interdum non potest, ut inter eos, qui ambigunt, conveniat, quid sit id, de quo agatur; velut in hoc ipso, de quo nunc disputamus. Quaerimus enim finem bonorum; possumusne hoc scire quale sit, nisi contulerimus inter nos, cum finem bonorum dixerimus, quid

3. *primum fuit* EC 4. [*placere — conveniat* om. A¹] 6. [*velit* A¹] 7. [*hac scire* Eh] *scire hoc* LPMCROr. [*quali sunt* A¹]

commodaretur; vid. Gaii Institt. IV, 130—137; earum commune initium erat: *ea res agatur*; tum sequebatur rei definitio. Exempla Gaius multa profert. (Dirksenius in libro, qui inscribitur: Versuche über die Quellen des römischen Rechts, p. 9 non satis haec verba ab iis distingvit, quae alium habebant usum: *qua de re agitur.*) Illa ipsa verba Cicero ponit, vultque in disputatione simili modo praescribi, hoc est, primum dici: *ea res agatur*, ceteraque, quae ad ea verba explenda pertinent quaeque illis significantur; significatur autem definitio rei, de qua agatur. Retinui tamen cum optimis codd. *agetur*, quod *agatur* manifestum est ortum esse ex praecedenti *ut*; fieri enim potest, ut aut antiquitus interdum formula aliter concepta sit aut Cicero eam a praetoris iubentis oratione transtulerit ad philosophorum disserentium rationem. Apud Petrum Diaconum de notis col. 1507 Gothofr. ERA explicatur: *ea res agitur*. Orellius veram scripturam, cui etiam Gaii verba ascripsit, sic interpungendo distraxit: *praescribere debet (ut quibusdam in formulis EA RES AGATUR)*, *ut* etc.

Cap. II, 4. *in Phaedro*) p. 237 B: *Περὶ παντός, ὦ παῖ, μία ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύεσθαι· εἰδέναι δεῖ περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλή, ἢ παντὸς ἁμαρτάνειν ἀνάγκη.* De Epicuro vid. I, 29. Definitiones sustulisse dicitur I, 22. Nullas enim alias probabat nisi quibus exprimeretur, quid inesset in communi hominum notione, idque sine ullo singulari artificio reperiri posse putabat. Sed quid de Cicerone dicemus, qui non sentiat, ipsam notionem boni in his libris nusquam ab origine sua explicari et certis finibus comprehendi? Ipsi illi definitionum artifices Stoici, dum singula verbis definiunt, ipsam vim multiplicem notionum in his quaestionibus interdum non admodum accurate persecuti esse videntur.

finis, quid etiam sit ipsum bonum? 5. Atqui haec patefactio quasi rerum opertarum, cum, quid quidque sit, aperitur, definitio est; qua tu etiam imprudens utebare nonnumquam. Nam hunc ipsum sive finem sive extremum sive ultimum definiebas id esse, quo omnia, quae recte fierent, referrentur neque id ipsum usquam referretur. Praeclare hoc quidem. Bonum ipsum etiam quid esset, fortasse, si opus fuisset, definisses, aut quod esset natura appetendum, aut quod prodesset, aut quod iuvaret, aut quod liberet modo. Nunc idem, nisi molestum est, quoniam tibi non omnino displicet definire et id facis, cum vis, velim definias, quid sit voluptas, de quo omnis haec quaestio est. 6. Quis, quaeso, inquit, est, qui, quid sit voluptas, nesciat

1. *esse* (pro *etiam*) E *et* C [*patefacio* A¹] 2. *quidquid quid sit* M *quid quidquam sit* L *sit* om. E 3. [*diffinitio* A] 4. [*extremum sive* om. A¹] 6. *neque — referretur* om. L [*refferretur* AEh] *referatur* C 7. *quam* E 10. *Nunc* om LPMCR 11. *finire* [A]E *definire* (pro *definias*) LPMCR 12. *voluptas* om. R *haec omnis* R 13. *quis quasi* [A¹]E [*quis quam* A²] *quasi quis* ceteri [*inquis* A¹] [*voluptatis* A]

5. *Atqui*) Vid. ad I, 58. Mox in verbis *quid quidque* (ut scriptum est etiam in Spir. et margine Crat.) aberrant etiam aliorum codd. deteriores, ut χ *quidquid*, ψ *quidquid quid*. De iis, quae sequuntur, quod ad orationis formam attinet, vid. ad I, 42, de re I, 29.

Nunc idem) *Nunc* addidit Gruterus e Pal. 1; erat etiam in Spir. et Gud. 2; in ceteris (Pall., Dav., Oxx., Gzii) aberat; itaque olim distingvebatur: *liberet. Modo idem* etc. Iidem meliores (Pal. 1, mg. Crat., cod. Mor.) *definias* dederunt, quamquam *definire*, quod edebatur ante Gruterum, non annotant Dav. et Gzius, Oxx. autem tantum e χ. (ψ omittit *et id — definias.*)

6. *Quis, quaeso, inquit, est*) In uno vocabulo aberrant boni codices, pro *quaeso* aut, ut multis aliis locis (§ 80, IV, 72, Brut. 289, Philipp. XIII, 32, ad Attic. V, 1, 4, ad Fam. V, 15, 2), *quasi* habentes (E; Gud. 2 *quasi quis*) aut quae inde leviter deflectant; Spir. *quisquesi*. Recte emendavit Gzius. Davisius Pal. 1 correctionem secutus erat: *Quisquam, inquit, est*, pravo in tali interrogatione verborum positu. Deteriores aliorum ut nostri, unde Manutius et Lambinus, soloecismum in verbi modo vitantes: *Quasi quis* (Lamb. rectius *quisquam*), *inquit, sit*. Voluptatis definitio Epicurea videtur esse apud

aut qui, quo magis id intellegat, definitionem aliquam desideret? Me ipsum esse dicerem, inquam, nisi mihi viderer habere bene cognitam voluptatem et satis firme conceptam animo atque comprensam. Nunc autem dico ipsum Epicurum nescire et in eo nutare, eumque, qui crebro dicat, diligenter oportere exprimi, quae vis subiecta sit vocibus, non intellegere interdum, quid sonet haec vox voluptatis, id est, quae res huic voci subiciatur.

3. *habere* om. E *cogn. bene* E *acceptam* E 4. *compressam* C 5. *mutare* E 8. *quae vis* R

Ioannem Stob. Eclog. Eth. p. 58 Heer., sed videtur tantum; interpungenda enim verba sic sunt: *ἡδονὴ γάρ·* (auditur *τέλος ἐστὶν αὐτοῖς*, explentque haec, quod dixerat, *παθητικὸν ὑποτίθεσθαι τὸ τέλος*, tum pergitur:) *ὅθεν καὶ τὴν ἔννοιαν ἀποδιδόασι τοῦ τέλους τὸ οἰκείως διατεθεῖσθαι* (editur *διατιθέναι*) *ἐξ ἑαυτοῦ πρὸς αὐτὸν χωρὶς τῆς ἐπ' ἄλλο τι ἀγούσης* (editur *ἁπάσης*) *ἐπιβολῆς*.

et in eo nutare) Idem verbum de inconstantia eius, qui rem aliquam non firme comprehenderit, I N. D. 120: *Mihi quidem etiam Democritus nutare videtur in natura deorum.*

id est, quae res huic voci subiciatur) Iis, qui haec verba, praeeunte P. Fabro Semestr. II, 24 damnarant, quod inanem et prorsus supervacaneam noti vocabuli explicationem haberent cum molesta repetitione, parum Gzius respondit; nam et recte cadit sententiae exitus his omissis nec difficile fuit librario ex proximo versu haec transferre. Sed Cicero cum sic *sonet* posuisset de vi et significatione vocabuli (cfr. Off. III, 83), ut simul in mentem veniret vox ab Epicuro frequentata, *φθόγγος*, addidit, hoc esse illud ipsum, quod Epicurus requireret, *τὸ ὑποτεταγμένον τῷ φθόγγῳ* (vid. ad I, 29). Sic autem saepissime ponitur *id est*, non ut superius tamquam obscurum explicetur, sed ut adiungatur aliquid aut necessarium aut utile sententiae et conclusioni, cum significetur, id, quod dictum sit, aut nihil esse aliud nisi id ipsum, de quo agatur, aut habere in se aliquid, quod animadversione dignum sit. Huiusmodi hoc est in libro I, 72: *quo iucundius, id est, quo melius* (in memoriam Torquatus revocat, haec non diiuncta esse): II, 90: *tenuissimo victu, id est, contemptissimis escis et potionibus* (auget Cicero explicando, ut ostendat inconstantiam Epicuri); ibd. 92: *dolor igitur, id est, summum malum*; (cfr. Tusc. III, 27: *aegritudine, id est, miseria*); ibd. 115; III, 18:

III. Tum ille ridens: Hoc vero, inquit, optimum, ut is, qui finem rerum expetendarum voluptatem esse dicat, id

1. *tunc* (E)C [*inquid* A[1], idemque § 7, 8, 9]

iam membrorum, id est, partium corporis (admonet, quo iure membra commemorentur; Gzius ad Acad. I, 21 e „tribus suis" corrigit *et partium*; ad ipsum locum et codicum, si qui fuerunt, et correctionis oblitus est); Tuscul. I, 75; Off. III, 23: *natura, id est, iure gentium* (admonet haec eadem esse, ut apte a natura transeat ad singularum civitatum leges commemorandas; non recte Beierus e codd. Gzii et aliquot vett. edd. scripsit *et iure*; Orellius, nescio quo casu, retenta Beieri scriptura, prorsus nihil annotavit; nam si consilio de suis codicibus tacuisset, editionum et aliorum codicum dissensum commemorasset); pro Balbo 54: *Latinis, id est, foederatis* (de quo genere agitur); ad Famil. II, 17, 4; ibd. IV, 4, 3 (ubi in temporis definita significatione rectius scribitur: *postquam coeptum est* quam: *postquam coeptum sit*); ibd. IV, 9, 2 (recte Orellius non credidit Ruhnkenio); ad Attic. XIII, 38, 2 (accommodat, quod generalius et translate dicebatur, ad suam rem; frustra Valckenarius tentavit). Haec ut contra eos valent, qui nimis facile in his vocibus interpretamenti notam se tenere putant, sic non eo disputata sunt, ut defendi etiam velim Brut. 120, ubi, si retinentur verba *id est, ex vetere Academia*, prave ante definitur demonstrativum quam ad relativum venitur, aut IV Catil. 2; ne de eo quidem Bruti loco, qui § 172 est, quidquam affirmaverim.

Cap. III. *Tum ille*) A Manutio ad Bremium edebatur *tunc*. Illud revocavit Gzius e „scriptis suis omnibus" (etiam Oxx. EUξχ); vid. ad I, 28.

Hoc vero optimum, ut is) Subtiliter de particula *ut* ibi posita, ubi infinita sententia requiri videri possit, disputavit ante hos decem annos Edv. Wunderus (in Iahnii Annal. V, p. 151 ad 163), eo omnia deducens, ut particulam illam in his locis pro *quomodo* accipi debere iudicaret; quem sequens Otto ad h. l. multa exempla sine delectu et iudicio congessit. Sed ipse Wunderus mihi hic non satisfecit, plus tribuens, ut fit, unitati cuidam significationis et discrimini perpetuo, quam sermonis natura permittit. Nam illam esse primam huius particulae significationem certum est; illud ambigitur, retineaturne sic interrogativa significatio in hac, de qua agitur, coniunctione, ut appareat per se et sentiatur, et num haec sit causa hanc particulam potius quam infinitam sententiam ponendi. Atqui ad illud *quomodo* in singulis

extremum, id ultimum bonorum, id ipsum quid et quale sit,

1. *quidem* (pro *quid et*) EOr. [*quid* ē A] *quid sit* ceteri *nescit* (pro *sit*) L

locis adeo contorte pervenitur, ut non appareat, cur non aeque in ceteris omnibus sententiarum coniunctionibus tale aliquid excogitari possit, in quibus tamen non ponitur *ut* pro infinita oratione. Itaque nihil nos illa interpretatio adiuvat. Analogia autem, qua vir praestantissimus utitur, quod etiam dicatur: *non est veri simile, quam* etc. (non solum apud Ciceronem, sed apud Senecam quoque, de tranquill. animi 14, 6, epist. 108, 12), ea vero nulla est; nam de gradu hoc dicitur, non de facto. Multoque est alia propior et simplicior via haec explicandi, et quae ab ipsa natura sermonis proficiscatur. Nam cum multae sententiae obiectivae et subiectivae hanc haberent naturam, etiam propter primariae sententiae verbi genus, ut facili transitu earum formam subirent, in quibus effectus [aut factum et rei status] significatur, in iis propter hanc inclinationem *ut* positum est, cuius particulae, ut fit in omnibus huiusmodi vocabulis, non iam certa aliqua prima significatio, sed generalis quaedam vis in sententiis vinciendis percipiebatur. Manifesta est haec ratio in iis verbis, quae proprie effectum significant, ut in hoc ipso *efficio*, cum de conclusione ponitur, *sequitur*, aliis. Sed quid horum similius quam hoc: *concedo, ut ita sit*, conflata sentiendi et permittendi notione? (Cfr. quae ad I. 14 dicta sunt.) Atque huic cognatum est *assentior*, etiam *teneo, retineo*, ut sentiendo efficere quodam modo videamur, ut aliquid alicuius modi sit. Perspicuum etiam illud, quod Cicero numquam dixit: *probo, ut ita sit*, sed bis saltem (hic II, 108, Tusc. III, 5): *qui probari potest, ut* etc. (In hoc opere III, 43 *ut* non annectitur approbandi verbo, sed toti sententiae, hoc modo: *ut hoc idem approbandum sit nobis*, (ita) *ut* etc.) Iam in adiectivis eandem esse rationem, vel inde manifestum fit, quod Cicero numquam dixit: *veri simile est, ut*, quater in libris, qui extant: *non veri simile est, ut*, id est fere: *non fieri potest, ut*; similiterque dicitur *integrum est, ut*, alia. Atque hinc particulae *ut* usus transfertur ad omnia illa, quae per adiectiva sic enuntiantur, ut levis aliqua sit facti effectusve consecutionisque significatio et a declaratione sive iudicio de subiecta sententia declinatio. Pro Flacco 65 cum Cicero sic dicit: *Quid in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est quam, si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur?* hoc significat: *quid tam vulgo fit?* Si posuisset: *quam dici*, significasset: *quid tam notum et saepe dictum est?* Atque hoc ad hunc quoque locum,

nesciat! Atqui, inquam, aut Epicurus, quid sit voluptas, aut omnes mortales, qui ubique sunt, nesciunt. Quonam, inquit, modo? Quia voluptatem hanc esse sentiunt omnes, quam sensus accipiens movetur et iucunditate quadam perfunditur.

1. *quid voluptas scit* (sic) L 2. [*quoniam* AEh] 3. *quare* (pro *quia*) C *esse* om. Or.

a quo sum orsus dicere, pertinet. Nam si sic dixisset Torquatus: *eum — nescire*, tantum, mirum id esse, simpliciter iudicasset (*dass er nicht weiss*); nunc simul dubitare se ostendit, fierine possit (*dass er nicht wissen sollte*). De Divin. II, 5 (*magnificum et gloriosum*, *ut*) et de Orat. II, 178 (*nihil est in dicendo maius*, *quam ut faveat oratori is* etc.) Ciceronis animo obversabatur effectus notio (*efficere*, *ut*). Sed satis multa dixi; universam enim rem declarare volui, non singula persequi. [Cfr. Haasius ad Reisigii scholas n. 483, p. 556 sqq.]

quid et quale sit) Secutus sum cum Bremio optimorum codicum (etiam Pal. 1 et Spir.) non ipsam scripturam, sed vestigia aperta; nam nec asyndeti vehementia, maior etiam in interrogando, ferri poterat, nec *quidem* hic poni, ubi nulla est circumscriptio et unius ab aliis separatio (vid. ad I, 70). *Quid et quale sit* prorsus eodem modo ponitur I, 29, Tusc. III, 11. [B ut Erl.]

hanc esse sentiunt) *Esse* omisit Gzius, sequens Spir., cum in Gud. utroque et Bas. poneretur post *omnes*. Miror tantum dissensum, cum Erl. [etiam B] cum ceteris meis consentiat; nec infinitivum abesse posse credo. Nam pro eo, quod est *intellegunt*, quomodo § 50 *sentiat* ponitur, hic, omisso infinitivo, dure diceretur, nec puto ita dici cum duplici accusativo; sic enim accipiendum esset: voluptatem cum dicunt, hanc sentiunt. [Cfr. tamen Off. III, 75.] Multo autem minus propria significatione accipi *sentiunt* potest; neque enim disputatur, quae voluptas sentiatur et percipiatur ab omnibus, sed quae iudicetur voluptas esse, ut ostendatur, Epicurum cum communi et insita animis notione pugnare. *Sentio esse* autem hac iudicandi (non vulgari animadvertendi) significatione (de sententia et decreto) rarius omnino, sed recte dicitur; Tusc. V, 82: *qui cum finem bonorum esse senserint congruere naturae*, — *sequatur necesse est* etc.; Acad. I, 22: *omnis illa antiqua philosophia sensit*, *in una virtute esse positam beatam vitam*; ad Attic. VII, 6, 2: *sentiam*, *omnia facienda*, *ne armis decertetur*; de R. P. I, 45: *probandum esse sentio* (Orellius ex Heinrichii coniectura *censeo*); de Legg. II, 32: — *quid sentias? Egone? divinationem — esse sentio* (sic enim pro *censeo* recte codd.); ad Fam. I, 7, 5; [de Or. II, 84].

7. Quid ergo? istam voluptatem, inquit, Epicurus ignorat? Non semper, inquam. Nam interdum nimis etiam novit, quippe qui testificetur, ne intellegere quidem se posse, ubi sit aut quod sit ullum bonum praeter illud, quod cibo et

1. *inquit* transp. post *ergo* LPMCR 3. *quidem se* om. E *se* om. R
4. *quid sit* (LPM)Or. *aut* (pro *et*) COr. om. L

Apparet, incipere hic inconstantiae Epicuri et ab usu loquendi discessionis expositionem, sed, cum aliquamdiu subsistatur in ea parte voluptatis Epicureae commemoranda, in qua is cum vulgo consentiat, non statim nec recta via eam reprehensionem perfici, sed inde a § 18, ubi de *indolentia* ab Epicuro in voluptatis locum et nomen inducta disputatur. Itaque *quia* ea fere ratione positum est, de qua dixi ad I, 18.

7. *istam voluptatem*, *inquit*) Sic etiam Pal. 1 et Spir. [B]. Editiones ante Gruterum et ceteri Gzii codd. ut nostri deteriores; nec is ordo per se improbandus est; vid. Acad. I, 13.

quippe qui testificetur) Verba Epicuri e libro *περὶ τέλους* praeter Diogenem (X, 6) et Hesychium Milesium Athenaeus paulo pleniora ponit VII, p. 280 A, coll. XII, p. 546 E: *Οὐ γὰρ ἔγωγε δύναμαι νοῆσαι τἀγαθόν* (*ἔχω, τί νοήσω τἀγαθόν*, Diog.). *ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονάς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι᾿ ἀφροδισίων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι᾿ ἀκροαμάτων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς διὰ μορφῆς κατ᾿ ὄψιν ἡδείας κινήσεις.* Transtulit paulo etiam plura Cicero in Tusc. III, 41: *Nec equidem habeo*, *quod intellegam bonum illud* (confirmat Diogenis scripturam), *detrahens illas voluptates*, *quae sapore percipiuntur*, *detrahens eas*, *quae auditu et cantibus*, *detrahens eas etiam*, *quae ex formis percipiuntur oculis*, *suaves motiones*, *sive quae aliae voluptates in toto homine gignuntur quolibet sensu. Nec vero ita dici potest*, *mentis laetitiam solam esse in bonis. Laetantem enim mentem ita novi*, *spe eorum omnium*, *quae supra dixi*, *fore*, *ut natura iis potiens dolore careat.* Eadem significantur I N. D. 111. Corrigendus est Ciceronis locus in oratione in Pison. 69, ubi eandem Epicuri sententiam attingit; editur enim: *Iste — testificari*, *tabellas obsignare velle*, *Epicurum disertum dicere; est tamen: dicit*, *ut opinor*, *se nullum bonum intellegere posse demptis corporis voluptatibus.* Eloquentiam Epicuri Piso non curabat, nec ea a Philodemo in dubium vocata erat; scribendum est: *Epicurum desertum dicere; etenim dicit*, *ut opinor* etc. Desertum Epicurum clamabat ab iis, qui dogma de corporis voluptate non tenerent.

quod sit ullum bonum) Sic recte vett. edd. (etiam Mars., Crat., Vict.); postea irrepsit *quid*; quaeritur, quodnam ullum

potione et aurium delectatione et obscena voluptate capiatur. An haec ab eo non dicuntur? Quasi vero me pudeat, inquit, istorum aut non possim, quemadmodum ea dicantur, ostendere! Ego vero non dubito, inquam, quin facile possis, nec est, quod te pudeat sapienti assentiri, qui se unus, quod sciam, sapientem profiteri sit ausus. Nam Metrodorum non puto ipsum professum, sed, cum appellaretur ab Epicuro, repudiare tantum beneficium noluisse; septem autem illi non suo, sed populorum suffragio omnium nominati sunt. 8. Verum hoc loco sumo, verbis his eandem certe vim vo-

1. om. *potione* L *aut auri delect.* E 2. *vero* om. LPMCR 3. [*possunt* A¹] *ista* E *dicuntur* C 5. [*sapienti* om. A¹] 7. *putant* LPMCR 8. *tantum bonum officium* E [*voluisse* A¹] 9. *omnium suff.* M 10. *Verum — vocant* citat Non. p. 121; (*verum — voluptatis* id. p. 396) *de verbis* Non. p. 396 *iis* LM

praeterea bonum sit. Tum *aut potione* ex ed. prima pervenit in Manutianam et deinceps in ceteras; *et* Mars., Crat., Vict., restituitque Dav. e Par. 2, Mead., Ball. (Eξχω); repugnat Gzius, sed de codd. tacet. *Vero* post *quasi* Gruterus addidit e Pal. 1; erat etiam in Spir. Idem cum Erl. *ista* pro *ea*. Incommode et putide idem pronomen repeteretur.

sapienti) „Non est in Pal. 1, nisi a manu longe recentiori.“ Grut. Etiamsi *ei* substitueris, deerit aliquid ad sententiam: sapienti et quidem ei sapienti, qui etc. De Epicuri professione cfr. Cat. Mai. 43, Plut. Non posse svaviter etc. 18, p. 1100 A: σοφὸν δὲ μηδένα φάναι πλὴν αὐτοῦ γεγονέναι. (Verba ἐπὶ τῶν μαθητῶν corrupta sunt; nam neque ad φάναι pertinere possunt neque memorabile erat, hoc coram discipulis dictum esse, ubi etiam minus offensionis haberet, quam si coram aliis.)

Nam Metrodorum non puto) Metrodorus Epicuri *collega sapientiae* appellatur I N. D. 113, *paene alter Epicurus* hoc libro § 92. Itaque saepe tamquam duo huius disciplinae principes coniunguntur, Tusc. II, 8, N. D. I, 86, Plut. Non posse svaviter etc. c. 2, 8, 13. *Puto* etiam Pal. 1, Spir., Gud. 2, mg. Crat. Ceteri, qui indicantur, et edd. ante Gzium *putant.*

8. *Epicurum nosse*) Est idem fere, ac si dixisset: *ostendere, se nosse*, agnoscere nec tamquam ignotam et alienam reicere. Sed Cicero dixit sic, quod supra posuerat *ignorat* et *nimis etiam novit.* Nec coniungendum est *verbis nosse*, quod quid sit, Davisius iure dubitat, sed *his verbis* est: *cum his verbis utitur.*

luptatis Epicurum nosse quam ceteros. Omnes enim iucundum motum, quo sensus hilaretur, Graece ἡδονήν, Latine voluptatem vocant. Quid est igitur, inquit, quod requiras? Dicam, inquam, et quidem discendi causa magis, quam quo te aut Epicurum reprensum velim. Ego quoque, inquit, didicerim libentius, si quid attuleris, quam te reprenderim. Tenesne igitur, inquam, Hieronymus Rhodius quid dicat esse summum bonum, quo putet omnia referri oportere? Teneo,

1. *non nosse* Non. *notasse* cum mendi nota Or. 2. *hiaretur* [A] E *hiaret* L *hiarent* PMR *hiant* C [*hedonem* A] *hedoneum* codd. Non. 4. *inquit* (pro *inquam*) L *quidem* om. E 5. [*repensum* A¹] 6. *dicerem libent.* L *te* om. LPMR *deprehenderim* C *rem deprehenderim* PMR 7. *inquit* E [*Hieronimus* A] *quod* [A]LPMCROr. 8. *bonum summum* E

Eodem modo dixit in Tuscul. III, 42, nisi quod ablativus ille abest: *Atque haec quidem his verbis, quivis ut intellegat, quam voluptatem norit Epicurus.* Davisius et Gzius scripserunt *notasse*, quod nec ad illa *quam ceteros* aptum est et aliter dicitur de nomine imponendo tamquam nota. Bremius *verbis his* deleri volebat. Pro codicum et Nonii scriptura etiam Klotzius multis verbis disputavit, Quaest. Tull. p. 51-54. Attractionis genus, quo *quam ceteros* dicitur, id est, *quam ceteri norint*, nunc etiam in libris pervagatis commemoratur [Gr. Lat. § 402 b]; itaque hoc tantum addo, durissime eo usum Ciceronem in libro I N. D. 86: *Non animadvertunt, hic eum ambigue locutum esse, sed multis aliis locis et illum et Metrodorum tam aperte quam paulo ante te,* id est, *tu locutus es*; nihil enim omnino hoc pertinet ad aliorum sententiam et animadversionem, qui Velleium non audierant, sed ab ipso Cotta additur. Livius etiam, qui vulgaria exempla habet VIII, 14, 11, XXXIX, 24, 11, durius sic locutus est in participiali, non infinita, oratione XXXIV, 32, 16: *Nam et Messenen, uno atque eodem iure foederis, quo et Lacedaemonem, in amicitiam nostram acceptam, — cepisti.* Contra attractionem neglexit Cicero pro Rosc. Am. 105, de leg. agr. II, 61, ad Att. IX, 11 A extr., Livius perdure XXXII, 21, 12 et XLII, 37, 8: *Achaeis indignantibus, eodem se loco esse, — quo Messenii atque Elii* (etsi ibi scriptura coniectura adiuta est), Corn. Nep. Paus. 5.

quo sensus hilaretur) Veram scripturam, quam Nonius conservavit, Victorius restituit; *hiaretur* etiam Pal. 1, Spir., mg. Crat. Deteriores (Pall. cett., Dav., Oxx., Gud. 1, 2) *hiarent*; Bas. *hilarent.* [Bakius *titillaretur*; debuit saltem *titilletur.*]

quid dicat) Recte hic Erl., etiam ξχ (ceteri editores nihil

inquit, finem illi videri nihil dolere. Quid? idem iste, inquam, de voluptate quid sentit? 9. Negat esse eam, inquit, propter se expetendam. Aliud igitur esse censet gaudere, aliud non dolere. Et quidem, inquit, vehementer errat; nam, ut paulo ante docui, augendae voluptatis finis est doloris omnis amotio. Non dolere, inquam, istud quam vim habeat, postea videro; aliam vero vim voluptatis esse, aliam nihil dolendi, nisi valde pertinax fueris, concedas necesse est. Atqui reperies, inquit, in hoc quidem pertinacem; dici enim nihil potest verius. Estne, quaeso, inquam, sitienti in bibendo

1. *inquam* om. LPMCROr. 2. *causam* (pro *eam*) C 3. *se ipsam* MCOr 4 *equidem* (om. *et*) E 6. *cum non dolere* LPMR *tum vero dol.* C *istud* om. L 7. *video* LP 8. *est* om E 10. *inquam* om. L

annotant); nam quaeritur, qua in re Hieronymus summum bonum ponat. Eius notio plenius et gravius exprimitur, additis illis *quo putet* cet., quae Davisius iniuria omitti volebat. De Hieronymo Rhodio nihil, quod ad philosophiam attineat, praeter hanc unam sententiam traditur, quae commemoratur hic 35, 41, V, 14, Acad. II, 131, cett.

idem iste, inquam) Recepi verbum, quod cum Erl. consentiebant Eξ, ut idem in aliis bonis codd. fuisse putarem. [Et est in A et B.] Videtur etiam offensionem habere verbi eius in hac frequenti personarum mutatione uno et altero loco omissio, cum id longe plurimis locis ponatur; quamquam mox omittitur (*Aliud igitur* etc.) et [iterum post paucos versus: *eademne, quae* cet. et] paulo post § 17 (*Ergo in eadem* etc.) et supra I, 28 *inquit* in simili orationis forma; [cfr. V, 77 et 83]. Excidit interdum compendio notatum; vid. var. script. ad III, 14, IV, 2.

9. *propter se*) *Ipsam*, quod vulgo additur, Gzius abesse ait in tribus suis codd. optimis. Omittunt etiam [A B,] cod. Vict., Ox. E.

Et quidem, inquit) „Multi codd. *equidem*.“ Gzius. Est ita in Eξ pervagato errore. Concedit Torquatus et remotionem argumenti adiungit; vid. ad I, 35.

Non dolere) Sic etiam Pal. 1, Spir. Ceteri Pall., quinque Davisii, Oxx. Eχ, duo Gzii *cum non dolere*, El. 1, Par. 2 *tum non d.*, Gud. 2 *cum vero d.* Lambinus *tuum non dolere* coiciebat, prave posito pronomine et ab altero (*istud*) diiuncto.

voluptas? Quis istud possit, inquit, negare? Eademne, quae restincta siti? Immo alio genere. Restincta enim sitis

1. *ista* EOr. *posset* LPMCR *inquit* [om. E, hic habet A,] ante *possit* LPMCROr. [*eędemne* A¹] *Eademne, inquam, quae* (L)Or. *quae* om. R 2. *siti* — *enim* om. LR *nam restincta* MC *enim* om. P

Quis istud possit, inquit, negare) *Ista* „tres optimi" Gzii et Bas. Non secutus sum, quod hic necessario ad unam illam rem, de qua quaesitum erat, refertur pronomen; evertatur conclusio. si cum Gzio interpreteris *istud et talia*; et quae sunt illa talia? [*Istud* A.] *Possit* iidem „tres optimi" [et A]. Et recte sic scribi Ernestius voluerat; altera illa interrogandi forma (*quis posset?*), quam Gzius, etsi primus *possit* edidit, multorum locorum exemplo defendi putat, cum de praesenti tempore negatur, e medio nostro sermone est, non Latino, qui unum fert: *quis dicat? credat?* similia. Ad praeteritum tempus refertur: *quis diceret?* Sed puerilia haec sunt. *Inquit* „in scriptis multis desiderari" Gzius ait; sed addit *inquam* post *eademne* servare tres optimos suos, quod ex Erl. [A, etiam B] falsum esse perspicitur; perturbavit igitur haec. Et *inquam* omittunt praeter meos e Dav. Parr. 2, 3, Mead., CCC (ξ), Ball. (ψ), Ox.χ et, opinor, paene omnes.

alio genere) Fuit, qui *alia genere* scribi mallet, non recte; abundabit enim vitiose *genere*, quoniam de nulla alia diversitate, velut gradus. cogitari potest. Nec tamen, quod non sine causa addubitatum est, ponitur pro *alius generis*, audito *voluptas*, sed auditur totum: *Est ei voluptas*, adiungiturque *alio genere*, id est fere, alio modo, ut [de Orat. II, 185: *quae alio quodam genere mentes iudicum permovet*,] Verr. II, 149: *uno genere circumscribere* (excludere) *habetis in animo genus hoc aratorum*; [ad Att. II, 20, 4, VI, 2, 4: *duobus generibus*. Non ita multum a genetivo distat Verr. V, 29: *iste novo quodam genere imperator*]. Apud scriptores paulo inferioris aetatis interdum *genere* plane pro eo, quod est *modo*, dicitur, maxime apud Senecam, ut *omni genere* de Benef. II, 7, 2, et ibd. 10, 3: *parum* (est), *si fenerare cogitas*; *sed si dare, quo genere accipienti maxime profuturum est, dabis*. 'Contentus eris te teste (si sic interpunxeris, defensum erit *dabis*, quod Muretus omisit, Ruhkopfius revocavit, non intellexit); id. epist. 77, 13: *animam variis generibus emittunt*. Nec aliter Quintilianus X, 5, 2: *libros Platonis edidit hoc genere* (exercitationis causa) *translatos*. [Plinius Hist. Nat. VIII, 26: *tutiore genere*. Plura ex inferioris aetatis scriptoribus Io. Rhodius Lex. Scribonian. v. *genus*.]

stabilitatem voluptatis habet, illa autem voluptas ipsius restinctionis in motu est. Cur igitur, inquam, res tam dissimiles eodem nomine appellas? 10. Quid paulo ante, inquit, dixerim, nonne meministi, cum omnis dolor detractus esset, variari, non augeri voluptatem? Memini vero, inquam. Sed tu istuc dixti bene Latine, parum plane. Varietas enim Latinum verbum est, idque proprie quidem in disparibus coloribus dicitur, sed transfertur in multa disparia: varium poëma, varia oratio, varii mores, varia fortuna, voluptas

1. *habet voluptatis habet* R Post *habet* add *inquit* [A] LPMCROr. 2. *res* om. L *tam* om. R [*difficiles* A¹] 6. *istud* MC *dixisti* MCR *parum* om. PR [*plene* A¹] 7. *proprium* C *quidem mors paribus* E 9 [*pena* pro *poëma* A¹]

Restincta enim) Sic etiam Spir. et Gud. 2, mg. Crat., et ita editum tacite a Grutero et Davisio. Exciderat *enim* in nonnullis, ut in cod. Vict. Inde *nam restincta* Oxx. EUχ, Gud. 1, Bas., aliquot edd. vett.

voluptatis habet) Quod vulgo additur *inquit*, omittit etiam Spir., nec videtur sic e prima sententia (*Immo alio genere*) in alteram causalem reici potuisse. (Repetitur in altera sententia ante vocativum I N. D. 17. Alius sunt generis, quae ad III, 20 annotabuntur.)

10. *nonne meministi*) Non improbabiliter Bremius: *non meministi*, si modo certum est, Latinos id constanter secutos esse, quod primum occurrit, ut *nonne* tum dicatur, cum affirmatum aliquid iri putemus, *non*, cum quaerentes admiremur aliquid non fieri. Hoc enim Torquatus dicit: *oblitusne es*; cfr. paulo post § 16: *Tu — non vides —?* Sed difficile est iudicium, quoniam in ipso *ne* a nostro sensu discedunt Latini, cum dicunt *Estne* et similia. Et videntur interdum in illa quoque ratione *nonne* dixisse; certe eadem corrigendi necessitas et alibi erit et hic libro V, 86: *Nonne igitur tibi videntur, inquit, mala?* Nam hoc dicit: Credis igitur non esse mala?

istuc dixti) *Istud* Man., Lbinus, Gzius tacite (et codd. Oxx. EUχ). *Dixti* dedit Vict., tum Grut. e Pal. 1, et tenuerunt ceteri; habet etiam Spir. (Oxx. EUχ *dixisti*.) Nolui delere, quod fieri potest, ut ipse Cicero scripserit; etsi si is ea syncopa in loquendo et scribendo usus est, aut constanter id fecit aut saltem saepius quam tribus quattuorve locis (hic et III N. D. 23 et ad Att. V, 9, 2, XIII, 32, 3; pro Caecina 82 non reperitur haec forma in codicibus Ciceronianis, sed e Quintiliani codicibus arcessitur); nam propria causa, cur his

etiam varia dici solet, cum percipitur e multis dissimilibus rebus dissimiles efficientibus voluptates. Eam si varietatem diceres, intellegerem, ut etiam non dicente te intellego; ista varietas quae sit, non satis perspicio, quod ais, cum dolore careamus, tum in summa voluptate nos esse, cum autem vescamur iis rebus, quae dulcem motum afferant sensibus, tum esse in motu voluptatem, qui faciat varietatem voluptatum, sed non augeri illam non dolendi voluptatem, quam cur voluptatem appelles, nescio.

IV. 11. An potest, inquit [ille], quidquam esse svavius quam nihil dolere? Immo sit sane nihil melius, inquam; nondum enim id quaero; num propterea idem voluptas est,

1. *varia etiam* C *ex* PC [*dissimilis* A] *dissimiliter* LPMCROr. 2. *efficientes* E 3. *te* transp. ante *non* L, ante *dicente* P 6. *his* LCR *afferunt* E 7. [*que* A] *quae* LPMCR (Em. *qui*, Eh „compendium incertum") 10. *ille inquit* EPC *ille quidquam inquit* L 12. *enim* om. L *quaero id* M *prope* (pro *propterea*) PLCR *proprie* M

locis ita Cicero scripserit, nulla omnino est; ergo casus hic dominatur.

dissimiles efficientibus voluptates) Sic scriptum erat in „aliquot veteribus libris" Lambini et edidit Gruterus e Pal. 1; solum etiam *dissimiles* in marg. Crat. annotatur; Spir. cum Erl. praeterea *efficientes*, errore; ceteri, ut nostri deteriores. Adiectivum merito tenuerunt Davisius et Ernestius; neque enim de modo voluptatis efficiendae agitur, sed de dissimilibus voluptatibus in unam variam confluentibus. *E multis* omnes Gzii codd. (Ox. ψ); in edd. erat fere *ex*. Mox I. F. Gronovius (ad Liv. XXII, 39, 2) in codice optimae, ut ait, fidei scriptum vidit *etiam dicente*, unde infelici coniectura effecit: *etiam indicente*.

quod ais) Dixit paulo brevius, hac sententia: *quae in eo posita sit, quod, ut ais, — in summa voluptate simus* etc. Haesit Davisius nec intellexit Gzius.

qui faciat) Sic scribendum esse Dav. viderat; edidit Ern. et ex Erl. et Spir. Gzius. In motu enim, non in voluptate, causa varietatis est. Nec huc pertinet, quod § 75 ea voluptas, quae in motu sit, facere aliquam varietatem dicitur. Nam hic nec in unam notionem coniungi potest *in motu voluptatem*, ut *in motu* divellatur a verbo *esse* intellegaturque ἡ ἐν κινήσει, et additur *voluptatum*.

Cap. IV, 11. *inquit* [*ille*]) Contrario ordine editiones ante Manutium et omnes Gzii codd. [etiam B]. Subiecti sic ipsi

quod, ut ita dicam, indolentia? Plane idem, inquit, et maxima quidem, qua fieri nulla maior potest. Quid dubitas igitur, inquam, summo bono a te ita constituto, ut id totum in non dolendo sit, id tenere unum, id tueri, id defendere? 12. Quid enim necesse est, tamquam meretricem in matronarum coetum, sic voluptatem in virtutum concilium adducere? Invidiosum nomen est, infame, suspectum. Itaque hoc fre-

1. *idem* om. E 3. *inquit* E *ita* om. E 6. *conc. virtutum* L 7 Ante *invidiosum* add. *Sed forte dicitis* LPMCR *infane* E *infamiae* LPM *et infamiae* C *subiectum* LPMCR *frequenter hoc* L

verbo *inquit* a Cicerone praepositi Heindorfius ad I N. D. 17 tria exempla citavit, de Orat. I, 149, II, 31, III, 90. Addo eiusdem operis III, 47 et 190, nec tamen dubitationem excludo, quod omnia ex uno opere sunt, in quo codicibus utimur tantum recentibus. Accedit I de Divin. 8. Sed ut ibi cod. Heinsianus pronomen omittit, sic hoc loco suspectum id eo magis fit, quod nusquam in toto hoc colloquio (a c. 3, 6 ad 6, 17) additur nisi, ut par erat, initio (6) et in fine (17). [Apud Livius item semel VIII, 7, 5 est: *Manlius inquit.*]

propterea) Sic etiam Spir., mg. Crat. [A]. Ceteri Gzii *proprie* (Gud. 2, Bas.) aut *prope* (etiam Oxx. Eξχψ), quod Marsus et Crat. ediderunt. [B *praeterea.*]

indolentia) Utitur Cicero eadem voce § 19, in Tusculanis (III, 12), in libris de officiis, usus postea Seneca est. Quod Sidonius Apollinaris in epist. ante carmen XIV Ciceronem *indoloriam* alicubi dixisse narrat (quamquam Sirmondus in antiquo cod. *indolentiam* invenit), id, etsi pro adiectivo ab infimae aetatis scriptoribus dictum est (vid. Savaro ad Sidon. Apoll. l. c.), adeo a Latina vocum derivandarum lege abhorret, ut Ciceroni sub stilum subire non potuerit.

Plane idem, inquit) *Idem* omittunt etiam Spir. et Bas. [B *plane quidem.*] Superiores nullam scripturae discrepantiam annotarunt. Recte una illa voce affirmari in respondendo poterat, ut apud comicum utrumque dicitur *planissime.* Minus accurate Cicero sic orationem continuavit, quasi dixisset: *num indolentia idem est quod voluptas?* Mox ante *constituto* excidit *ita* (ob *a te*) etiam in Spir. [B] et Bas.

12. *Invidiosum nomen est*) Stultum additamentum (neque enim ab Epicureorum parte haec dicuntur) et in voce *forte* (pro *fortasse*) soloecum omittunt etiam Pal. 1, Spir., cod. Vict., Eξ, ex editoribus primus Victorius, nisi quod retinuit *sed* (*Sed in-*

quenter dici solet a vobis, non intellegere nos, quam dicat Epicurus voluptatem. Quod quidem mihi si quando dictum est (est autem dictum non parum saepe), etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. Egone non intellego, quid sit ἡδονή Graece, Latine voluptas? utram tandem lingvam nescio? Deinde qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes, quicumque Epicurei esse voluerint? Quod vestri

1. *quid* (pro *quam*) E *Epic. dicat* L 2. *mihi quando* E 4. *in disp. sum* L [*solet* A[1]] 5. *haedonae* A 6. [*linquam* A[1]] *qui sit* E *quid sit* R 7. *voluerunt* [A]LPMCROr. *nostri* E

vidiosum), quod sustulit Gruterus. Erant illa verba in Pall. ceteris, Davisianis, Oxx. Uχψ, Gzianis reliquis tribus.

infame, suspectum) Sic Pall. 1, 3, Spir. (*insane*), mg. Crat., ξ, restituitque Gruterus. Cum *suspectum* transisset in *subiectum* (χ), hinc factum est: *infamiae subiectum* (in Davisianis, Gud. 2, Bas.), in aliis praepositum *et* (in Pall. ceteris, si modo ad hoc Gruterus attendit, et fortasse duobus Oxx. et Gud. 1), quomodo ante Gruterum edebatur. *Suspectum* Bremio non placebat, quod minus esset quam *infame*; sed recte infamiae nominis ipsius additur suspicio, quam de hominibus excitat.

voluerint) Omnes edunt *voluerunt*, de codicibus tacent: tacuit etiam de Erl. [cui adiungitur B] Gzius. Ad hanc quoque partem orationis pertinet vis sententiae pendentis et tantum cogitatae.

Quod vestri quidem) Pronomen *quod* cum Cicero rettulisset ad id, quod involutum erat in illis: *sciant, quicumque — voluerint* (ut voluntas sufficiat, nihil opus sit discere), addidit epexegesin, explicatius idem subiungens, *nihil opus esse* etc., notissima figura (ad Fam. XIII, 40: *si ulla mea apud te commendatio valuit, quod scio multas plurimum valuisse*; cfr. ad I, 67). Tamen haeserunt Davisius et Ernestius; Bremius causalem particulam putabat, responderique superiori interrogationi, non sane apto responso; Gzius autem, qui nihil non efficit inauditis particularum significationibus, *quod* docet esse *quoad hoc* et *quidem* esse *sane*. Ne Matthiaeus quidem recte haec ab illo, quod dixi, epexegetico genere diiunxit, ut *quod* esset *in qua re*, quam significationem non habet. Tantum interdum, ut in Verr. I, 119 (quem locum is citat) *quod* initio orationis ad totum referri videtur, deinde explicatio subicitur paulo angustior. Deinde Ernestius, ironiam non animadvertens, malebat *vel optimi*, falsa sententia, quasi minus ab iis expectandum fuerit, quod ipsius scholae auctoris dogma erat.

quidem vel optime disputant, nihil opus esse, eum, qui futurus sit philosophus, scire litteras. Itaque ut maiores nostri ab aratro adduxerunt Cincinnatum illum, ut dictator esset, sic vos de pagis omnibus colligitis bonos illos quidem viros, sed certe non pereruditos. 13. Ergo illi intellegunt,

1. *esse opus* E *eum* om. C 2. [*philos. qui fut. sit* A] *qui phil. fut. sit* LPMCROr. 3. *abduxerunt* (LP)Or. om. R 4. *plagis* [A]E *pelagis* LMR *Pelasgis* (P)C 5. *certe* om. L [*eruditos* A[1]]

futurus sit philosophus) Sic etiam Spir.[B] et Gud. 2. De ceteris codd. nihil ab editoribus ad alterum ordinem annotatum est.

adduxerunt) Sic „Pall. meliores", Ox. U (Davisius et Gzius tacent). Non hoc praecipue significatur, remotum ab aratro Cincinnatum esse, sed arcessitum in urbem.

de pagis omnibus) Certa est haec Turnebi (Advers. IV, 8) emendatio, praecepta a correctore cod. El. 1 proximeque accedens ad optimorum codd. scripturam *de plagis* (Pal. 1 et duorum praeterea, Spir., Morel., mginis Crat., Gud. 1, Eξ.) (*Plaga* de tractu et regione, ne quis id conetur defendere, si mirum Livii locum exceperis in libro IX, 41, 15, poëtarum est et eorum, qui Plinii Maioris aetate et exemplo poëtica sectantur; mirum illum locum dico, quod vox illa in partibus populi et exercitus commemorandis de incolis definitae cuiusdam et descriptae Umbriae partis ponitur, quo significatu nusquam omnino alibi dicitur. Hoc loco praeterea neque praepositio *de* neque sententia illas *plagas* recipit.) Ex *plagis* factum *pelagis* est (in tribus Pall., Par. 3, Mead., Ball., Gud. 2, Bas.), tum *Pelasgis* (in CCC Davisii, etsi Oxx. diserte scribunt ξ habere *plagis*, edd. antiquis, etiam Ven. 1480, exceptaque Marsi, omnibus, quas novi, ante Lallemandianam). Interpretari P. Victorius conatus est (Varr. Lectt. I, 10) ex eo, quod Stephanus Byzantinus in voce *Χίος* eumque secutus Eustathius ad Dionys. Perieg. 535 narrant, antiquitus Graecos in Italia (τοὺς Ἰταλιώτας) Pelasgis pro servis, quemadmodum Spartiatas Helotibus, usos esse. Et res tota Ciceroni sine dubio ignota erat, et certe ab hac comparatione non minus remota quam a Ciceronis lectorum notitia; nec dici potest *colligere de Pelasgis*. Ceterum apud Stephanum verissimum esse Pelasgorum nomen nec cum Rathio et Gzio subiciendos πελαστάς, inspicienti facile patebit.

13. *idem* [*esse*] *dico voluptatem*) Si retinetur *esse*, haec est sententia: „Voluptatem dico esse idem (id est, eandem rem), quod ille ἡδονήν esse dicit", quod totum perversum est; neque enim de re (*esse*) agitur, quid sit et in quo posita

quid Epicurus dicat, ego non intellego? Ut scias me intellegere, primum idem [esse] dico v o l u p t a t e m, quod ille ἡδονήν. Et quidem saepe quaerimus verbum Latinum par Graeco et quod idem valeat; hic nihil fuit, quod quaereremus. Nullum inveniri verbum potest, quod magis idem declaret Latine, quod Graece, quam declarat

1. *quod* F 2. *id est* (pro *idem*) R *esse* sine uncis Or. *voluptatem dico* MC 3. [*hedonem* A] *equidem* (om. *et*) E [*quaeremus* A¹] 5. *verbum* om. LPMCROr. 6. *quam Graece* E *quod Graece* ἡδονή Or.

voluptas, sed de nomine, disputaturusque Cicero de vi ac notione rei primum dicit, pro Graeco Epicuri nomine se Latinum substituere, quod idem significet: „Quam rem ille ἡδονήν appellat, eandem ego voluptatem.“ Aut igitur delendum est *esse* aut potius scribendum: *idem e g o dico*, ut huic pronomini contrarium sit alterum *ille*. *Dico voluptatem* omnes Gzii excepto Gud. 1, et sic aliquot edd. ante Manutium (Crat., Vict.); ab illo inde tacite editum *vol. dico.*

idem declaret Latine, *quod Graece*) Aperta sententia est, nullum esse Latinum nomen, quod Graecum sibi respondens magis exprimat, quam voluptas exprimat (id, quod ei respondeat). Sed confusa notione nominis, quod duplex est, Graecum et Latinum, et rei, quae una est, neglegentius et brevius sic dixit, tamquam unum esset eiusdem rei nomen Graecum et Latinum, retinuitque idem subiectum in utraque parte sententiae (*idem declaret Latine quod Graece*), cum alterum substitui deberet (*quod Graece Graecum*). Hanc sententiam cum Davisius non perspexisset, post *Graece* e cod. Ursini (scimus, qualis sit) et quod in El. 1, omnium pessimo, spatium vacuum esset, addidit ἡδονή, pessumdato toto loco. Sic enim hoc tantum dicitur, *voluptatem* melius quam alia *huius rei* nomina exprimere Graecum ἡδονήν; non posse *in hoc nomine* meliorem reperiri interpretationem. Itaque poterat, quamvis nihil esset melius, tamen ipsum parum Graeco respondere et summa esse causa melioris interpretationis requirendae. Et tamen non solum omnes vocem illam tenuerunt, sed Gzius in Erl. et Spir. narrat esse *hedone*. De Erl. fallitur; paene dixi, mentitur, in tam diserta affirmatione, in tali re; nam qui mihi codicem contulerunt, vocem, quae erat in exemplo edito, deleverunt. Non minus, mihi crede, erravit de Spir. [*Verbum* ante *potest* addidi nunc ex A et Erl. et B.] Mox *iucunditatis suavem* etiam Spir. [B] et Gud. 2. Ceteri editores tacent alterum ordinem tenentes [cum A].

voluptas. Huic verbo omnes, qui ubique sunt, qui Latine sciunt, duas res subiciunt, laetitiam in animo, commotionem svavem iucunditatis in corpore. Nam et ille apud Trabeam voluptatem animi nimiam laetitiam dicit, eandem, quam ille Caecilianus, qui omnibus laetitiis laetum esse se narrat. Sed hoc interest, quod voluptas dicitur etiam in animo (vitiosa res, ut Stoici putant, qui eam sic definiunt,

1. *qui Lat. sc. qui ub. sunt* E 2. *laetitiam* om. C *ratiocinationem* (pro *commotionem*) PR 3. *iucund. svavem* E *iucunditatis* om. L 4. *laet. nim.* LPMCR 6. *quo* L 7. *sic* om. E

Nam et ille apud Trabeam) De *et*, cui respondere debebat alterum *et* in ea sententia, qua de corpore explicaretur, dictum est in exc. ad I, 23. Trabeae comici versus fere integer prodit e Tusc. IV, 35: *ut ille, qui voluptatem animi nimiam summum esse errorem arbitratur*; initium tale fuisse: *Ego voluptatem animi nimiam*, apparet ex II ad Fam. 9, 2. Recentiores editores haec sic litterarum formis distingvunt, quasi *laetitiam* Trabeae verbum sit, quem Cicero interpretatur, cum voluptatem animi nimiam dicat, laetitiam intellegere. Annotanda brevitas in *dicendi* verbo, qua ipsa dicendi et significandi intellegendique potestas conflatur. *Laetitiam nimiam* transponebatur ante Victorium; is e codice emendavit, secutique ceteri sunt, de codd. tacentes; apparet ex Erl. [et A] in melioribus rectum fuisse. Caecilii quoque Statii versum Cicero in eadem epistula significat: *Repente vero incessi omnibus laetitiis*; ubi etiamsi *incessi* quoque a poëta sumptum putetur, nihil tamen est, cur credamus aut perfectum, quod Cicero ad suam rem accommodate posuit, apud poëtam fuisse aut id verbum hic quoque a Cicerone positum esse. Dico propter Gzium.

qui eam sic definiunt, sublationem) Videtur *sic* abundare, cum ipse accusativus subiciatur. Nec tamen unius Erl. auctoritate, in quo tam multa errore omissa sunt, delere ausus sum [ne nunc quidem, etsi accedit B], quoniam defenditur similitudine eiusdem particulae *statuendi* verbo praepositae, sequente infinitivo, pro Cluent. 47: *sic statuit, per C. Fabricium — insidias Habito comparare*. et pronominis *hoc* eodem modo abundantis in Verr. II, 9: *hoc statuerunt, aut istius iniurias persequi aut — sedes suas relinquere*. (utrumque exemplum sumpsi a Wesenbergio, Observatt. crit. in orat. pro Sestio, Viburgi 1837, p. 58), multoque magis particula *ita* prorsus eodem modo posita in hac ipsa definitione Tusc. IV, 13: *quam ita definiunt, sine ratione animi elationem*;

sublationem animi sine ratione, opinantis se magno bono frui), non dicitur laetitia nec gaudium in corpore. 14. In eo autem voluptas omnium Latine loquentium more ponitur, cum percipitur ea, quae sensum aliquem moveat, iucunditas. Hanc quoque iucunditatem, si vis, transfer in animum; iuvare enim in utroque dicitur ex eoque iucundum; modo intellegas, inter illum, qui dicat:

Tanta laetitia auctu' sum, ut nihil constet,

et eum, qui:

2. *neque* R 4. *sensuum* R *moneat iucunditatis* R *permoveat* L 5. *in animo* PMCR 6. *ex eo quo* L *interdum* (pro *iucundum*) E 8. *auctus* codd. *et nihil constetur* E *ut mihi non constem* LMC 9. *et* om. E

cfr. hic II, 34 et Hand. Turs. III, p. 482 et 483, qui huc referre debuit etiam Acad. II, 113 et pro Arch. 11. [Wesenb. Emend. Epist. ad Fam. p. 110. Cfr. III, 53.] Definitio Zenonis Graece extat apud Diog. Laërt. VII, 114: *Ἡδονὴ δέ ἐστιν ἄλογος ἔπαρσις ἐφ' αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν.* Alios locos, in quibus idem dicitur, collegit Davisius ad Tusc. l. c.

nec gaudium) Cum admonuisset, voluptatem dici communiter, laetitiam tantum de animo, adiunxit, quod vicinum erat, gaudii eandem esse rationem; gaudium autem dixit philosophorum more de placido et constanti animi bono fruentis motu; vid. Tusc. l. c.

14. *In eo autem*) Nescio, num editores intellexerint; tacent enim; interpretes Germani non intellexerunt, qui coniungunt: *ponitur in eo, cum*, ut haec cum superioribus prorsus non cohaereant et, quasi nihil ante dictum sit, nunc demum universe definiatur, quid sit voluptas. Sed Cicero cum ad priorem partem generalis definitionis (*laetitiam in animo*) explicandam de animo dixisset et in ea commemoratione corpus nominasset (*in corpore*), adiungit: *in eo autem*, id est, *de corpore ponitur voluptas, cum* etc. Itaque hic explicatur *commotio* illa *suavis iucunditatis in corpore.* Sed laetitia in solo animo dicebatur; iucunditas in utroque (*Hanc quoque* etc.). Ad etymologiam commendandam Gzius apte comparat *facundus, fecundus* (*iracundus, verecundus*).

ut nihil constet) Verba sunt incerti comici, in quibus *constet* est *stabile firmumque sit*; omnia animo et sensibus confundi et perturbari significatur, ut homo, ubi sit, quid agat, nesciat. Similiter Cicero Tusc. IV, 35, fortasse hunc ipsum versum significans, scripsit: *tum efferetur alacritate, ut nihil ei constet, quod agat.* Nec tamen ideo hic requiri vide-

Nunc demum mihi animus ardet,

quorum alter laetitia gestiat, alter dolore crucietur, esse illum medium:

Quamquam haec inter nos nuper notitia admodum est,

qui nec laetetur nec angatur; itemque inter eum, qui potiatur corporis expetitis voluptatibus, et eum, qui excrucietur summis doloribus, esse eum, qui utroque careat.

V. 15. Satisne igitur videor vim verborum tenere, an sum etiam nunc vel Graece loqui vel Latine docendus? Et tamen vide, ne, si ego non intellegam, quid Epicurus loquatur, cum Graece, ut videor, luculenter sciam, sit aliqua culpa eius, qui ita loquatur, ut non intellegatur. Quod

2. [ē pro *esse* A¹] 4. *nuper* om. LPR 5. *laetentur nec angantur* C 6. *expetitis corp* COr. *crucietur* [A]LPMCR 8. *viam* E

tur *mihi*, ut eodem modo expleta a poëta sententia credatur. Est autem haec scriptura et bonorum codicum et, paucissimis exceptis, deteriorum (marg. Crat., El. utriusque, Par. 3, Mead. Davisii, Oxx. omnium, Gzii item, nisi quod Erl. leviter aberrat; Gruterus tacet); edidit sic Victorius revocavitque, commendante R. Bentleio. Gzius. Quod edebatur: *ut mihi non constem.* Davisius dicit esse in Par. 1 et 2, Ball. (Oxx. negant). Nobbius sic haec disposuit: *tanta laetitia auctu' sum, Ut nihil constet.* Sed potest initium esse versus trochaici, *nihil* in unam syllabam contracto.

Nunc demum — ardet) Caecilii Statii verba sunt ex patris severi persona, quae pleniora ponuntur pro Cael. 37: *Nunc enim demum mihi animus ardet, nunc meum cor cumulatur ira.* Numeros explere conatus est Beierus ad Off. I, 76, p. 178.

Quamquam haec) Chremetis Terentiani sunt verba, ipso initio Heautontimorumenu, ubi Menedemum increpat. *Nuper* excidit etiam in Gud. 1, Oxx χψ.

excrucietur) Compositum verbum pro simplici Gzius e quattuor suis codd. [B] sumpsit; superiores non annotarant. Sed idem paulo ante in Erl. et Gud. 2 ait esse *item* pro *itemque*, quod mihi ex Erl. notatum non est.

Cap. V, 15. *qui ita loquatur*) Davisius, ut tolleretur insvavis concursus membrorum similiter cadentium (*loquatur — intellegatur*), scribi volebat *loquitur*, idque Gzius se in „tribus potioribus suis" repperisse scribit et probat; recepit Otto.

duobus modis sine reprensione fit, si aut de industria facias, ut Heraclitus, cognomento qui σκοτεινός per-

2. *qui* om. L *scotinus* codd. (*scontinus* P *scotinos* C)

Redarguit testimonium Erl. [et B]; ipse autem Gzius ad IV, 67 in „tribus optimis“ non hic, sed paulo ante (*non intellegam, quid Epicurus loquatur*) *loquitur* legi narrat; [et id ibi e B notatur]. (Ipse foedum soloecismum probabat; arripuit ac pro testimonio posuit Ramshornius p. 713, dignum reliquo mendorum acervo.) Recte Bremius negavit indicativo hic locum esse; neque enim circumlocutio haec est, absolutam notionem continens, ut cum dicitur: *qui audiunt*, sed necessaria pars sententiae pendentis, in qua a certo subiecto (Epicuro) transitur ad generis notionem (*eius hominis, qui, ut hinc efficitur, sic loquatur*), et causali etiam nexu implicata. Neque enim raro in huiusmodi notatione subiecti simul significatur causa iudicii, quod de eo fiat, aut omnino eius qualitas, et ob eam rem coniunctivus ponitur [Gr. Lat. § 364, not. 1], velut [infra 102: *idque testamento cavebit is, qui nobis quasi oraculum ediderit* cet., et statim: *Haec non erant eius, qui — peragravisset*, Verr. III, 221: *Absolvite eum, qui se fateatur* cet., Philipp. II, 39: *Et eius viri nomine me insectari audes, cuius me amicum, te sectorem esse fateare?*] I N. D. 55: *Quanti autem haec philosophia aestimanda est, cui, tamquam aniculis et iis quidem indoctis, fato fieri videantur omnia?* (Dav. *videntur* malebat;) ibd. 116: *An quidquam eximium potest esse in ea natura, quae nihil nec actura sit umquam neque agat neque egerit?* Insolenter Cicero eam significationem omisit paulo post 117: *Quid est autem, quod deos veneremur propter admirationem eius naturae, in qua egregium nihil videmus?* Expectabam *videamus*.

si aut) Offendit Lambinus, diligentissimus orationis ad regulam compositae exactor, quod non ex eodem *si* aptum sequitur *aut*, sed *aut cum*; ergo transposuit, ut esset *aut si*. Cicero interdum in talia incidit; vid. ad I, 33. [Cfr. *ne aut — aut ne*, pro Rosc. Am. 82; *cum et — et cum*, de imp. Pomp. 49; Liv. XLIV, 22, 2: *cum aut — aut quo die*.]

cognomento qui) Verba esse veteris poëtae (Lucilii, ut videtur), intellexerunt Muretus ad Aristot. Eth. II, 3 et F. V. Reizius. Apparet ita esse, praeterquam quod in verbis *quia — memoravit* versus hexameter ipse auribus occurrit, *quia* in unam syllabam contracto, ex voce *cognomenti*, quae comicorum est et eorum scriptorum, qui antiqua aut obsolescentia retinuerunt aut obsoleta revocarunt, Sallustii, Mes-

hibetur, quia de natura nimis obscure memoravit, aut cum rerum obscuritas, non verborum, facit, ut non intellegatur oratio, qualis est in Timaeo Platonis. Epicurus autem, ut opinor, nec non vult, si possit, plane et aperte loqui, nec de re obscura, ut physici, aut artificiosa, ut mathematici, sed de illustri et facili et iam in vulgus perva-

3. [*Platone* A] 4. *nec vult* L *et apte* C 5. *nec de* (pro *aut*) L
6. *facili etiam in* omnes *pervulgata* LPMCR

sallae, Taciti (cfr. de *obsidii* nomine in exc. ad I, 44), tum ex verbo *memorandi*, praesertim absolute cum praepositione *de* posito; nam ipsum *memorare* rarissimum est apud Ciceronem, qui *commemorare* dicit (vid. Zumptius ad Verr. I, 122); postremo ex positu verborum *cognomento qui*. Etiam *perhibetur* fere poëticum est; vid. Opusc. nostra Acad. I, p. 200 (ubi *ter*, non *bis* dicere debebam; nam etiam de R. P. II, 4 Cicero orationem varians scripsit: *dicitur* — *perhibetur* — *fertur*); saltem *doctum perhibere*, ut esset *appellare*, numquam Cicero dixit. In priore versu *qui* a Cicerone positum videtur orationis vinciendae causa, cum alia vox in versu esset. Σκοτεινός a Latino poëta positum in memoriam revocat Cassii Heminae locum apud Nonium p. 515 voc. *perplexim*: *Prudens perplexim scottino scribit.* In *scottino* latet σκοτεινῶς, a grammatico interpretandi et vertendi causa additum. De Heraclito Cicero sine dubio famam sequitur, non ipse indicat.

et iam) Recte Gzius separavit, quod erat *etiam*; inepta enim hic erat vehemens illa per asyndeton adiectio. Qui calumniari volet, quaeret, quid ad Epicurum pertinuerit, quod *iam*, id est, post Epicurum illa pervagata in vulgus essent. *Pervagata* etiam [A,] mg. Crat., Spir., El. 2, restituitque Davisius. Solet ea vox, ubi de rebus notitia late manantibus ponitur, partim a librariis, partim a primis editoribus cum altera permutari, hic quidem eo ineptius, quod additur *in vulgus*; cfr. III, 5, in Verr. II, 85. *Pervulgantur* res usu et possessione, cum multorum fiunt et vulgares. Itaque probo eos, qui inversa ratione de Invent. II, 113 scribunt: *ne is honos nimium pervulgetur*, ubi editur *pervagetur* (cfr. § 114, ad Herenn. IV, 11; Liv. I, 10, 7). E *pervulgata* natum in Gud. 2 *permulgata*, in Vict. cod. *promulgata*; qui error mihi versatus esse videtur etiam in eo codice, e quo Zumptius et postea Klotzius in Verr. II, 104 ediderunt: *in re tam clara, tam testata, tam abs te ipso promulgata.* Nam *promulgare* nisi de lege et rogatione proponenda numquam aut Cicero

gata loquitur. Quamquam [illegible] quid sit voluptas, sed quid ille [illegible]

1. loquatur B [illegible]

aut alii in prosa oratione [illegible] Murena 30 *proeliis* [illegible] edictis, quasi signo proposito. [illegible] sane non dicitur: itaque in [illegible] iam repertum erat. *pervulgatis* [illegible] *diridi. pervulgari. edi* [illegible] *pervulgato*; unus et alter cod. [illegible] *cogata*) etiam [B] E[illegible]

e quo efficitur) Praeter C aliae [illegible] (Ven. 1480. Crat.. Vict.) *ex*. [illegible] (Beier ad Lael. 78): sed in [illegible] Tum *efficiatur* „tres illi optimi“ Gud. De Eri. [illegible]

non ut nos non) Sic meliores (Pal. 1 et [illegible] in vulgaribus partim excidit [illegible] in Pall. tribus, Mead. E[illegible] Bas. partim [illegible] bus, Ugib. Gud. 1). cum librarii [illegible] expedirent. Sed videtur aliquid esse, quod Davisius et Bremius e Parr. 1 et 2 ediderunt: [illegible] si addatur *nos* (*ut nos ne*). Sed utroque modo dici [illegible] ut nulla sit causa, cur incertissimam auctoritatem optimae praeferamus, ipse ostendit, quem illi citant, locus ex § 24: *ex quo efficitur, non ut voluptas ne sit* [illegible] *non sit summum bonum.* Totum locum de *ut* [illegible] et [illegible] [breviter comprehendi Gr. Lat. § 456 cum noti[illegible] singulatim] erudite complexus est Wesenbergius in Annotationum in Cic. Tusc. specimine primo (Viburgi 1830). p. 23 sqq., qui tamen in eo genere sententiarum obiectivarum, ad quod hic locus pertinet, ubi verbis quibusdam agendi, ut *facio*, maximeque impersonalibus (*fit, restat, sequitur, efficitur*) subicitur *ut non*, non recte secutus esse videtur inanem Grotefendii distinctionem, sic poni *ut non*, ut tantum *ratio* (Grund), non *causa efficiens* (Ursache) significetur. Nam hoc discrimen neque in particulis inest neque ad exempla accommodatum est. Neque enim in huius libri § 24, quo exemplo utitur, ullum tale est discrimen, sed, cuius rei causa illa et ratio sit, cuius non sit, quaeritur, et ut illo loco *ut ne* ponitur in eo, quod negatur effici (*non ut ne —, sed*), sic hoc loco in eodem ponitur *ut non* (*non ut non —, sed*). Res potius sic intellegenda est. Ea verba, quae voluntatem et studium efficiendi significant, ut paene notio finis et consilii insit, velut *oro, peto, praecipio,*

ut nos non intellegamus, quae vis sit istius verbi, sed ut ille suo more loquatur, nostrum neglegat. 16. Si enim idem dicit, quod Hieronymus, qui censet summum bonum esse sine ulla molestia vivere, cur mavult dicere voluptatem quam vacuitatem doloris, ut ille facit, qui, quid dicat, intellegit? sin autem voluptatem putat adiungendam eam,

1. *nos* om. LPR *nos non* om. MC 3. *dicat* LPMCR 4. *sine aliqua* L 6. *putat dicat adiungendam* [A]LPMCR *illam* LPCR

curo, cett., propterea semper habent aut *ne* aut *ut ne*, etiam *caveo*, Lael. 99 (ubi Wesenbergius recte scribit: *Quid ut ne accidat, magis cavendum est?*), ad Qu. Fr. I, 1, 38, Liv. XXXIV, 17, 8, ut dicitur etiam *caveo ut*, id est, *operam do*, [et *interdico*, de Or. I, 215]; ea contra verba, in quibus generalis inest significatio rei effectae et consequentis, quod magis inclinant in sententiarum effectivarum naturam, fere *ut non* habent, raro, nec tamen numquam, *ut ne*, accedente levi significatione studii et voluntatis; (*non efficitur, ut ne*, hoc est, *non efficitur, quod vultis, ut ne*).

16. *Si enim idem dicit*) *Dicat* etiam in aliorum deterioribus libris fuisse, ostendunt Oxx. EUξ. Indicativus iam apud Crat. legitur. Paulo post Man. et Lbin.: *qui quid dicat, intellegitur*, ut hoc contrarium esset illi, quod de Epicuro dictum erat: *ita loquitur*, *ut non intellegatur*. Verum et parum commoda sententiae forma est (ut enim appareret, Hieronymi perspicuitatem loquendi, non lectorum acumen laudari, sic potius scribendum erat: *ita dicit, ut intellegatur*), nec necessaria aut apta mutatio. Refertur enim hoc ad id, quod superius (§ 6) dictum erat, ipsum Epicurum nescire, quae vis subiecta esset ei voci, qua uteretur; id Hieronymum scisse significatur.

putat adiungendam) Sic etiam Spir. [B], et sic legendum esse iam Lambinus et Davisius viderant. Mire Gruterus etiam e Pal. 1 profert, quod est in malis codicibus (Pall., Dav., Gzianis, Oxx. χψ) *putat dicat*, repetito verbo e superioribus. In ξ prava coniectura omissum est *putat*. Deinde *eam*, ut ed. Crat. et fere ceteri praeter Davisium, etiam Pal. 1, Spir. Ceteri *illam* (Pall. quinque, apud Dav. quattuor, Ox. χ, Gzii tres). In loco planissimo turbatum est a Rathio. Hoc Cicero dicit: Si Epicurus, ut expleatur finis bonorum, ad doloris vacuitatem adiungendam putat eam voluptatem, quae sit in motu, cur haec diversa conflare in unum et alteri illi etiam principatum tribuere conatur? *Tendit* paulo brevius Cicero dixit de conatu rem contra repugnantes obtinendi, ut

quae sit in motu (sic enim appellat hanc dulcem, in motu, illam nihil dolentis, in stabilitate), quid tendit? cum efficere non possit, ut cuiquam, qui ipse sibi notus sit, hoc est, qui suam naturam sensumque perspexerit, vacuitas doloris et voluptas idem esse videatur. Hoc est vim afferre, Torquate, sensibus, extorquere ex animis cognitiones verborum, quibus imbuti sumus. Quis est enim, qui non videat, haec esse in natura rerum tria? unum, cum in voluptate sumus, alterum, cum in dolore, tertium hoc, in quo nunc equidem sum, credo item vos, nec in dolore nec in voluptate,

1. *fit* LR *in motu fit* MC 3. *notus sibi* LPMCROr. 4. *prospexerit* [A¹]E 5. *est enim vim* L 6. *cogitationes* [A]PC 7. *enim est* [A]PMCR 8. *in* (ante *voluptate*) om. E 9. *hoc quidem in* C 10. *quidem sumus* [A]LPMROr. *sumus* om. *equidem* EC *idem* [A]EOr. *quidem* LPMCR *nos* R *neque* secundo loco R Post *nec in vol.* add. *esse* Or.

fere idem sit ac *contendit*, quemadmodum Lambinus scripsit. Livius *tendere* sic ponere solet, apud Ciceronem nihil plane simile legi. (Gzius ascribit *κατά τί τείνει*, fingens, ut solet, inaudita Graeca, ut Latina explicet, si aliae nugae paratae non sunt.) Alterum *in motu*, quod particulae *sic* ex abundanti superadditur, ut respondeat sequenti *in stabilitate*, Davisius tolli volebat, eodem iure, quo paulo post § 20 Ernestius verba *ex duabus*, quae propter *unam* addita sunt, tolli iubebat, quod praecederet *ex his*, id est, ut iam Bremius monuit, nullo. Tum *notus sibi* [etiam contra A et B] omnes tacite.

cognitiones verborum) *Cogitationes*, frequenti permutatione, „quattuor priores“ Pall. (miror de 1), Oxx. Uχ; Dav. et Gzius silent. Satis insolenter *cognitiones* dicuntur, quae *notiones* videntur potius appellandae fuisse, quemadmodum Ursinus, ut solet, in suo se codice repperisse scribit. Nam cognitio verbi aliter dici videtur, ut *cognitiones rerum* III, 17 *καταλήψεις* sunt. Sed ipsa verba ignota fieri videbantur, cum sic alio detorquerentur. Et alio quoque modo cognitiones pro notionibus Cicero dixit de N. D. I, 36: *cognitiones deorum* et ibd. 44: *insitas eorum* (deorum) *vel potius innatas cognitiones habemus.* [Quod Bakius *verborum* deleri vult, eam similesque coniecturas omittendas, nunc saltem, puto.] Mox *est enim* Gzius e „tribus optimis“ [B]; ante erat *enim est.*

equidem sum, credo item vos) *ἐν ᾧ ἐγώ εἰμι. οἶμαι δὲ καὶ ὑμᾶς* (*οἶμαι δὲ καὶ Πρόδικον*, Plat. Protag. p. 314 C; vid. Heindorfius); Cic. Lael. 7: *ex me quaerunt, credo ex hoc item Scaevola*: huius operis libr. V, 76, ubi Cicero scripsit:

ut in voluptate sit, qui epuletur, in dolore, qui torqueatur.

1. *sint* — *epulentur* — *torqueantur* R (*torquentur* P)

quod item fratri puto, poterat scribere: *credo item fratri*. Latebat haec scriptura non obscure in optimis et fere omnibus codicibus: *quidem* (hoc in Erl. [et B] casu excidit) *sumus credo idem vos* (*idem* mg. Crat., Pall., si Gruterus recte scripsit. omnes; *credo quidem*, quod ante Gruterum edebatur, Davisius annotat ex Mead. et Ball., videturque fuisse in Oxx. Uχψ; Gzius oblitus est de suis codd. dicere. Deinde *nos* est in [B] EUξχ; ex ceteris non annotatur.) Quid enim apertius quam Ciceronem, cum prius de se affirmarit, adiungere, se idem de Torquato et Triario credere? Itaque contraria sunt *equidem* et *vos*; (habent *equidem* Eξ felici emendatione;) nec *sumus* dicere Cicero potuit, quo communiter de se et alteris posito, perinepte additur cum dubitatione (*credo*) id ipsum. quod iam affirmatum est. Nam quod Gzius *sumus* ad solum Ciceronem referri narrat, ne hoc quidem intellexit, ubi contrarii ego et alii simus, non posse dici: *sumus* (de me ipso) — *vos*. *Item* Ernestio debetur, qui sensit, *idem* (id est, ego idem) sic dici, tamquam aliud prolatum esset Ciceronis iudicium, quocum hoc compararetur. Deinde *credo idem* integram postulat sententiam; itaque ante Schuetzium, qui recte verba distinxit, *idem* reliquit, sic haec continuabant: *credo idem vos nec in dolore nec in voluptate esse*, seiuncta descriptione generis ab eo, cui necessario adiungenda est, *tertium hoc*. Sed illud *esse*, sine quo haec ne speciem quidem rectae orationis habent, mira neglegentia editores non animadverterunt, in nullo omnino esse codice, quod satis ostendit eorum, qui commemorantur, consensus (Pall. omnium et meorum et cod. Vict. et, quos alia de causa Davisius nominat, Ball. et Mead., quamquam de Oxoniensibus tacetur). Gzius quomodo „iustae dubitationi locum exemerit“, lepidum est videre, inducta parenthesi a *credo* usque ad *esse* et verbis *nec in dol. nec in volupt.* divulsis ab his *ut in volupt.* — *in dolore.*

ut in voluptate sit) Uberius res exemplis declaratur (*ita ut* etc.), sed duobus tantum primis generibus positis (*in voluptate*, *in dolore*), cum sequi tertium deberet (*nec in voluptate autem nec in dolore*, *qui* etc.), quod difficile erat relativam sententiam apte specialibus exemplis explere, quoniam in eam omnia cadebant, quae duobus primis generibus non continebantur, orationis progressum Cicero abrupit aliterque absolvit: *Tu autem* etc., prorsus eodem modo, quo in libro I. 45 et 46. Hoc cum non intellegerent veteres quidam editores, pro

Tu autem inter haec tantam multitudinem hominum interiectam non vides nec laetantium nec dolentium? 17. Non prorsus, inquit, omnesque, qui sine dolore sint, in voluptate, et ea quidem summa, esse dico. Ergo in eadem voluptate eum, qui alteri misceat mulsum ipse non sitiens, et eum, qui illud sitiens bibat?

VI. Tum ille: Finem, inquit, interrogandi, si videtur,

1. *interiectam* om. E 3. *omnemque* R *sit* LPMCR 4. *ea quam* E *esse* om. M *enim* (pro *ergo*) C 7. *inquit* om. C [*interrogantis si* A¹ *interrogandi fac si* A²]

ut scripserunt *cum* (Crat., Vict., ceteri ante Gruterum), ut haec contraria ponerentur proximo superiori (*cum contra*). Pluralia verba ut R habent item Eξ et veteres quaedam editiones (Mars., Crat., Vict.).

interiectam non vides) Participium omittit etiam Spir. [B], in Gud. 2 transponitur: *interiectam hominum.* [Id iam ante dubitaram an horum codicum mendum, non melioris familiae testimonium esset. Recte me dubitasse, ostendit A.]

17. *Non prorsus, inquit*) Tusc. IV, 8 est: *Prorsus non arbitror.* Gzius sic differre tradit, ut hoc sit *gar nicht*, illud *nicht gar*, quod sane quivis dicat nullo praecipiente; quis enim nescit *omnino non* et *non omnino?* sed hoc ipsum *nicht gar* vehementer ab hoc loco abhorret; non enim Torquatus se ex aliqua tantum parte, non omnino, videre dicit, sed prorsus negat. Sed eodem modo Cicero III de N. D. 21 dixit: *Nullo modo prorsus assentior*, id est, *prorsus nullo modo.* Itaque talis erat huius particulae natura, ut ne praeposita quidem negatio ad eam pertineret, sed ad verbum, augereturque particulae vi. [Cfr. C. F. W. Müller in Philol. IX, p. 612, qui Terentium And. II, 6, 4, Heautont. V, 1, 21 *nil prorsus* eodem significatu, quo Heaut. IV, 5, 28 *prorsum nil* dixisse admonet.] Nec ullo, opinor, loco eo modo positum reperitur *non prorsus*, quo *non omnino.* Mox de copulativa particula (*omnesque*) ibi posita, ubi nos adversativam expectabamus, pleni sunt commentarii his viginti annis scripti. Scilicet eadem sententia continuatur primum negando, deinde affirmando. Vetus accusativi forma (*omnis*) ignorata in deterioribus codd. (etiam χ, Gud. 2, Bas.) genuit *sit.* De omisso *inquam* vid. ad § 8.

Cap. VI. *Finem, inquit, interrogandi*) Ad orationis formam cfr. IV, 1: *finem ille*, et N. D. III, 94: *Cotta finem*; vid.

quod quidem ego a principio ita me malle dixeram, hoc ipsum providens, dialecticas captiones. Rhetorice igitur, inquam, nos mavis quam dialectice disputare? Quasi vero, inquit, perpetua oratio rhetorum solum, non etiam philosophorum sit. Zenonis est, inquam, hoc Stoici; omnem vim loquendi,

1. [*male* A[1]] 2. *provideas* P *provideras* L 5. [*inquit* A[1]]

ad I, 9; sed imperativi omissionem ne nostrae quidem lingvae respuunt, animo in una notione obiecti haerente. Graeca exempla in vetando (μή, μή μοι) collegerunt Brunckius ad Sophoclis Antig. v. 577, L. Bosius p. 636 Schaef., cett.

quod quidem — ita me malle) Est aliqua non magna abundantia orationis, id, quod in relativo generaliter inest, distinctius per epexegesin exprimentis addito *ita*; offensusque est Davisius. Prorsus eodem modo (sed in demonstrativo) § 28: *cur id non ita fit?* Eiusdem generis haec sunt (unum et alterum a Wesenbergio subministratum): supra I, 26: *quod tibi ita videri necesse est*; infra V, 77: *quod nisi ita efficitur*; pro Mil. 31: *si hoc nemo vestrum ita sentit*; II de Divin. 21: *quod certe vobis ita dicendum est*; I de N. D. 84: *Istud quidem ita vobis dicere necesse est*; Tusc. V, 46: *quod ni ita tenebimus*; Parad. prooem. 3: *quod cum ita putarem*; de Legg. II, 31: *Neque vero hoc, quia sum ipse augur, ita sentio*; ad Attic. XVI, 9: *quod quidem ita credo.* Alia quaedam exempla habet Handius in Turs. III, p. 485, n. 10, qui miro errore p. 492 in hoc et alio simili loco, quem non reperio (ad Att. IX, 14 non est), *ita* vult esse *tantopere*, opinor, etiam novo modo (quoniam haec diiungit ab aliis, quae posuerat p. 473 et 487), ut absolute intellegatur paene pro *valde* (was ich sagte, dass ich so sehr wünsche). Quintiliani locus pertinebat ad p. 496, monueratque iam Spaldingius, Plauti ad p. 488 (cfr. v. 44). [Pro Rosc. Am. 26: *id ita futurum*; pro Font. 36: *si hoc ita perlatum erit*; Verr. IV, 106: *hoc — sic arbitrantur*; de imp. Pomp. 24: *hoc fere sic fieri*; pro Arch. 2: *hoc ita dici*; in Pis. 81; ad Fam. VII, 3, 6: *quod tibi ita videri*; Cat. Mai. 82.]

non etiam philosophorum) Non satis ad id, quod hic obicitur, respondet Cicero, sed, quidquid continua oratione dicatur, rhetorice dici statuit.

Zenonis est hoc Stoici; omnem — dicebat) In edd. (etsi in antiquioribus non facile intellegas, utrum velint) fere post *partes* plenius inciditur, ut prior sententia infinita pendeat a verbis *est hoc*, in quo et male divellitur oratio (nam Zenonis

ut iam ante Aristoteles, in duas tributam esse partes, rhetoricam palmae, dialecticam pugni similem esse dicebat, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius. Obsequar igitur voluntati tuae dicamque, si potero, rhetorice, sed hac rhetorica philosophorum, non nostra illa forensi, quam necesse est, cum populariter loquatur, esse interdum paulo hebetiorem. 18. Sed dum dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus, quae una continet omnem et perspiciendi, quid in quaque re sit, scientiam et iudicandi, quale quidque sit, et ratione ac via disputandi, ruit in dicendo, ut mihi quidem videtur, nec ea, quae docere vult,

1. *Aristotelem* L [*Aristotiles* A hic et § 19] Post *partes* add. *dicere* LPMCR 2. *pugnis* [A]LPMCR 3. [*comprensius* A¹] *comprehensius* R 6. *loquamur* C 7. *cum* LC 8. *contempnendi* E 10. [*sit quidque* A] *ac ratione et* C 11. *docet* (pro *docere*) LPMCR

propria non tam haec divisio erat quam comparatio illa) et, quod sensit Walkerus (ad Cic. N. D. III, c. 9), haec omnia: *ut* — *Aristoteles* alieno loco posita sunt; nam post *Stoici* poni debebant; frustra obloquitur Gzius. Propter pravam distinctionem in deterioribus codd. (Pall. quinque, sine dubio Davisianis, etsi tacet, Oxx. Eξχψ, Gud. utroque) et edd. ante Gruterum, excepta Manutiana, additur *dicere* post *partes* (*Zenonis est hoc* — *dicere*). (Omittunt etiam Spir. et cod. Vict. Gzius audiri putat.) Poterat etiam in illa distinctione offendere nominativus *Aristoteles* non plane accommodatus grammatice ad structuram; sed hunc defenderent similia exempla, ut Acad. II, 124: *ut Xenocrates* (Lambinus *Xenocrati*), de Divin. I, 72, Tusc. V, 49. De re videndus Sext. Emp. adv. Mathem. II, 7: *Ζήνων ὁ Κιττιεὺς ἐρωτηθείς, ὅτῳ διαφέρει διαλεκτικὴ ῥητορικῆς, συστρέψας τὴν χεῖρα καὶ πάλιν ἐξαπλώσας, ἔφη· Τούτῳ, κατὰ μὲν τὴν συστροφὴν τὸ στρογγύλον καὶ βραχὺ τῆς διαλεκτικῆς τάττων ἰδίωμα, διὰ δὲ τῆς ἐξαπλώσεως τῶν δακτύλων τὸ πλατὺ τῆς ῥητορικῆς δυνάμεως αἰνιττόμενος.* Alios veterum locos ibi collegit Fabricius.

pugni similem) Non annotatur hoc ex aliis codd. *Pugnis* habebant [AB,] Davisiani (Parr. 1, 2, Mead., El. unus), Oxx. EUχ, nam ξ *pimgvis*, Gzii reliqui. Ante Davisium edebatur *pugno*, nulla auctoritate, nescio a quo primum invectum; est iam in ed. Veneta 1494.

18. *docere vult,* — *distingvit*) Sic etiam Pal. pr. et Spir., ediderat que iam Lambinus, dein Gruterus; in Morelii codice

ulla arte distingvit; ut haec ipsa, quae modo loquebamur. Summum a vobis bonum voluptas dicitur. Aperiendum est igitur, quid sit voluptas; aliter enim explicari, quod quaeritur, non potest. Quam si explicavisset, non tam haesitaret; aut enim eam voluptatem tueretur, quam Aristippus, id est, qua sensus dulciter ac iucunde movetur, quam etiam pecudes, si loqui possent, appellarent voluptatem, aut, si magis placeret suo more loqui quam ut

Omnes Danai atque Mycenenses,
Attica pubes,

reliquique Graeci, qui hoc anapaesto citantur, hoc non dolere solum voluptatis nomine appellaret, illud Aristippeum

1. *illa* F. *distingvi* LPMCR 4. *exhitaret* (sic) L 7. *scirent* (pro *possent*) C 9. *aut* [AE]LPCR 10. *ut artica* E 12. *appellant* E

erat, ut „ascriptum habuit“ Scaliger, *doceri vult.* Deteriorum scriptura annotatur tantum ex Oxx. χψ; itaque Eξ rectum habuisse videntur. Paulo ante *et ratione ac via* annotatur in mgine Crat. (pro *ac rat. et v.*) editurque tacite inde a Grutero.

suo more loqui quam ut) Miro errore Marklandus (ad Statium p. 330), cum *quam* pronomen relativum putaret (*voluptatem*), deleto *ut* omnem sententiam pessumdedit, habuitque obsequentes Ernestium et Bremium. Contraria sunt enim *loqui suo more* et *loqui ut omnes Danai loquuntur*, comparaturque, uter modus magis placeat. Itaque Bremius, semel deceptus, plura et maiora molitus est. Gzius *ut* restituit, causam erroris non intellexit.

atque Mycenenses) Sic, ut versus postulat, Lambinus (et Turnebus Adversar. II, 17), eratque sic, si credimus, in „Scaligeri vetere“ et Eliensi (2?) apud Dav. Ceteri *aut*, quod Gruterus ait in omnibus Pall. esse, Gzius etiam in Spir. et Erl. *Ut* ante *Attica* (*attita* Gud. 2, *arctica* Bas.) etiam Spir., prava repetitione; nam ne quis scribat: *quam ut omnes Danai*, *ut Mycenenses*, *ut Attica pubes*, non solum ineptissima diiunctio, cum nominum coniunctione omnes, qui ubique sint, significentur, sed versus dissolutio prohibet, quem servatum esse et Ciceronis mos et verba *hoc anapaesto* ostendunt. Est ex incerta tragoedia. *Citantur* ne hic quidem est, ut in lexicis explicari video, *nominantur*, sed fuit in illo cantico vocatio quaedam et citatio, ut adessent. *Anapaestum* pro carmine anapaestis scripto Cicero dixit etiam Tusc. III, 57 (τὸ ἀνάπαιστον, τὰ ἀνάπαιστα).

contemneret, aut, si utrumque probaret, ut probat, coniungeret doloris vacuitatem cum voluptate et duobus ultimis uteretur. 19. Multi enim et magni philosophi haec ultima bonorum iuncta fecerunt; ut Aristoteles virtutis usum cum vitae perfectae prosperitate coniunxit; Callipho adiunxit ad honestatem voluptatem, Diodorus ad eandem honestatem

1. *aut* (pro *ut*) [A]EMR *probet* R 3. *multi autem et* E 4. *ut Aristoteles, qui* LPMCROr. *sumi* (pro *usum*) Em [*summi* Eb] 5. *Calliphon* Or. *adiungit* E 6. *voluptatem honestatem* I'

19. *haec ultima bonorum*) Generale hoc est, non de certis quibusdam dictum, cui deinde subiciuntur exempla; itaque Bremius haeret in *haec*, quem Gzius ita refutat, ut nihil intellegat. Sed Cicero cum dicturus esset: *hoc* (de quo quaerimus) *ultimum bonorum*, simul autem coniunctio illa pluralitatis (licet, opinor, grammaticorum more loqui) notionem ita afferret, ut minus recte *hoc* — *iunctum* dici videretur, *haec* dixit.

fecerunt; ut Aristoteles — *coniunxit*) Particulis *ut* et *velut* non solum unum aliquod nomen exempli loco adiungitur (*ut Aristoteles, qui*), sed [relativa forma, Gr. Lat. § 444 a, not. 5] sententia superiora exemplo confirmans; ut hoc libro 58 (*ut Sex. Peducaeus* — *venit*) et Lael. 73, N. D. I, 101, ubi fuerunt qui haererent, II, 124. Hac forma Ciceronem hic usum esse, perspici poterat ex proximis, ubi alioqui scripsisset: *Callipho, qui* — *Diodorus, qui.* Eo minus ferendum est, codicis Erl. scripturam a Gzio et sine dubio ceterorum bonorum ab aliis ne annotatam quidem esse. [Om. *qui* etiam A et B.]

Callipho) Non ausus sum contra codicum consensum hic et 34 et infra IV, 50, V, 73, Acad. II, 131 et Tusc. V, 85 in nomine peregrino solam analogiam similium nominum sequi, ut *Calliphon* scriberetur; etsi *Antipho* non Ciceronis est, sed comici alicuius (II de Orat. 242). Sententiam Calliphontis Cicero praeter locos iam citatos non plenius commemorat V, 21, tum Acad. II, 139, Off. III, 119, distinctius autem paulo Clemens Alexandr. Strom. II, p. 178 Sylb.: *Κατὰ δὲ τοὺς περὶ Καλλιφῶντα ἕνεκα μὲν τῆς ἡδονῆς παρεισῆλθεν ἡ ἀρετή. χρόνῳ δὲ ὕστερον, τὸ περὶ αὑτὴν κάλλος κατιδοῦσα, ἰσότιμον ἑαυτὴν τῇ ἀρχῇ, τοῦτ' ἔστι, τῇ ἡδονῇ παρέσχεν.* Quis fuerit, non magis constat, quam de eo, qui infra V, 21 et de Off. et Tusc. l. c., tum apud Clementem sententiae eiusdem socius adiungitur, Dinomachus.

Diodorus) Hic quoque Peripateticus, Critolai auditor et

addidit vacuitatem doloris. Idem fecisset Epicurus, si sententiam hanc, quae nunc Hieronymi est, coniunxisset cum Aristippi vetere sententia. Illi enim inter se dissentiunt; propterea singulis finibus utuntur, et, cum uterque Graece egregie loquatur, nec Aristippus, qui voluptatem summum bonum dicit, in voluptate ponit non dolere, neque Hieronymus, qui summum bonum statuit non dolere, voluptatis nomine umquam utitur pro illa indolentia, quippe qui ne in expetendis quidem rebus numeret voluptatem.

VII. 20. Duae sunt enim res quoque, ne tu verba solum putes. Unum est sine dolore esse, alterum cum voluptate; vos ex his tam dissimilibus rebus non modo nomen unum (nam id facilius paterer), sed etiam rem unam ex duabus facere conamini; quod fieri nullo modo potest. Hic, qui utrumque probat, ambobus debuit uti, sicut facit re neque tamen dividit verbis. Cum enim eam

2. *quae nec* L *nunc* om. C 5. *haec* (pro *nec*) E 6. *non doloribus* P 8. [*inquam* A[1]] 9. *reb. qu.* E 10. *quarum* (pro *quoque*) E *solum verba* LP 12. *iis* LM *non mihi* C 13. *pateret* LPMR 14. *duobus* MCR *nullo modo fieri* E 15. *utramque* PMCR *uti debuit* L 16. *fecit remque tantam* R *re* om. E *remque* LPMC *ipsam eam* LPMCR

in schola successor (infra V, 14, de Orat. I, 45), propter hanc fere unam de summo bono sententiam nominatur (in libro V, 14 et 21, Tusc. V, 87, Acad. II, 131, et apud alios; vid. Krug, Gesch. der alt. Philos. p. 355 ed. 2).

Cap. VII. 20. *ex duabus*) Vid. paulo ante ad § 16.

utrumque) Sic „tres optimi" Gzii, Vict. cod. Hic quidem paene necessarium neutrum genus, quo obscuratur separata notio singularum rerum (Drakenb. ad Liv. XLIV, 36, 2); nam *rem* nimis infinite repeteretur in hac sententia; in superiore recte *verbo* contrarium erat.

re neque) Editum est hoc e Pal. primo, coniectura antea Lambini repertum, nec discrepare annotantur Eξ; hinc ortus vulgarium codd. (Uχ, cett. Gzii) scriptura *remque*; in Spir., marg. Crat., vet. lib. Manut., cod. Vict. excidit *re* ante *neque*; requiritur propter sequens *verbis*.

Cum enim eam ipsam) Non aperta nec recta via ad propositum tendere videtur ea, quae hic incipit, disputatio. Vult enim Cicero ostendere, confundi ab Epicuro utrumque genus voluptatis. Primum de Aristippeo dicit. Iam ubi ad illa ventum est: *In alio vero libro*, putet aliquis, nunc de contrario

ipsam voluptatem, quam eodem nomine omnes appellamus, laudat locis plurimis, audet dicere, ne suspicari quidem se ullum bonum seiunctum ab illo Aristippeo genere voluptatis; atque ibi hoc dicit, ubi omnis eius est oratio de summo bono. In alio vero libro, in quo, breviter comprehensis gravissimis sententiis, quasi oracula edidisse sapientiae dicitur, scribit his verbis, quae nota tibi profecto, Torquate, sunt (quis enim vestrum non edidicit Epicuri *κυρίας δόξας*, id est, quasi maxime ratas, quia gravissimae sint ad

1. *omnes* om. R [*appellant* A] 3. [*se uictum* pro *seiunctum* A] *seminum* P 4. *orat. eius est* E *eius orat. est* L 5. *libro ubi* C 6. [*edisse* A[1]] 7. *iis* LM *quae et nota* C 8. *nostrum* R [*cyrias doxas* A] 9. *quasi* om. LPMCR *tritas* Em [*tutas* Eh] *quam gr.* R *sunt* L

genere dictum iri. Verum ibi uberius confirmatur, Epicurum Aristippeam illam luxuriosorumque voluptatem non improbare. Deinde in hanc Cicero invehitur lateque digreditur. Itaque ad alterum genus voluptatis ab Epicuro probatum (quod levissime significatur § 22) pervenitur c. 9, 28 (*Deinde ubi erubuit* etc.), nec ita transitur, ut admodum admoneatur lector de initio disputationis et progressu. *Eam ipsam* primus Grut. Firmat etiam Spir. [B]. Ceteri Gzii ut nostri deteriores.

ne suspicari quidem se) οὐδὲ νοῆσαι; eodem modo vertit I Acad. 7.

ubi omnis eius est oratio) in libro περὶ τέλους, ut dictum est ad § 7. In ordine verborum cum Erl. facit Spir. [B]; cum L cod. Bas., ed. Crat., Vict.

id est. quasi) Particulam e Pal. primo addidit Gruterus; non deesset Spir., nisi Gzius omnino oblitus esset de codd. dicere. Omnia haec verba usque ad *sententiae* fuerunt qui damnarent, iniuria; Latinam enim interpretationem verbi non tam per se obscuri quam, quomodo et qua de causa de his sententiis diceretur, dubitationem afferentis Cicero posuit, ut ei huius ipsius rei explicationem adiungeret; eamque ob causam, cum, cur hae potissimum sententiae sic appellatae essent, significaret, *maxime* addidit et, cum Latinum vocabulum in tali re parum usitatum esset, *quasi*; neque Latinum prorsus Graeco respondet; nam *ratum* est, quod confirmatur nec mutatur, κύριον, quod vim obtinet; itaque in altero stabilitatis, in altero auctoritatis notio eminet, quamquam ne haec quidem in *ratus* excluditur. *Ad beate vivendum* non tam ad *enuntiatae sint* (in quo haeret Davisius) quam ad *gravissimae* pertinere

beate vivendum breviter enuntiatae sententiae?) Animadverte igitur, rectene hanc sententiam interpreter: 21. „Si ea, quae sunt luxuriosis efficientia voluptatum, liberarent eos deorum et mortis et doloris metu docerentque, qui essent fines cupiditatum, nihil haberemus, *quod reprehenderemus*, cum undique complerentur voluptatibus nec haberent ulla ex parte aliquid aut dolens aut aegrum, id est autem malum.“ Hoc loco tenere se Triarius non

1. *bene* (pro *beate*) L [*enunciatae* A] [*animauerte* A¹] 3. *efficientiam voluptatem* E [*uoluptatem* A²] 5. *haereremus* MCR *quod reprehenderemus* om. omnes. 6. *quin* (pro *cum*) L 7. *doloris* C 8. *idem* (pro *id est*) E *aut* (pro *autem*) LPMCR *se tenere* C

iam Bremius dixit. Librarius nemo talem explicationem nominis addidisset. Ceterum cum Cicero iam dixisset: *breviter comprehensis gravissimis sententiis*, non nimis eleganter in idem eum rursus incidere, non nego.

21. *Si ea, quae sunt* etc.) Graeca sunt apud Diogen X, 142 in sententia nona: *Εἰ τὰ ποιητικὰ τῶν περὶ τοὺς ἀσώτους ἡδονῶν ἔλυε τοὺς φόβους τῆς διανοίας, τούς τε περὶ μετεώρων καὶ θανάτου καὶ ἀλγηδόνων, ἔτι τε τὸ πέρας τῶν ἐπιθυμιῶν ἐδίδασκεν, οὐκ ἄν ποτε εἴχομεν ὅ, τι μεμψαίμεθα αὐτοῖς πανταχόθεν εἰσπληρουμένοις τῶν ἡδονῶν καὶ οὐδαμόθεν οὔτε τὸ ἀλγοῦν οὔτε τὸ λυπούμενον ἔχουσιν, ὅπερ ἐστὶ τὸ κακόν.* Pro *μετεώροις* deos Cicero posuit, a re non aberrans; minus expressit discrimen *τοῦ ἀλγοῦντος* et *τοῦ λυπουμένου*, quorum illud ad corpus, hoc ad animum pertinet.

haberemus, quod reprehenderemus) Duo postrema verba, quae § 23 servata sunt (paululum mutata forma, quod ibi Cicero cum uno Epicuro quasi familiariter sermocinatur), hic exciderunt propter similes terminationes (*eremus*); aliquot codd. (tres Pall., Bas., Gud. 1, cett.), *haberemus* in *haereremus* mutato, sententiam sarcire conantur. Marg. Crat. h. l. non cod. scripturam, sed supplementum e § 23 sumptum habet (*haberem quod reprehenderem*), Ox. U: *haberemus unde eos reprehenderem.*

id est autem) Sic Grut. et, excepto Bremio, ceteri e Pal. 1; est etiam in Spir. et Mead. Davisii, significatque: in hoc autem ipso, quod dixi dolens et aegrum, est omne malum (ὅπερ ἐστί, non τοῦτ' ἔστι). Non memini tamen, alibi sic poni *id est autem*, quia continuativa huius particulae significatio ab hac brevi adiunctione alienior videtur; saepius sic dicitur ipsum *id est* (vid. ad I. 33) et, alia sententiae forma.

potuit. Obsecro, inquit, Torquate, haec dicit Epicurus? Quod mihi quidem visus est, cum sciret, velle tamen confitentem audire Torquatum. At ille non pertimuit saneque fidenter: Istis quidem ipsis verbis, inquit; sed quid sentiat, non videtis. Si alia sentit, inquam, alia loquitur, numquam intellegam, quid sentiat; sed plane dicit, quod intellegit. Idque si ita dicit, non esse reprendendos luxuriosos, si sapientes sint, dicit absurde, similiter et si dicat, non re-

1. *obsecro te* P *hoc* L 2. [*uelle* A²] 3. *sane* (om. *que*) E 4. *quidem inquit verbis* (om. *ipsis*) L 5. *videt* E 6. *quod intellegam* LPMCROr. 7. [*se ita* A¹] [*rependendos* A¹ etiam v. 8.] [*luxuriosi sapientes* A¹] 8. *non esse repr.* L

id est enim. Deteriores codd. etiam aliorum, ut Oxx. tres (nam Eξ prorsus omittunt), Gzii tres, *aut*, prave, quoniam ad hoc, quod utrumque superius complectitur, nihil pertinet diiunctio.

tenere se) Sic tacite Dav. et e Gud. 1 Gzius (poterat sane e pluribus), cum fere ederetur *se tenere*, minus bono ordine; nam aliter Acad. II, 12 *nec se tenuit*; [cfr. pro Sest. 117].

Obsecro, inquit) Lambinus (e vet. cod.) et Dav. ex uno Paris. *obsecro te*, sine causa. Mox *que* (post *sane*) duo praeter Erl. codd. Gzii [B] omittebant. Potest Cicero scripsisse: *pertimuit et sane fidenter.*

sed plane dicit, quod intellegit) [Debueram iam antea restituere, quod habent optimi codd., A, a Grutero iam appellatus, Erl., B, sine dubio etiam reliqui, deteriorum unus ψ. Negat Cicero, Epicurum alia sentire, alia loqui; plane eum id dicere, quod intellegat et sentiat; itaque nihil agere Torquatum, quod clamet, Ciceronem et Triarium non videre, quid sentiat Epicurus, quasi obscura aliqua et occulta sententia sub verbis lateat: *Er sagt genau, was er versteht und meint.* Unde ortum sit *intellegam*, facillime apparet; *intellegit* nemo substituturus erat.]

similiter et si dicat) Tuetur hanc scripturam, quod IV, 31 dicitur: *similem habeat vultum et si* etc. Ceterum confitendum est, multo durius hoc esse et longius progressum, quam ubi in duorum nominum comparatione *et* pro *ac* ponitur, ut post *aeque* (vid. ad I, 67); nam ea exempla multo propius accedunt ad primam formam copulationis, velut ea, in quibus est *alius et* (Hand. II, p. 482). (Nonnulla quidem prorsus prave ad illud genus referuntur, ut apud Handium II, p. 481 hoc: *Clodius eadem hora Interamnae fuerat et Romae*, Ter. Ad. V. 8, 34: *pariter animo et corpore* etc.) Nec hic usus defen-

prendendos parricidas, si nec cupidi sint nec deos metuant nec mortem nec dolorem. Et tamen quid attinet

1. *nec mort. m. n. deos* C 2. *neque dolorem* R

ditur iis locis, in quibus post *idem* nova sententia per *et* annectitur, ut apud Caes. B. G. I, 37; nam ibi quoque haec et illa res eodem tempore facta dicitur. Ne Graeci quidem longius progressi videntur, quam ut unum verbum verbo sic compararent, ut fecit Thucydides (V, 112, VII, 71, 6); παραπλησίως, ὁμοίως καὶ εἰ nemo, opinor, dixit pro ὥσπερ εἰ. Lambinus scripsit *similiter ut si*; recepit Otto, quomodo Cicero dixit Tusc. IV, 41, Cat. 17, de Off. I, 87. Ceterum Cicero in toto hoc loco non videtur satis certo ictu statim eam partem petisse, quae exposita erat. Comparatio parricidarum quam absurditatem ostendat, non apparet, nisi hoc dicit, inaniter totum hoc ab Epicuro poni, quod adiungat condicionem, quae numquam effici possit. Atqui Epicurus non docebat, asotos aliquando non reprehendendos *esse*, sed non *fore* reprehendendos, nisi iis necessario adiuncta pravitas aliqua esset. Et ipse statim Cicero ostendit, non esse illam necessario adiunctam, posseque esse tales luxuriosos. Nec Epicurus de asotis dixit, quos Cicero negat finitas cupiditates habere posse, sed de genere illo voluptatis, quo uterentur. Deinde, si in coniunctione rerum prorsus separatarum absurdum illud esse vult, minime, ut parricidium et doloris mortisve metus plane seiuncta sunt, sic in Epicuri sententia luxuriosa voluptas et reliqua illa. Cum enim in voluptate summum bonum ponat, ostendit, cur in corporis et luxuriosa voluptate non ponat beatam vitam eosque reprehendat, qui in illa volutentur. Epicuri sententia, si formam spectes, in eo vitiosa est, quod nulla ex eo causa reprehendendae luxuriae nascitur, quod non omnia contineat, quae ad beatam vitam pertineant, nec apparet, gigni mortis et deorum timorem ex luxuria. Itaque quoniam et voluptates percipiunt luxuriosi et possunt esse luxuriosi nec deos nec mortem timentes, Epicurus reapse luxuriosam voluptatem eiusque studium probat, cum tamen alibi nihil ea opus esse iudicet. Atque huius repugnantiae, quam mox attingit, notatione Cicero contentus esse debuit hoc loco in praeparatione disputationis; cetera de ipsa luxuriosae voluptatis reprehensione hoc loco declamatorie adiunguntur et turbant legentem. Mox *neque cupidi* Spir., vett. quaedam edd. (Mars., Vict.)

luxuriosis ullam exceptionem dari aut [illegible] cum luxuriose viverent, a summo [illegible] [illegible] derentur eo nomine dumtaxat, cetera caverent [illegible]

1 *luxuriosis* om. LPR 3 [illegible]

exceptionem dari aut [illegible] [illegible] impersonale verbum transit a passiva forma [illegible] (de re facienda) ad activam [illegible] (de homine faciente), non sine exemplo. De Fato [illegible] *quam introducere declinationem*: ibd. 46: *E*[illegible] *disceptari oportet, non ab* [illegible] — [illegible]: Brut. [illegible]: *quam captiosum esset* [illegible] — *et interpretatione disertorum scripta* [illegible]: II de Orat. 177: *Proponi* [illegible] *ostendere*; Legg. I. 56. de Inv. II. [illegible] et [illegible] pro Lig. 14 [illegible] codd.). Addit Gzius V Philipp. 39. Alia [illegible] Wopkensius p. 307 et Heldius ad Caes. B. C. I. 32. 3. Eadem[illegible] licentia apud *iubeo* Cicero usus sit I de Divin. 77. [illegible] est, quoniam ipsa signa *sequi* [illegible] diei [illegible] runtur; usus est Vergilius Aen. V. 773. Livius XXXV. 4. 2 (apud *malo*), Seneca de provid. 1. 1 (apud [illegible]). Simile est apud Ciceronem pro Cael. 79: [illegible] *extingui vulnere vestro quam* [illegible] *state pervertere.* Sed alterum secuturum et oriturum ex indicium facto, alterum ipsos facere, significare voluit. De verbis *viverent* — *reprehenderentur* — *caverent* sic positis, tamquam praecedat *attinuit*, conferantur, quae dicentur ad III. 67.

eo nomine dumtaxat, cetera caverent) Haec verba quid significent, obscurum non est; nihil enim dicunt aliud, nisi hoc certe nomine eos non reprehendi, cetera autem, quae reprehendi possint, cavere. Particulae sic positae exempla collegit Handius in Tursellino II. p. 336, quae augeri facile possunt: (vid. ad Fam. XII. 1. 1 et XVI. 26. 1. de Divin. II. 30 et 90: quem locum cum altero de N. D. II. 47 mire enarrat Handius II, p. 333). Handius quomodo hunc locum intellexerit, qui eum inter eos ponat, in quibus haec particula significet *tantum*, *solum*, nescio (ibd. p. 335). Asyndeton in contrariis membris brevis orationis recte habere videtur: *hoc saltem nomine non reprehenduntur, cetera cavent.* Aliam tamen sententiam multi requisiverunt, puto, primum quod ipsa haec forma: *eo nomine dumtaxat* postulare videtur, ut de ceteris cum condicione dicatur; nam incertum esse significatur, num aliis nominibus reprehendantur; deinde fortasse, quod Epicuri sententiam nonnihil

tamen nonne reprenderes, Epicure, luxuriosos ob eam ipsam causam, quod ita viverent, ut persequerentur cuiusquemodi voluptates, cum esset praesertim, ut ais tu, summa voluptas nihil dolere? Atqui reperiemus asotos primum ita non religiosos, ut edint de patella, deinde ita mortem non timentes, ut illud in ore habeant ex Hymnide:

Mihi sex menses sati' sunt vitae; septimum
Orco spondeo.

2. *quo* (pro *quod*) L *quod* (pro *ut* E **3.** *ut* om. E **4.** *mihi* (pro *nihil*) E **5.** [*edient* A[1] *edent* A[2]] *edant* LPMCROr. om. E **6.** *exenemide* L *exonimide* M *ut exiunde* C *ut ex Hymnide* R **7.** *satis* omnes, Or.

mutari putarunt; neque enim Epicurus tales esse luxuriosos dicebat, qui cetera illa caverent, sed ob id ipsum luxuriam reprehendendam iudicabat, quod, qui luxuriosus esset, non posset fieri, quin idem in illa incideret, mortis timorem deorumve et infinitas cupiditates. Itaque multi editores sic orationem interpunxerunt: *eo nomine, dumtaxat cetera caverent*, quasi *dumtaxat* coniunctio ac non adverbium esset. (Stupide Gzius primum docet esse adverbium et significare *certe*, deinde coniungit: *eo nomine dumtaxat cetera caverent*, et enarrat: *modo, cum sic appellentur* (!), *cetera caverent*. Nescio, cur Handius p. 337 locos quosdam a ceteris seiunxerit, tamquam propius accedentes ad coniunctionis naturam, nisi forte, cum dico: *excipiam certe eos* aut: *certe cum potero*, mutatur adverbii significatio.) Alii verba mutanda putarunt (Lambinus *dumtaxat, si modo*, postea *dumtaxat*, *dum modo*, Otto *eo nomine*, *dum modo*). Sed sana omnia esse, ipsum verbum *fingere* ostendit; nam fingebantur animo, qui illam condicionem implerent, quod cetera illa, quae reprehendi possent, caverent. Tantummodo minus commode Cicero in hac fictione (cum sic fere scribere posset: *qui, cum luxuriosi essent, non reprehenderentur, quod ipsa luxuria per se sine reprehensione esset, cetera caverent*) retinuit eam formam orationis, quae aptior erat in ipsa condicione proponenda (*non reprehenduntur, eo nomine dumtaxat, dum modo — caveant*).

22. *ut ais tu*) *Ut* om. etiam Spir. [B], *tu* Bas. et ed. Marsi.

ut edint de patella) *cultrice foci*, ut appellat Persius III, 26, praeripientes dapes, quae dis et laribus ferantur. Veterem coniunctivi in hoc verbo formam aperte monstrant vestigia Pal. 1, apparetque ignotam librariis et corruptam formam (*edient*) in Erl. [et B] omissam esse. *Comedim* dixit Cicero ad Fam. IX, 20 extr., *editis* pro *edatis* Varro R. R. III, 2, 18.

Iam doloris medicamenta illa Epicurea tamquam de narthecio proment: Si gravis, brevis; si longus, levis. Unum nescio, quomodo possit, si luxuriosus sit, finitas cupiditates habere.

VIII. 23. Quid ergo attinet dicere: Nihil haberem, quod reprenderem, si finitas cupiditates haberent? Hoc est dicere: Non reprenderem asotos, si non essent asoti. Isto modo ne improbos quidem, si essent boni viri. Hic homo severus luxuriam ipsam per se

1. [narthetio A] nartheo LPMR narceo C 2. promant LPMCR 5. quod E habere [A]LPM 6. reprehendendum C 8. non (pro ne) R quam (pro quidem) E 9. hac E per se ipsam LPMCR

Horatium quoque ea forma usum, notum est. [Cur hoc *de patella edere* e proverbio aut comoedia sumptum putetur, nulla est causa.]

ex Hymnide) fabula Caecilii Statii, a Menandro conversa. Davisius similem Lucilii versum ascribit, servatum a Nonio p. 283 et 526 Merc.: *Qui sex menses vitam ducunt, Orco spondent septimum.*

de narthecio proment) Sic Pal. 1 et Spir. recepitque primus Davisius; non hortatur Cicero, sed describit, quales reperturus sit. De sententia Epicurea vid. ad I, 40.

quomodo possit, si luxuriosus sit) Cum nihil interesset, utrum plures an, pro toto genere qui esset, unum nominaret, transiit subito a plurali numero ad singularem. Recte Bremius comparat I de N. D. 50: *Et quaerere a nobis, Balbe, soletis, quae vita d e o r u m sit quaeque ab iis degatur aetas. Ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari potest. Nihil enim a g i t* etc. (*est*, *molitur*), et, ubi a singulari ad pluralem transitur, ibd. I, 106: *hoc idem fieri in d e o, cuius crebra facie pellantur animi, ex quo esse b e a t i atque aeterni intellegantur.* Similia exempla sunt in deo et dis Epicureis ibd. 101 et 102 et 114; Graeca Davisius annotavit ad I N. D. c. 19, plura Heindorfius ad Plat. Gorg. p. 478 C, idem et Stallbaumius ad Protag. p. 319 D. Gzius mavult suus videri: „Cogitabis *aliquis*, idque plane ex Graeco omissi τίς more, toties apud Platonem obvio.“ Poëtae Graeci sic loquuntur; de Platone non memini; sed quid hoc ad Ciceronem? Th. Bentleius maluerat: *possint* — *sint*, Ernestius: *possit*, *qui.*

Cap. VIII, 23. *Hic homo severus*) Id est, hoc loco, cum sic disputat; (annoto propter Ernestium). *Ipsam per se* habent etiam [A et] Spir. et mg. Crat., restituit Gzius.

reprendendam non putat. Et hercule, Torquate, ut verum loquamur, si summum bonum voluptas est, rectissime non putat. Nolim enim mihi fingere asotos, ut soletis, qui in mensam vomant et qui de conviviis auferantur crudique postridie se rursus ingurgitent, qui solem, ut aiunt, nec occidentem umquam viderint nec orientem, qui consumptis patrimoniis egeant. Nemo nostrum istius generis asotos iucunde putat vivere. Mundos, elegantes, optimis cocis, pi-

1. [*o Torquate* A², *o* supra scripto] 2. *voluptas summum bonum* PC *non* om. L 3. *fingere mihi* L 4. *mensa* L 5. [*posteri die* A¹, *postero die* A²] [*nec hoc cadentem* A¹] 7. *istius* — *venatione* Non. p. 217. 8. *eligentis* PR (— *tes* M) *deligentis* C *pistoribus piscatoribus piscatu* R

summum bonum vol.) Sic omnes Gziani [A] et aliquot vett. edd. (Crat., Vict.); aliae vett. edd. et a Manutio ad Bremium ut PC. Mox in verbis *rectissime non putat* repetitur necessario *non*; vid. Opusc. mea Acad. I, p. 333 not.

ut soletis) cum, pudore quodam, ostendere vultis, luxuriam, quam per se reprehendere constanter non potestis, tamen a vobis reici ob ea, quae eam consequantur, incommoda. Mox mg. Crat. *postero die* [ut A²].

ut aiunt) Dicebatur enim hoc vulgo in iis, qui omnium obliti et temporis incuriosi vino. epulis, libidinibus se traderent. Davisius citat Athenaei lib. VI, p. 273 C (de Smindyride Sybarita, qui, cum fortunam suam iactaret, intra viginti annos se solem aut orientem aut occidentem vidisse negavit), XII, p. 520 A et 526 B, tum e Latinis Catonem Maiorem apud Senec. Epist. 122, 2 et Colum. I praef. § 16.

Mundos, elegantes etc.) Vulgo cum sententiae interitu sic haec interpungebantur, ut primum haec adhaererent superioribus (*vivere, mundos*), apposita (ut grammatici loquuntur) illis *istius generis asotos*, usque ad *aedificium*. Ex quo efficitur, ut confundantur in unum duo genera luxuriosorum, quae Cicero diligenter contraria posuit, alterum eorum, quos Epicurei fingere solebant, pecudum ritu viventes, alterum eorum, quos Cicero fingi volebat, cum elegantia quadam et prudentia inter opes affluentes voluptatem sectantes, qualis fuit Thorius Balbus (infra § 63). Atque eadem duo genera prorsus simili modo distingvit Cicero in Pison. 66 et 67. Deinde annectebatur: *Hos ego asotos bene quidem vivere* etc., quae sic posita necessario idem significare debent, quod de iisdem hominibus ante

storibus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis, vitantes cruditatem, quibus vinum defusum e pleno sit † hirsizon (ut ait Lucilius) cui nihil dum

1. *iis* LM 2. *quibus* proximaque apud Or. sic in versus describuntur: *quibu' vinum* | *Defusum — cui nil* | *Dempsit — abstulerit* *diffusum* MCR 3. *siet* Or. *hrysizon* E *hirsyphon* C *heminymphon* L *hynimphon* M *hymniphon* R *hir siphon* (P) *hir siphove* Or. *dimisit* (pro *dum sit*) Em [non Eh] *dempsit* PCROr. *dempserit* L

dixit: *iucunde vivere nemo putat.* Atqui diversissima haec sunt; iucunde enim elegantes illos vivere, negare Cicero non poterat; et hoc ipsum ostendit, esse luxuriosos, qui iucundam vitam, quam Epicurus bonam et beatam putet, satis consequantur, sed tamen eos abesse a bona et beata. Veram distinctionem facile erat restituere, cum praesertim recta scriptura (*ergo*) non solum in optimo cod. [A quoque et B], sed etiam in minus bonis reperiretur (meo M et ed. R et Ven. 1480, Ox.χ, Gud. 1 et Bas.; de Erl. Gzius tacet, ne dubites de Spir.; ceteri editores turpiter silent). Sed res minus latuisset, nisi Cicero studio insectandi Epicurum orationem paulo celerius avertisset, quae sic procedere potius debebat: *Mundos* etc. — *iucunde vivere dico* (ut ex Epicuri sententia reprehendi non possint, cogaturque is eorum voluptatis genus a se expeti confiteri); addi poterat: *bene vivere numquam dixerim.* Sed hoc, quod minus ad rem pertinebat, Cicero arripuit tamquam principale et id persecutus est; sed tamen sententia perlucet ex adiectis: *ex quo* etc., quibus significatur, eos voluptate frui negari sane non posse. De *ergo* in colligenda oratione interrupta cfr. ad I, 72; [ad Fam. XV, 10, 1, Hand. Turs. II, p. 462.] Similiter positum non minus fefellit editores in II de Divin. 11, qui locus sic scribendus est: *Quomodo autem mentientem* (*quem ψευδόμενον vocant*) *dissolvas aut quemadmodum soriti resistas* (*quem, si necesse sit, Latino verbo liceat acervalem appellare; sed nihil opus est; ut enim ipsa philosophia et multa verba Graecorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est*); — *ergo haec quoque dialectici dicent, non divini.* Perverse vulgo tamquam de re, quae fieri nequeat, interrogat Marcus: *quomodo — dissolvas?* Nonii nulla prorsus est in verborum coniunctione auctoritas, qui truncata et confusa saepe citat. Lateantne iam in proximis verba quaedam Lucilii in prosae orationis formam dissoluta, non potest decerni.

vinum defusum etc.) Plura ac prope omnia in his Lucilianis valde dubia sunt. [Itaque nunc, sublata versuum descriptione, quia ne ea quidem prorsus certa est, ipsam codicum bonorum

sit vis et sacculus abstulerit, adhibentes ludos et

1. *ius* (P)C *aut* (pro *et*) (M)Or. *sarculos* LPMCR

scripturam notatam posui, sublatis coniecturis.] *Defusum* pro *diffusum* primus Lambinus et deinceps reliqui; Gzius omnes suos *diffusum* habere tradit, falso de Erl. [quocum A et B consentiunt]; est sic in Oxx. EUξ; de vino ex maiore vase transfuso illud praestat. Tum e codicum mendis (Pal. 1 *hirsizon*, [B ut Erl.], Spir. *hyrsizon*, Gud. 2 *hisyrphon*, Gud. 1 *hynim* et in margine *tyrsiphoro* et *oenophoro*, Pall. aliquot et Ox. U *hirsiphon*, Ox. E *hyrumptio*, ξ *hyrmnpho*, ψ *hynimphon*; Dav. tacet) Scaliger (App. Coniect. ad Varr. p. 182 ed. 1585), cum ante aut *hirsiphon* ederetur aut interpolate *oenophoro* (Crat., Man., Lamb.) eruit *hir*, *siphon*, in quo cum esset durum asyndeton, Orellius *hir siphove* fecit, Gzius *hir siphone* fecerat. Interpretatur Scaliger de vino integerrimo, et quod ne acescat, nullum periculum sit; nam facilius acescere, cum aliquid detractum et depletum sit; id fieri siphone hauririque, quod furtim depleatur, vola manus. (*Ir* scribitur apud grammaticos, Prisc. p. 648 et 698, Probum, Phocam, Alcuinum, et in gloss. Philoxeni p. 125 et 126 Vulcan., ubi redditur θέναϱ, τὸ κοῖλον τῆς χειϱός, sed *hir* [quod apud Charisium p. 12 restituit Keilius] propius respondet Graeco χείϱ.) De *pleno* vase vinum conservante vere Scaliger (cfr. pro Scauro 43: *Cum integri nihil fuerit in hac gente plena, quam valde eam putamus tot transfusionibus coacuisse?*): *sipho* etiam aptus; de vola manus haereo; nam qui siphone utitur, in vas infundere aut de siphone bibere solet, nec, etiamsi vola manus utitur, haec, quae tantum receptaculum est, demere aliquid dici potest; (multo minus vola manus *siphone* demit; nam in siphone regendo nemo vola utitur). Vereor etiam (in versu sic descripto: *defusum e pleno siet, hir siphove cui nil*), ut *cui* pro duabus syllabis Lucilius posuerit, quoniam ex ceteris primi Manilius (in *cuique* et *unicuique*) et Martialis (I, 104, 22) dissolverunt. Postremo verba *ut ait Lucilius* tam longe ab initio reiecta Cicero vix inter verba proxime coniuncta interiecit, sed, quae fuit causa reiciendi, ubi inter sententias commode subirent, quemadmodum I de Divin. 24 voces *ut ait Pacuvius* ponuntur post primum membrum finitum. [Nomen maioris vasis (*e pleno* —) neque ex vestigiis codicum bonorum elicere possum nec intellegere, quomodo ablativus simul et dactylus effici possit.]

dum sit) Sic [praeter A, Erl., B] mg. Crat., cod. Vict., Eξψ, etiam M noster. Editum inde a primis est *dempsit*; sed apparet, id tantum in deterioribus codd. nec iis omnibus esse; (Davisius et Gzius tacent); nec recte coniunguntur *dempsit* et *abs-*

quae sequuntur. [illegible] quibus [illegible] [illegible] se nescire, quid sit bonum: [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] ministrent: respondent [illegible] [illegible] argentum [illegible] [illegible]

1. *extractis* C [illegible] [illegible] C [illegible] A [illegible] [illegible] (pro *Corinthium* LPMC [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] *Corinthium*.

tulerit; nam quod *dempsit* per [illegible] esse [illegible] ex [illegible] [illegible]. dixi alibi (comment. de [illegible] [illegible] [illegible] Lat. [illegible] Ac. II. p. 70 sqq.). [illegible] has [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] non syncopa ortae, sed ut [illegible] [illegible] e [illegible] [illegible] [illegible] quam praeteriti, quae hic requiritur, significationem [illegible]: nedum sic *dempsit* poni potuerit in [illegible] [illegible], [illegible] [illegible] indicativi modi id sit.

vis et sacculus) Vulgo erat [illegible] et sic Gzius in Pal. 1 et aliis repperit; [at A *vis*, etsi vix haec in [illegible] [illegible]]: Davisius *vis*, id est *vires*, dedit ex Mead. Ball. CCC. *Saccului* (quod iam apud Marsum esse videtur, Pal. 1 et, ut videtur, alii [B]: Dav. ex illis tribus *sacc* . . s profert. Oxx. praeterea ex E: Gzius tacet. De sacculo vinario, quo vina defaecabantur et, austeritate viribusque fractis, mitiora fiebant, res nota e Plinio (vid. lex. v. [illegible] et Heind. ad Hor. Sat. II. 4. 53). Valde falsi sunt editores fere omnes, qui vires vini sacco fractas in vitio ponentes, cum apud veteres ad vini svavitatem necessario pertinuerit haec, ut Plinius appellat, castratio, negativam hanc sententiam efficere student, partim contra sermonem peccantes, qui *aut* legunt, quasi negatio ex *nil* ad alteram partem suum substantivum habentem pertineat, (Dav., Gzius, Orell.), partim grammaticam servantes, qui pro *et* scripserunt *nec*. *Et* recte habet, modo ex *cui nihil dum sit* efficiatur aliquid, quod ad vini laudem pertineat; [*cui nil duri sit?*]. Manutius et Lambinus, retenta interpolatione vetere *oenophoro*, cetera sic scripserunt: *cui nil dempsit* (*nihil dempserit* Lb.) *vix et* (*nec* Lb.) *sacculus abstulerit*.

adhibentes ludos) Haec vulgo Lucilii verba putantur. Sed quamquam ludos et alia (*quae sequuntur*) nominarat Lucilius, tamen participio illo (*adhibentes*) haec ad reliquam orationem ab ipso Cicerone accommodata videntur.

Corinthium) Absolute dixit pro supellectili Corinthia (in Verr. II, 83) sive pro Corinthiis. Veram scripturam servarunt etiam Pall. 1, 3, 6, mg. Crat., cod. Mor. (de Davis. et Gzii codd. nihil distincte traditur). Ceteri (Pall. 2, 5, Oxx. Uχψ, Gud. 2) *odrilicium* aut *ordrilicium* aut *atrilicium*, E[illegible] *vel Corinthum odrylitium*. Quod Mureto (Varr. Lectt. VI, 20) commen-

locus ipse, aedificium; — hos ergo asotos bene quidem vivere aut beate numquam dixerim. 24. Ex quo efficitur, non ut voluptas ne sit voluptas, sed ut voluptas non sit summum bonum. Nec ille, qui Diogenem Stoicum adulescens, post autem Panaetium audierat, Laelius eo dictus est sapiens, quod non intellegeret, quid svavissimum esset (nec enim sequitur, ut, cui cor sapiat, ei non sapiat palatus), sed quia parvi id duceret.

1. *hos ego* LPCOr. 2. *at beate* E *beate quidem* (om. *aut*) L 6. *quod svav.* PM *nec ergo sequor et* E 7. *cui* om. E *ut* om. C *pallatum* C

dante Lambinus recepit: *aes Corinthium aut Deliacum*, in nullo cod. credo repertum; interpolaverat iam ita Marsus: *Corinthium aes aut Deliacum*, *atrilicium* (pro *aedificium*). Alias coniecturas inanes ex his erroribus ductas omitto.

aedificium) Nihil erat, cur hanc vocem Dav. et Gzius damnarent; nec enim eadem est loci, in quo aedificium est, amoenitas et ipsius aedificii elegantia.

aut beate) *At b.* duo Gzii, id est, Erl. et Spir., ut Lambinus et Gruterus tacite ediderant, ita distingventes: *bene quidem vivere, at beate numquam dixerim*, ut in priore parte audiatur *dixerim*, quasi *bene* sit *iucunde.* Sed *bene* et *beate* coniuncta sunt, longeque in hac re distat *iucunde.* [De *ergo* vid. paulo ante.]

24. *Diogenem Stoicum*) cum in nota illa legatione a. 155 Romam venisset; cfr. Tusc. IV, 5. Nec tamen admodum tum adulescens Laelius, qui P. Africanum aetate antecedebat (de R. P. I, 18, Lael. 15); Africanus autem tum aut triginta aut undetriginta annos habebat, natus a. 185 aut 184 a. Chr., ut efficitur e Liv. XLIV, 44 et Diod. Sic. II, p. 580 Wess., qui tamen p. 585 extr. nescio quo errore (fortasse, quod Polybius simul commemorarat mortem L. Aemilii Pauli et amicitiam suam et Africani, aliquot annis ante coeptam) Africanum a. 160 duodeviginti annos habuisse scribit. De Panaetii cum Africano, Laelio (Brut. 101), aliis Romanis coniunctione omnia nota.

cui cor sapiat) *Cor* pro mente antique et poëtice, fortasse etiam ex usu quodam cotidianae vitae dixit, cum ut *sapiat* accommodatum esset, tum ut aptius responderet *palato.* Cfr. infra 91.

palatus) Davisius e Par. 1 (?) et 2 *palatum*, qua nominativi forma utitur Varro R. R. I, 66, III, 3, 7.

O lapathe, ut iactare nec es sati' cognitu', qui sis!
In quo Laeliu' clamores *σοφός* ille solebat
Edere, compellans gumias ex ordine nostros.
Praeclare Laelius, et recte *σοφός*, illudque vere:
O Publi, o gurges, Galloni, es homo miser, inquit.
Cenasti in vita numquam bene, cum omnia in ista
Consumis squilla atque acipensere cum decimano.

1. *et* E *necessatis* [A]ELMR *ne cesset is* C *non cessatis* R *necesse est* Or. *cognitu quis* E *cognitu' cui* Or. (*cognitu* hic omnes) 2. *in quo cognitu Laelius* omnes 2 et 4. [*sophos* A] 3. *grumas* Em [*guimas* Eh] *gumas* LPMCR *nostr. e. o. gumas* L 4. *illud vero* E 5. [*miseri* A[1]] 6. *isto* [A]LPMCR 7. [cū *sumis* A[1]] [*accubans aere* A] *accubant aere* E *accubas aere* (*ere*) PMR *accubas in aere* L *decumano* CROr. (ELPM?)

O lapathe) Communis cibus haec herba et tenuiorum; cfr. Hor. Epod. II, 57; Varr. apud Non. p. 550: *Hanc eandem voluptatem tacitulus' taxim consequi lapatho et ptisana possum.*

nec es satis) Codd. etiam aliorum, boni, mali: *ne cessatis* (omnes Pall., El. pr., Mead., Ball. (ψ), Ox. U; tantum Eξ *non cessatis*, χ *cessatis*; Gzius suos dicit „in singulis paene verbis vehementer turbare, sic tamen ut vera lectio *ea vulgatae* (!) esse videatur"). *Necesse est* primum reperio in mg. Crat., sane e coniectura, et corrigit sic Victorius. (*Iactere* non tam Lambini quam typothetae esse videtur.) Dein *cui* quis primus scripserit, nescio; est apud Cratandrum; Gruterus, Davisius, Gzius tacent, nisi quod Spir. *quis*; Oxx. Uψ *qui*. [In vulgata scriptura (Or.) sententiam olim annotaram non posse eam esse, quam Orellius et Otto putassent: „quantum iactare *se* debet is, qui praestantiam tuam cognorit"; hoc potius dici: „ut necesse est (decet) iactare et commemorare, quanto viro cognitus sis". Sed aliud latere dixeram nec tamen, quid esset, reperiebam. Repperit Lachmannus ad Lucretium p. 29, cuius coniecturam, qua tantum litterae rectius separantur, post Baiterum secutus sum. *Iactari* dicitur lapathus, cuius pretium et dignitas non constet.]

Laelius) *Cognitu* praeponunt etiam omnes Oxx. (*iniquo cognitu* E, *iniquo cognitus* ξ) et, mihi crede, omnes omnium, etsi Grut. et Dav. tacent, Gzius „suos ignorare" pro testimonio dicit, qui Erl. [et B] convincitur. Apparet, iam codicis arche-

Is haec loquitur, qui, in voluptate nihil ponens, negat eum

1. *hic* EL *qui* om. C

typi librarium, cum *s* littera, quae alibi scribi solet, etiam ubi voce obscuratur, omissa esset, ablativum putasse et ad *quo* accommodasse. Clamores illi approbantis et laudantis erant.

gumias) Hoc primum a Lambino et a Grutero ex Pal. 1 editum a „binis suis illis" firmari Gzius ait, non recte de Erl. Ceteri Pall., Dav., Oxx., Gziani *gumas*. *Gumias* appellant gulosos lurcones Appuleius Apol. c. 57, p. 561 Hildebr. et Festus (v. *ingluvies*), nec diversum videtur *gemia* ex Lucilio apud Nonium p. 117. De origine vocis, quam Festus a *gula* ducit, non probabilis est Scaligeri opinio (Coniect. in Varr. p. 151) a Graeco γόμος derivantis.

Praeclare Laelius) Mire nescio quis editor, haec quoque Lucilii esse putans, sic in versum coëgit: *Laeliu' praeclare et recte sophos. illudque* (! solus Lambinus *illeque*) *vere*, propagatumque id est (tacente Grutero), donec Davisius ad codd. (etiam Morel.) rediit. Sed etiam Spir. *illud vero*, mendose; rectum esset: *illud vero optime* aut similiter. [B *illud vere.*] Excidit *que* ut 21 post *sane*.

O Publi, o gurges, Galloni) De P. Gallonio, praecone, luxurioso homine, qui primus acipenserem Romae in mensam intulit, omnia collegerunt interpp. ad Horat. Sat. II, 2, 47 et Dousa ad Lucil. Fragm. p. 284 Haverc.; nec de ipso acipensere, incerti generis pisce, qui antiquiore tempore in honore erat, postea sordebat, post illos et Forcellinum habeo, quod addam.

cum decimano) Cum tacite Bremius errasset (edens *quum omnia* — *cum decumano*), secutus est Orellius; quasi *in* squilla et *cum* acipensere (mirum, ni eo una cenante) omnia Gallonius consumpserit. Repetendane cum coniunctione etiam praepositio fuerit propter notionum separationem, ut Lbinus et Dav. putarunt (*cum in dec.*), quaeri potest. Mihi in versu et in hac licentia, cum praecedat *acipensere*, necessarium non videtur. De *decimano* [quod ex A positum est pro *decumano*] vid. lex. Rideamus aliquando. Billerbeckius hanc scripsit notam: „*cum decumano* in Verbindung mit *consumis omnia*: du verzehrst Alles sammt deinem Zehntfelde darin." [Paulo post *non* ante *negat* omittit etiam B. Itaque in deterioribus recta coniectura additum videtur.]

secernit) [Baiterus ex A et B *secrevit*, quod significat etiam Erl. Et tamen nec post *loquitur*, *negat* ferri perfectum potest nec per se rectum est, quasi significetur res a Laelio semel aliquando

bene cenare, qui omnia ponat in voluptate; et tamen non negat, libenter umquam cenasse Gallonium (mentiretur enim), sed bene. Ita graviter et severe voluptatem secernit a bono. Ex quo illud efficitur, qui bene cenent, omnes libenter cenare, qui libenter, non continuo bene. Semper Laelius bene. 25. Quid bene? Dicet Lucilius:

cocto,
Condito;
sed cedo caput cenae:
sermone bono;
quid ex eo?
si quaeri', libenter;

veniebat enim ad cenam, ut animo quieto satiaret desideria naturae. Recte ergo is negat umquam bene cenasse Gallonium; recte, miserum, cum praesertim in eo omne studium

1. *ponit* E *non* om. [A]E 2. *numquam* E *nonnumquam* L 3. [*si bene* A[2]] [*secreuit* A] *seacuit* E 4. *cenant* C 5. *continue* C Post *bene* add. *cenare* L 6. *dicit* E 7. *orto* LPC *horto* MR 9. *celo* (*caelo*) LPMR 12. *si quaeris* [A]EC *sequeris* P *si se quaeris* L *si sequeris* MR 13. *autem* E *ut in animo* E *satiaret an. qu.* R 14. *enim* C *is* om L [*his negatum quam* A[1]] *bene umquam* LP 15. *in eo* om E *studium* om. E

indicata, sed *secernebat.* Mendum videtur ortum ex *u* pro *n* scripto.]

25. *Dicet*) *Dicit* Grut. sine dubio errore typorum; corrigunt Dav. ex El. utroque, Gzius e Gud. 1, Bas. Ceterine cum Erl.? Non credo nisi de Spir. [B.]

cocto, Condito) Sic (ut emendavit Manutius et post eum editur) etiam mg. Crat. *Horto* Oxx. tantum ex χψ citant; ceteri tacent. Ad Attic. XIII, 52, 1 de Caesare dicitur: *Edit et bibit ἀδεῶς et iucunde, opipare sane et apparate. nec id solum, sed bene cocto, condito, sermone bono et, si quaeri'. libenter*; ubi apparet, *bene* esse Lucilii; nam de *bene cenando*, ut id diversum sit a *iucunde cenando*, ibi non quaeritur. Id adverbium h. l. Cicero omisit, quod in ipsius oratione longe alia significatione poneretur. *Si sequeris* etiam Uχψ.

recte, miserum) Durissime hoc loco ex *negat* auditur *dicit*, non solum ob propinquitatem, sed quod idem adverbium repetitur, ut eadem verbi notio ipsa anaphorae figura servari videatur, et quod variatur paulum significatio, ut sit *appellat.* Nam plerumque ita ex verbo negativo auditur affirmativum

consumeret. Quem libenter cenasse nemo negat. Cur igitur non bene? Quia, quod bene, id recte, frugaliter, honeste;

1. *quod sument* (pro *consumerent*) E 2. [*quia quid* A¹] [*fugaliter* A¹]

aut ibi, ubi negative continuatur oratio (ut in *nescio* Tusc. V, 116, quo loco Klotzius revocavit foedum additamentum *Epicurei*; quasi Stoici et Peripatetici magis Latine sciverint quam Epicurei aut Epicureorum contemptus artium ad sermonis peregrini peritiam pertinuerit aut ulla ratio sit ibi exemplo philosophorum certae disciplinae utendi), aut ubi adversative convertitur; durius igitur fit hoc schema, ubi oratio non convertitur, sed continuatur per *autem*, ut supra I, 61, aut ubi partitio est, ut infra 68: *Alteri negant quidquam esse bonum, nisi quod honestum sit, alteri plurimum se et longe longeque plurimum tribuere honestati* etc. Nam ibi quoque vox *alteri* idem verbum animo obicit. Ne illud quidem molle, quod in interrogatione continuata legitur IV, 22: *Patronusne causae — negaret esse malum exilium, publicationem bonorum? haec reicienda esse, non fugienda?* [aut quod IV, 69 in condicione mutata ex *neget* ad *nihilo magis* sumitur *dicat.*] Durum etiam, quod V, 88 in particula *tamen* accidit: *Ille Metelli vitam negat beatiorem quam Reguli; praeponendam tamen, nec* etc. Nullus tamen locus hoc, de quo agimus, durior, ut excusetur Lambinus, qui *recte dicit* scripsit; probari non debet. De ipso universo genere nihil est cur dicam post eos, quos citavit Stallb. ad Ruddim. II, p. 361, quorum nominibus facile erat unum et alterum ascribere, ut Beieri ad Lael. 59.

cum praesertim in eo etc.) Intellegunt sine dubio plerique: *eo quidem magis miserum, quod* etc. Mihi hoc parum ad rem pertinere videtur, non fuisse tantum studium in eo ponendum, nec video, cur eo miserior fuerit. Itaque Ciceronem hic, ut alibi, sic illas particulas posuisse puto, ut significarent *quamvis* (*und das, obgleich*). Nam cum *praesertim* significet, adiungi ad id, quod generalius dictum sit, aliquid proprie, quo id augeatur, hoc, quod adiungitur, apud Latinos, maxime Ciceronem, saepe ex contrario genere est, ut ideo maius esse videatur id, quod dicatur, quod tamen (nihilo minus) fiat aut sit. Atque hic transitus ad significandam rem eo memorabilem, quod aliud expectetur, fit iam in simplici particula, ut II de Div. 142: *nec tam multum dormiens ullo somnio sum admonitus, tantis praesertim de rebus*, id est, quamvis tantae essent res, ut vel praecipue admoneri debuerim. Sed saepissime *cum praesertim* et *praesertim cum* (nullo, quod animadverterim, discrimine) et *qui praesertim*

ille porro [male,] prave, nequiter, turpiter cenabat; non

1 *male* sine uncis Or.

eandem vim habent, ac si dicas: *idque cum tamen, quamvis, qui tamen.* Hoc quia a nullo video annotatum, exempla ascribam. Cic. pro Rosc. Am. 66 (ubi est: *cum praesertim — tamen*), in Verr. II, 113: *ut ex oppido Thermis nihil ex sacro, nihil de publico attingeres, cum praesertim* (i. e. cum tamen, sive: quod eo magis mirum est, cum) *essent multa praeclara* etc., ibd. 155, pro Sulla 6: *Nemo affuit Vargunteio, ne hic quidem Q. Hortensius, praesertim qui* (i. e. quod eo memorabilius est, cum) *illum solus antea de ambitu defendisset*), Philipp. II, 60 (ubi haec sententia est: non destitisti me provocare, quamvis videres etc.), ibd. 64 et 106, ad Fam. XV, 21, 2 (*qui praesertim*), ad Attic. XIV, 18, 1, Brut. 267, Orat. 32 (qui locus, mire ab interpretibus vexatus, hanc habet apertam sententiam, quam intellexisset Orellius, si non *cum*, sed *cum praesertim* pro *quamvis* accepisset: nec Thucydidis, quamvis fuisset honoratus et nobilis, nomen ad posteros extaret, nisi historiam scripsisset), N. D. II, 88, de Off. II, 56 (ubi Stuerenburgius non magis hoc intellexit quam quid esset *necessitati, periculis, fluctibus, tempestati, gravedini subvenire*, et incredibili illa levitate locum corrupit). Postremus sit locus ex hoc ipso opere IV, 36. [Neglexit haec Handius Turs. IV, p. 531 sqq.]

ille porro [*male*]) *Porro*, quod „rarissimo exemplo in oppositione poni" Gzius putat, non ita raro ponitur in assumendo, cum concludimus, quoniam in hoc progressus est aliquis orationis; vid. (quem locum iam ipse vetus Tursellinus citat inter alios minus aptos) pro Mil. 25: *Occurrebat ei, mancam ac debilem praeturam futuram suam consule Milone; eum porro summo consensu populi R. consulem fieri videbat. Contulit se* etc.; ad Fam. IV, 9 init: *Multa videbis fortasse, quae nolis; non plura tamen, quam audis cotidie. Non est porro tuum uno sensu solum oculorum moveri, cum idem illud auribus accipias, quod etiam maius videri solet, minus laborare.* Frequentior tamen in hoc usu Quintilianus, de quo vid. Bonnellus, qui tamen locos non recte ordinavit; nam ad conclusionis significationem (β) aperte pertinent, quos ultimos posuit (δ), I, 5, 46, XII, 1, 33 (cfr. Spald. ad priorem loc. et ad II, 3, 5); add. Dial. de orat. 5. Deinde autem apud Quintilianum transit *porro* ad oppositionem simpliciter notandam; sed iam apud Sallustium est *rursus, ex altera parte*, Catil. 46, Iug. 25 (cfr. Cic. Verr. I, 121). Vocem *male* delendam esse vidit Wesenbergius, quod cum vel sola concinnitas adverbiorum inter se relatorum, *recte* et *prave, frugaliter*

igitur *bene.* Nec lapathi svavitatem acipenseri Gallonii Laelius anteponebat, sed svavitatem ipsam neglegebat; quod non faceret, si in voluptate summum bonum poneret.

1. *bene* om. omnes, Or. [*lapithi* A] *accubans ęre* [A]E *accubanti* (*accubantis* C) *aere* (*ere*) PMCR *accubanti aere alieno* L [*Galloni* A] 2. Post *anteponebat* add. *aliis que erant in mensa tamquam suum* C

et *nequiter* (cfr. *frugi* et *nequam*), *honeste* et *turpiter*, ostendere possit, tum clamat sententia; neque enim in assumptione illud ipsum poni potest, quod concluditur, *male*, id est, *non bene.* Atque haec non pendent ex proximorum correctione. Nam quid concludatur, patet iam ex illis: *Cur igitur non bene?*

non igitur bene. Nec) Inserui vocem necessariam in archetypo omissam (vid. praef. I, § 5). In vulgata scriptura *Non igitur nec lap.* primum multi senserunt vitiose abundare *nec*, quod ideo quattuor codd. Oxx. EUξψ omittunt (miror tot esse, cum nullus alius commemoretur) et ed. Marsi; Davisius et Bremius correctorem veri vestigia occultantem secuti sunt; qui autem defendunt, ut sit *ne — quidem*, illis duo obstant, primum quod omnino Cicero *nec* pro *ne — quidem* non dicit (de quo exposui in excursu ad h. l.), alterum manifestius, quod saltem praecedente *non* illa particula, quae a copulatione removeri non potest, ita poni nequit nec a quoquam umquam posita est; nec aptum *ne — quidem*, quasi Laelius sic laudasset lapathum, ut svavitate ceteris longe praestantem. Qui aliud vocabulum cum lapathi svavitate coniunctum excidisse putant, illi, quod ponant, non reperiunt; sola enim haec, lapathum et acipenserem, Cicero comparaverat; itaque Lambinus inanem tautologiam induxit: *lapathum nec lapathi svavitatem.* Deinde autem sententia eam correctionem flagitat. Nam manifesto instituta forma syllogismi (*Quia*, *quod* etc.; *ille porro* etc.), non solum per se necessario concludendum argumentum fuit, sed cum etiam subiciatur: *Non igitur*, nemo non cogitur conclusionis finem expectare; atqui illud de Laelio habet adiectam explicationem et quasi, ut ita dicam, corollarium. Ne quis autem putet dicendum fuisse: *Ne bene quidem igitur* (ut Tusc. I, 71 in recta scriptura: *ne interire quidem igitur*), ita dicitur, si in eodem genere negative concluditur (*non distrahi, igitur ne interire quidem*), hic ad contrarium transitur (*prave; non igitur bene*).

anteponebat) Mirum additamentum, quod in C legitur, ortum, cum *acipenseri* corruptum esset, habet etiam ed. Ven. 1480. Corruptelas eius vocabuli similes habent Oxx. χ UEξ

IX. Semovenda est igitur voluptas, non solum ut recta sequamini, sed etiam ut loqui deceat frugaliter. 26. Possumusne ergo in vita summum bonum dicere, cum id ne in cena quidem posse videamur? Quomodo autem philosophus loquitur? „Tria genera cupiditatum, naturales et necessariae, naturales et non necessariae, nec naturales nec necessariae.“

2. *sequamur* R *doceat* R 3. *igitur* LPMCROr. 4. *quo autem* C 5. *et necessarias* codd. (nisi quod A² per compendium non satis certum *et necessariarum*), Or. 6. [*et necessariae*, om. *non*, A¹; A² *et non necessariae*] *naturales et* om. C *et innecessarias* E *non necessarias* (om. *et*) LPMCROr. *nec necessarias* ELPMCROr.

(hi duo *accipienti ore*) et mg. Crat. (*accubans aere*); Grut., Dav., Gzius tacent; emendavisse videtur Aldus Manutius.

Cap. IX. *ut loqui deceat frugaliter*) Cum haesissent alii, recte Davisius et Bremius sententiam expediverunt: Non solum ut recta in vita sequamini, (*sequamur*, inutili correctione, cod. Urs., Bas., E ξ), sed etiam ut conveniat vobis frugi hominum sermone uti et dicere, summum bonum percipi non dolendo, tenui victu, quaeque sint similia, semovenda voluptas est, quae tota in motu illo et titillatione posita est. Tamen Gzius *deceat* putat esse *decere intellegatur*. Otto enarrat: *ut intellegatis loqui decere frugaliter*, sed coicit (et longe ante Nodellus) pro *deceat* scribendum esse *discatis*.

26. *Possumusne ergo in vita* etc.) *Ergo* etiam Spir. [et A]. Sed dure admodum omittitur prior accusativus, cum etiam in eo ipsa vis sententiae sit; (Lambinus: *igitur voluptatem*); nam quod Gzius *aliquid* „cogitandum omitti“ dicit, est ex eodem fingendi genere, quo solet uti. Itaque non improbabilis est Davisii suspicio: *quod ne* etc.; coniunctivus huic relativo eo modo subiectus erit, de quo dictum est ad § 15.

loquitur? Tria genera) [Sic distingvi verba, ut ipse Epicurus loquens induceretur, voluerat iam Orellius, offensus insolentia orationis, cum ederetur sic: *loquitur tria genera cupiditatum? nat. et necessarias — non necessarias — nec necessarias?* Iure negaveram in ea distinctione ferri posse accusativos in verbis Epicuri, conatusque eram illud *loqui tria genera* ita defendere, ut esset fere *crepare*, *in ore habere*. Sed reperto in A bis nominativo *necessariae*, recte Baiterus orationem, ut voluerat Orellius, distinxit et primo quoque loco nominativum restituit, mutatum, cum *tria genera* ad *loquitur* accommodaretur.]

et non necessariae) Secutus sum [in restituendo *et*] vestigia Erl. et edit. Crat. et Vict.; ceteri editores tacent; videbatur

Primum divisit ineleganter; duo enim genera quae erant, fecit tria. Hoc est non dividere, sed frangere. Qui haec didicerunt, quae ille contemnit, sic solent: „Duo genera cupiditatum, naturales et inanes; naturalium duo, necessariae et non necessariae.“ Confecta res esset. Vitiosum est enim in dividendo partem in genere numerare. 27. Sed hoc sane

1. [*erat* A¹] 2. *frangere rem* LPMCR *Qui haec — solent* transp. post *confecta res esset* Or. om. LPMCR 3. *qui si diceret, cupiditatum esse duo genera* LPMCROr. 4. *naturalium quoque item duo* LPMCROr. *necessarias et non necessarias* LPMROr. *necessarias* (om. *et non nec.*) C 5. *essent* E 6. *in dividendo* om. L *nominare* E

et prorsus requiri ad membrorum aequalitatem; et est Graecum φυσικαὶ καὶ οὐκ ἀναγκαῖαι. [Confirmat nunc A, etsi *non* omittit.]

ineleganter) *Neglegenter* cod. Mor., ex interpolatione. De reprehensione cfr. ad I, 45.

frangere. Qui haec didicerunt etc.) Primum *rem*, quod post *frangere* addebatur, excludunt etiam Pal. 1, El. 2, Spir. [B], mg. Crat., damnatumque ab aliis sustulit Gzius. Deinde sic edidi, ut est in optimis codd., Pal. 1, Erl., Spir., mg. Crat. (quamquam ex Pal. 1 et Spir. Gruterus et Gzius tantum transpositionem sententiarum et ex Spir. omissionem vocum *quoque item* annotarunt, ad cetera non attenderunt). Cod. Mor. eundem habebat ordinem, sed exciderant in eo verba: *didicerunt — naturales et*; deinde erat *confecta est.* Facillime in verbis *confecta res esset* suppletur condicio: „si sic locutus esset“, quod ipsum significatur illis: *Qui — sic solent.* [*Confecta* res numquam per se dicitur pro certa et indubitata, quemadmodum accipi voluit Heinius Philol. XXIV, p. 477.] Orationis summa brevitas aptissima est, quoniam Cicero indignabundus cum contemptu correctionem demonstrat. In vulgaribus codd. exciderunt verba: *Qui haec didicerunt — sic solent*, sed in paucis quibusdam (Pal. tertio, Mead. Dav., Ox. ξ) ex marginali annotatione inserta sunt paulo post inter verba: *confecta res esset* et *Vitiosum.* (ξ *hoc* et *solet*). Illis omissis, cum deesse aliquid facile pateret, id sic suppletum est ceteraque supplementi causa mutata (at vide audaciam!): *Qui si diceret, cupiditatum esse duo genera, naturales et inanes, naturalium quoque item* (Gud. 2 et Bas. om. *item*) *duo, necessarias et non necessarias, confecta res esset.* Quae potest esse apertior ortae e mendo et progressae interpolationis historia? Et tamen neminem adhuc veritas movit.

concedamus. Contemnit disserendi elegantiam; confuse loquitur; gerendus est mos, modo recte sentiat. Equidem illud ipsum non nimium probo et tantum patior, philosophum loqui de cupiditatibus finiendis. An potest cupiditas finiri? Tollenda est atque extrahenda radicitus. Quis est enim, in quo sit cupiditas, quin recte cupidus dici possit? Ergo et avarus erit, sed finite, et adulter, verum habebit modum, et

1. Post *contemnit* add. *enim* [A]LPMCROr. 2. *et quidem* [A]LPMCR 3. *ipsum* om. LPMCR *tamen* LPMCR 4. *loqui* om. E 5. *ei* (pro *est enim*) E 6. *cupiditas sit* MCR *qui non recte* E 7. *verum* om. R

27. *Contemnit*) *Enim* omittit etiam Spir. [B]. Proponit Cicero rem; adiungit (*gerendus est mos*), ferendam esse.

Equidem) Sic etiam Spir. [B] et restituit Gzius. Ceteri *et quidem*, quae particulae hic locum non habent. Tum *ipsum* omittunt aliorum quoque mali codd. (apud Davis. quattuor, Ox.χ; miror Gzium in omnibus suis repperisse). *Tantum* etiam ex illa familia sumptum est (Pal. 1, Spir.); editur inde a Grutero. [Gzius in Erl. esse *tamen* scribit, Baiterus in B.] Stoice hic Ciceronem loqui apparet, ἐπιθυμιῶν nomen urgventem eique ex altera schola subicientem significationem τῶν παθῶν. Itaque ὀρέξεις appellari debuisse putat, id est, desideria naturae, quas Epicurus naturales cupiditates dixisset. Et tamen quid prohibebat communem appetitus notionem communi nomine signare et deinde dividere?

quin recte cupidus) *Qui non* etiam Spir. [B]. „atque sic hac in formula proprie Cicero.“ Gzius. Idem in Acad. II, 20 retinens *quis est*, *quin* et reiciens *qui non*: „Scribae“ inquit „in hac structura haeserunt.“ In hoc autem opere V, 63 ex iisdem codd. *quin* edens: „Scribit“ inquit „Cicero ex more *nemo est*, *quin*.“ At paucis versibus post (64) edidit cum ceteris *quis est*, *qui non*, tacuitque, eosdem libros ibi quoque *quin* habere. Nescio, supinam oblivionem an audaciam, quidquid in buccam venerit, deblaterandi magis admirer; nisi magis etiam eorum, qui has quisquilias non tulerunt, sed laudarunt, patientiam miror. Otto etiam aliquid dicere voluit; *quin* esse modestius quam *qui non*. Mihi et multo saepius *quin* a scribis dissolutum esse videtur quam *qui non* contractum, et ubi non simpliciter praecedat *quis est*, *nemo est*, sed, ut h. l., definitio quaedam (*in quo sit cupiditas*), ex qua aliquid necessario sequatur, fere semper dici *quin*. Mox Gzius, Or., Otto ediderunt: *et adulter verum habebit modum*, dormitantes plus iusto.

luxuriosus eodem modo. Qualis ista philosophia est, quae non interitum afferat pravitatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum? Quamquam in hac divisione rem ipsam prorsus probo, elegantiam desidero. Appellet haec desideria naturae; cupiditatis nomen servet alio, ut eam, cum de avaritia, cum de intemperantia, cum de maximis vitiis loquetur, tamquam capitis accuset. 28. Sed haec quidem liberius ab eo dicuntur et saepius. Quod equidem non reprendo; est enim tanti philosophi tamque nobilis audacter sua decreta defendere; sed tamen ex eo, quod eam voluptatem, quam omnes gentes hoc nomine appellant, videtur

3. *remissam* (pro *rem ipsam*) EP [*remissionem* A] 4. [*probam* A¹ *reprobo* A²] *appellat* ER 5. *eam* transp. ante *tamquam* LPMCR (*ea* LPR) 7. [*quae* (per compendium pro *quidem*) A] 8. *ab eo liberius* L 11. *hoc* om. E

interitum afferat pravitatis) Licuit et sic dicere, substantivis coniunctis, et *pravitati*, ut ipsa pati interitum cogitaretur; nec erat, cur hoc Vict. et Dav. contra codd. praeferrent. Simile est infra 118: *voluptatis aditus* (id est, quos ea habere possit) *intercludat*. Alia collegit Bremius, ut *litem alicuius aestimare* et *alicui* (vid. Drakenb. ad Liv. XLV, 24, 2, ubi tamen foede confunditur *aestimare litem hominis* et *peccati*, quin etiam *litem capitis aestimare*); poterat addi *locum seditionis quaerere* (Liv. III, 46, 2) et *seditioni*; [nam quod III, 59, 1 codices habent: *inhibito modo nimiae potestatis*, recte mutatum est, quoniam *modus potestatis* non *inhibetur*]; ex Cicerone Gzius citat *facere fidem iudicii sui* (Acad. II, 19, nam III de Orat. 104 non iniuria dubitatur, quia *fides orationis* vix sic absolute dicitur). [Accedat ex orat. pro Flacco fragm. Mediolan. (p. 800 ed. Turic.) *longinqui temporis cognitarum rerum fidem derogare.*] Alia minus huc pertinent, quia in iis necessaria prorsus est una ea et definita notio, quae ex substantivis coniunctis efficitur. [Gr. Lat. § 241 n. 3, 242 n. 2.]

ut eam) Pronomen, quod etiam Pal. 1 et Spir. tenent, in deterioribus codd. primum omissum, deinde ante *tamquam* additum est. Dav. e Pal. 2, Parr. 1, 2 edidit *ea tamquam*.

28. *quod voluptatis causa non videatur*) E scriptura Erl. [et B] possit aliquis efficere *quin voluptatis causa videatur*, ut *quin* raro exemplo (vid. Opusc. mea Acad. I, praef. p. V) accusativi *quod* locum teneat. Sed frustra ex huiusmodi mendis

amplexari saepe vehementius, in magnis interdum versatur angustiis, ut, hominum conscientia remota, nihil tam turpe sit, quod voluptatis causa non videatur esse facturus. Deinde, ubi erubuit (vis enim est permagna naturae), confugit illuc, ut neget accedere quidquam posse ad voluptatem nihil dolentis. At iste non dolendi status non vocatur voluptas. Non laboro, inquit, de nomine. — Quid, quod res alia tota est? — Reperiam multos vel innumerabiles potius non tam curiosos nec tam molestos, quam vos estis, quibus, quidquid velim, facile persvadeam. — Quid ergo dubitamus, quin, si non dolere voluptas sit summa, non esse in voluptate dolor sit maximus? cur id non ita fit? — Quia dolori non voluptas contraria est, sed doloris privatio.

1. *saepius* C *vehementius saepe* E 3. *quid* E *videatur causa* (om. *non*) E *deinde enim ubi* E 4. *enim* om. E *est* om. C 5. *nichi* (pro *nihil*) E 12. [*maximis* A¹] [*non id* A]

codicis genere, non diligentia scriptoris commendabilis coniectura tentatur.

vis enim est) [Cum Erl. [et B] consentiunt Eξ. Scripseram *est enim*. Nunc nihil muto.] Vid. ad I, 43.

non tam curiosos) πολυπράγμονας, qui non necessaria subtiliter exquirant. Cfr. ad I, 3.

Quid ergo dubitamus) Pertinent haec ad ea, quae I, 37 et 38 ab Epicurea parte exposita sunt; nec tamen valde subtiliter disputantur; neque enim dissolvitur ipsa Epicuri doctrina et sibi repugnare ostenditur, sed, intermixtis inter notiones Epicureas iis, quas ille non probabat, sic concluditur. Quasi enim concedat Epicurus, voluptatem in motu eodem modo, quo dolorem, veram vim per se habere, quod ipsum Epicurus negat et tantum variationem eam esse ait, concluditur, eius voluptatis privationem dolorem afferre et quidem summum. Deinde ea, quae Epicurum Cicero dicentem facit: *quia dolori* etc., ad Epicuri mentem sic dicenda erant: Quia dolori voluptas stans, non movens contraria est. Nam voluptatem, sed stantem, is quoque dolori contrariam ponebat. Et tamen facile fuerat ostendere, hominem sui (ut loquimur) conscium numquam esse in nudo illo non dolendi statu, sed, cum hoc, non dolere se, sentiret (negative), simul sentire, se esse et vigere (positive), in quo motus et iucunditas esset. [De verbis *non id ita* etc. vid. ad § 17; apparet, non recte in A *id ita* iuxta poni.]

X. 29. Hoc vero non videre, maximo argumento esse, voluptatem illam, qua sublata neget se intellegere omnino, quid sit bonum (eam autem ita persequitur, quae palato percipiatur, quae auribus; cetera addit, quae si appelles, honos praefandus sit) — hoc igitur, quod solum bonum severus et gravis philosophus novit, idem non videt ne expetendum quidem esse, quod eam voluptatem hoc eodem

1. *hic* L *esse* om. LPMCR 2. *ullam* PMCR 3. *ita* om. L 4. *addidit* C 5. *bonos* EC *prefraudus* E *praestandus* LMC 6. *vidit* E

Cap. X, 29. *Hoc vero non videre*) Infinitivus est exclamantis cum admiratione (*Hoc vero credibile est, eum non videre* etc.?), id unum non prorsus vulgare habens, quod subiectum non additur; plane eodem modo libr. IV, 76: *Hoc non videre.* Nam ipsam rem universe Cicero admiratur, non solum in certo homine. Sed cum sic orsus esset, ut dicendum esset: *maximo argumento esse, illam voluptatem — ne appetendam quidem esse, quod eam non desideremus* etc., quoniam longior, addita parenthesi, facta erat definitio illius voluptatis, omissa ea orationis structura, quam instituerat, et nova per *igitur* inducta, quod antea mirandum significarat, nunc narrando persequitur: *hoc igitur non videt* etc. Expedivit locum antea addubitatum Matthiaeus, in eo uno leviter errans, quod *hoc* initio positum coniungi vult cum *esse* contra similitudinem loci illius libri quarti. Ponitur enim id pronomen initio omnia complectens, quae deinde dicuntur. Priores partim lacunae notam apposuerant, partim verba mutarant, a sententia etiam aberrantes praeter Bremium, qui *videt* scripsit, tantum rectam formam et sententiarum coniunctionem turbans. Tum enim dici debuit: *Ne illud quidem videt.* Nam *Hoc vero non videt* significat, dictum ante esse, alia eum videre. *Esse* om. etiam χψ, unus U *est* habet. Tum *illam* est etiam in mg. Crat., Pal. 1, Spir., id est optimis; editur inde a Grutero; ceteri *ullam*, Eξ *nullam.*

eam autem ita persequitur) Vid. ad § 7. *Cetera* sunt *τὰ ἀφροδίσια.* Pro *praefandus* ([A,] cod. Vict., Mor.) χψ *praestandus*, ut etiam tum Crat. [B *perfraudus*,] Eξ *pondus*; ceteri tacent.

hoc eodem auctore non desideremus) *Aliquo auctore* fit, quod eius fit consilio et impulsu; quomodo nunc vulgo loquuntur: *Epicuro auctore, di mundum non regunt*, ut sit: *si Epicuro credimus*, *Epicuri iudicio*, veteres, quod sciam, locuti non sunt. [Plinius H. N. IV, 9 sic scripsit.] Credimus et tradimus

auctore non desideremus, cum dolore careamus. Quam haec sunt contraria! 30. Hic si definire, si dividere didicisset, si loquendi vim, si denique consvetudinem verborum teneret, numquam in tantas salebras incidisset. Nunc vides, quid faciat. Quam nemo umquam voluptatem appellavit, appellat; quae duo sunt, unum facit. Hanc in motu voluptatem (sic enim has svaves et quasi dulces voluptates appellat) interdum ita extenuat, ut M'. Curium putes loqui, interdum ita

1. *quamquam* LPMCR 2. *Hic* — *incidisset* Non. p. 177 [*indiuidere* pro *si div.* A[1] *uel diu.* A[2], compendio supra *in* scripto] *vel dividere* LPMCR *potuisset* (pro *didicisset*) Non. 4. *insanias* (pro *salebras*) C 5. *voluptatem appellat* (*appellavit* L) *et hanc in motu voluptatem, quae duo sunt, unum facit* (*faciat* C). *Sic enim h. s. et q. d. vol. appellat. Interdum* LPMCR *appellavit, appellat* [*atque*] *quae* (cetera ut nos) Or. 8. *Marcum* [A]E *M* ceteri [*potes* A[1]] *loqui putes* L

aliquid aliquo auctore, cum is nobis auctor rem praestat (auf seine Autorität); vid. Liv. III, 57, 8, XXXVI, 19, 11. Hic quoque locus ita intellegi debet: *quod is nos moneat et hortetur ne desideremus*, non ita: *tradat nos non desiderare.* Paulo post *quam haec* etiam mg. Crat., cod. Mor., Pal. 1, El. 2, Spir. Restituit Davisius; ceteri *quamquam.*

30. *si dividere*) Sic etiam Spir. [B]. Ante Gzium tacite edebatur *vel*, a Victorio et Lambino *et.*

appellavit, appellat etc.) Hunc quoque locum redintegrarunt optimi codices, Erl. et Spir. [B], quos Gzius secutus est, nisi quod, sublata aptissima orationis figura et brevitate, scripsit: *appellat, atque quae.* E Morel. cod. annotatur tantum: *appellavit, appellat*, „quomodo suo ascripsit libro Scaliger"; non dubitandum, quin cetera quoque recta fuerint; e Pal. 1 tantum *appellavit* pro *appellat* annotatur; [nunc de eo constat]. In vulgaribus codd. cum excidisset *appellavit*, ut manca esset sententia, emendator audacter et artificiose transponendo fracta membra coniunxit; nam ut nostri, ita ceterorum omnes; tantum E ξ *appellaret.*

M'. Curium) Praenomen, ut solet, corruptum erat etiam in Gzianis. „Pertinet huc maxime versus ille, etiam (!) Rosae laudatus: *Qui Curios simulant, asoti cetera vivunt.*" Gzius. Vult videri versum nosse, quem depravatum a Rosa sumpsit; est Iuvenalis in sat. II, 3: *Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt.* M'. Dentatum quis ignorat? Mox *in oratione solum* Spir., edd. inde a Grut. [A]. Priores et reliqui Gziani ut nostri deteriores. [*A philosopho, a censore* oppri-

laudat, ut, quid praeterea sit bonum, neget se posse ne suspicari quidem. Quae iam oratio non a philosopho aliquo, sed a censore opprimenda est; non est enim vitium in oratione solum, sed etiam in moribus. Luxuriam non reprendit, modo sit vacua infinita cupiditate et timore. Hoc loco discipulos quaerere videtur, ut, qui asoti esse velint, philosophi ante fiant. 31. A primo, ut opinor, animantium ortu petitur origo summi boni. Simul atque natum animal est, gaudet voluptate et eam appetit ut bonum, aspernatur dolorem ut malum. De malis autem et bonis ab iis animalibus, quae nondum depravata sint, ait optime iudicari. Haec et tu ita posuisti et verba vestra sunt. Quam multa vitiosa! Summum enim bonum et malum vagiens puer utra voluptate diiudicabit, stante an movente? quoniam, si dis placet, ab Epicuro loqui discimus. Si stante, hoc natura videlicet vult, salvam esse se, quod concedimus; si movente,

1. *bonum sit* L *nec* E 3. *solum in oratione* LMCR 8. *animale* [A]E 10. [*et malum* A¹] *his* LC 11. [*sunt* A] [*iudicare* A¹] 12. *quare* (pro *quam*) C *quamquam* R *multum* R 14. *ante* (pro *an*) E[A. Sed »syllaba *te* est extra versum, fortasse a sec. m.«] *displicet* E 15. *discimus loqui* E

mendam orationem, non *philosopho* — *censori*, hoc quidem loco Cicero dixit, quod non, ad cuius officium hoc pertineat, sed cuius opera ad eam rem utendum sit, significat. Similia exempla sunt apud Livium XLIV, 22, 12, Senecam Ep. 65, 3. Nec tamen id ad omnes locos, in quibus *ab* cum gerundivo coniungitur, pertinet.]

31. *quam multa*) *Quamquam multa* Gud. 1 et Bas., *quamquam multum* Gud. 2. Veram scripturam a Manutio revocatam confirmant mg. Crat., cod. Mor., Spir., tenentque tacite Grut., Dav., Oxx.

stante an movente) Vid. ad I, 37. Stantem et moventem Cicero dixit brevitatis causa pro ea, quae in statu et in motu esset, altero participio intransitive utens, ut iis, de quibus ad I, 69 dictum est; commodius fere dicas motoriam et statariam, grammaticorum fabularum scaenicarum genera dividentium exemplo. [Eodem modo Tusc. IV, 30 perturbationes dicuntur esse *affectiones moventes*.] Mox omnes (?) Gzii codd. *si displicet*.

hoc natura videlicet vult) Id, quod Epicurus voluptatis studium interpretatur, nihil esse aliud Cicero dicit nisi sui

quod tamen dicitis, nulla turpis voluptas erit, quae praetermittenda sit, et simul non proficiscitur animal illud modo natum a summa voluptate, quae est a te posita in non dolendo. 32. Nec tamen argumentum hoc Epicurus a parvis petivit aut etiam a bestiis, quae putat esse specula naturae, ut diceret ab iis duce natura hanc voluptatem expeti nihil dolendi. Neque enim haec movere potest appetitum animi, nec ullum habet ictum, quo pellat animum, status hic non dolendi; itaque in hoc eodem peccat Hieronymus; at ille

5 *ante et* (pro *aut etiam*) E *quae* om. E *spicula* E 6. *his* [A]EPCOr. *nihil dolendi expeti* L 7. *nec* E 8. *illum* R *ritum* (pro *ictum*) E *animi statum* omnes

conservandi studium, quod omnes animalibus a natura insitum esse concedant. *Videlicet* manifestam rem et perspicuam significat.

quod tamen dicitis) etsi tam multa de illa indolentia disputatis et eam tam extollitis. Gzius *tamen* vult esse *certe, saltem*, et sententiae repugnans (neque enim aliud Epicureos sentire, aliud dicere, Cicero significat) et usui loquendi; neque enim ad eam significationem *tamen* inclinat, nisi cum ita postponitur vocabulo, ut, quidquid de aliis rebus fiat, hanc tamen (saltem) excipiamus. Dupliciter autem reprehenditur Epicurus, si movente voluptate puerum duci dicat, quod turpem voluptatem excludere non possit, et quod praeterea sic animal illud, quod totiens usurpet, modo natum et ortum ab alia voluptate initium appetendi capiat atque ea, in qua summum bonum Epicurus ponat, ut initium a fine discrepet. Sententiae satis facilis enarrandae necessitatem imposuit Gzii inscitia, adeo aberrantis, ut *aliud animal* scripserit, et Orellii prorsus falsa explicatio. Quid esset *proficisci*, intellegi poterat, si opus erat, e § 32 extr.

32. *quae putat esse specula naturae*) Lenis est irrisio Epicuri a bestiis argumenta ducentis. Nam de pueris similiter alii philosophi loquebantur, apud ipsum Ciceronem Peripateticus Piso V, 61 et maxime 55.

nec ullum) *Illum* edd. quaedam, ut Mars., Man., Grut. (non cod. Mor., ut Or. ait), *nullum* Uχ, CCC.

animum, status) Evidens emendatio debetur, opinor, Manutio. Codd. Pall., Oxx., Gzii ut mei, edd. quoque Marsi et Cratandri.

at ille pellit) Is demum status pellit animum et appetitum movet, qui permulcet sensum movente et vera voluptate,

pellit, qui permulcet sensum voluptate. Itaque Epicurus semper hoc utitur, ut probet voluptatem natura expeti, quod ea voluptas, quae in motu sit, et parvos ad se alliciat et bestias, non illa stabilis, in qua tantum inest nihil dolere. Qui igitur convenit ab alia voluptate dicere naturam proficisci, in alia summum bonum ponere?

XI. 33. Bestiarum vero nullum iudicium puto. Quamvis enim depravatae non sint, pravae tamen esse possunt. Ut bacillum aliud est inflexum et incurvatum de industria, aliud ita natum, sic ferarum natura non est illa quidem de-

2. *utatur* E *nititur* L [et superscr. A²] 3. [*uobis* pro *voluptas* A¹] 4. *non dolere* E 5. *quid* omnes 8. [*sunt* A] *possint* C 9. *Ut — natum* Non. p. 78 (om. *de industria*) [*baccillum* A¹ Non.] 10. *quidem* om. L

hoc est, ipsa voluptas movens. Nam *status* nomen, in quo quies aliqua significatur, hic minus commodum Cicero retinuit aequalitatis gratia. Hic quoque fuerunt qui aberrarent.

Itaque — utitur) Bas., Gud. 1 *atque*. Aperta est conclusio. *Nititur* pervenit etiam in Pal. 2. Id verbum alienam ab h. l. habet difficultatis et vehementis studii notionem; cfr. IV, 67.

non illa stabilis) Rectius Cicero dixisset: *non quod illa* etc. Nec enim Epicurus hoc negative adiungebat, sed Cicero, ita ut illi: *hoc utitur, quod* contrarium esse debeat: *non hoc, quod.*

Qui igitur convenit) Sic Lambinus, et inventum Davisius ait in Par. 2; Oxoniensium silentio de E parum, de U omnino non confidi potest; Gzius oblitus est codd. inspicere. Videtur recte emendatum. Longe enim diversa sunt: *quid opus est?* et quae illo modo dicuntur (id est fere: *ad quid, cur*); simile esset *quid potest?* pro *qui potest?* quod non dicitur.

Cap. XI, 33. *sed natura sua*) Neglegenter Cicero scripsit, primum sic contraria ponens *malam disciplinam* (aliorum) et *naturam suam* (quae ipsa figura defendit scripturam), ut oblivisceretur, subiectum esse non *feras*, sed *naturam ferarum.* Quos Bremius et Gzius comparant locos, nihil habent nisi repetitionem eiusdem nominis de diversis rebus, quae recte eo appellantur, positi. Deinde, cum seiunxisset *depravati* et *pravi* notionem, hic tamen, omnia coiciens in illam oppositionem disciplinae et naturae, *depravata* communiter posuit, ut etiam *prava* (in secundo membro) comprehenderetur. Et possunt per se aliquo modo bestiae dici ipsa natura depravatae, hoc est, a perfecta specie et forma (*von der Idee*) detorta.

pravata mala disciplina, sed natura sua. Nec vero, ut voluptatem expetat, natura movet infantem, sed tantum, ut se ipse diligat, ut integrum se salvumque velit. Omne enim animal, simul [et] ortum est, et se ipsum et omnes partes

1. *ergo* (pro *vero*) LPC 2. [*si* (pro *se*) A¹] 3. *ipsum* CR 4. *simul ut ortum* MROr. *simul ortum* C *est* om. [A] LP

Nec vero, ut voluptatem expetat) Hoc Cicero magis instituit explicare quam explicat; nam mox, omissa difficili quaestione (§ 34 *magna quaestio est*), tantum inconstantiam reprehendit Epicuri. Pro *vero* Spir. (Gzius addit Erl.) *vere* [non B], Gud. 1, 2, Bas., Ox. χ *ergo*. Mox pro *se ipse* in cdd. ante Aldum et apud Victorium fuit *se ipsum*.

Omne enim animal) Quae hic breviter attinguntur, fusius explicantur Stoice in libro III, 16 sqq., Peripateticorum vel potius Antiochi more in libro V, 24 sqq.

simul [et] ortum est) *Simul ut* pro *simul ac* Dukerus ad Liv. VI, 1, 6 Ciceronem non raro posuisse dicit, Goerenzius ad Acad. II, 51, saepius. Ego quinque omnino locos esse puto, ubi a codicibus constanter confirmetur illa forma, Academicorum illum, Tusc. IV, 5, Verr. I, 67, [de Or. II, 21, Philipp. III, 2]; in ceteris satis dubiam sedem habet aut nullo iure editur, ut VI ad Fam. 18 init. Nec verius erat apud Catullum 64, 31; [apud Hor. Sat. II, 1, 24 nullo iure a Fea illatum est]. Universe autem eo defenditur, quod origo facile intellegitur. Neque enim *ut* est pro *ac*, sed tempus significans (*ut vidit*) coaluit cum *simul*, sic, ut et consecutio et res eodem fere momento gestae significarentur. Hoc loco omnes editores quasi compacto tacent, et tamen, cum in tribus meis codd. e quattuor, interque eos optimo illo [etiam AB], sit *simul et*, facile intellegas, quid in aliis fuerit, e quibus Oxx. Eξ neque *et* neque *ut* habent. Contra V, 24 omnes (casum enim, non consilium sequebantur) annotarunt, in codd. esse *simul et*. Hoc num Cicero pro *simul ac* dixerit, valde incertum puto, qui omnino particulae *et* pro *atque* usum certis et angustis finibus terminari putem; vid. ad § 21. Sunt huius generis exempla aliquot in epistularum ad Atticum codice Mediceo, ut II, 20, 2 (*simul et quid erit certi*, etiam apud Bosium), X, 4 extr. (*simul et videro Curionem*, etiam in Bosii codd.), X, 16, 4 (*simul et in Cumanum veni*, etiam apud Lambinum et Bosium), XVI, 11, 6 (*simul et constituero*). Sed hoc ipsum, quod in uno illo epistularum volumine totiens, alibi numquam legitur, facit, ut suspicer, veterem librarium *simul* pro *simul ac*

suas diligit duasque, quae maximae sunt, in primis amplectitur, animum et corpus, deinde utriusque partes. Nam sunt et in animo praecipua quaedam et in corpore, quae cum leviter agnovit, tum discernere incipit, ut ea, quae prima data sint natura, appetat asperneturque contraria. 34. In

1. *quae* om. C 4. *novit* E *tunc* [A]MCR *primo* E 5. *sunt* LPMCROr. (*natura data sunt* L) [*aspernaturque* A¹]

positum non tulisse atque constanter *et* addidisse, quemadmodum alibi *atque* vel *ut* addiderunt; vid. Drakenb. ad Liv. VI, 1, 6 et quos ille citat. Legitur *simul et* etiam ad Qu. Fr. II, 6, 3 a prima manu cod. Medicei; altera substituit *simul ut.* Pro Planc. 14 editur: *simul ut, qui sint professi, videro, dicam*; in cod. Erf. est *simul ut et qui*; mihi utrumque suspectum fit; itaque hunc locum supra non posui. [Ex scriptura AB *simul et ortum et se* effici potest: *simul est ortum, et se.*]

tum discernere) Sic etiam Spir. [B] ediditque Gzius. Relativo *cum* respondet *tum*; *tunc* propriam ac vehementiorem demonstrationem habet.

prima data sint natura) Indicativum, quem omnes tacentes tenuerant, respuebat oratio. Nec enim absolute concipitur notio primorum, sed refertur ad animalis ea discernere incipientis cogitationem. ([*Sint* etiam B.] Gud. 2 om. *sunt.*) De loquendi genere (quod significat: *quae natura prima constituta sunt, quae appeteremus*) dixi in excursu de *primis naturae* ad hunc et alios locos conscripto, ubi et illam notionem explicavi et totius eius, qui hic sequitur, loci rationem exposui. Vult enim Cicero ostendere, ceteros philosophos sibi constitisse in primo naturae appetitu iisque, quae ei responderent, (*primis naturae*) definiendis et in summo bono constituendo, Epicurum sibi non constare. Sed alii ex illis philosophis omnino nulla commemorabant prima naturae a summo bono seiuncta, sed id ipsum, quod primum appeteretur, simpliciter summum bonum dicebant, ut Hieronymus, Aristippus, Carneades alio quodam modo, alii non a primis naturae ad summum bonum perveniebant, sed illa commoda, quae sic appellabant, aut excludebant a boni notione, ut Stoici, aut in exigua eius parte ponebant, ut Polemo et Aristoteles, etsi hi reapse illo nomine usi non sunt. Itaque ne in verbis quidem Ciceronis ulla apparet convenientia inter certas eas res, quas primas visas dicit Aristoteli, et id, quod summum bonum, in quo primum locum tenet virtus, coniuncta cum primis illis infinite positis nec uberius explicatis. Debuit Cicero, hac tota comparatione omissa, Epicuri inconstantiam per se repre-

his primis naturalibus voluptas insit necne, magna quaestio est; nihil vero putare esse praeter voluptatem, non membra, non sensus, non ingenii motum, non integritatem corporis, non valetudinem, summae mihi videtur inscitiae. Atque ab isto capite fluere necesse est omnem rationem bonorum et malorum. Polemoni et iam ante Aristoteli ea prima visa sunt, quae paulo ante dixi. Ergo nata est sententia veterum Academicorum et Peripateticorum, ut finem bonorum dicerent secundum naturam vivere, id est, virtute adhibita,

1. [*primas* A[1]] 4. *non valetudinem* om. E Post *val* add. *corporis* [A, qui *valitudinem*] P *insaniae* (pro *inscitiae*) C 6. *et antea* (om. *iam*) P *et ante* C (*etiam* una voce codd.)

hendere, summum bonum ex primo infantis et animalis appetitu sic ostendentis, ut tamen aliud primum appeti diceret, aliud summum faceret. Ceterum per omnem hunc locum Ciceronis neglegentiam aemulati sunt editores aut difficillima silentio transmittentes aut nihil distincte expedientes.

34. *voluptas insit necne*) Negabant Stoici (III, 17, Diog. Laërt. VII, 85 et 86).

putare esse) Non necessario Bremius *inesse* scribi volebat, quoniam utrumque dicitur, et *inesse in primis naturae* et *esse in iis*, hoc etiam frequentius de iis, quae in aliquo genere numerentur. Qui audiunt: *nihil esse, quod insit*, et ellipsi et pleonasmo utuntur perverso.

non membra, non sensus) Debuit addere *integra*; nam bonitas et integritas harum rerum in primis numerabantur, non ipsae. Cfr. V, 18.

non valetudinem) Om. etiam Spir. et Gud. 2; et praecipua tantum ponuntur, non omnia plene enumerantur. Veri tamen similius esset, aberrasse alterum librarium omittendo quam alterum nulla causa addidisse [nisi ex A et B, quibuscum faciunt Oxx. χψ, suspicio nasceretur, ad *integritatem corporis* ascriptum esse *non valetudinem corporis*. Et apte post duo binorum verborum membra (*n. m.*, *n. sens.*) ponuntur duo trinorum (*n. ing. mot.*, *n. int. corporis*), contrarie relatis *ingenii* et *corporis*]. Gud. 1 superscriptum habebat: *al' incolumitatem*.

et iam ante) Divisit Bremius. Praeter C aliae quoque vett. edd., Vict., Lamb., Dav. (hic cum CCC) *et ante*.

Ergo) Significat altero posito alterum statim necessario consecutum esse. Frustra Lambinus *hinc ergo*, alii alia.

secundum naturam vivere) Sic Polemonem dixisse, affirmat

frui primis a natura datis. Callipho ad virtutem nihil adiunxit nisi voluptatem; Diodorus vacuitatem doloris. **His omni-

1. *Calliphon* (L)Or. 2. *Diodorus* om. L *iis* LMR Lacunae notam non habet Or.

IV, 14; Speusippus, Xenocrates, Aristoteles numquam sic locuti sunt; explicatio autem, in qua sunt *prima naturae*, tota Antiochi est; vid. Excurs.

Callipho — Diodorus) Vid. ad § 19. Hi quidem multo etiam magis discrepant ab illis, quae posuerat, primis, in quibus voluptas omnino non erat. A Manutio ad Bremium editum est: *Diodorus nisi vacuitatem doloris*, contra codd. (Gzii, Oxx. ξχψ, sine dubio etiam E; Grut. et Dav. non attenderunt); et debebat tum dici *nihil nisi.*

His omnibus, quos dixi, etc.) Haec verba, ut nunc cetera sunt, inexplicabilem habent difficultatem. Nam primum *consequentes* (id est, consentanei alii rei praecedenti) sic dicitur, tamquam, positis horum philosophorum primis naturae, nunc demum adiungat, iis consequentes esse fines. Atqui iam de finibus dixit. Itaque haec sententia generalem laudem continet; sic *consequens* absolute dicitur pro eo, in quo ipso constantia appareat nec quidquam repugnet, quod barbarum est; neque satis Bremius attendit, illa adhibens exempla, in quibus *consequens est superiori consentiens.* Et haec laus ad eos etiam, qui sequuntur, pertinet, ut mire tamquam horum propria ponatur. Sed gravius illud: dativi, qui subiciuntur, *Aristippo*, *Stoicis* etc. necessario per appositionem sic adhaerent verbis *his omnibus*, ut singulatim ostendatur, qui sint illi omnes et qui consequentes illi fines bonorum; ut tamquam diversi adiungantur, fieri nullo modo potest per sermonis naturam. Et tamen repugnant verba *quos dixi.* Postremo in Peripateticis et Academicis primum Cicero principia naturae nominavit, deinde fines adiunxit, ut, quod erat propositum, cohaerere ea ostenderet. In his, qui sequuntur, nulla omnino significantur prima, sed tantum fines ponuntur, ut ne umbra quidem eius convenientiae appareat, quam Cicero ostendere volebat. Horum omnium incommodorum una est levatio, ut statuamus, ante verba *his omnibus* nonnulla excidisse, quibus Cicero simili forma atque supra (*Polemoni et Aristoteli ea prima visa sunt* etc.) dixerit, quae alii prima posuissent; tum rectissime (quemadmodum ante: *Ergo nata est* etc.) subiciebatur de finibus: *his omnibus, quos dixi, consequentes* (consentanei iis, quae posita sunt prima) *sunt fines bonorum.* Et fortasse etiam Carneadem et Hieronymum nominarat, sed hic exempli causa solos Aristippum et Stoicos ponit. Tantum

bus, quos dixi, consequentes sunt fines bonorum, Aristippo simplex voluptas, Stoicis consentire naturae, quod esse volunt e virtute, id est, honeste vivere, quod ita interpretantur,

1. *quae dixi* C *fines sunt* E 2. *Stoici* [A]E

id nescio, quae alia prima Stoicis atque Peripateticis et Academicis dare potuerit; nam quae his dat, ipsa sunt Stoica; sed ut paulum inflecteret, postulabat tota disputationis forma instituta. Ex editoribus primus Ernestius locum obscurum esse senserat et post eum Rathius, qui ex C et aliis, quae eam sequuntur, veteribus editionibus malebat *quae*, quo tollitur barbaries in voce *consequentes*, cetera incommoda etiam augentur: ipsum illud, *omnibus* primis naturae respondere fines Peripateticorum, Calliphontis, Diodori, ineptum est. Matthiaeus, cum distinctius partem vitiorum videret, mala tamen medicina haec omnia verba tolli volebat, quo facto ea, quae sequuntur, pertinebunt ad illud: *prima visa sunt*, ut audiatur: *primum visum est*. Atqui Stoicis *naturae convenire* summum et extremum est, prima naturae longe alia. Gzius *consequentes* putat esse *conformes* (ipsius est verbum), hoc est, consentientes, satis contra sermonis usum; et discrepant aliquantum Calliphon et Diodorus ab Aristotele. Et, ut exposui, tum etiam Aristippi et Stoicorum fines inter se consentire dicentur, non, ut ille putat, repugnare. Omnino non agitur hic de diversorum philosophorum finibus inter se conferendis, sed de primorum et finium apud eosdem philosophos convenientia. Orellio tamen Gzius satisfecisse videtur; Otto ne admonitione quidem quidquam egere putavit. [Frustra nuperrime G. Schneider in libro, qui inscribitur Zeitschrift für das Gymnasialwesen, 1866, p. 695 sqq. locum sic expedire studuit, ut *consequentes* vellet esse ἐπιγεννηματικούς. Nam neque *consequens finis*, ut esset ἐπιγεννηματικός, dictus est dicive potuit (aliud est, aliquid consequens esse et post oriri) neque ἐπιγεννηματικὰ τέλη quisquam Graecus fando audivit nec, si quid id esset, quae haec esset proprietas finium philosophorum eorum, qui ante nominati sunt, intellegeretur, nec quomodo adiungerentur illa *Aristippo* — *Stoicis*. Omnino nihil manifestius est quam agi de convenientia primorum et finium et eo pertinere *consequentes*.]

id est, honeste vivere) Interpretatur, quod paulo minus usitate dixerat, *e virtute*, id est, *secundum virtutem*, κατ' ἀρετήν (vid. ad V, 26; ἐξ ἀρετῆς ζῆν, quod Gzius ait saepe Stoicos dicere, nemo Stoicus, immo nemo Graecus dixit umquam), et simul duplicem formulam idem significantem coniungit, ut III, 29

vivere cum intellegentia rerum earum, quae natura evenirent, eligentem ea, quae essent secundum naturam, reicientemque contraria. 35. Ita tres sunt fines expertes honestatis, unus Aristippi vel Epicuri, alter Hieronymi, Carneadi tertius, tres, in quibus honestas cum aliqua accessione, Polemonis, Calliphontis, Diodori; una simplex, cuius Zeno auctor, posita in decore tota, id est, in honestate; nam Pyrrho, Aristo,

1. *earum rerum* COr. 2. *eligente — reicienteque* LPMCR [*reficientemque* A¹] 3. *unus* om. L 4. *Carneadis* [A²]LPMCROr. 6. *Calliphonis* C 7. *in* (ante *honestate*) om. PMC [*parirho* A]

inverso ordine: *honeste, id est, cum virtute.* Male Dav. e cod. Parr. 1, 2 (Ox. U) *honestate*; longius progressus Eliensis (uter?): *cum honestate.*

quod ita interpretantur etc.) *ζῆν κατ' ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων, ἐκλεγόμενον μὲν τὰ κατὰ φύσιν, ἀπεκλεγόμενον δὲ τὰ παρὰ φύσιν.* Vid. ad IV, 14. *Eligentem — reicientem* habuit cod. bonorum archetypus (Spir., Mor.), restituit Davis. In vulgarium archetypo aut excidit casu lineola aut corrigendo relatum est ad *intellegentia.* Reditum tamen ad verum in El. 1, Eξψ. Sed notanda *evenirent* et *essent* post *interpretantur* posita, quod Cicero subito cogitationem a suo tempore rettulit ad veteres Stoicos, huius interpretationis auctores, de quo genere dicetur ad III, 67.

35. *Carneadi*) Vid. ad I, 14. [Mox aut post *honestas* aut, ut Baitero visum est, post *accessione* excidisse videtur *est.*]

Calliphontis) Sic Pall. omnes, Oxx., Gziani. Monuit Gruterus. Tamen mendum, quod alibi (V, 21 et Off. III, 119) etiam codd. occupavit, in edd. haesit ad Goerenzium.

una simplex) Loquitur, tamquam praecedat *sententia*, non *finis*; nam in hoc vocabulo neque genus variare poterat neque omnino id hoc significatu umquam feminino genere dictum est. Synesin hanc appellant et optimis scriptoribus usitatam dicunt; nos simplicius neglegentiae excusationem quaerimus.

posita in decore tota) *Decus* saepius pro *honesto* dixit, *τὸ καλὸν* exprimens, ut h. libro 44, 56, Legg. I, 55; alibi *decus honestatis.*

Pyrrho, Aristo, Erillus) Vid. 43. [Postremo nomini nunc aspirationem detraxi cum Baitero, qui et hic in AB semper (43, IV, 36, 40, V, 23, 73) sine aspiratione nomen scribi annotat et Acad. II, 129, Tusc. V, 85, Off. I, 6, apud Diogenem etiam Laërtium incertam aspirationem esse. E meis codd.

Erillus iam diu abiecti. Reliqui sibi constiterunt, ut extrema cum initiis convenirent, ut Aristippo voluptas, Hieronymo doloris vacuitas, Carneadi frui principiis naturalibus esset extremum; XII. Epicurus autem cum in prima commendatione voluptatem dixisset, si eam, quam Aristippus, idem tenere debuit ultimum bonorum, quod ille; sin eam, quam Hieronymus, fecisset idem, ut voluptatem illam [Aristippi] in prima commendatione poneret.

1. *Herillus* (Em LPM)ROr. 5. *sed eam* E *si ea* L [*id est* (pro *idem*) A¹] 7. [*id est* A¹] *illam* om. L 7. *Aristippo* E *illam, non Aristippi*, Or. cum nota mendi ante *voluptatem.*

neque hic neque ceteris locis quidquam ad *Herillus* annotatum; vereor, ut recte.]

Reliqui sibi constiterunt — *Epicurus autem*) Incommodam capitum, quae vocantur, distinctionem sequentes editores praeter Ernestium obscurarant disputationis cohaerentiam, dum haec: *Epicurus autem* etc. usque ad *poneret*, in quibus Epicuri inconstantia cum ceterorum constantia comparatur, cum iis connectunt, quae sequuntur.

Cap. XII. *in prima commendatione*) hoc est, in prima conciliatione naturae, tamquam id, quod primum appeteretur. Vid. exc. de primis naturae. *Dixisset* est *nominasset* (posuisset), ut non opus sit Lambini coniectura, *esse dixisset* scribentis.

fecisset idem, ut voluptatem illam etc.) Hic locus, quem ex parva parte interpretes attigerunt, sic implicatus est ipsius Ciceronis culpa, ante, quam satis perspicue conclusionis partes et ordinem animo concepisset, orationi habenas permittentis, ut recta sententia effici nequeat, sed tantum ostendi, quid voluerit dicere et in quid inciderit. Vult Epicurum dilemmate premere. Incipit ab voluptatis notione tamquam ambigua, quasi demonstraturus, cum Epicurus hanc primam posuisset, prout eam explicasset, aut ad Aristippi aut ad Hieronymi summum bonum pervenire debuisse. Itaque priori e duobus, quae fieri possent, quod hoc est: *si eam* (dixisset), *quam Aristippus, idem tenere debuit ultimum*, respondere alterum huiusmodi debuit: *sin eam, quam Hieronymus, idem, quod hic, ultimum tenere.* Sed cum ad alteram partem pervenisset, animadvertit, sic non effici conclusionem et reprehensionem. Responderi enim poterat: Eam dixi, quam Hieronymus, et ideo idem summum bonum pono. Urgvendus igitur alia forma erat adversarius, dicendumque, si hoc summum bonum tenere voluisset, talem etiam voluptatem (non dolendi) in prima commendatione ponendam

36. Nam quod ait, sensibus ipsis iudicari voluptatem

fuisse; positam esse autem alteram, moventem, quae vere voluptas appellaretur (§ 32). Premenda igitur erat specialis notio voluptatis, non ambigua illa utendum. Sed Cicero protasin retinuit ex ante instituta dilemmatis forma, apodosin ad hanc novam accommodavit. Itaque incidit in inanissimam tautologiam: *si eam* (in prima commendatione voluptatem dixisset), *quam Hieronymus, fecisset* (id est, facere debuit), *ut voluptatem illam in prima commendatione poneret. Fecisset* est ex eo genere coniunctivorum (imperfecti et plusquamperfecti), qui cum condicione, sive ea verbis expressa est sive intellegitur, ponuntur ad significandum non id, quod fieret factumve esset, sed quod fieri debuerit. Attigit rem a grammaticis fere neglectam Zumptius § 529 not. [ego Gr. L. 351 b n. 4]. Exempla (nemo enim adhuc nisi unum et alterum posuit) sunt infra IV, 57 (*detraxisset*), in Verr. I, 107 (*imitatus esses*), II, 57 (*non animadvertisset*) V, 168 (*asservasses hominem*), pro Sest. 45 (*restitisses, repugnasses, — oppetisses*) et 54 (*commoverentur*), pro Sulla 25 (*a Torquato tamen sileretur*), Philipp. II, 86 (*peteres*), Offic. III, 88 (*potius diceret*), Liv. XLV, 37, 4, (*non triumphum impedire debuit, — sed postero die — nomen deferret* etc.), Propert. IV (V), 7, 29 et 30 (*at iussisses*), Terent. Andr. IV, 4, 54 (*praediceres*), Hecyr. II, 1, 33 (*curares*). [Vergil. Aen. IV. 678, VIII, 643, ubi prave enarrant *velles, malles*, Ovid. Epist. Heroid. X, 77, XII, 15, Am. II, 16, 17, III, 10, 42 (*optasset* e Puteaneo).] Iussivus est modus; itaque in negando dicitur *ne*, ut ad Att. II, 1, 3 (*aut ne poposcisses*), in Verr. III, 195 (*ne emisses*). Sed restat id, in quo uno haeserunt editores, cum sic scriberetur: *ut voluptatem illam Aristippi* etc. Apertum est enim, non id postulare Ciceronem, ut Hieronymi sententia cum Aristippi contraria coniungatur, sed ut in Hieronymi perstetur. Itaque e cod. El. 2 (fuitne potius 1?) Davisius et recentiores, excepto Schuetzio, scribunt: *voluptatem illam, non Aristippi*, etc. Mihi multo probabilius visum est, *Aristippi* perversum esse additamentum librarii *illam* infelici conatu definientis. Viderant idem Marsus, Ursinus, Schuetzius. Hoc unum addendum, ne frustra laboretur et plura turbentur, tautologiam illam adeo esse insitam et expressam in verbis: *sin eam* (dixit in prima commendatione), *quam Hieronymus* et: *in prima commendatione poneret*, ut nulla eam reliquorum verborum mutatio attingat.

36. *Nam quod ait*) Novum capit initium, sensuum testimonium, quo Epicurus utebatur (I, 30), reiciens.

bonum esse. [illegible]
nobis leges [illegible]
Nihil enim [illegible]
In quo frustra [illegible]
addere: si quid [illegible]
rum iudicii. nihilo [illegible]

2. [illegible]
teram posteriorem [illegible]
5. *si quod* [illegible]

cum priori [illegible]
sariam Lambinus et [illegible]
separata haec leguntur: [illegible]
apta sunt ullo modo [illegible]
et ea absolvi longe [illegible]
enim, quod proxime [illegible]
nihilo magis [illegible]
lius tolli *non volunt*. id est [illegible]
haec est. exposita iam a Lambino [illegible]
ne de alieni iudicii [illegible]
est: nihil enim opus [illegible]
iudicii non fuit. iudicium [illegible]
tamen irritum erit. [illegible]
runt significari. iudices [illegible]
est *sine causa*; frustra enim [illegible]
Handius Turs. II p. 747 [illegible] a Cicerone [illegible]
vid. Tusc. I. 21. Formulam ipsam [illegible]
eo iudicatum sit. cuius quis iudex [illegible]
monerem. nisi Goerenzii enarrationem [illegible]

quid iudicant sensus?) Ut mei. [illegible] habent. male conflatis sententiis [illegible]. Interrogationem a superioribus diiunxit P. Faber. [illegible] *iudicat*, quod ferri h. l. non potest. non [illegible] Cicero his *sensus*, non *sensum* nominavit. sed quod aperte de singulis sensibus, non de communi corporis vi sentiendi. loquitur exemplaque subicit plurium. Itaque Ernestius [illegible] secutique recentiores. [Et ita B.] Deinde idem aspero [illegible] contrarium esse volebat; et sunt illa contraria ad tactum (vid. N. D. I. 66. Acad. II, 121). [Itaque nunc cum Baitero sic ex A scripsi; antea duo prima exemplorum paria a gustu sumpta putaram. In *movere*, pro quo Ernestius *moveri* mallet. Cicero universam quasi substantivi (*motus*) notionem tenuisse videtur; et dicitur *terra movet*, non solum *voluptas movens* (§ 31).]

Quid iudicant sensus? Dulce, amarum, leve, asperum, prope, longe, stare, movere, quadratum, rotundum. 37. Aequam igitur pronuntiabit sententiam ratio, adhibita primum divinarum humanarumque rerum scientia, quae potest appellari rite sapientia, deinde adiunctis virtutibus, quas ratio rerum omnium dominas, tu voluptatum satellites et ministras esse voluisti; quarum adeo omnium sententia pronuntiabit primum de voluptate, nihil esse ei loci, non modo ut sola ponatur in summi boni sede, quam quaerimus, sed ne illo quidem modo, ut ad honestatem applicetur. De vacuitate doloris eadem sententia erit. 38. Reicietur etiam Carneades, nec

1. *quod* EPMCR *iudicat* omnes *lene* ELPMCROr. 2. *movere stare* E *quam* (pro *aequam*) omnes, Or. 3. *humanarum divinarumque* PMR 5. *rite* transp. ante *potest* E *omnium rerum* R 6. *mirriferas* (pro *ministras*) P 7 *primo* C 11. *est* omnes, Or. *autem* (pro *etiam*) E [*Carniades* A[1]]

37. *Aequam igitur*) Secutus sum veterem emendationem, quam Davisius e cod. Par. 3 protulit quaeque est in ed. Ascens. 1511 et Crat. Nam codicum scriptura (quam sic interpungebant: — *ratio? Adhibita* cett.) summam perversitatem habet, cum Cicero sententiam a duplici ablativo absoluto ordiens subito, nulla causa, nulla orationis inflexione, nullis interpositis, relativum pro demonstrativo ponat. Talia frustra anacoluthi nomine obteguntur. Nam in anacolutho et causa et modus est. Itaque prudentiores editores inde a Lambino *harum* aut scribunt aut probant. Sed ipsa interrogatio non recta est. Quasi enim rationi antea iudicandi munus datum sit, quaeritur tantum, quid iudicatura sit. Atqui sensus a iudicio remoti erant; alius iudex nondum datus. Ab hoc igitur incipere debet oratio: „Veram igitur et aequam sententiam, quae a sensibus expectari nequit, pronuntiabit ratio adhibita sapientia et virtutibus.“ Sic etiam haec ipsa de adhibenda sapientia et virtutibus multo fiunt aptiora, cum simul ratio iudex constituatur. *Adeo* non, ut Gzius putat, cum *omnium* coniungitur, ut sit *vel omnium*, quasi mirandus sit consensus; nec umquam sic dicitur *adeo*; aliam rationem habent, quae Handius I p. 150 congessit, ab ipso fere explicatam. Subicitur *adeo* pronomini, ut alibi demonstrativis, in transitu, cum ad ipsam rem acceditur; cfr. Hand. I p. 143 et 145 sq.

sententia erit) Prorsus necessaria erat Th. Bentleii emendatio, a multis probata aut recepta, quamquam mire *erit* et *est*

ulla de summo bono ratio aut voluptatis non dolendive particeps aut honestatis expers probabitur. Ita relinquet duas, de quibus etiam atque etiam consideret. Aut enim statuet, nihil esse bonum nisi honestum, nihil malum nisi turpe, cetera aut omnino nihil habere momenti aut tantum, ut nec expetenda nec fugienda, sed eligenda modo aut reicienda sint, aut anteponet eam, quam cum honestate ornatissimam, tum etiam ipsis initiis naturae et totius perfectione vitae locupletatam videbit. Quod eo liquidius faciet, si perspexerit, rerum inter eas verborumne sit controversia.

1. *illa* LPMCR *de summa honoratio* E 2. [*honestatis exprobabitur* A[1]] *relinquunt* PMCR 3. *statuit* C 5. *omnino* om L 6. *expetenda nec eligenda modo sed fugienda aut reicienda* L 7. *interponet* L 8. *ipsis* om. E 9. *locupletam* E *locupletem* R

permutantur. Praesenti neque per se locus est, cum, quid ratio iudicatura sit, significetur, neque in hac serie: *pronuntiabit*, *reicietur*, *probabitur*, *relinquet* cett. Klotzius tamen (Quaest. Tull. p. 57) nos docet, in ceteris commemorari, quale sit futurum rationis iudicium, haec universe dici: de vacuitate doloris eandem esse sentiendi condicionem ac legem. Hoc scilicet significat *sententia est*; et in ceteris Cicero sententiam ipsam rationis et iudicium posuit, hic sentiendi condicionem commemoravit. Septem Cicero (35) fines posuerat, qui defendi possent; hos nunc percurrit, primum voluptatem removens sive solam (Aristippi) sive cum virtute coniunctam (Calliphontis); voluptatem sequitur vacuitas doloris sive sola (Hieronymi) sive adiuncta (Diodori); his adicitur Carneadis sententia, generaliterque pronuntiatur (*nec ulla* etc.). Tum ad Stoicos et Polemonem venitur. Et in hac serie Gzius „interiorem disputationis nexum“ turbatum esse putavit!

38. *nec ulla*) Primus ex Pal. 1 restituit Dav., retinuerunt recentiores taciti. Habent etiam [B]Eξ. [B *relinquunt* habere scribitur.]

aut tantum, *ut* etc.) Τὰ προηγμένα et τὰ ἀποπροηγμένα Stoicorum significat, quae ἀξίαν habebant quandam, ut in libro III exponitur.

tum etiam ipsis initiis naturae) primis naturae, quae corporis bona et externa appellabant Peripatetici et Academici. Vid. exc. ad § 33. Huic appellationi a Stoicis traductae adiungit Aristoteliam formulam, βίον τέλειον cum virtute coniungentem, eadem sententia. Vid. ad V, 26. Ipse Cicero, Antiochum sequens, re idem sentire Stoicos et Peripateticos statuebat.

XIII. 39. Huius ego nunc auctoritatem sequens idem faciam. Quantum enim potero, minuam contentiones omnesque sententias simplices eorum, in quibus nulla est virtutis adiunctio, omnino a philosophia semovendas putabo, primum Aristippi Cyrenaicorumque omnium, quos non est veritum in ea voluptate, quae maxima dulcedine sensum

1. *ergo* C 2. *ego* (pro *enim*) C om. P 3. *simpl. sentent.* ELPMCROr. *inest* [A]Or. 4. *omnino adiunctio* E *semovenda* E 5. *primum* — *ponere* citat Gellius XV, 13. [Cfr. Anonym. in Endlich. Anal. Gramm. p 166.] 6. *maxime* C

Cap. XIII, 39. *sententias eorum, in quibus*) Mire et dure, cum *eorum* sic posuisset, ut relativo addito definiendum esset, relativum ad *sententias* rettulit, quasi dixisset *sententias eas*. Et commodius sic scripsisset; nam putidius erat: *in quorum sententiis*. Minus offensionis ea exempla habent, in quibus relativum non refertur ad *illud* universe ad novam rem significandam praemissum, sed ad personam, velut III de Orat. 184: *illud assentior Theophrasto, qui putat*, cet. (ubi Henrichsenius ascripsit II de Or. 313 et de prov. cons. 36: *illae sententiae virorum clarissimorum* —, *quorum*; [addo ad Fam. I, 9, 13, Cat. 85]). Sed paene similis neglegentiae et duritiae est hoc in orat. pro Balbo 32: *Quaedam foedera extant, ut Cenomanorum, Insubrium, Helvetiorum, Iapidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum in foederibus exceptum est* cet.; debebat enim esse: *in quibus*; nomina tamen interiecta obscurant vitium orationis. Illud prorsus nostri loci simile etiam in pronomine *eorum*, quod in eadem oratione legitur 48: *Num quis eorum, qui de foederatis civitatibus esset civitate donatus, in iudicium est vocatus?* Incipit a generis definitione, quae haec est: *eorum, qui* — *erant donati* (non *essent*); transit ad unum aliquem, de quo recte diceretur, omisso *eorum*: *num quis, qui* etc. [Lex antiqua repet., Momms. Inscr. Latt. n. 198 v. 83: *Si quis eorum, qui civis Romanus non erit, ex hac lege* cet. Eandem formam codices habent de Orat. III, 16: *is erit ex iis, qui aut illos non audierit aut iudicare non possit.*] Ex eodem genere relativi non accurate demonstrativo redditi erat, quod in libr. I, 55 notavimus.

nulla est) Sic edd. ante Crat. et cum meis codd. Oxonn. omnes; *inest* a Crat. acceptum omnes praeter Manutium et Lambinum tenuerunt, ceteri taciti, Gzius in quattuor suis esse testans, quod vix credibile est, Spir. ab Erl. [et B], deteriores a meis et Oxx. dissensisse. [A tamen *inest*. Ex eodem nunc positum *sent. simpl.*]

moveret, summum bonum ponere, contemnentes istam vacuitatem doloris. 40. Hi non viderunt, ut ad cursum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, ad intellegendum et *ad* agendum esse natum, quasi mortalem deum, contraque ut tardam aliquam et langvidam pecudem ad pastum et ad procreandi voluptatem hoc divinum animal ortum esse voluerunt, quo

2. *ii* MR 4. *ad* ante *duas* om. E *ad* om. [ante *agendum* AEh,] ante *intell.* C, utrobique LPMR 6. *procreandam* M

quos non est veritum) Rariorem et antiquam formam verbi impersonalis passivi ex eodem genere, quo *puditum est*, *pigitum*, *miseretur*, annotavit Gellius. Veterum poëtarum et Varronis exempla Nonius habet p. 496.

40. *ad cursum*) Eξ, Gud. 1, Bas. *ad currendum*.

ad intellegendum et ad agendum) Ante Ernestium edebatur, Grutero tacente, *intellegendum et agendum*, omissa utraque praepositione, nisi quod pleraeque veteres edd. ante Cratandrum altero loco praepositionem addunt, Davisius e Par. 1 priore. Gzius priore loco praepositionem in paucis modo codicibus legi, posteriore in nullo tradit. [B ut A et Eh *ad intell. et agend.*] Numquam apud Ciceronem (nisi forte hic I, 36, ubi tamen ablativus per se poni poterat) gerundium sic substantivo a praepositione pendenti praepositione non repetita apponitur; [apud Livium id fit XXI, 4, 3, XXII, 8, 5, apud Horatium Ep. II, 1, 19]; nec in hac diligenti distinctione duarum rerum semel praepositio poni potuisse videtur. Gud. 2 *intellegendi et agendi.* Non potest huc advocari genetivus ille in explicando et definiendo usitatus, de quo dixi Epist. ad Orell. p. 79 (pro Planc. 30: *nonnullis rebus*, *generis dico et nominis*). Aristotelis in iis, quae extant, scriptis nullus est locus, ubi his ipsis verbis utatur, etsi res plane convenit cum reliqua Aristotelis doctrina et divisione virtutis, quae partim in scientia sit, partim in agendo. Vid. Ritteri Hist. Philos. vol. III p. 302 sqq., 335 sqq., infra V, 36. (*Ἀναγκαῖον τὸν τέλειον ἄνδρα καὶ θεωρητικὸν εἶναι τῶν ὄντων καὶ ποιητικὸν τῶν δεόντων*, Plut. de plac. philos. I, 1 p. 874 F e sententia Aristotelis et Theophrasti.)

quasi mortalem deum) Vix putem Ciceroni in obvia comparatione obversatam esse, quod Davisius credit, obscuram Heracliti sententiam: *Ἄνθρωποι θεοὶ θνητοὶ θεοὶ τ᾽ ἄνθρωποι ἀθάνατοι.*

hoc divinum) *Hi hoc* Dav. e Par. 1; Urs. cod. *sic hoc*, Ėl. 2 (?)

nihil mihi videtur absurdius. 41. Atque haec contra Aristippum, qui eam voluptatem non modo summam, sed solam etiam ducit, quam omnes unam appellamus voluptatem. Aliter autem vobis placet. Sed ille, ut dixi, vitiose. Nec enim figura corporis nec ratio excellens ingenii humani significat, ad unam hanc rem natum hominem, ut frueretur voluptatibus. Nec vero audiendus Hieronymus, cui summum bonum est idem, quod vos interdum vel potius nimium saepe dicitis, nihil dolere. Non enim, si malum est dolor, carere eo malo satis est ad bene vivendum. Hoc dixerit potius Ennius:

Nimium boni est, cui nihil est mali;

nos beatam vitam non depulsione mali, sed adeptione boni iudicemus, nec eam cessando, sive gaudentem, ut Aristippus,

1. *esse absurdius* E [*Astippum* A] 2. Post *non modo* in C transpositione facta sequuntur, quae leguntur § 45: *multa simul agitantem* usque ad § 50 extr. *sua vi, sua natura*, tum autem pergitur: *summam sed solam* usque ad *celerrimeque* (§ 45); deinde (§ 50 extr.): *sua sit sponte laudabile* et reliqua. 3. *dicit* ECR 4. *nobis* LPMCR *ille* om. E 5. *corporis figura* L nō (pro *ratio*) C 6. *hanc unam* LPMCROr. 8. *vel saepe minimum*, om. *potius*, E 9. *Non enim — nihil est mali* om. P *dolor est* Or. *est* om. LMCR 14. *dicemus* E *gaudendo* C

sic hi hoc. Tum locum haberet *sic hoc*, si in duobus subiectis duo praedicata compararentur, ut paulo ante.

41. *solam etiam ducit*) *Dicit* etiam ξ, et sic Man. et Lamb. ediderunt; *ducit* omnes Pall. et Gzii (cui tamen Erl. excipiendus fuerat). [Etiam B *dicit*.]

ad unam hanc) Sic etiam Spir. [B]. Ceteri nihil annotarunt.

est dolor) Edebatur *dolor est*; secutus sum eos codd., qui verbum habent; nam omittitur in tribus Oxx. et duobus aliis Davisii, in Gud. 1, Bas., dure post *si*, in hac praesertim compositione: *Non enim, si*.

Nimium boni est etc.) Versus est ex Hecuba, respondens his Euripideis (622 et 623 Matth.): *κεῖνος ὀλβιώτατος Ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν*. Ne *cui* duas syllabas faciat. nonnulli transponunt: *mali est*. Nobbius *nimium boni* in fine versus, cetera in initio posuit, Graecum sequens. [Vahlen, Ennianae poes. reliqu. p. 118: *Nimium boni est, cui nil est in diem mali*.]

sive gaudentem — sive non dolentem) E Pal. 1 restituit Grut.; idem Spir. [B]. Generale est *cessando*, cui respondet *agendo*, de eo,

sive non dolentem, ut hic, sed agendo aliquid considerandove quaeramus. 42. Quae possunt eadem contra Carneadeum illud summum bonum dici, quod is non tam, ut probaret,

1. *non dolendo* PMCR 2. *possint* C *Carneadis* C *Carneadum* E

quod efficiat beatam vitam; ea duplicem habet formam, ut aut *gaudeat* aut *non doleat.* Primum pro *dolentem* factum est *dolendo*, retento *gaudentem*, ut in Lambinianis, Pall. reliquis, Ox. U; deinde etiam *gaudendo* (Eξχψ, Gud. 1, 2). Qui haberet *gaudendo* — *non dolentem*, solus vidit Gzius Bas., eodem errore, quo id in ed. Crat. esse putavit.

42. *non tam, ut probaret*) De eadem re Acad. II, 131: *Introducebat etiam Carneades, non quo probaret, sed ut opponeret Stoicis, summum bonum esse frui iis rebus, quas primas natura conciliavisset.* Itaque hic quoque Davisius *ut* pro *quo* poni putat in causa indicanda (*quod ipse id probaret*). Non patitur particulae natura, cum praesertim contraria sint *non tam ut* et *quam ut.* Itaque Gzius vult esse: *non tam ut aliis probaret* (etsi non his verbis utitur, sed uti debuit, si quid efficere vellet). Ne hoc quidem procedit, non solum quod alibi quoque Cicero in hac re ipsius Carneadis veram mentem a sententia disputandi causa proposita distingvit (Acad. II, 139), sed quod aliis probare eam sententiam, id est, in disputando probabiliorem et superiorem efficere Carneades sane volebat; neque enim aliter noceret Stoicis, adversariis suis. Itaque hoc significatu Carneadem Cicero ait (de Orat. II, 161) *nullam umquam in illis suis disputationibus rem defendisse, quam non probarit*; ergo hanc quoque aliis probabat, saltem argumentorum specie, non probabat ipse apud se. Quid dicemus igitur? Cicero, trahente membrorum aequalitate, in priore membro consilii notionem minus proprie substituit causae, hac fere sententia: *non tam ut haberet ipse, quod probaret et in quo acquiesceret.* Quod autem Davisius ad illam significationem particulae *ut* defendendam advocat de Fato 35: *non ut eae res causam afferrent amoris*, ibi *ut* modum significat cum brevitate aliqua orationis (non ita, eo sensu, ut eae res causam afferre putarentur); cfr. Horat. A. P. 257. Ad Attic. etiam XIV, 17, 4 (*Earum exempla tibi misi, non ut deliberarem, reddendaene essent —, sed quod non dubito* cet.) retinenda est consilii significatio (*ut, audita tua sententia, deliberarem*), sed, ut saepe, consilium simul causam rei continet. Pro *opponeret* cum in unam et alteram edit. venisset *opponeretur*, verum in mg. Crat. et e cod. Mor. annotatum est.

protulit, quam ut Stoicis, quibuscum bellum gerebat, opponeret; id autem eiusmodi est, ut additum ad virtutem auctoritatem videatur habiturum et expleturum cumulate vitam beatam, de quo omnis haec quaestio est. Nam qui ad virtutem adiungunt vel voluptatem, quam unam virtus minimi facit, vel vacuitatem doloris, quae, etiamsi malo caret, tamen non est summum bonum, accessione utuntur non ita probabili, nec tamen, cur id tam parce tamque restricte faciant, intellego. Quasi enim emendum eis sit, quod addant ad virtutem, primum vilissimas res addunt, deinde singulas potius, quam omnia, quae prima natura approbavisset, ea cum honestate coniungerent. 43. Quae quod Aristoni et

1. *opponeretur* R *apponerent* E 3. *accumulate* C *cumulante* R 9. *intelligunt cum enim dandum eis* E *addunt* F 10. [*dein* A] 11. *ea cum voluptate coni.* PMR om. Or. 12. *cum* (pro *quod*) omnes, Or.

ea — coniungerent) Expectet aliquis *coniungant.* Sed illa verbi forma id, quod fieri debuerit, in aliud tempus reicit, qua figura orationis Ciceronem etiam IV, 39 usum esse, optimorum codicum consensus declarat. Obversabantur Ciceronis animo, ut etiam IV, 20, sententiae iam pridem constitutae. Atque ex hoc imperfecto pendet tempus et modus verbi *approbavisset*, pro quo aliter necessario scribendum erat *approbavit.* Sic autem, ut edidi (*cum honestate*), scriptum erat etiam in Pal. 3, quinque Oxx. (ψ alia manu *voluptate*), Gzii uno praeter Erl. Reliqui codices (Pall. Gruterus appellat, Gzius Spir.) et editiones: *cum voluptate*, absurde, quoniam de iis agitur, quae ad virtutem addantur. Itaque Marsus, tum Lambinus quattuor verba sustulit, hic ab suo codice longe optimo abesse testans, de quo valde dubito, postremo, a Davisio, Ernestio, Bremio damnata, Gzius. Qui quod *coniungunt* scribendum fuisse putant, graviter errant. Nam qui sic loquitur, is hoc potius quam illud nomen ei, quod fiat, convenire dicit, non hoc fieri, alterum non fieri. Deinde his omissis formae verbi *approbavisset* ratio reddi nequit. [Nunc constat cum Erl. A et B, hoc est, sine dubio Spir., in vera scriptura consentire.]

43. *Quae quod*) Sic necessario scribendum fuit; nam quod in codicibus legitur editumque ab omnibus est, nihil aliud potest significare nisi: *quo tempore* aut: *quotiens visa sunt*, quorum utrumque ineptissimum est. Itaque Ernestius *sint* corrigebat, Otto *quoniam*, uterque incidens in causalem sententiam,

Pyrrhoni omnino visa sunt pro nihilo, ut inter optime valere et gravissime aegrotare nihil prorsus dicerent interesse, recte iam pridem contra eos desitum est disputari. Dum enim in una virtute sic omnia esse voluerunt, ut eam rerum selectione expoliarent nec ei quidquam, aut unde oriretur, darent, aut ubi niteretur, virtutem ipsam, quam amplexabantur, sustulerunt. Erillus autem, ad scientiam omnia re-

1. [*pirroni* A] *omnino* om. L 2. *interesse dicerent* L 3. *desitum est contra eos* E 4. *esse omnia* L *earum rerum* L 5. [*expoliauerunt* A] *electione spoliaverunt* E *ore retunderet* (pro *oriretur darent*) E 7. [*Herillus?* vid. ad § 35 not.]

quasi ideo, quod aliquid illi dixerint, contra hoc ipsum disputari sit desitum. Dici poterat: *quae cum* — *visa essent*, ut ostenderetur occasio disputationis ortae, quae postea desisset. Sed indicativus et tempus verbi ostendebant, scriptum esse a Cicerone *quod*: „Nam quod ad Pyrrhonis et Aristonis sententiam attinet, quibus haec cet.“ Ex *quod* saepius factum est *cum*; vid. Opusc. Acad. I p. 510.

Aristoni et Pyrrhoni) De Aristonis sententia, qua omnia, quae inter honestum et turpe interiecta essent, ἀδιάφορα sic relinquebantur, ut nihil alteri praeponeretur ulla aestimatione, ipsumque summum bonum in ἀδιαφορίᾳ animi nusquam inclinantis ponebatur (III, 11 et 12, IV, 43, V, 73, Off. I, 6, Acad. II, 130), veterum testimonia collegit Ritterus in Hist. Philos. vol. III p. 507. De Pyrrhone, qui, cum omnia addubitasset, virtutis tamen et vitii notionem tueri conatus est et beatam vitam ἀπαθείᾳ quadam animi consequi, idem Ritterus p. 427 sqq. Cicero ubique eum cum Aristone coniungit; hic neglegentius postponit longe posteriori. Quae Tennemanno (Hist. Phil. IV p. 219) inter hunc locum et ea, quae IV, 43 de Aristone dicuntur, discrepantia esse videtur, facile tollitur; nam ne ibi quidem interesse quidquam inter singulas res, si aestimarentur, Aristo putasse dicitur. Gzius suo utitur artificio, ut *omnino* neget coniungi cum verbis *pro nihilo*, sed esse: *si in universum rem spectes*, oblitus, proximo versu dici *nihil prorsus interesse*.

inter optime valere) Notant grammatici insolentiam locutionis in infinitivo praepositioni subiecto et praeter Ovidium (add. Horat. Sat. II, 5, 69) eodem modo etiam Senecam dixisse demonstrant de Benef. V, 10, 2 (*multum* et tum *nihil interest inter dare et accipere*). [Nigid. Fig. apud Gell. XI, 11, 1.] Aliud enim futurum erat *inter aegrotandum*. Mox in Erl. [B] mendo latet *oreretur*, ut saepe in Livii codd. scribitur; sed iidem 69 *oriretur*.

vocans, unum quoddam bonum vidit, sed nec optimum nec quo vita gubernari possit. Itaque hic ipse iam pridem est reiectus; post enim Chrysippum non sane est disputatum.

XIV. Restatis igitur vos; nam cum Academicis incerta luctatio est, qui nihil affirmant et, quasi desperata cognitione certi, id sequi volunt, quodcumque veri simile videatur. 44. Cum Epicuro autem hoc plus est negotii, quod e duplici

3. *reiectus* om., relicto spatio, E [*crisippum* A] 4. [*uncta* A] *iuncta* E 5. *locutio* E 7. *est plus* Or. *ex* C

Erillus) De huius sententia, qua summum sapientis bonum in τῇ ἐπιστήμῃ ponebatur, simul autem alius quidam finis inferior, quo communis vita regeretur (ὑποτελίς), inducebatur nec tamen satis firmiter constitui poterat (cfr. hic IV, 40 cum Diog. VII, 165), vid. Ritterus l. c. p. 508 sqq., qui de nomine τῆς ὑποτελίδος non comparavit Stob. Ecl. Eth. p. 60 et 62; ibi enim alii quoque eo nomine (prave enim bis ὑποτελές scribitur) usi esse dicuntur eoque significasse ea, quae natura animalis primo ortu appeteret. Cum Pyrrhonis et Aristonis explosis pridem sententiis Erilli coniungitur etiam de Off. l. c. nec seiungitur Acad. II, 129, ubi eius nomen restitui.

post enim Chrysippum) Requirent fortasse alii, quod Lambinus: *post Chrysippum enim.* Sed III, 36 est: *praeter enim tres disciplinas*, et Off. II, 27: *post vero Sullae victoriam*, et II de Divin. 59: *ante vero Marsicum bellum*; [N. D. II. 52: *infra autem hanc*, ad Att. IX, 7, 5: *contra mehercule meum iudicium*]. Cornelii Nepotis locum (Eum. 13) addit Ramshornius Gr. Lat. p. 477. [Saepius sic Svetonius; Iul. 46: *post autem pontificatum maximum*, Calig. 51: *ad vero maiora* (?), Domit. 13, Gramm. 16: *post deinde damnationem Galli.* Gellius V, 11, 11.] Quod Gzius et Otto *non sane* leviorem negationem habere putant (nicht sonderlich), quam si *sane non* dicatur, sine causa fingitur; nam de Divin. II, 67 et Parad. prooem. 2 satis simpliciter negatur.

Cap. XIV. *incerta*) *Uncta* (etiam cod. Pithoei apud Gifan., Burmanni Syll. Epist. II p. 307) et *iuncta* [B] e compendio orta. Gzius *incerta* in Erl. et Spir. esse falso affirmat.

44. *plus est*) Ex vett. quibusdam edd. post Manutium *est plus* propagatum est. Gzius narrat „Gud. 1, Bas., editosque veteres permultos cum Marso, Crat.“ habere *plus negotii est.* Marsus et Crat. habent, quod cum Erl. ceteri hominis codices habuerunt.

e duplici genere — coniunctus) Rarius *coniungi* aliquid dicitur, cum componitur et conficitur e partibus, et fortasse Cicero *coniunctus* sic nusquam praeterea posuit, sed posuit *iunctus ex*

genere voluptatis coniunctus est, quodque et ipse et amici eius et multi postea defensores eius sententiae fuerunt, et nescio quomodo is, qui auctoritatem minimam habet, maximam vim, populus cum illis facit. Quos nisi redarguimus, omnis virtus, omne decus, omnis vera laus deserenda est. Ita ceterorum sententiis semotis, relinquitur non mihi cum Torquato, sed virtuti cum voluptate certatio. Quam quidem certationem homo et acutus et diligens, Chrysippus, non contemnit, totumque discrimen summi boni in earum com-

3. [*his* A] [*habent* A²] 4. *cum illis populus* ER *arguimus* LPMCR 6. *relinquitur enim mihi* E 8. *homo* — *putat* Non. p. 282 *homo acutus* C *sed diligens* [A]P [*Crisippus* A] 9. *eam rerum* (pro *earum*) Non. Aldi. *eam rem rerum* codd. antiqui Nonii, *eadem* LPMCROr.

duplici genere de Invent. II, 157 et 158, ad Att. IV, 15, 1: *ut est ex me et ex te iunctus Dionysius M. Pomponius*; add. Acad. I, 40, quem locum in exc. I vindicavi. Sed durius Cicero ad ipsum Epicurum transtulit, quod de summo eius bono proprie diceretur.

populus cum illis) In veteribus quibusdam edd. (Marsi, Crat.) aberratum: *cum illis populis*. Itaque in mg. Crat. et e cod. Mor. annotatur haec et scriptura et ordo verborum.

redarguimus) Recte hoc restituit Gzius, quod in ed. Marsi et Cratandri est, non in antiquissimis; idem omnes suos codd. sic habere dicit, nisi quod Gud. 2 cum Oxx. Eξ *redarguamus*. Non arguendi tantum et accusandi, sed convincendi etiam erant Epicurei.

Chrysippus non contemnit) qui in opere *περὶ τελῶν* cum Stoicae doctrinae confirmatione perpetuam Epicureae refutationem coniunxisse videtur. Cfr. Acad. II, 138 et 140.

in earum comparatione) Edebatur in *eadem comparatione*, aperto mendo, quoniam nihil ante de hac comparatione dictum erat; neque umquam aut apud Ciceronem aut apud alios scriptores *idem* est *hic ipse*, qui nunc demum nominatur. Atque *earum* habet Erl., de quo uno ex melioribus constat, [etiam A et B], tum Oxx. Eξ, Mead. Davisii, qui id probabat, postremo, si Goerenzio credimus, Bas. et Gud. 1; sed idem narrat, in melioribus vulgatum esse, qui cum in Erl. redarguatur non silentio, sed testimonio, merito suspicor eum scribere debuisse, *earum* etiam in Spir. et Gud. 2 esse, alterum in duobus illis pessimis. Apud Noninm *eadem* a Mercerio e Ciceronis libris scriptum est; nam in codice S. Victoris, e quo is Nonium

paratione positum putat. Ego autem existimo, si honestum esse aliquid ostendero, quod sit ipsum sua vi propter seque expetendum, iacere vestra omnia. Itaque eo, quale sit, breviter, ut tempus postulat, constituto, accedam ad omnia tua, Torquate, nisi memoria forte defecerit. 45. Honestum igitur id intellegimus, quod tale est, ut, detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum possit iure lau-

1. *existimo* om. E 2. *aliquid esse* EOr. *esse* om. LPMCR *vi sua* ELPMCROr. *se* (pro *seque*) C *se quoque* L 4. *omnia via* EOr. 5. *forte* om. E *Torquate ubi si* (*si* om. LP) *memoria* (*mea* add. L, *tua* P) *forte defecerit, tuum est ut suggeras* LPMCR 6. *intelligimus tale quod detracta* (om. *est ut*) E 7. *fructibusque* C *laudari iure* L

restituit, aut plane gemelli collatione diligentissima, quae in bibl. universitatis nostrae extat, scribitur: *in eā rem rerum comparatione* [ut in Nonio Rothii]. Guyeto in mentem venerat: *in ea demum*, scite, nisi codicum bonorum scriptura sufficeret. In *comparationis* vocabulo editores imaginem esse volunt a gladiatoribus ad pugnandum comparatis ductam; sed neque substantivum sic alibi dicitur (apud Liv. XXXII, 18, 1 sic accipi nullo modo potest), nec in compositione, sed in ipsa certatione discrimen erat; itaque hoc non aliter dicitur atque *contentio et comparatio* de Off. I, 58 et 152. In Eξ est *compositione*.

esse ostendero) *Esse* aberat ante Gzium, qui addidisse [post *aliquid*] se ait ex omnibus suis, excepto Gud. 2. [Ordinem invertit A.]

ad omnia tua) In Spir. etiam [sed nec in A nec in B] erat *via*, quod Gzius recepit; mendum id est ex ambiguitate ductuum ortum, cum *tu*, *ui*, *ut* difficillime discernerentur. Nam nec abesse *tua* ullo modo potest, cum hactenus Cicero libere disputarit, nunc demum ea, quae a Torquato dicta sint, se refutaturum promittat, nec *via* ést *ordine*, sic ut nihil ómittatur; ne pro eo quidem, quod alibi dicitur: *via quadam et ratione*, *ratione et via* (supra § 3, I, 29, III, 18, Tusc. II, 6), quamquam ea significatio ab h. l. aliena est, umquam simpliciter ponitur; nam quod Gzius advocat II N.D. 57, ibi presse vertitur Graeca definitio, in qua erat *ὁδῷ βαδίζειν*. Apud Terent. in Andr. II, 6, 11 nunc omnes edunt: *recta reputavit via*.

nisi — defecerit) Restituit hunc locum Grut. e Pal. 1, cui consentiunt etiam Spir. et mg. Crat. Morelius e suo annotat: *nisi ubi mem. f. defecerit*. Reliqui (Pall., Oxx., Gzii) eadem addunt, quae nostri deteriores, cum exigua discrepantia.

45. *fructibusve*) A Manutio (nam superiores fere R secuti

dari. Quod quale sit, non tam definitione, qua sum usus, intellegi potest (quamquam aliquantum potest) quam communi omnium iudicio et optimi cuiusque studiis atque factis, qui permulta ob eam unam causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est, etsi nullum consecuturum emolumentum vident. Homines enim, etsi aliis multis, tamen hoc uno plurimum a bestiis differunt, quod rationem habent a natura datam mentemque acrem et vigentem celerrimeque multa simul agitantem et, ut ita dicam, sagacem,

3 *et factis* ER 4. *quod* (pro *qui*) L *causam unam* EOr. *unam* om. C Inter *causam et faciunt* vacuum spatium est in P. *unam causam misericordiam* (*misericordiater* R) *faciunt* MR 6. *multis aliis* LPMCR 7. *uno* om. LC *a bestiis plurimum* LPMCROr. *habeant* omnes, excepto (L) 8. *a natura menti datam et acrem* LMCR *a nat. menti datam que hanc rem* P *a nat. datam mentemque et acrem* Or. *ingentem* PR 9. *simul multa* E

erant) propagatum erat *fructibusque*, quod Grut. tacite, Gzius iterum suorum omnium auctoritate sustulit. Ipsa haec honesti adumbratio simillimis verbis exponitur I Off. § 11 sqq., traducta fortasse tota e Chrysippi libro.

unam causam) *Causam unam* Gzius etiam e Spir. et Bas. Gud. autem 2 *ob eam c. mīam*, Mars. *ob eam causa una*. Oxx. χψ ut MR. Paulo post *aliis multis* Gruterus tacite edidit [ex A], tenuerunt recentiores; antea erat *multis aliis*. Tum *uno* om. e Gzianis (nam Grut. et Dav. tacent) Gud. 1, Bas., ed. Marsi. *Plur. a best.* (edd. *a best. plur.*) Gzius annotat e Bas. et Gud. 1; debuit ex Erl. et Spir. [B].

quod — habent) Necessaria correctio, quam Ernestius coniectura praeceperat, auctores habet parum locupletes, Bas., Gud. 1. Frustra enim Bremius orationem in obliquam formam transire putat; III, 17 ipsum *arbitramur* ostendit Catonis orationem mixtum esse ex sua et ex universae scholae.

datam mentemque acrem) Sic etiam mg. Crat. et, si silentio fides, Ox. E; Grut. et Gzius incuriose sic scribunt, tamquam in Pal. 1 et Spir. ante *acrem* sit *et*, quod retinuerat Victorius, cum primus meliorum scripturam restituit. Pall. 3 et 4. Ox. ξ *mentemque datam et acrem* (ξ om. *et*), χ *mentem datam et acrem*, Pall. 2, 5, 6, Uψ *menti datam et acrem*. Eadem menda habebant Gziani deteriores.

et, ut ita dicam, sagacem) Admonet, in quo fuit qui haereret, legentes primae et propriae vocabuli significationis.

quae et causas rerum et consecutiones videat et similitudines transferat et diiuncta coniungat et cum praesentibus futura copulet omnemque complectatur vitae consequentis statum. Eademque ratio fecit hominem hominum appetentem cumque iis natura et sermone et usu congruentem, ut profectus a caritate domesticorum ac suorum serpat longius et se implicet primum civium, deinde omnium mortalium societate atque, ut ad Archytam scripsit Plato, non sibi se

3. *vitae praesentis* E 4. *hominem fecit* E [Post *hominum* A² in marg. inserendum significat *amicicias*] 5. *his* [A]EPCOr. 6. *a* om. E *currat longius* LPMCR 7. *mortalium omnium* E 8. *ut* om. C

vitae consequentis statum) De Off. l. c. est: *Facile totius vitae cursum videt ad eamque degendam praeparat res necessarias.* Ex Erl. [B] possit aliquis suspicari et *praesentis* et *consequentis* a librariis addita esse, alterum in meliorum codicum principe, alterum in deteriorum. Neque enim in statu *omni* vitae opus est futuri temporis significatione. [Sed *consequens* de futuro librarii non est.]

ratio fecit) A prudentia transitur ad iustitiae notionem constituendam. Dav. ex El. utroque *facit*, ut a Cratandro ad Gruterum editum erat. Potest defendi, quod in codd. (Pall., Oxx., Gzianis) est, ut ad primum effectum ingeneratae rationis referatur, sequaturque praesens de eo, quod ex illa qualitate (*appetens*) nunc in omnibus efficiatur. Nam Gzius quidem rationem universi intellegens et *ut* pro *eo consilio*, *ut* accipiens nugatur. Est enim ea ratio, quam *habent a natura datam.*

serpat longius) Sic etiam Pal. 1 (et 3), Spir., mg. Crat., codd. Mor. et Scal., restituitque Gruterus. Ceteri Pall., Oxx., Gziani *currat*; cod. Vict. *cernat.* Tum *mortalium omnium* etiam Spir. [B] (Gzii nota perturbata est); sed saepissime Cicero altero ordine utitur, hoc numquam. Deinde *societati* Ox. E, Urs. cod., ed. Ven. 1480, Lambinus, contra Ciceronis usum.

ut ad Archytam scripsit Plato) in epistula, quae nunc quoque circumfertur, nona: *Ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι.* Eadem Cicero transtulit I de Off. 22, ubi, si codices sequimur, *τοὺς γεννήσαντας καὶ τοὺς λοιποὺς φίλους* comprehendit uno *amicorum* nomine, ut hic *suorum.* Eandem sententiam Cicero posuit in orat. pro Mur. 83, ubi ex codicum vestigiis et sententia apparet eum scripsisse: *qui mihi non tibi, sed patriae natus esse videris. videre* etc., idque ante me Klotzius vidit.

soli natum meminerit, sed patriae, sed suis, ut perexigua pars ipsi relinquatur. 46. Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini veri videndi, quod facillime apparet, cum vacui curis etiam, quid in caelo fiat, scire avemus, his initiis inducti omnia vera diligimus, id est, fidelia, simplicia, constantia, tum vana, falsa, fallentia odimus, ut fraudem, periurium, malitiam, iniuriam. Eadem ratio habet in se quiddam amplum atque magnificum, ad imperandum magis quam ad parendum accommodatum, omnia humana non tolerabilia solum, sed etiam levia ducens, altum quiddam et excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper invictum. 47. Atque his tribus generibus honestorum notatis, quartum sequitur et in eadem pulchritudine et aptum ex illis

1. *solo* E *meminisse* L 3. *veri inveniendi* LPMCR 4. *curis et quid iam in* E *sit* R *habemus* [A]EPC 7. *malitiam* om. E *eadem enim ratio* E 8. *quoddam* E 10. *alterum quiddam excelsum* LPMCR 11. *nulli* (pro *nemini*) E

sed patriae, sed suis) Rara apud Ciceronem haec particulae *sed* anaphora; itaque Lambinus *et suis*; sed eodem modo III Tusc. 82: *quod non natura exoriatur, sed iudicio, sed opinione, sed quadam invitatione ad dolendum.* Non solum apud poëtas (de quibus vid. lex.), Ovidium maxime, sed etiam apud Tacitum, Senecam, eiusdem aetatis alios, qui vehementem et, ut ita dicam, motoriam orationem sectabantur, frequens est; vid. Wolf. ad Tac. Ann. I, 10, Senec. de Const. Sap. 13, 4, de Benef. I, 1, 6; I, 7 extr. Cfr. Drakenb. ad Liv. III, 11, 2.

46. *veri videndi*) Sic etiam Pal. 1 et Spir., restituitque Gzius; cfr. Tusc. I, 44 (ubi de cod. regio Bouherius erravit) et Off. I, 13. Ceterum notabilis est hic Stoicorum conatus iustitiae notionem, quam fere a societate repetunt, ex amore veritatis eruendi, in quo ab illis initiis progreditur Cicero sive potius Chrysippus, quae prorsus ad ipsam rerum cognitionem et meditationem pertinent. Nihil apud Graecos simile legi. *Initia* autem quae dicit, ipsa sunt illius cupiditatis veri videndi primordia, e quibus sensim ad illam in agendo veritatem deducimur. [Mox *malitiam* om. etiam B.]

altum quiddam et) Sic iam in ed. Marsi et Crat. recte scribitur; *alterum* annotatur ex $\chi\psi$, omissum *et* in Uψ. Fortitudinem describi, manifestum est.

47. *in eadem pulchritudine*) hoc est, non minus pulchrum,

tribus, in quo inest ordo et moderatio. Cuius similitudine perspecta in formarum specie ac dignitate, transitum est ad honestatem dictorum atque factorum. Nam ex his tribus laudibus, quas ante dixi, et temeritatem reformidat et non audet cuiquam aut dicto protervo aut facto nocere, vere-

2. *spem* Em [*spē*, ut et *spem* et *specie* legi possit, Eh] *a* (pro *ac*) omnes 5. *audi* (pro *audet*) E [*nuere* pro *nocere* A[1]]

genere loquendi paulo insolentiore; sed eodem modo dixit Tusc. III, 42: *quae sequuntur, in eadem sententia sunt*, hoc est, eiusdem sententiae, et I, 94: *in eadem brevitate reperiemur*, et I N. D. 31: *quae sunt iisdem in erratis fere.* Minus mirum est, quod in *generis* vocabulo Cicero saepe sic loquitur, ut hic III, 69 (*in eo genere sunt*, hoc est, eius generis), Verr. III, 92, de Divin. I, 89, Topic. 76; nam genere res comprehenduntur singulae; sed hinc illud ortum est durius, quod legitur hic IV, 36: *animus est in quodam genere corporis*, id est, genus quoddam corporis. Ab eadem origine dicitur *esse in vitio*, non solum universe (quod pervagatum est), sed definite, de R. P. I, 44: *quae genera sunt in iis singula vitiis, quae ante dixi.* Nec hinc discedit illud in Tusc. IV, 42: *aegritudines susceptae continuo in magna pestis parte versantur*, id est, magnam partem continent. Bremius praepositionem fortasse delendam esse putabat; audacior Lambinus sustulerat; venia dignus uterque, non Gzius, qui primum, adhibita etiam Graeca interpretatione, verba hoc significare docet: *ad eandem pulchritudinem referendum est*, et pulchritudinem internum animi decorem intellegendum esse, quasi aut illo modo dicatur *in* aut hanc pulchritudinem ante Cicero commemorarit in eaque virtutes tamquam partes posuerit; deinde mirificus nugator omnia plana fieri putat, si *et* — *et* pro *non solum* — *sed etiam* accipiantur. At quaerebatur de *in* praepositione.

Cuius similitudine perspecta) Hoc est: cum aliquid eius simile perspectum esset; vid. ad V, 42. Tum *a dign.* etiam aliorum codd., nisi quod in El. 2 *ac* dicitur esse; emendatum iam in Ven. 1480 (Orellio teste) et apud Marsum, etsi mansit mendum in edd. plerisque ad Davisium. Annotanda deinde singularis orationis brevitas in hac forma: *ex his tribus laudibus* — *et temeritatem reformidat* etc. Videtur Cicero significare voluisse, quid ex singulis illis haec quarta haberet et traheret, ut haec fere sententia sit: Ex his laudibus oritur partim temeritatis reformidatio, partim proterviae, cet.

turque quidquam aut facere aut eloqui, quod parum virile videatur.

XV. 48. Habes undique expletam et perfectam, Torquate, formam honestatis, quae tota quattuor his virtutibus, quae a te quoque commemoratae sunt, continetur. Hanc se tuus Epicurus omnino ignorare dicit quam aut qualem esse velint ii, qui honestate summum bonum metiantur. Si enim ad honestatem omnia referantur neque in ea voluptatem dicant inesse, ait eos voce inani sonare (his enim ipsis verbis utitur) neque intellegere nec videre, sub hanc

1. *aut loqui* COr. *facere eloqui* E 3. *atque* R 4. *his quattuor* ELPMCROr. 6. *si* E 7. *ii* om. [A]LPMCROr. *honestatem* ELPMR 8. [*si ad honest. enim* A] *nec* C 9 *dicant* E *esse* C (*inesse &c* L) *inani voce* LPMCROr. 10. *intelligitur* R *neque* MCROr. *hac voce* omnes, Or.

aut eloqui) Sic etiam Oxx. omnes [B], ut non dubitem, quin idem in reliquis fuerit, etsi neque in ed. ulla praeter R invenio neque ab editore annotatum quoquam. *Eloqui* ad verborum delectum pertinet, *loqui* magis ad omne sermonis argumentum.

Cap. XV, 48. *velint ii, qui*) Est ab Erl. (*hii*) et Spir. (*hi*, [B *hij*]); cfr. V, 93: *cum tantum igitur in virtute ponant ii, qui fatentur se* cet.; eodem modo positum pronomen deteriores libri et editiones excluserant V, 80.

omnia referantur neque — dicant) Durissimus transitus a passiva sententia ad activam in brevissima oratione et verbis particula coniunctis, quem non satis excusant (hoc est, a Cicerone commissum probant) loci a Wopkensio collecti (Lectt. Tull. p. 61), Tusc. II, 37, III, 71 (de IV, 21 dubito), N. D. III, 26, nec ea sententiae infinitae passivae et infinitivi activi coniunctio, de qua ad § 21 dictum est. Non sine causa igitur Th. Bentleio in mentem venit *referant* scribere.

voci inani sonare) Sic etiam Spir. [B]; (de Marso aut Gzius errat aut Hertelius). Recte Davisius comparat Tusc. V, 73: *inanes sonos fundere*; sed propius erat, quod Cicero in ipsa interpretatione Epicuri verborum ex libro περὶ τέλους posuit Tusc. III, 42: *voces inanes fundere*. Hic unam honestatis vocem significat. Quod Davisio in mentem venit, *voces inanes sonare*, totum poëtarum est. De *nec videre* dictum ad I, 30.

sub hanc vocem honestatis) Quod editum hactenus est, *sub hac voce*, vere correxit Wesenbergius meus. Veteres aut

vocem honestatis quae sit subicienda sententia. Ut enim

subicere aliquid rei aut *sub rem* dixerunt, *sub re* non magis dixisse videntur, obstante motus notione, quam *sub oculis cadere*, *sub potestate*, *sub ictu venire*, *sub muris mittere*, similia. Dativum nunc omittimus. Accusativi praepositioni additi ex aliis scriptoribus exempla haec sunto, partim a lexicographis sumpta: Varr. R. R. II, 1, 20 et 2, 11, III, 16, 35, Corn. Nep. Pelop. 3 (*sub pulvinum*, quod Plinio H. N. XXVI, 111 et Senecae de Benef. II, 10, 1 est *pulvino*), Colum. VI, 2, 6, Rhet. ad Herenn. II, 50 (*sub potestatem subicere*; Cic. Off. II, 22: *potestati subicere*), IV, 3 et 12 (*sub hostilem libidinem subicere*, quod in orat. pro domo 106 est *libidini*) et IV, 60. Apud hunc ipsum rhetoricorum scriptorem III, 7 editur: *quae subiciuntur sub vocabulo recti*, sed tres codices apud Oudendorpium habent *vocabulum*; ubi ablativus auctoritatem habeat, unum novi locum, in codicibus Quintiliani VIII, 6, 19: *signandis rebus ac sub oculis subiciendis*; atqui idem Quintilianus et (IX, 1, 27) e Cicerone posuit *sub aspectum paene subiectio*. et ipse paululum declinans dixit (IX, 2, 40): *illa vero (ut ait Cicero) sub oculos subiectio*. Iam Ciceroni ter relictus est sine controversia accusativus, quod eripi nisi aperta vi non poterat, primum Tusc. V, 2: *virtus subiecta sub varios incertosque casus*, ubi, si umquam locus esset ablativo, positus esset; nam cum *subiecta* sit *exposita et obnoxia*, motus significatio obscurari videtur; deinde Acad. II, 74: *quae sub eos (sensus) subiecta sunt* (quod I, 31 et Finn. V, 36 est: *subiectus sensibus*); tum de Invent. I, 98: *res — unum sub aspectum subiciuntur*. Nec a quoquam attentatum est, quod III de Orat. 202 legitur: *sub aspectum paene subiectio*. [Add. de R. P. I, 25.] Ter contra optimos codices partim recentiores et imperiti scribae, partim editores ablativum substituerunt, Tusc. IV, 16, ubi in cod. Par., Gud. 1 et ceteris bonis (addo Pithoeanum perbonum a M. Gudio collatum) est: *Sub metum autem subiecta sunt pigritia*, *pudor* cet., in pessimis *metu*, et ibd. 19, ubi legitur: *quae autem subiecta sunt sub metum*, eodem codicum dissensu, et Topic. 58, ubi tres optimi Orellii codd. (in editione minore) et Erfurtensis habent: *quod sub eam vim subiectum est*, deteriores aut *sub ea vi* aut solum *sub ea*. Iam perspecto in his locis et Ciceronis more et librariorum errore, nemo prudens dubitabit pro Quinct. 49 et pro domo 52 (quarum orationum quales codices et quomodo collati sint, notum est) cum Wesenbergio lineolae adiectione *sub praeconem* facere pro eo, quod editur, *sub praecone*; nec a ceteris locis hunc, a quo digressi sumus, seiunget. Apud Vergilium Georg. II, 19 (*laurus Parva sub*

consvetudo loquitur, id solum dicitur honestum, quod est populari fama gloriosum. Quod, inquit, quamquam voluptatibus quibusdam est saepe iucundius, tamen expetitur propter voluptatem. 49. Videsne, quam sit magna dissensio? Philosophus nobilis, a quo non solum Graecia et Italia, sed etiam omnis barbaria commota est, honestum quid sit, si id non sit in voluptate, negat se intellegere, nisi forte illud, quod multitudinis rumore laudetur. Ego autem hoc etiam turpe esse saepe iudico et, si quando turpe non sit, tum esse non turpe, cum id a multitudine

3. *dam* (pro *quibusdam*) E 5. *philosophus nobis hijs a* E 7. *quod* E *id non est* omnes, Or. 8. *laudatur* (L)CROr. 9. *esse* om. E 10. *tamen esse non* R *tum non esse non* MOr. *tamen non esse non* LPC

ingenti matris se subicit umbra) absolute dicitur *se subicere*, id est, *surgere*, *crescere*, *extollere sese* (ut *subicere aliquem in equum*), *sub umbra* per se adiungitur, ut sit: tecta matris umbra. Recte iam Servius. [Non minus pravum est apud Varr. L.L. X p. 163 Bip. *succedere sub casuum ratione*; recte scribitur IX p. 143: *quae sub mensuram ac pondera potius quam sub numerum succedunt.*]

Ut enim consvetudo loquitur) Ut solet Epicurus, e communi vulgi notione et usu vocis cotidiano argumentum ducit. [De orationis rectae forma retenta vid. ad I, 30.]

49. *si id non sit — laudetur*) Inde a Cratandro, exceptis Manutio et Lambino, edebatur: *si id non est — laudetur.* Gzius tamquam e Spir. et Erl. revocavit, quod in antiquis editionibus (etiam Marsi) fuerat quodque illi tenuerant, *laudatur.* De codd., ut ex Erl. [B] patet, erravit, huc transferens, quod paulo post (ante *a multis*) scriptum erat; illi coniunctivum cum ceteris tuentur. Atque is adeo necessarius est in hac alienae sententiae, a qua Cicero longissime abhorret, per obliquam orationem significatione, ut non dubitarim etiam *sit* pro *est* reponere. Nam quod Gzius magno cum strepitu docet, particulis *nisi forte* indicativum subici solere, ne pueri quidem tolerabiliter instituti ignorant, id ad coniunctivum ob aliam causam obliquae orationis positum nihil pertinere; hic tamen verbum omnino non illis particulis subicitur.

et si quando turpe non sit etc.) Sententia nunc et aperta et recta: Si quando id, quod vulgo laudatur, turpe non est, id tum accidit, cum vulgus id laudat, quod sua natura rectum est (ut turpitudinem removeat non multitudinis vox, sed

laudetur, quod sit ipsum per se rectum atque laudabile; tamen non ob eam causam illud dici esse honestum, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent

1. *quod si sit ipsum* LPMCROr. *perfectum* (pro *per se rectum*) LMCR
2. *non ob eam c. tamen* [A]LPMCROr. *honestum esse* ELPMCROr.
3. *laudatur* E *si* (pro *sed*) L

rei veritas); et tamen tum nomen honesti valebit non propter multitudinis laudem, sed propter illam ipsam naturam. Scripturam autem partim Pal. 1 praestat, e quo et Pal. 4 [Eh, B] annotatum est *tum esse* pro *tum non esse*, partim Erl.; nam pleniora testimonia hominum socordia nobis subtraxit, cum Gruterus unum illud, ceteri nihil annotarint de optimis codicibus. Videat mihi nunc aliquis, quomodo haec in malis codd. et in editionibus lacerata sint: *et. si quando turpe non sit, tamen* (*tum* Gzius ex Erl., Spir., Bas., Mead., χψ) *non esse non turpe, cum id a multitudine laudetur. Quod si sit ipsum per se rectum* (sic cum Erl. Pall. 1 et 3, Spir., mg. Crat., cod. Scal.), ex editoribus primus Manutius; deteriores ceterorum, ut nostri, *perfectum*) *atque laudabile, non ob eam causam tamen illud dici honestum esse* cet. Nihil potest perversius dici, quam Ciceronem aut Stoicos putasse, id, quod turpe non esset (*si quando non sit turpe*), tamen semper turpe esse (nam id est: *non esse non turpe*), cum a multitudine laudaretur. Itaque sic interpretabantur, qui *tamen* retinebant, quasi esset: *non ideo esse non turpe*; atqui hoc *ideo*, in quo caput erat sententiae, qui omitti poterat? deinde cogebantur pro *cum* scribere aut *quod* (Dav.) aut *quia* (Brem.). Gzius autem et Orellius, *tum* legentes, *tum non* videntur ita accepisse, quasi esset *non tum*, (*nicht eben dann, wenn*); etsi Gzius quam sententiam subiceret, non dixit, de librariorum confusionibus disserens, et fortasse nullam subiecit. Et tamen inepta esset sententia; nam si quando, *quod* laudaretur a populo, non turpe esset, esset sane etiam, *cum* laudaretur. Sed cur haec exagitamus veritate inventa? Illud quaeri potest, satisne vincta oratio sit in illo transitu: *tamen non ob eam causam* cet. Mihi non videtur et, geminatis duabus litteris, scribendum iudico: *laudabile; et tamen non* cet. [Atque ob eam ipsam causam ordinem eum verborum, qui est in Erl. et B, magis probo. Sed utercumque ordo tenetur, apparet, orationem subsistere post *laudabile* et a novo initio ordiri nec posse sic continuari: *tum esse non turpe, cum — laudabile, non ob eam causam tamen*, quod fit errore apud Baiterum et in maiore et in minore editione.]

id homines vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile. Itaque idem natura victus, cui obsisti non potest, dicit alio loco id, quod a te etiam paulo ante dictum est, non posse iucunde vivi, nisi etiam honeste. 50. Quid nunc honeste dicit? idemne, quod iucunde? Ergo ita, non posse honeste vivi, nisi honeste vivatur? An, nisi populari fama? Sine ea igitur iucunde negat

1. *pulch. sua tamen* LPMCR 2. *ita idemque* E 3. *quid* E *ante paulo* E 4. *etiam* om. Or. 5 *dicitur* C 6. *ego ita* E *non posse ita* L 7. *negat iucunde* L

sua tamen pulchritudine) Hunc ordinem Crat., Vict., Grut., ut nunc apparet, e bonis codd. sumpserunt. Vett. edd., Bas., ut nostri deteriores; de ceteris tacetur.

Itaque idem etc.) Vid. I, 57 et quae ad I, 42 dicta sunt.

nisi etiam honeste) Omittunt *etiam* pleraeque veteres edd. (Ven. 1480, Crat., Vict.), non antiquissimae, nec codex ullus praeter Ox. E; (Gud. 1 et Bas. *et*, tralaticio errore). Non additur postea, nec addebatur in libro I, nec tamen ulla causa est, cur eiciatur.

50. *dicit*) *Dicitur* una et altera vetus editio (Ven. 1480, Iunt.), tum Ern., Gzius tacite, contra codd. omnes, saltem Oxx.

non posse honeste vivi, nisi honeste vivatur) Recte Cicero negat, honesti notionem in Epicuri disciplina ullam certam et suam vim habere, et tamen in hac sententia habere debere ait, ut aliquid dictum sit. Sed si in Epicuri formula *honeste* intellegitur *iucunde*, hoc in eius loco substituto efficitur: *non potest iucunde vivi nisi iucunde.* Hoc sensit Pearcius, ut hominem ad rem et disputationem attendentem nec hebetem par erat, sed sic scribi etiam volebat, id, quod per se rectum esset, a vera Ciceronis scriptura non seiungens. Gzius omnia optime habere docet. Ego hoc loco et multis aliis, si eligendi necessitas esset, mallem non inscite errare quam, cum nihil intellegerem, superstitione et casu veros apices relinquere.

An, nisi populari fama?) Altera tentatur interpretatio; respondere igitur hoc debebat illi: *idemne quod iucunde?* hac fere forma: *an populari fama?* (*An cum p. fama?* coiciebat Davisius.) Sed deceptus Cicero interiectae sententiae forma (cui cum Bremio interrogandi signum dedi, cum ἀποφαντικῶς scriberetur) sic scripsit, tamquam supra posuisset: *Quid nunc nisi honeste dicit? Idemne quod nisi iucunde?* Est autem *populari fama vivere* ita vivere, ut ad eam agendi consilia dirigas.

negat posse se vivere) In codicum scriptura (*posse vivere*)

posse *se* vivere? Quid turpius quam sapientis vitam ex insipientium sermone pendere? Quid ergo hoc loco intellegit honestum? Certe nihil, nisi quod possit ipsum propter se iure laudari. Nam si propter voluptatem, quae est ista laus, quae possit e macello peti? Non is vir est, ut, cum honestatem eo loco habeat, ut sine ea iucunde neget posse vivi, illud honestum, quod populare sit, sentiat et sine eo neget iucunde vivi posse, aut quidquam aliud honestum intellegat, nisi quod sit rectum ipsumque per se, sua vi, sua sponte, sua natura laudabile.

XVI. 51. Itaque, Torquate, cum diceres, clamare Epicurum, non posse iucunde vivi, nisi honeste et sapienter et iuste viveretur, tu ipse mihi gloriari videbare. Tanta vis inerat in verbis propter earum rerum, quae significabantur his verbis, dignitatem, ut altior fieres, ut interdum insisteres, ut nos intuens quasi testificarere, laudari honestatem et iustitiam aliquando ab Epicuro. Quam te decebat iis verbis uti, quibus si philosophi non uterentur, phi-

1. *posse vivere* omnes. *posse vivi* Or. 2. *pend. serm.* E 5. *petitur* E 8. *iucunde neget* LPMCROr. [*iocunde* A] *posse vivi* MCR 9. *ipsum quod per* PMCR *propter se* L 10. *sua nat., sua sponte* EOr. *sua natura sit sponte* PMCR *s. n. sp. sit* L 13. *tum* E 16. *testificari* E *testificare* [A¹]L 17. [*dicebat* A¹] 18. *his* [A]LMCROr

quemquam audire, quod Bremius volebat, sermonis ratio non minus vetat, quam (de quo olim Op. Acad. I p. 50 ad Iuven. III, 93 scripsi), cum sic interrogetur: *An melior est?* audire *quisquam*. Itaque aut *negat posse* pro *negat posse se* accipi debet aut [quod nunc cum Baitero feci] *se* addi. Et tamen Cicero tam saepe alteram formam (*vivi*) et ante et post servavit, ut credi vix possit, hoc uno loco eum ab ea discessisse. [Cum universe dicitur, etiam Epicurus comprehenditur, et omnino vita plene iucunda in solo sapiente erat.] Itaque probabile est, quod post Lambinum et Th. Bentleium alii ediderant, *posse vivi*. Eodem errore in Tusc. III, 49 aliquot codices habent: *Negat Epicurus iucunde posse vivere*, ubi meliores tenent *vivi* (et adiungitur *nisi cum virtute v i v a t u r*).

ipsumque — sua sponte) Sic etiam Pal. 1 et Spir. (Vict. cod. saltem *sua sponte*); restituit Gruterus; ceteri codd., ut nostri deteriores. Ordinem etiam verborum e Pal. 1 Gruterus sumpsit.

Cap. XVI, 51. *his verbis uti, quibus*) Non recte Orellius

…a omnino non egeremus. Istorum enim verborum …re. quae perraro appellantur ab Epicuro, sapientiae, …tudinis, iustitiae, temperantiae, praestantissimis ingeniis …mines se ad philosophiae studium contulerunt. 52. Ocu…rum, inquit Plato, est in nobis sensus acerrimus, quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentes amores excitaret sui! Cur tandem? an quod ita callida est, ut optime possit architectari voluptates? Cur iustitia laudatur? aut unde est hoc contritum vetustate proverbium: quicum in tenebris? Hoc, dictum in una re, latissime patet, ut

2. *appellantur* om. L 4. *sapientiae stud.* L 5. [*acerrimis* A¹] 7. *sui, si videretur! Cur* LPMCROr. *an — voluptates* Nonius p. 70 (*ita classidas ut*) *quod* (pro *ut*) L (aut *quo*, ambiguo compendio) 9. *an verum* (pro *aut unde*) MCR *an vero* L 10. Post *tenebris* add. *mices* LC *hoc* om L *dicunt* MCR

haec sic distraxit: *his verbis uti! quibus — non egeremus.* Definitur enim verborum genus adiuncta proxime sententia relativa, quae Latino more sic implicatur, ut relativum in protasi periodi sit, (iis verbis, quae ex eo erant genere, ut, si iis etc.), quemadmodum (si exempla ascribenda sunt) I, 26 (*quas qui*) et 60, III, 9 et V, 76. [Gr. Lat. § 445.]

52. *inquit Plato*) in Phaedro p. 250 D: *Ὄψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται· δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν.* Eadem Cicero vertit de Off. I, 15, ubi paulo neglegentius ab honesti verbo et notione orditur, quam ipse tractabat, in sapientiae, quam Plato nominarat, desinit. [Hoc loco condicionem (*si cerneretur*), quae satis intellegitur ex praecedentibus, Ciceronem omisisse, apparet ex ABErl.; itaque nunc, cognito testimonio codd. A et B (nam Grut. et Gzius tacuerant), sustuli, quod deteriores addunt: *si videretur*, pro quo Cicero hic saltem post *non cernimus* posuisset *si cerneretur.*] Verbi *videri* pro eo, quod est *cerni*, positi exempla Otto ad h. l. colligens, illo quoque usus est, quod omnes editiones inquinat de R. P. I, 31: *haec, quae videntur ante oculos, esse magis* (scr. *ante oculos esse, magis*) *putem quaerenda.*

quicum in tenebris) *Mices* addunt etiam ψ et tres Gzii veteresque fere editiones, brevem rei notae significationem explentes. Non erat in mg. Crat. nec in cod. Mor. De ipso digitis micandi lusu et proverbio inde nato ad significandam alicuius fidem expositum est ab enarratoribus librorum de Off.

in omnibus factis re, non teste moveamur. 53. Sunt enim levia et perinfirma, quae dicebantur a te, animi conscientia improbos excruciari, tum etiam poenae timore, qua aut afficiantur aut semper sint in metu ne afficiantur aliquando. Non oportet timidum aut imbecillo animo fingi non bonum illum virum, qui, quidquid fecerit, ipse se cruciet omniaque formidet, sed omnia callide referentem ad utilitatem, acutum, versutum, veteratorem, facile ut excogitet, quomodo

2. *cum animi consc.* MCR *cum consc.* L 3. *tum enim* E [*qua ut* A'] *afficiuntur* LPMCR 4. *sunt* LPMR *sit* C 5. *omnem* (pro *oportet*) E *imbecilli* E 6. *quidquam* E 8. *versatum* E *excogitare* E *quo* (pro *quomodo*) LPMCROr.

ad III, 77. Paulo ante *aut unde* confirmant mg. Crat. et cod. Vict. Nam edebatur tum, ut est in deterioribus (Oxx. χψ, Gzii recentioribus; E *an non*, ξ *an non verum*).

53. *animi conscientia*) Ita, ut Gzius edidit, etiam [A et] Spir. [B] et Bas. et ed. Crat. Sic tamen fere tum loquimur, cum in priore membro nondum simul alterius expectatio praesumitur, quod hic paene fieri debuisse videtur, quoniam poenae timor vel praecipuum momentum faciebat; nec memini, *tum* sic posito, non praecedente *cum*, addi *etiam*. De re vid. I, 50 et 51.

afficiantur — sint) Coniunctivum in reddenda Torquati sententia necessarium confirmant etiam Pal. 1 et Spir. Restituit Ernestius.

fingi non bonum illum virum) Pravissime vulgo distingvunt: *fingi, non bonum illum virum.* Itaque haerebat Lambinus in pronomine *illum*, recte hactenus requirens: *non bonum virum* (fingi oportet). Atqui timidus fingi poterat improbus, vir bonus fingi non poterat. Hoc dicitur: ille, de quo loquimur, vir non bonus (improbus) non debet fingi timidus.

quomodo occulte) *Quo* etiam aliorum aliquot, velut χψ, Gud. uterque, Bas. (et sine dubio plures); correctum iam est in vett. edd., ut in Marsi, Crat. Id arripuit Gzius; ignorans ortum esse ex compendio male intellecto, in quo in his libris saepe peccatum est; vid., praeter huius libri § 60 et 97, var. script. et annott. ad III, 67 (ubi plerique *quod* habent, etiam Oxx. EUξψ), IV, 26, 33, 50, 73. Non quaeritur de instrumento occulte fallendi, sed de modo et ratione. Gzius suo more comparat nescio quem locum ex epistulis ad Atticum (nam in numero erratum est), ubi legatur: *excogita, quo rectius ista curentur.* Nam quod quidam *quo* pro *quomodo* dici putant, contra omnem analogiam et usum nituntur duo-

occulte, sine teste, sine ullo conscio fallat. 54. An tu me de L. Tubulo putas dicere? qui, cum praetor quaestionem inter sicarios exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob rem

2. [*Lucio Tubulo* A] *Lucullo* C *B. Tubulo* R *inter sicar. quaest.* I.

bus Ovidii locis (A. A. I, 285 et 745), quorum utroque scribendum est *qua.*

54. *de L. Tubulo*) De hoc homine sceleratissimo, qui praetor a. 142 a. Ch. fuit, quae apud Ciceronem traduntur, collecta sunt in indice Orelliano (v. *L. Hostilius*). Idem IV, 77 et V, 62 nominatur. P. Scaevola pater est, qui postea pontifex maximus fuit. Ordinariam de sicariis quaestionem iam tum fuisse et suum praetorem habuisse, aliunde non constat. Quod tribunus fert ad plebem, ut extra ordinem quaeratur, eaque quaeri iubet senatuique permittit, ut is ei quaestioni praeficiat, quem velit, ea illius aetatis legitima consvetudo fuit in iis rebus, quarum aut ordinarium iudicium nullum erat aut id parum sufficere putabatur, nisi quod etiam a consule senatus auctoritate ferri ad populum eiusmodi lex poterat. Vid. Liv. IV, 50 et 51, XXXVIII, 54, XLII, 21. Atque eodem modo rem actam esse, quotiens Livius tantum quaestionem a senatu decretam alicui narrat, populum plebemve extra ordinem quaeri iussisse non addit, ostenderem contra Dukerum (ad Liv. XXXIX, 14, 6) et Dirksenium (Civilist. Abhandl. I, n. 2), si eiusmodi disputationi hic locus esset. Quod autem extra ordinem quaesitum est, cum sub repetundarum quaestionem, quae iam tum erat, hoc genus captae pecuniae cadat, Klenzius (Prolegg. ad leg. Servil. p. XIII) eam putat causam esse, quod iniuria facta fuerit civibus, repetundarum autem accusatio tantum in eos institui potuerit, qui socios vexassent. In quo paulo plus, quam debuit, vir consultissimus e locis quibusdam Ciceronis efficere videtur. Et poterant aliae esse causae, cur prima lex de repetundis parum apta esset ad tam foeda scelera in ipsa urbe commissa persequenda.

cum praetor — exercuisset, — cepit) immo, *cum exerceret*, ut recte animadvertit Ernestius, in tempore haerens, non in modo verbi; qui poterat enim? Sed Cicero neglegentia quadam, cum cogitaret de proximo anno et Scaevolae lege (quasi hoc diceretur: *cum exercuisset et — cepisset, legem Scaevola tulit*), plusquamperfectum posuit. Similis ratio est in Cat. 41: *Haec cum C. Pontio — locutum Archytam, Nearchus Tarentinus se a maioribus natu accepisse dicebat, cum quidem ei sermoni interfuisset Plato.* Rectum erat: *interesset*, sed ad *dice-*

iudicandam, ut anno proximo P. Scaevola tribunus plebis ferret ad plebem, vellentne de ea re quaeri. Quo plebiscito decreta a senatu est consuli quaestio Cn. Caepioni; profectus in exilium Tubulus statim nec respondere ausus; erat enim res aperta.

XVII. Non igitur de improbo, sed *de* callido improbo

1. [*tr. pl.* A] 2. *velletne* L *quae* E 3. *consuli est* L *Scipioni* omnes excepto [A](P) 4. *ne* C *ausus est* R 5. *apta* LC 6 *de* post *sed* om. omnes *callide* LCOr.

bat rettulit. [Eodem modo Act. I in Verr. 23 dicitur *cum ipse praeturam petisset* pro *peteret.* Similiter Livius scripsit XXXVIII, 58, 9: *ut, quo die — L. Scipio Antiochum devicisset, aeger L. Scipio abesset*, et XLII, 33, 3: *ne inferiores iis ordines, quam quos, cum militassent, habuissent, attribuerentur.* Propius paene ad hunc Ciceronis locum accedit, quod XXXII, 26, 2 scribitur: *cum duos exercitus in provincia habuisset, — totum prope annum — consumpsit.*]

quo plebiscito) quod de hac re effectum erat accepta Scaevolae rogatione; vid. ad § 66. Quod Gzius dirimit (*quo plebi scito*) et enarrat *a plebe*, nemo sic locutus est.

Cn. Caepioni) Certam per se Manutii emendationem confirmarunt Pal. 1 et Morelii Scaligerique codices; idem Pal. 1 verum nomen tenet III, 8 priore loco; nam altero habet etiam Erl.

nec respondere ausus) Blanditur additum in R *est*; nam plebiscito effectum est, ut quaestio decerneretur; tum quid secutum sit, per se narratur, ut minus commode *est* superius ad haec pertineat; omittere autem *est* in narrando Cicero non solet. De *est* post syllabam *us* omisso vid. Opusc. Acad. I p. 448. [*Tubulus est statim* Baiterus in ed. min.]

Cap. XVII. *sed de callido improbo*) *De* praepositionem addidit Dav. ex Parr. 1, 2, habebantque Oxx. EUξ, sed quod Gzius in omnibus suis adesse dicit, redarguitur in Erl. [nec AB habent]. Verum facile excidere potuit et necessaria est. Deinde *callide* fere editum est ante Gruterum; is ex omnibus Pall. *callido*; *callide* revocavit Davisius, utens testimonio veteris editionis et „aliorum plurium“, nec Oxx. *callido* annotarunt nisi ex ξ. Gzius *callide* in tribus potioribus esse dicens rursus fallitur de Erl. et (ut ex Pal. 1 apparet) de ceteris [B]. Tenui, quod in melioribus est, quod in hac coniunctione *improbus* pro substantivo alterum adiectivum asciscere potuisse videtur, etsi paulo aliter dicitur *no-*

quaerimus, qualis Q. Pompeius in foedere Numantino infitiando fuit, nec vero omnia timente, sed primum qui animi conscientiam non curet, quam scilicet comprimere nihil est negotii. Is enim, qui occultus et tectus dicitur, tantum abest, ut se indicet, perficiet etiam, ut dolere alterius improbe facto videatur; quid est enim aliud esse versutum? 55. Memini me adesse P. Sextilio Rufo, cum is rem ad

1. [*fodere* A] 2. *timentem* omnes. 5. *abest* om. P *et* (pro *etiam*) E 6. [*improbo* A] *enim est* MCR 7. *adesse me* L [*fuso* A] *ad am. rem.* (P)COr.

bilis indoctus, dives avarus, insipiens fortunatus et similia, quod hoc loco ea significatur qualitas, quae ad ipsam formam improbitatis exercendae pertinet.

Q. Pompeius) Post consulatum (a. 141 a. Chr.) in Hispania bellum contra Numantinos gerens pacem et foedus facere coactus, cum successor ei venisset, negavit pacem factam esse, posteaque, cum lex de eo Numantinis dedendo ferretur, precibus periculum effugit; vid. Freinshem. Supplem. Liv. LIV, 28, 29, 34, Beierus ad Cic. Off. III, 109 p. 391, qui tamen deceptus verbis *in eadem causa* (vid. ad libr. I, 49) non recte putat, Pompeium simul cum C. Mancino, quod eius foederis sponsor fuisset, in deditionis periculum adductum esse. Add. de R. P. III, 28. Ceterum, ut res ab Appiano narratur, non tam calliditas in infitiando foedere apparet quam impudentia.

timente) Lambinus correxit; nam codd. etiam aliorum *timentem*. [Quod adverbio *primum* in partitione respondere debebat, ambagibus obscuratum emergit aliquatenus § 57: *deprehensus omnem poenam contemnet. Erit enim* cet.] Mox *improbo facto* [A et] mg. Crat. et El. 2, pro quo alterum a librario substitutum esse minime probabile est.

55. *rem ad amicos ita deferret*) Sic etiam Spir. et Gud. 2 et ed. Marsi; ceteri tacent; sed patet e nostris LMR, eum codicem, e quo deteriores ducti sunt, non discrepuisse a meliorum capite, ut haec tollatur causa vocis *rem* in suspicionem vocandae, quam Gzius delevit. Restat altera, quod alibi hae voces *res defertur* non, ut hic, pro una deferendi notione poni videntur, sed ita, ut *rei* nomen referatur ad id, quod antea commemoratum et significatum sit (*die Sache*), velut III Off. 112: *rem ad populum detulit* (quae ante narrata est) et permultis locis. Unus tamen locus hunc tuetur, in Verrem I, 64: *Is ad eum rem istam defert, Philodamum esse*

amicos ita deferret, se esse heredem Q. Fadio Gallo, cuius in testamento scriptum esset, se ab eo rogatum, ut omnis hereditas ad filiam perveniret. Id Sextilius factum negabat; poterat autem impune; quis enim redargueret? Nemo nostrum credebat, eratque veri similius, hunc mentiri, cuius interesset, quam illum, qui id se rogasse scripsisset, quod debuisset rogare. Addebat etiam, se in legem Voconiam

1. *Fabio* [A]EMCR (sed infra AE *Fadiae, Fadius*) 3. *filium* P *factum Sext.* E 4. [*redarguet* A[1]] 5. *enim* (pro *nostrum*) C *negabat* PMCR *hanc* E 6. *id* om. E 7. *rogasse* R

quendam cet., ubi *rem istam defert* simili modo atque hic *rem ita* dici videtur; quamquam addito pronomine *res* apertius refertur ad id, quod subicitur.

Q. Fadio) „Mss. nostri hic omnes servant *Fabio*, sed infra tamen plerique filiam vocant *Fadiam*.“ Grut. Oxx. hic *Fabio*, infra Uχψ *filiae*, Eξ *filio*; mg. Crat. et Gzii omnes *Fadiae*, nisi quod Gud. 2 *Fatidiae*. Fadius, quod lege Voconia vetabatur mulierem, etiam filiam et unicam, testamento heredem instituere, usus erat ea arte, quae tum praeter alias ad evitandam legem eam inventa erat, ut fiduciarium heredem institueret, qui filiae bona redderet, idque eum a se rogatum, scriptum reliquerat. Cogi Sextilius non poterat. Quae fuerit causa, cur Fadius hereditatem sine testamento ad filiam pervenire nollet aut id efficere non posset, quod nec hac lege nec aliis universe vetabatur, e Ciceronis narratione non apparet nec ad eam intellegendam quaeri opus est. Et magna in hac parte legis Voconiae, cum eius argumentum cum legitimarum hereditatum iure comparatur, obscuritas est etiam post Savinii et Hassii disputationes. (Vid. Rein. Röm. Privatrecht p. 367 sqq. quosque appellat Walter, Gesch. d. röm. Rechts § 639.)

credebat) Sic (praeter Pal. 1 et Erl.) Spir., mg. Crat., codd. Mor. et Scal., El. 2, Eξ. Restituit Davisius.

Addebat, se in legem Voconiam iuratum) Quando ea iuris iurandi religione Sextilius astrictus sit, cuius calumnia tum usus est, interpretes non quaerunt. Equidem nihil reperio, nisi Sextilium magistratum gessisse dicamus et tum communi more in leges iurasse; eo iure iurando etiam Voconiam ceterasque singulas comprehensas esse. Nam singularis eiusmodi sanctio, qualem Appuleius agrariae legi adiecit (Appian. Civ. I, 29, Plut. Mar. 29), C. Caesar suae de agro Campano (vid. Dio Cass. XXXVIII, 7, Plut. Cat. Min. 32, App. Civ. II, 12, Cic. ad Att. II, 18, 2), et cuius exemplum est in frag-

iuratum contra eam facere non audere, nisi aliter amicis videretur. Aderamus nos quidem adulescentes, sed multi amplissimi viri, quorum nemo censuit plus Fadiae dandum, quam posset ad eam lege Voconia pervenire. Tenuit permagnam Sextilius hereditatem, unde, si secutus esset eorum sententiam, qui honesta et recta emolumentis omnibus et

2. *sed et multi* LR *sed etiam m.* PMCOr. 3. *plus ea die* L *plus filiae* MCR

mento legis apud Hauboldum Monum. Legal. p. 74 [Momms. Corp. Inscr. Lat. n. 197 p. 45], etiamsi legi Voconiae addita fuisset, cuius rei in lege factionum certaminibus non agitata causa nulla erat, tamen vix ad posteritatem ea ita propagata esset, ut a communi iure iurando seiungeretur.

sed multi) Edebatur *sed etiam* (*et* a Manutio ad Gzium, qui *etiam* revocavit ex tribus suis, Oxx. Eξχ). Melius omittitur post *nos quidem.*

plus, quam posset ad eam lege Voconia pervenire) Perizonius (de lege Voconia) et post eum alii hoc intellexerunt de certa quadam summa, quam lege Voconia licuerit feminae relinquere. Recentiores, maximeque Savinius (in scriptis Academiae Berol. a. 1821 p. 229), recte disputant, omnino sublatas feminarum hereditates ex eorum testamentis, qui lege ea tenerentur. Et sane, etiamsi lege Fadio licuisset filiam ex aliqua parte heredem testamento relinquere, id hoc testamento non fecerat, quo heredem unum Sextilium scripserat, rogatum, ut ad filiam omnia pervenirent. Sextilius igitur ex testamento aut omnia tradere debebat aut nihil dare. Itaque Savinius verba Ciceronis sic intellegit, ut putet legem Voconiam universe servari iuberi cum eiusmodi quadam verborum moderatione, ut quasi incertum relinquatur, possitne aliquid ad Fadiam pervenire, etsi certum fuerit, nihil pervenire posse. Nescio tamen, an id Cicero his verbis significare non potuerit; et occurrit praeterea aliud. Praeterita enim erat Fadia illo testamento, quod in filia praetorio iure non licebat. Itaque Fadia in dimidium Sextilio accrescere videtur debuisse, nisi quid impedimenti nobis ignoti fuerit. Ea pars hactenus dici poterat lege Voconia ad eam pervenire, quod, cum testamentum legis et iuris iurandi religione Sextilius tueretur, tamen, lege non prohibente, filiae debebatur. Huiusmodi aliquid significasse mihi Cicero videtur; sed timide haec attingo, qui iuris nodos et aenigmata non norim. [Nunc potius puto Fadium, etsi Sextilium rogasset, ut omnia ad filiam perve-

commodis anteponerent, nummum nullum attigisset. Num igitur eum postea censes anxio animo aut sollicito fuisse? Nihil minus, contraque illa hereditate dives ob eamque rem laetus. Magni enim aestimabat pecuniam non modo non contra leges, sed etiam legibus partam; quae quidem vel cum periculo est quaerenda vobis; est enim effectrix multarum et magnarum voluptatum. 56. Ut igitur illis, qui, recta et honesta quae sunt, ea statuunt per se expetenda, adeunda sunt saepe pericula decoris honestatisque causa, sic vestris, qui omnia voluptate metiuntur, pericula adeunda sunt, ut adipiscantur magnas voluptates. Si magna res, magna hereditas agetur, cum pecunia voluptates pa-

1. *ne nummum quidem unum attig.* LPMCROr. 2. *eum* om. LMCR 3. *ob eam rem* E 4. *existimabat* L 5. *non modo contra* LPMR *paratam* L 8. *quae* (pro *qui*) E *eaque statuunt* R 9. [*sunt ceu* (correctum, ut videtur, ex *seu*) *pericula* A] *sunt quaevis per.* LPMCROr. 12. [*periantur* A[1]]

nirent, tamen aperte, ne filiam praeterisse videretur, ei legasse, quantum lege Voconia liceret, quae vetabat, ne plus omnino legaretur, quam heres caperet; eo legato amicos stari iussisse.]

nummum nullum) Sic praeter Erl. [AB,] mg. Crat. et cod. Vict., id est, optimi, et sic loquitur Cicero; in Verr. II, 60: *Debebat Epicrates nummum nemini*; pro Font. 1: *Nummus in Gallia nullus sine civium Romanorum tabulis commovetur*; pro Flacco 47: *Neminem adeo infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet.* Edebatur: *ne nummum quidem unum*, nec quidquam annotatum ante Gzium est; debebat saltem dici *ne unum quidem nummum.* Quod Orellius in formulis et inscriptionibus saepe *nummum unum* pro minima summa dici scribit, fallitur; dicitur *nummo* aut *nummo sestertio addici* et similia. Gzius in Spir. ait esse *ne nummum ullum*, in Bas. *ne numerum ullum*, in Gud. 1 *ne minimum quidem unum.* Mox pronomen *eum* omittunt etiam alii deteriores, Uχ, Gud. 2, ed. Marsi (errat Gzius).

56. *saepe*) [*Ceu* (*seu*) in Pal. 1 Gruterus ait esse „subductum lineola tamquam superfluum". Cum *quaevis* nullam haberet nisi deteriorum auctoritatem, posui nunc, quod in Erl. et B repertum reprehendi nequit.]

Si magna res etc.) Haec sic distingvebantur et scribebantur: *ut adipiscantur magnas voluptates*: *si magna res*, *magna hereditas agetur*, *cum pecunia voluptates pariantur plurimae*: *idemque erit Epicuro faciendum* cet., in qua sententiarum distinc-

riantur plurimae, idem erit Epicuro vestro faciendum, si suum finem bonorum sequi volet, quod Scipioni, magna gloria proposita, si Hannibalem in Africam retraxisset. Itaque quantum adiit periculum! Ad honestatem enim illum omnem conatum suum referebat, non ad voluptatem. Sic vester sapiens, magno aliquo emolumento commotus, † cum causa, si opus erit, dimicabit. 57. Occultum facinus

1. *idemque* omnes, Or. *nescio* (pro *vestro*) E *viro* C 5. *ille* MCROr. 6. *vir* (pro *vester*) C *commotus animi causa* EPCOr., hic cum nota mendi 7. *opus fuerit* LPMCROr.

tione primum comparationis concinnitas, in qua illis: *decoris honestatisque causa* respondent haec: *ut adipiscantur magnas voluptates*, plane evertitur, adiuncta hac appendicula *si magna* cet. Deinde haec ipsa plane orationis et sententiae progressum turbat; cum enim recte universe dictum esset, voluptatum causa pericula adeunda esse, haec adiungitur condicio, si pecunia agatur, quasi alioquin voluptas petenda non sit, et causa affertur, quod pecunia voluptates pariantur, quasi ante praeceptum sit, pecuniam cum periculo quaerendam esse. Tum in altera sententia apertissime imperfecta est comparatio Scipionis et Epicuri; quod enim Scipioni magna proposita gloria faciendum erat, idem Epicuro faciendum esse dici debet non universe, sed proposita magna aliqua voluptate aut utilitate. Haec vitia sic tolluntur ea sententiarum coniunctione, quam iam Manutius et Lambinus taciti secuti erant, omniaque sic recta fiunt, ut dubitari nequeat. Ceterum antiquus est error, quoniam *idemque*, quod ex eo natum est, iam in nostrorum codicum principe fuit. Unus Bas., casu an emendatione, *idem*; nam de EU silentio confidi non potest.

Itaque quantum etc.) Iam explicat Cicero, quid alter fecerit gloriae causa (hac sententia: itaque, cum illa esset ei gloria proposita, cet.), quid alteri voluptatis causa faciendum sit. Exposui haec, quia animadverti dubitatum esse. El. 1 *periculorum*, quod Davisius et Bremius probabant, ed. Vict. *periculi*. Cicero omnia uno periculo comprehendit.

illum omnem conatum) Sic Pall. omnes, Gziani, excepto Gud. 1; recepit Gruterus; Dav. e vett. edd. et codd. suis quinque revocavit *ille*. Non Scipionem aliis contrarium Cicero ponit, sed ostendit, consentaneum ei fuisse tantum periculum adire.

cum causa) Sic, ut multi ediderunt, Pall. omnes, Davisiani, Oxx., idemque in suis Gzius esse tradit (Gud. 2 *cum tam*) praeter Bas. et Gud. 1. Sed cum ipsa causa indi-

esse potuerit; gaudebit; deprehensus omnem poenam contemnet. Erit enim instructus ad mortem contemnendam, ad exilium, ad ipsum etiam dolorem. Quem quidem vos, cum improbis poenam proponitis, impetibilem facitis, cum sapientem semper boni plus habere vultis, tolerabilem.

1. *contemnit* L 3. *quam* E 4 *impatibilem* LMCROr.

cata sit (*magno aliquo emolumento commotus*), universe dicere, *cum causa*, hoc est, non sine causa (II de Orat. 247, in Verr. I, 21) dimicaturum sapientem Epicureum, perversum est; nec, cum causa an sine causa, sed quid omnino paratus sit facere, quaeritur. Nam Otto, qui *cum causa dimicare* putat esse: mit einem gerichtlichen Verfahren hadern (quod quid sit, non magis intellegitur; itaque enarrat: *in iudicio*), refutatione indignus est, qui neque, quid *cum causa*, neque, quid *dimicare* sit, norit. Ex compendio vocis *cum* (vid. ad 53, cfr. Leid. V, 35) natum videtur *animi*, quod post alios Gzius edidit, confirmatum a mg. Crat. et cod. Vict., Bas. et Gud. 1 (nunc etiam in Erl. silentio collatoris [sed dissentiente B]), defensum a Matthiaeo, qui putat esse *voluptatis causa*. Atqui *animi causa*, quod pridem Dav. docuit, is aliquid facere dicitur, qui nulla necessitate, temporis fallendi et quasi lusus causa aliquid facit (einer Laune wegen, zum Zeitvertreib), quod ab eo, qui magno emolumento commotus pericula adit voluptatem petens, remotissimum est. Tum verba *si opus erit* declarant, quod Otto sensit, dictum aliquid esse, quod ad magnitudinem dimicationis pertineret; ad nudum illud *dimicabit* referri non possunt, quod ipsum nimis infinite ponitur, non significato certaminis genere. Accedunt proxima, quae non dimicationem aliquam omnino nominatam ostendunt, sed in qua facinus sit et poenae timor. Itaque ne illud quidem rectum erit, si quis post *cum* immanis bestiae nomen positum putarit. Mihi Cicero scripsisse videtur: *cum amico* [*cum amica?*], *si opus erit, dimicabit*; et puto post *cum* obscurari potuisse similitudine ductuum priores vocis litteras et ex reliquis effici compendium vocis *causa* (*cā*). Vellem tamen propius ad codices coniectura accederet. Mox *potuerit* futurum exactum est, ne quis cum Th. Bentleio *poterit* requirat, coniunctivum damnans. [*Si opus erit* ABErl.]

57. *impetibilem*) *Patibilem* dolorem Cicero dixit Tusc. IV, 51; alio modo naturam patibilem N. D. III, 29, quae pati possit. Vocalis mutatio etsi non fit in *impatiens*, tamen et

XVIII. Sed finge non solum callidum eum, qui aliquid improbe faciat, verum etiam praepotentem, ut M. Crassus fuit, qui tamen solebat uti suo bono, ut hodie est noster Pompeius, cui recte facienti gratia est habenda; esse enim quam vellet iniquus poterat impune. Quam

1. *improbe aliquid* MR 4. *vester* E 5. *quam vellet iniquus iustus* [A]P *quamvis vellet iustus iniquus* LMR *quamvis vellet iniquus iniustus* C

reliqua analogia et codd. (tribus Gzii) et aliorum scriptorum usu defenditur. Mox *improbe aliquid* etiam Gud. uterque, Bas., ed. Crat. et aliae quaedam.

Cap. XVIII. *uti suo bono*) Potentiam significari putant, quae primum mire *bonum* appellatur in hac disputatione et *suum*, tamquam proprium; deinde omnia turbat particula *tamen*; nam hoc ipso aptius fit Crassi exemplum, si etiam usus potentia dicitur. Itaque Gzius, mirus significationum artifex, *tamen* vult esse *quidem* (cfr. ad § 31); Otto autem scripsit: *qui tam solebat.* Sed nihil artificiis opus; Crassum Cicero, etsi esset praepotens, tamen non potentia, sed suo bono, id est, quod eius proprium esset et quod is, ceteris omissis, sequeretur, pecunia, uti solitum dicit ad ea, quae vellet, efficienda. Sic recte *bonum* et acerbe, tamquam ex Crassi sententia, dicitur.

esse enim quam vellet iniquus) Sic primus Orellius edidit. *Quam vellet* omnes boni codd., Pal. 1, Spir. [B], Gifanii (in Burmanni Syll. Epist. II p. 308), El. (sine dubio 2), Gud. 2; deteriores (Davisiani, Oxx.) *quamvis*, in quo pueriliter errat Gzius, pro eo, quod est: *possum esse quamvis* aut *quam volo iniustus* (tirones exempla reperient apud Ramshorn. p. 885 ed. 2 et in lexicis), Latine dici putans: *quamvis velim esse iniustus, possum*, et librarios increpans, qui id ignorarint. Tum *iniquus* praeter Erl. etiam Spir. [B] et cod. Gifanii. Sed Pal. 1 *iniquus iustus*, itemque El. 2, cod. I. Fr. Gronovii (qui mire defendebat Observ. III, 10) et Guelferb. Bremii (Gud. 2); Scaliger ascriptum habebat libro suo: *Est enim, quam vellet, iniquus: iustus poterat impune*; ex ceteris nihil annotatur ad vulgarem scripturam: *iustus*, *iniquus*, nisi quod Bas. *iniustus vellet iniquus*, Ox. χ *iniquus iniustus.* Emendator non satis scitus, cum incidisset in eam scripturam, quae est in Pal. 1, transponendo et corrigendo formam aliquam periodi effecit: *esse enim quamvis vellet iustus*, *iniquus poterat impune*, cui, grammaticam non nimis curans, hanc subiciebat sententiam: quamquam enim mavult esse iustus, poterat tamen cet. Sed hic Pal. 1 cum vestigiis deteriorum codicum consensus suspectam facit vocem *iniquus*, quae ipsa

multa vero iniuste fieri possunt, quae nemo possit reprehendere! 58. Si te amicus tuus moriens rogaverit, ut hereditatem reddas suae filiae, nec usquam id scripserit, ut scripsit Fadius, nec cuiquam dixerit, quid facies? Tu quidem reddes; ipse Epicurus fortasse redderet; ut Sex. Peducaeus, Sex. F., is, qui hunc nostrum reliquit effigiem et humanitatis et probitatis suae filium, cum doctus, tum omnium vir optimus et iustissimus, cum sciret nemo eum rogatum a C. Plotio, equite Romano splendido, Nursino, ultro ad mulierem venit eique nihil opinanti viri mandatum exposuit hereditatemque reddidit. Sed ego ex te quaero, quoniam idem tu certe fecisses, nonne intellegas, eo ma-

3. *filiae suae* E 4. *Fabius* MCR *fidus* P *quod* E 5. [*Sextus* plene A] 7. *tum* EPMCROr. 8. [*tum sciret* Eh] 9. [*Gaio* A] [*mirsino* A[1]] *Nursio* C 12. *recte* C *intelligis* LMR om. C

lenior est quam pro re nec recte posita videtur; nam certis hominibus in certis causis iniquus aliquis est, tota vitae ratione *iniustus*. Atque ego prorsus puto in archetypo cod. fuisse *iniquus iustus*, id autem errore ortum esse ex *iniustus*, scribendumque: *esse enim quam vellet iniustus poterat impune*; atque etiam Manutius e suo cod. protulit probavitque: *esse enim quamvis iniustus poterat impune*.

reprehendere) *Deprehendere* malebat Davisius. Nihil opus; quae enim nemini nota esse possunt, cuiusmodi exempla subiciuntur, a nullo reprehenduntur, etsi reprehendi merentur.

58. *quid facies? — reddes*) Offendit Davisium et Ernestium exemplum sic positum, tamquam eiusmodi aliquid fieri aliquando possit. Itaque corrigebant: *faceres — redderes*. Debebant igitur, ut Bremius vidit, ante scribere non solum: *ut — redderes* (quod volebat Ernestius), sed, sine quo hoc soloecum est, *rogasset — scripsisset — dixisset*.

Sex. Peducaeus) is, quem praetorem Cicero habuit in quaestura Siciliensi. Filium cum Attico et Cicerone coniunctissimum fuisse, apparet ex eis, quae in onomastico Orelliano collecta sunt. Mox *tum doctus* omnes editiones, nec de codd. quidquam notatum. [Sed *cum* AB.] Vid. ad I, 34.

nonne intellegas) Aliorum quoque deteriores aliquot (apud Davisium sex, Oxx. Uχψ) *intellegis*, quod secuti sunt Manutius, Lambinus, Davisius, Ernestius, Bremius, qui etiam propter sententiam pendentem *annon* poni volebat. Locos, ubi dicatur *quaero*, *nonne*, malo a Schellero (v. *nonne*) peti quam ex his

iorem vim esse naturae, quod ipsi vos, qui omnia ad vestrum commodum et, ut ipsi dicitis, ad voluptatem referatis, tamen ea faciatis, e quibus appareat, non voluptatem vos, sed officium sequi, plusque rectam naturam quam rationem pravam valere? 59. Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere uspiam et velle aliquem imprudentem super eam assidere, cuius mors tibi emolumentum futura sit, improbe feceris, nisi monueris, ne assidat. Sed impunite tamen; scisse enim te quis coarguere possit?

2. *et ipsi ut* E 4. *plus quam rectam* EC 6. *aliquem* om. PMCR 7. *super ea* L *emolumentum factura* LMCROr. (*emolum. tibi* L) 8. *monueris eam ne* E *assideat* LMCROr. 9. *impune* Or. *tamen id te* (*te id* L) *constat fecisse quis enim coarguere* LPMCR

commentariis; ad III, 13 Bremius huius suae dubitationis oblitus erat. Verum confirmant etiam Spir. [B] et Bas.

59. *aliquem imprudentem*) Sic iam Lambinus et e Pall. 1, 3 Gruterus, tum quattuor Gzii; Cratander *imprudentem aliquem*; omittitur *aliquem* in ceteris Pall., Uχψ.

emolumentum futura) Sic summo consensu meliores codices, etiam Spir. [B], El. (2), mg. Crat., codd. Morel. et Vict., ediderantque Victorius, Gruterus, Davisius. Dixit Livius III, 38, 4: *discordiam impedimentum dilectui fore*; nam quod Dav. ex XXII, 22, 7 citat: *id agebat, ut quam maximum emolumentum novis sociis foret*, propter adiectivum additum nonnihil diversum est; (magis etiam XXXII, 28, 4: *maius bello impedimentum fuisset*). De Cicerone fidem non faciunt Lucretius (III, 898) aut Vergilius (Ecl. III, 101) aut Curtius (VIII, 14, 26). (Ad Att. VII, 2, 6 *dedecus est nostrum* prorsus alius est generis.) Eξ et Lambinus: *emolumento*; sed, exceptis certis vocabulis (ut *primum* et *primo*) raro *um* pro *o* scriptum est, saepius contra. Quod in vulgaribus libris legitur (Gruteri, Davisii tribus, etsi de uno fallitur, Oxx. Uχψ, Gzianis ceteris), praeterquam quod auctoritatem non habet, ab usu abhorret. Aliud enim longe est *lucrum*, *detrimentum facere* (ipsum), quod Gzius comparat, aliud *emolumentum alteri facere*, id est, *afferre*.

ne assidat) Neglegenter et ediderunt omnes *assideat* (κάθηται pro καθέζηται) et codices meliores ii, qui habuerunt, non inspexerunt. [Recte etiam B.] Idem mendum erat III, 9, ubi Gzius e Lambini codicibus profert *residamus*; sui Erl. (et sine dubio Spir.) obliviscitur, mendum relinquit.

impunite tamen) Sic [A et B,] Gronovii cod., Dav. e tribus,

Sed nimis multa. Perspicuum est enim, nisi aequitas, fides, iustitia proficiscantur a natura, et si omnia haec ad utilitatem referantur, virum bonum non posse reperiri, deque his rebus satis multa in nostris de re publica libris sunt dicta a Laelio.

XIX. 60. Transfer idem ad modestiam vel temperantiam, quae est moderatio cupiditatum rationi obediens. Satisne ergo pudori consulat, si quis sine teste libidini pareat? an est aliquid per se ipsum flagitiosum, etiamsi nulla comitetur infamia? Quid? fortes viri voluptatumne calculis subductis proelium ineunt, sangvinem pro patria

4. *sed de* (pro *deque*) LMCR *neque his rebus sed de his rebus* P 6. Post *vel* add. *cupiditatum* E 7. *mod. est* MCR *cupiditatum* om. E 9. *flagitiosum p. s. ipsum* P 11. *proprium* (pro *pro patria*) L

Oxx. Uχψ, Gzii omnes, id est, opinor, exceptis Eξ, omnes omnino. Cessi cum Dav. et Gzio auctoritati, etsi miror, cur hoc uno loco Cicero hac forma usus sit, qua praeter eum unus, qui supersit, Matius (ad Fam. XI, 28, 3). Tum eadem, quae nostros libros deteriores, interpolatio aliorum quoque inquinavit (Oxx. Uχψ, Gzianos); primus sustulit Gruterus, Pall. 1 et 3 sequens; accedit Spir. [B].

deque his rebus) Sic etiam Spir. [B], restitueratque Gruterus tacite (e Pal. 1). Originem mendi deteriorum codicum (Oxx. omnium, Gzianorum ceterorum) P noster ostendit. Ex *deque* factum *neque*; correctum *sed de*. In libro tertio de R. P. cum Philus eam Carneadis disputationem, qua iustitia evertebatur et natura nulla esse, utilitate tota niti ostendebatur, exposuisset, respondisse Laelium pro iustitia, notum est.

Cap. XIX, 60. *vel temperantiam*) Suspiciosum non tam, quod Gud. 2 haec omittit, quam quod Erl. et Spir. [B] habent *vel cupiditatem temp.* Sed eidem mox (de Spir. ex Erl. [et B] coicio; Gzius de utroque tacuit) omittunt *cupiditatum* in definitione, ubi abesse nullo modo potest; itaque patet, transpositionem factam esse. Rarius unum *vel* a Cicerone ponitur, ubi sine correctione aliud nomen tantum adiungitur, nec tamen numquam; II N. D. 41: *in ardore caelesti, qui aether vel caelum nominatur.* [Alia Freundius in v. *vel.*]

sangvinem profundunt) *Et sangvinem* El. 2 et Guelf. apud Bremium (ξ *et pro patr. sangv. fundunt*); asyndeton celeris et concitatae orationis rei declarandae aptissimum est.

profundunt, an quodam animi ardore atque impetu concitati? Utrum tandem censes, Torquate, Imperiosum illum, si nostra verba audiret, tuamne de se orationem libentius auditurum fuisse an meam, cum ego dicerem, nihil eum fecisse sua causa omniaque rei publicae, tu contra, nihil nisi sua? Si vero id etiam explanare velles apertiusque diceres, nihil eum fecisse nisi voluptatis causa, quomodo eum tandem laturum fuisse existimas? 61. Esto: fecerit, si ita vis, Torquatus propter suas utilitates (malo enim

1. *ardore impetuque* L 3. *libentius orationem* L 4. *eum nihil* LCR 6. *si enim id* R *apertius* (om. *que*) LPMR *aptius* C 7. *quo* (om. *modo*) C 8. *existimes* PMCROr.

Imperiosum illum) Quamquam iam pater T. Torquati, L. Manlius, Imperiosi cognomen habet apud Liv. VII, 3 et 4 et Senec. de Benef. III, 37 et in fastis Capitolinis, idemque Torquati fratri natu maiori Cn. in fastis Capit. et apud Diod. Sic. XVI, 15 datur, ut manifestum sit, non a Torquato partum, sed hereditate acceptum esse, non potest tamen dubitari, quin Cicero hic sive communi quodam errore sive suo id cognomen Torquati illius proprium et ab eo partum severitate illa putarit; neque enim alioqui satis hic virum significasset. Atque in eundem errorem incidit Livius IV, 29, qui VII, 4 rectius a patre partum cognomen tradit; nam avus *Vulso Capitolinus*, patruus *Capitolinus* in fastis scribuntur, neuter Imperiosus. Itaque non Torquatus Imperiosus, sed *Imperiossus* (quod prius erat) *Torquatus* in fastis Capit. scribitur. Accidisse idem in Capitolinorum vetusto cognomine, notum est, ut eius origo a re illustri falso repeteretur.

apertiusque) Sic Grut. e Pal. 1 et recentiores, Dav. et Gzius tacite. Oxx. EUχψ, ut olim edebatur: *velles apertius, diceres.*

existimas) Sic [ut AB] iam Cratander, Lambinus, tum e suis quattuor (Ox. ξ) Gzius; sed stulte excusat tamquam inversum, quod unum verum est. Itaque Orellius ad soloecismum rediit, condicionalem coniunctivum esse putans (*si diceres — existimes!*) nec duas formas diversissimas et notissimas distingvens, cum aut quaeratur, quid certa condicione aliquis futurum fuisse iudicet (*quid existimas futurum fuisse, si*), aut, quid certa condicione iudicaturus fuerit (*quid existimares, si*). Simile in interrogando mendum tollendum erit § 76; cfr. V, 89.

61. *malo enim dicere*) Non sine causa in hac duarum

dicere quam voluptates, in tanto praesertim viro); num etiam eius collega P. Decius, princeps in ea familia consulatus, cum se devoverat et equo admisso in mediam aciem

2. *et collega eius* E 3. *devoveret* omnes, Or.

appellationum comparatione Davisius offendit, Bremiusque scribendum suspicatus est: *malo enim ita* [Klotz. *sic*] *dicere* [ut scribitur ad Att. XIII, 42, 1; sed tamen ad Fam. III, 10, 1: *pro tua dignitate*; *malo enim dicere quam pro salute*].

eius collega) Altero ordine etiam Spir. [B]; Gud. 2 et Bas. om. *eius*.

cum se devoverat et — irruebat) Correxi certissimum mendum, quomodo Davisius corrigendum viderat. Longum est nunc omnia excutere, quae de diversorum modorum coniunctione magnam partem a viris a grammatica subtilitate alienis ita disputata sunt, ut omnia confunderentur, velut a Drakenb. ad Liv. XXX, 44, 10 et XLI, 24, 5. [Quid de Alschefskio ad Liv. IV, 19 dicam?] Breve igitur faciam. Quaeritur, num duo verba copulative coniuncta eidem coniunctioni, quae propter ipsam copulationem necessario eandem principalem vim retineat, diverso modo subici possint. Id ab eo poëta, qui duritiem non fugeret, versus causa fieri poterat in tali structura, in qua sive omnino Latina certae aetatis oratio sive poëtarum libertas utrumque modum coniunctioni nullo, quod sentiretur, discrimine subiceret. Itaque Propertius, poëta oratione durissimus, cum poëtae ex antiquiore sermone licentiam indicativi in interrogatione pendenti ponendi retinerent, qua tamen Horatius et Vergilius raro utuntur, non raro sive pronomini interrogativo pendenti sive particulae et indicativum et coniunctivum subiecit, cuius rei exempla Lachmannus collegit (in priore edit.) p. 9, [idemque V (IV), 4, 10 dixit: *cum quateret — atque stabant*]. Aliorum poëtarum pauca sunt. Prosae orationis scriptores numquam id fecerunt. Nam in uno Livii loco, quem Handius (Turs. II p. 486) citat, IV, 13, 10: *Quae postquam sunt audita et undique primores patrum et prioris anni consules increparent, quod eas largitiones — passi essent fieri, et novos consules, quod expectassent —, tum T. Quinctius*) aperte sententia et Livii usus postulabat: *Quae postquam sunt audita, cum undique* cet.; [sed recte M. Hauptius scribendum vidit, ut est in codd. recc.: — *audita, undique — increpare, quod —. Tum Quinctius* cet.]. In hoc autem Ciceronis loco una est et simplex temporis significatio (eo momento, quo se devoverat iam et irruebat cet.). Nam quod Handius (l. c.) in *devoveret* voti et voluntatis significationem inesse putat, in altero rem effectam intellegi, Gzium sequens, non erat illud.

Latinorum irruebat, aliquid de voluptatibus suis cogitabat? Ubi ut eam caperet aut quando, cum sciret confestim esse

1. *proruebat* L 2. [*ubi aut* A²] *nam ubi* (pro *ubi ut*) LMCROr. *nisi ut* P

ut mox dicam, votum, sed res facta. Et quis ignorat hoc ipsum, in eo esse, ut aliquid fiat, addito *cum*, minime coniunctivo significari, sed inesse in ipsa imperfecti notione apud Latinos? Accedit ad modi perversitatem temporis. Neque enim, quod Gzius et Handius ceterique putant, tum demum devovebat se, nec devotio erat in morte, sed, ut Davisius e Liv. VIII, 9 intellexit, erat iam devotus pontificis carmine et sollemni ritu; neque aliter Ciceronem loqui aut notio animi aut usus sinebat. Non nescio, nuper in Ciceronis oratione pro Rosc. Amer. 64 editum esse et defensum: *cum neque servus quisquam reperiebatur neque liber, ad quem ea suspicio pertineret, id aetatis autem duo filii — dicerent*, indicativo etiam post *cum* in manifesta causae significatione posito; probatum etiam, quod mendosum esse ostenderam, ibd. 81: *qui non modo Romae non fuit, sed omnino — nesciret.* Sed ad me nihil illas soloecismorum defensiones pertinere puto. [Pro Quinct. 60 suam habet rationem propter interiecta post *debebatur* illa: *et si maxime deberetur.* Varronis locos Muellerus ad L. L. VI, 82 (p. 73 Bip.), praeter illum ipsum, alio genere vitiosum (*qui habent, qui non habeant*), alios tres collegit admodum infirmos, si quis codicum in illo opere condicionem considerat. Illud prorsus miror, memorabile videri Muellero, *i* et *u* (*ierunt*) semel a librario permutata esse.] Id hic locus non permittit, ut de modo verbi in iis sententiis cum levi significationis inclinatione variato dicam, quae repetita coniunctione aut alio modo ex aequo ponantur, ut Liv. XXXVIII, 36, 4 (*quod tenebrae obortae fuerant — quod pluisset*), etiam in *cum* temporali bis posito. [De artificio perverse excogitato, ut post *cum se devoveret* interiecta putetur per *et* parenthesis et ea verba sic intellegantur: *et tamen in certam mortem ruebat* (quasi id notabile sit in eo, qui se devoverit), non puto dicendum. Baiterus in ed. minore verba *se devoveret et* uncis saepsit, devotionis mentionem non minus ab hoc loco alienam iudicans quam a persimili, Tusc. II, 59. Video, ibi non additam esse; quid sit alieni, non video, et quaero, quod soleo, quis haec illo loco interpositurus et cum reliqua oratione coniuncturus fuerit.]

Ubi ut eam caperet) Sic etiam Pal. 1, Eξ et sine dubio Spir. [B]. Sed Gzius maluit scribas, ut solet, increpare quam,

moriendum, eamque mortem ardentiore studio peteret, quam Epicurus voluptatem petendam putat? Quod quidem eius

quid scripsissent, indicare; (Parr. 1, 3 Dav., Guelf. Bremii: *nisi ut*). Propria non minus Latinorum quam Graecorum, quamquam apud illos rarior, haec est figura, qua sententia interrogativa ab *ut* incipit, cum de consilio rei interrogant aut simpliciter, ut III N. D. 74: *Sessum it praetor; quid ut iudicetur?* et pro Sest. 84: *Homines, inquit, emisti, coëgisti, parasti. Quid uti faceret?* et apud Terentium Eun. III, 5, 25: *Quid ex ea re tandem ut caperes commodi?* aut sic, ut aut sine consilio factum aliquid reprehendant, aut (quod h. l. fit), cum consilio probabile nullum fuerit, factum negent. Cic. pro Font. 32: *Vos tamen cum Gallis iurare malitis? quid ut secuti videamini?* pro Tull. 55: *Illi oppugnatum venturi erant? quo consilio? — Ut occiderent. — Quam ob causam? quid ut proficerent?* Liv. IV, 49, 15: *Incipite deinde mirari, cur pauci iam vestram suscipiant causam. Quid ut a vobis sperent?* Idem XL, 13, 4: *Hoc ego lustratus sacro parricidium volutabam in animo; ut quibus aliis deinde sacris contaminatam omni scelere mentem expiarem?* Ibi Gronovius tertium Livii locum ascripsit, XLIV, 39, 5: *Sine ulla sede vagi dimicassemus; ut quo nos victores reciperemus?* et Plinii ex H. N. XIII, 22: *Vidimus etiam vestigia pedum tingi, quod monstrasse M. Othonem Neroni principi ferunt; quaeso, ut qualiter sentiretur iuvaretque, ab ea parte corporis?* Addo eiusdem Plinii similem locum e libr. XXXIII, 145: *Claudii principatu servus eius Drusillanus Rotundus quingenariam lancem habuit et comites eius octo DCCCL librarum; quaeso, ut quam multi eas conservi eius inferrent aut quibus cenantibus?* Ipsum Graecorum ἵνα τί; (vid. Matth. Gramm. Graec. § 620) Cicero expressit ad Attic. VII, 7, 7: *Ut quid? si victus eris, proscribare; si viceris, tamen servias?* [Martial. III, 77, 10.] Itaque quod h. l. dixit, prorsus his Graecis respondet: ἵνα ποῦ αὐτῆς ἀπέλαυσεν; (de indicativo, ne quis miretur, vid. Matth. § 519, [Synt. mea Gr. 131 b n. 3]). Restat *eam* relatum ad plurale *voluptatibus*, in quo cum offendisset Davisius, Bremius praeter eiusmodi exempla, de quibus ad § 22 dictum est, quae non plane eiusdem generis sunt, unum opposuit incertae aut potius malae fidei e § 63. Sed alibi etiam Cicero sic scripsit, ut, cum pluralem numerum substantivi de singulis rebus posuisset, pronomen singulare subiceret ad generis notionem relatum. Apertissimum hoc est in Acad. II, 22, de quo loco dixi adulescens in Emendatt. Cicer. p. 139: *Ars non ex una, sed ex multis animi perceptionibus constat; quam si subtraxeris, qui distingues artificem ab in-*

factum nisi esset iure laudatum, non esset imitatus quarto consulatu suo filius, neque porro ex eo natus cum Pyrrho bellum gerens consul cecidisset in proelio seque e continenti genere tertiam victimam rei publicae praebuisset. 62. Contineo me ab exemplis. Graecis hoc modicum est, Leonidas, Epaminondas, tres aliqui aut quattuor; ego si nostros colligere coepero, perficiam illud quidem, ut se virtuti tradat constringendam voluptas; sed dies me deficiet, et, ut A. Varius, qui est habitus iudex durior, dicere consessori solebat, cum, datis testibus, alii tamen citarentur: „Aut hoc testium satis est aut nescio, quid satis sit“, sic a me satis

1. *iure esset* E 2. [*consolatu* A] [*pirro* A] 3. *e* om. E 5. [*modo cum* A¹] 7. *quid est* (pro *quidem*) E 8. *et* om. E [*Aulus* A] 9. *habitus est* E *durior* om. C *confessori* ELM *concessori* C 11. *sit* om. E

scio? Durissime dixit I de Divinat. 72: *Ea genera divinandi non naturalia, sed artificiosa dicuntur; in quo* (genere) *haruspices, augures coniectoresque numerantur.* Contra a genere sic nominato, ut de singulis iam cogitaretur, transiit ad singula pronomine plurali significanda I de Legg. 40: *Nemo tam audax umquam fuit, quin — defensionem facinoris a naturae iure aliquo quaereret. Quae si appellare audent impii* cet. [Cfr. ad V, 94.] Eodem modo defenditur inde a Wopkensio codicum scriptura in Tusc. IV, 65.

neque porro ex eo natus) Cicero hic et Tusc. I, 89 famam falsam secutus est, quae unde oriri potuerit, ostendit Zonaras Ann. VIII, 5; iactatum enim sermonibus fuerat ante proelium, Decium id facturum. Pridem rem recte exposuerunt F. Fabricius (ad Tusc. locum) et Freinshemius. Ego antequam a Deciis discedo, addam, in Paradox. 12, ubi codices (cfr. cum Guelf. Oxx. σψ) habent: *Quae vis patrem Decium, quae filium devotavit, immisit in armatas hostium copias*, in Plautino et Attiano verbo et in asyndeto inaudito satis manifesta vestigia esse verae scripturae, quam Oudendorpius e bonis codd. protulit: *devota vita immisit.* Et tamen interpolata putatur.

62. *tres aliqui*) Gud. 1 *reliqui*, ψ *alii* (idem ed. Crat., in mg. *aliqui*). Numerus non definitus significatur; vid. lexica. Graeci: τρεῖς τινες. A. Varius hoc uno loco nominatur.

satis datum est testium) Sic Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat., codd. Mor. et Scal., ediditque Gruterus; Lambinus *testium est datum.* Ceteri codd., ut nostri deteriores.

datum est testium. Quid enim? te ipsum, dignissimum maioribus tuis, voluptasne induxit, ut adulescentulus eriperes P. Sullae consulatum? Quem cum ad patrem tuum rettulisses, fortissimum virum, qualis ille vel consul vel civis cum semper, tum post consulatum fuit! Quo quidem auctore nos ipsi ea gessimus, ut omnibus potius quam ipsis nobis consuluerimus. 63. At quam pulchre dicere videbare,

1. *testium est dictum* LPMCR 4. [*retulisses* A] 5. *eum semper* E *tum semper* M *est semper* P

Quid enim? te ipsum cet.) Vid. argumentum libri primi. Damnato Sulla consulatum accepit Torquatus pater, non legis aliquo praemio, sed in locum vacuum creatus. (Cfr. pro Sulla 49 et 50; eodem modo intellegendum, quod dicitur pro Plancio 79, quo loco non satisfacit mihi vir doctissimus Wunderus.)

qualis ille vel consul vel civis — post consulatum) Significat, ut opinor, Torquati (*fortissimi consulis*, pro Sulla 30, in Pis. 78) vigilantiam in periculis rei publicae domesticis; nam in eius annum incidit prior Catilinae cum Pisone coniuratio; (vid. pro Sulla 11 sqq., Sallust. Cat. 18 et 19, Ascon. ad or. in T. C. p. 110 et 117, Dio Cass. XXXVI, 44, Liv. epit. 101, Sveton. Iul. 9); alia res illustris ab eo gesta non commemoratur. Eum tamen annum fuisse, qui firmis consulibus egeret, ostendit etiam lex Papia de peregrinis urbe pellendis lata et quae de leg. agr. II, 44 significantur. Post consulatum Torquatus Ciceronis consulis consiliorum particeps fuit (pro Sulla 34) eumque periclitantem postea adiuvare conatus est (in Pison. 77 et 78). Macedoniae administratio et supplicatio ob res ibi gestas decreta minus huc pertinet (in Pis. 44). In proximis Catilinae coniurationem oppressam et exilium significari manifestum est.

consuluerimus) Ox. ξ, Gud. 1 *consuleremus*. De hoc genere perfecti post *ut*, de quo Otto post Kruegerum (in secundo fasc. Quaestionum gramm.) suo more excursum scripsit, exposuit et exempla collegit Putschius in Iahnii Annalium supplementis vol. I p. 66 sqq. Eo posito posterior res minus prope cum priore connectitur nec simpliciter eodem tempore includitur, sed seorsum distinctius concipitur. Velut hoc loco non tam, animo iam ad praeteritum tempus translato et in eo manente, genus et natura rerum gestarum ex consecutione iis adiuncta ostenditur, quam, animo ad praesens tempus revocato, iterum perfecti temporis verbo significatur, quales postea exitus illae res habuerint. Apud historicos, Cornelium maxime, in hoc genere simplicitas quaedam

cum ex altera parte ponebas cumulatum aliquem plurimis et maximis voluptatibus, nullo nec praesenti nec futuro dolore, ex altera autem, cruciatibus maximis toto corpore, nulla nec adiuncta nec sperata voluptate, et quaerebas, quis aut hoc miserior aut superiore illo beatior; deinde concludebas, summum malum esse dolorem, summum bonum voluptatem!

XX. L. Thorius Balbus fuit, Lanuvinus, quem meminisse tu non potes; is ita vivebat, ut nulla tam exquisita posset inveniri voluptas, qua non abundaret. Erat et cupidus voluptatum et eius generis intellegens et copiosus; ita non superstitiosus, ut illa plurima in sua patria sacri-

1. *aliquem cumulatum* E 3. *maximis cruciatibus* R 4. [*adiuncto* A[1]] *nec semota* L *nec separata* R 5. *miseriorum — beatiorum* E *beatior foret; deinde* LPMCROr. 8. [*Lucius* A] *Lavinius* C *Lavinus* L 10. *voluptas posset inveniri* E 11. *cuius generis eius* LP *cuiusvis generis eius* MCOr. *cuiusvis eius generis* R 12. *patria et sacrificia* Or.

antiqua est, non abhorrens ab antiquiorum scriptorum et Danorum et Germanorum similitudine. [Gr. Lat. § 382 n. 4.]

63. *aut superiore illo beatior*) [Quod addebatur *foret*. unius Erl. testimonio in suspicionem adducere ausus non eram. Nunc, cum ex A et B appareat, id deteriorum additamentum esse, cum Baitero sustuli, eo magis, quod apud Ciceronem *foret* pro *esset* reperiri non videtur nisi ep. ad Att. VII, 21, 2.]

Cap. XX. *L. Thorius Balbus*) homo prorsus nobis ignotus. Extat tamen L. Thorii Balbi denarius argenteus cum imagine Iunonis Sospitae.

et eius generis intellegens) [Edebatur: *et cuiusvis generis eius int.*, tacebaturque de codd., nisi quod Eξ omittere *cuiusvis* notatum erat.] Gzius: „Turbant“ inquit „scripti in *cuiusvis*, sed ut hac in voce ubique solent.“ Sic is solet nugari, non rem suam agere. Eo flagitiosior neglegentia, quod haerere debebat in *eius* ad *voluptatum* relato, qui transitus hic non excusatur iis, quae ad § 61 dixi, quod nec ulla eius causa est et in simplici continuatione et copulatione fit. [Antea cum unius Erl. scripturam nossem, edideram: *et cuiusvis generis* [*eius*] *int.* Nunc cognito consensui codd. meliorum (AB) parui cum Baitero. *Id genus* significat omnia, quae ad voluptates pertinent.]

illa plurima — sacrificia et fana) e quibus notissimum Iunonis Sospitae templum. Prave Gzius ex ed. Marsi: *et sacrificia et fana*, tamquam duas res separatim intellegi Cicero

ficia et fana contemneret; ita non timidus ad mortem, ut in acie sit ob rem publicam interfectus. 64. Cupiditates non Epicuri divisione finiebat, sed sua satietate. Habebat tamen rationem valetudinis; utebatur iis exercitationibus, ut ad cenam et sitiens et esuriens veniret, eo cibo, qui et svavissimus esset et idem facillimus ad concoquendum, vino et ad voluptatem et ne noceret. Cetera illa adhibebat, quibus demptis negat se Epicurus intellegere, quid sit bonum. Aberat omnis dolor; qui si adesset, nec molliter ferret et

4. *ratione* omnes [*ualitudinis* A] *his* [A](LM)COr. 5. [*cenam* A] *scenam* E *et esuriens et sitiens* LPMCROr. 6. *coquendum* EC 9. *enim* (pro *omnis*) MR *enim omnis* C

velit et in eo momenti aliquid esse, quod utrumque ille contempserit. Vitiosa haec particulae geminatio, quam etiam ad I, 22 reprehendi (et olim in Verr. IV, 51), saepius expellenda erit, ut h. libr. 84 (*et tuebere et munies*), IV, 7 (*et Zeno et qui ab eo sunt*, quasi non una schola significetur), IV, 43 (*et ad naturam accommodata et per se assumenda*), V, 15 (*et vitae via conformatioque omnium officiorum*); hos duos postremos locos idem Gzius corruperat.

64. *ad concoquendum*) Erl. [et B] triumque Oxx. scripturam nihil nisi mendum puto, qui cum Spaldingio (ad Quint. VIII, 4, 16) numquam *coquere cibum* pro *concoquere* dictum credam. Neque enim verbum in eo ipso substantivo, in quo certam significationem haberet, transferri alio potuit. Itaque etiam N. D. II, 136 et 137 scribam *concoctus*. (*Scenam* etiam Spir. [B] et Bas.)

et ne noceret) id est, cum ea cautione, ne noceret. Recte tamen Wesenbergius monet, Ciceronem hac significatione alibi semper dicere *ut ne* (pro Rosc. Am. 55, in Verr. II, 73, ad Fam. XVI, 9, 3, de Off. II, 72, de Fato 29, ubi item, ut hic, non praecedit *ita*). Sed tamen simplex *ne* sic ponitur apud Terent. Heaut. IV, 5, 35, Caes. B. C. III, 56 (*tantum ne*, id est: nur soweit, dass nicht; alii tamen codices *uti ne*), Liv. XXII, 61, 5, [XXXI, 25, 6, XL, 15, 6], Tac. Ann. II, 29. (Haec quoque Wesenbergius collegit.) [Horatius *ita ne*, *sic ne* posuit Ep. I, 13, 12, A. P. 152, 227. De Quintiliano vid. Bonnellus. Ciceronianum exemplum non repertum est.]

nec molliter ferret) Patet esse, molli animo, ita ut succumberet, ipse *in dolore mollis*, ut dicitur I Off. 71. Tam facile haec significatio oritur ex communi utriusque vocis usu, ut, si quis nullam verborum coniunctionem Latinam ambiguam et ancipitem esse putet, potius dubitare debere videatur de contraria significatione

tamen medicis plus quam philosophis uteretur. Color egregius, integra valetudo, summa gratia, vita denique conferta voluptatum omnium varietate. 65. Hunc vos beatum:

2. *una denique voluptatum conferta omni varietate* E 3. *veri pro vos*) LPMCR

aequo animo ferendi, quam secutus est Cicero Cat. 5. Sed non putabit, nisi qui Latinum sermonem aliquando in ore hominum fuisse obliviscetur. Nam Romanis quoque accidebat, ut, cum verbum aliquod amplae potestatis cum substantivo coniunctum ad duas partes trahi posset, interdum non unam solam sequerentur. Mentem *solutam somno* Cicero de Divin. I. 125 et 129 dixit, quae dormiret, ut Liv. V. 45. 3. imagine perspicua: at idem in Somnio Scip. extremo *somno solutum esse* dixit, qui experrectus esset, non minus apte. *Ponere barbam* Svetonio est *deponere*, eodemque modo Persium sat. III. 10 dixisse: *bicolor positis membrana capillis*, dubitantes vel verborum ordo admonere debuit; at Ovidius saepe (Metam. I. 477, Ep. Heroid. IV, 77, A. Am. I, 306. III. 434) *capillos ponere* de iis componendis dixit. *Gratiam facere alicuius rei* et Livio (III. 56. 4) et Svetonio (Aug. 17) et aliis est remittere, non exigere, ut fiat aliquid aut aestimetur; eidem tamen Livio III. 41, 4 (*facta Valerio dicendi gratia*) et Svetonio (Aug. 38) significat: permittere, ut aliquid fiat. Quomodo ille, qui nuper nullam in sermone Latino ambiguitatem esse edixit, corruperit eos locos, in quibus Cicero *sine dubitatione* pro eo, quod est *sine dubio*, dixit, piget referre. [Mire Livius *fugam facere* VIII, 9, 12 dixit de iis, qui ipsi fugerent, XXI, 5, 16 de iis, qui alios in fugam coicerent.] Cfr. quae Opusc. Acad. II p. 187 sqq. dixi de formula *est tanti*. *Et tamen* cum *nec* ita coniungitur, ut Balbus dicatur, etsi iam per se dolorem non molliter ferret, quem tolerabilem Epicurus esse docuisset, tamen, quatenus auxilio contra eum egeret, magis medicis usurus fuisse, qui eum removerent, quam philosophis, qui consolarentur.

65. *Hunc vos beatum; ratio* cet.) *Vos* etiam Pal. 1, Spir., El. 2, mg. Crat., recepitque Davisius, Grutero svadente. Ellipsis est facillima, cum iudicandi notionem orationis cohaerentia subiciat, et expectabatur in contrario membro tale verbum, sed paulum deflexit oratio: *ego quem huic anteponam* cet. Tum *ratio* est etiam in [A,] Spir. [B], El. 2, mg. Crat., cod. Mor. Deinde *cogit; at*, divisis verbis, primus scribendum vidit Th. Bentleius (nam edebatur, nulla sententia: *Hunc vero beatum oratio quidem vestra sic cogitat, ego* cet.), secutique sunt recentiores, nisi quod Ern., Gzius, Orellius *at* omiserunt. Recte ponitur in sententia contraria

ratio quidem vestra sic cogit; at ego quem huic anteponam, non audeo dicere; dicet pro me ipsa virtus, nec dubitabit isti vestro beato M. Regulum anteponere, quem quidem, cum sua voluntate, nulla vi coactus praeter fidem, quam dederat hosti, ex patria Carthaginem revertisset, tum ipsum, cum vigiliis et fame cruciaretur, clamat virtus beatiorem fuisse quam potantem in rosa Thorium. Bella magna gesserat, bis consul fuerat, triumpharat, nec tamen sua illa superiora tam magna neque tam praeclara ducebat quam illum ultimum casum, quem propter fidem constantiamque susceperat; qui nobis miserabilis videtur audientibus, illi

1. *oratio* LPMCR *cogit: ego* Or. (codd. *cogitat ego*) *huic quem* LPMCROr. 4. *voluptate* [Eh] CR *propter* C 5. [*cartaginem* A] *eum ipsum* [A]E 6. *cum — fuisse* transp. inter *ducebat* et *quam* C 7. *esse* E *Thorius* [A]E 8. *is bis* LMCR *illa sua superiora* E *sua superiora illa* MCROr. 9. *nec tam* C 10. [*praeter* A] 11. *conceperat* L

inducenda. Postremo *quem huic* [A et B,] Gziani omnes praeter Gud. 2; ceteri editores ad *huic quem* nihil annotarant. Paulo post ex C propagatum ad Manutium multosque alios: *nulla vi coactus, propter fidem*; verum est in mg. Crat.

tum ipsum, cum) Etiam Pal. 1, Spir. [B], cod. Mor., E*ξ* *eum ipsum* (Gud. 2 *cum*), mendose; neque enim (quod Ottoni in mentem venit, qui etiam parenthesin nescio quam commemorat) ulla hic est causa aut ratio subiecti praegressi pronomine iterandi, et debebat esse *sed eum.* Scilicet nesciebat Otto ut alii, quid esset *tum ipsum* [quod tamen intellexerunt Ernestius, Schellerus, Ramshornius Gr. Lat. p. 523 ed. 2]; est autem *eo ipso tempore*, ut *nunc ipsum* (ad Att. VII, 3, 2, VIII, 9, 2, XII, 16 et 40). Idem ex non dubiis codicum vestigiis olim ego restitui Ciceroni de Orat. I, 123, II autem de Off. 60 Stuerenburgius ex optimis codd.: *temporibus necessaria et tum ipsum* (cum temporibus necessaria fit) — *moderanda.* Habent eandem scripturam codices (P, S, Aug., Gud. apud Moserum) et postulat sententia in libro I de Divin. 118: *Nam et ad hostiam deligendam potest dux esse vis quaedam sentiens, et tum ipsum, cum immolare velis, extorum fieri mutatio potest.* Incertam esse vulgarem de Reguli suppliciis narrationem, quam Cicero sequitur, multi ostenderunt; vid. Beierus ad Off. III, 100, Niebuhrius in Hist. Rom. vol. III p. 705. Mox *potare in rosa* esse, rosis redimitum, exposuerunt Horatii enarratores ad Od. I, 5, 1; melius tamen generaliter intellegitur, rosis circumfusum; nam accubuisse etiam

perpetienti [illegible] Non [illegible] nec la-
scivia nec risu aut [illegible]. [illegible]
tristes firmitate et constantia sunt [illegible]. [illegible] per
vim Lucretia a regis filio [illegible]

1. [illegible]
2. et [illegible] inter-
fecit E

luxuriosos [illegible] in [illegible] ad Sen. de
vit. beat. 11: [illegible]

genere; [illegible]
Grius tacet, qui etiam Spir. [illegible]

[illegible] Sic [illegible]
ut Erl. etiam Spir. [illegible]
visius e codd.

voluptarius) Sic [illegible]
recentiores [illegible]
sed quod hic non de [illegible]
affectu, quo cum Regulus [illegible]
codicis CCC (ξ), quod Oxx. [illegible]
Oxx., Gzñ) retinent cod. archetypi [illegible]

nec lascivia) Ut Erl. etiam Spir. [illegible]
30; *risu aut ioco* [illegible]
desideratur. post *s* in Erl. [illegible] A et B [illegible]
Deinde Davisius et Ernestius [illegible] requisiverunt in ad-
iectivo *tristes*; verum ea non in verbis [illegible], sed in sen-
tentia, si aut cum Ernestio [illegible] scripseris aut cum
Davisio *tristi firmitate*. Sententia haec est: Beati [illegible]
semper ita sunt, ut in hilaritate et ioco sint, sed saepe in ipsa
tristitia, quod efficitur constantia etc. In priore membro ablativi
et (grammatice) originem et (ad sensum) etiam modum beatae
vitae ostendunt; in altero modus significatur adiectivo, additur
deinde fontis significatio.

66. *testata cives*) Deteriores quidam codd., non intellecto verbo, substituerunt, Maffei liber, ut L. *crimen* (Gud. 1 *crimen cives*), El. 1 et Scal. vetus (hunc miror et coniecturam puto) *vim*, Pal. 6 *eius vi*. Fuerunt etiam, qui in eo haererent, quod *cives* testata dicatur, quae tamen in contionem non prodierit; sed per quattuor illos, quos Livius interfuisse narrat, totum populum testata est.

ipsa interemit) *Ipsa* Crat. (nondum Marsus), Vict., Gron. (e cod. patris), deinceps ceteri tacite. Oxx. EUξχ *ipsam*. In *interfecit* a se descivit Erl. [B]; nec enim dici a Cicerone *se interficere*, recte praecipitur.

Hic dolor populi Romani, duce et auctore Bruto, causa civitati libertatis fuit, ob eiusque mulieris memoriam primo anno et vir et pater eius consul est factus. Tenuis L. Verginius unusque de multis sexagesimo anno post libertatem receptam virginem filiam sua manu occidit potius, quam ea Ap. Claudii libidini, qui tum erat summo imperio, dederetur.

XXI. 67. Aut haec tibi, Torquate, sunt vituperanda aut patrocinium voluptatis repudiandum. Quod autem patrocinium aut quae ista causa est voluptatis, quae nec testes ullos e claris viris nec laudatores poterit adhibere? Ut enim nos ex annalium monumentis testes excitamus eos, quorum omnis vita consumpta est in laboribus gloriosis, qui voluptatis nomen audire non possent, sic in vestris

3. *factus est* E [*Lucius* A] 4. *Virg.* (LPM)CROr. 5. *suam* [A]EPMC (*manu sua* L) [*post* pro *potius* A¹] 6. *P. Claudii* [A]EMCR *tamen* E *summo in* (PM)ROr. 9. *voluptatis patrocinium* L 12. [*animalium* Eh] [*monimentis* A] 13. Post *in laboribus* add. *in periculis* L 14. *qui* om. E

Hic dolor pop. Rom.) id est, hinc ortus, huius rei; vid. Ramshorn. p. 553 et 554 ed. 2, etsi is unum et alterum exemplum minus commodum admiscuit. Huius generis erat illud supra § 54 *quo plebiscito*, et I, 63: *ea scientia.* [Nam si Caesarem, Livium, Tacitum attingam, sit infinitum. Tantum h. l. animadvertendus genetivus additus, *populi Romani.*]

summo imperio) Sic etiam Pall. quattuor, apud Dav. duo, Oxx. praeter ψ (modo de eo recte taceatur), Gzii omnes, [B]. Non magna in hac re codicum auctoritas; sed Cicero, si praepositionem addidisset, scripsisset *in summo imperio*; quamquam dicitur *esse in imperio*; *in summo imperio*, non legi. Praepositione addita magis significari divisum cum collegis imperium, quis credat Davisio?

Cap. XXI, 67. *laudatores*) A iudiciorum consvetudine hoc nomen traductum est; vid. Verr. V, 57 et alibi. Excitantur testes (quoniam in eo fuerunt qui haererent) proprie, cum surgere iubentur et prodire (pro Rab. Post. 47, pro Balbo 41, ut alibi recitatores, lectores, rei), tum h. l. simili imagine, atque ab inferis excitari homines dicuntur.

qui voluptatis nomen audire non possent) Scire velim, de quo nemo verbum ullum fecit, unde hic sit coniunctivus (post illud: *consumpta est*) et ne *potuerint* quidem, sed condicionale tempus.

disputationibus historia muta est. Numquam audivi in Epicuri schola Lycurgum, Solonem, Miltiadem, Themistoclem, Epaminondam nominari, qui in ore sunt ceterorum philosophorum omnium. Nunc vero, quoniam haec nos etiam tractare coepimus, suppeditabit nobis Atticus noster e the-

2. [*Ligurcum — Miliciadem* A] 3. *omnium philosophorum* [A]LPMCROr. 4. *nec vero* MCR *hinc vero* L *et* E 5. *suppeditabat* EC *noster* om. LPMCR *et* (pro *e*) E *ex* LPMR *de* COr

[Itaque, cum praeterea in Erl. omitteretur *qui* ante *voluptatis*, quod casu et errore factum nunc A et B ostendunt, scribi volueram: *ubi voluptatis*, ét enarrari: in quibus adeo nullam ipsius voluptatis copiam haberent, ut ne nomen quidem ad eos perveniret. Sed *nomen rei audire non posse* dici eos, qui propter rei odium nomen quoque respuant nec ad aures admittant, ostendit ipse Cicero II R. P. 52 (cfr. Liv. XXXIII, 35, 3), diciturque eodem modo *videre non possum*, hoc est, aspectum non fero, aequo animo videre non possum (Cic. in Pis. 64, Liv. I, 26, 10, Senec. ad Helv. 9, 6, Plin. Epist. VI, 8, 7), aliaque similiter. Relinquitur igitur, ut enarremus: qui, si nomen voluptatis ad eos perveniret, auribus non admissuri fuerunt. Imperfectum igitur condicionale noto usu pro plusquamperfecto ponitur; (vid. ad V, 8, Gramm. Lat. § 347 b not. 2). In proximis ordinem verborum tenui, qui in Erl. erat; B *philosophorum ceterorum omnium*, is quoque *omnium* extremo loco ponens. De ceteris tacetur.]

Nunc vero) Sic Pall. 1 et 3, Spir. [B], mg. Crat., apud Davisium Mead.; scribitur sic iam apud Marsum, tum inde a Victorio. Ceteri codd. Pall., Dav., Oxx., Gzii *nec vero* (U *nec quaero*). Mox *etiam* Gzius, cum a Gud. 1 et Bas. abesset, in ceteris scriberetur *et*, delevit, „prorsus ignorans, quo nomine h. l. ferri posset". Necessaria est particula, cum Cicero significet, nunc Romanos quoque ea tractare coepisse, quae antea soli Graeci tractassent.

Atticus noster e thesauris) *Noster* Crat. primus in contextu habet, deinde Grut. e Pall. 1 et 3, [B]; Dav. tacet, Oxx. tantum in U omitti annotant, Gzius in Gud. 2. Tum *e thes.* [B] iam Crat. et Vict. dederant; Dav. ex quinque *ex th.* scripsit; *de thes.*, quod tenent Man. et Lamb., Oxx. ex uno ξ annotant, Gzius e Gud. utroque; de Spir. et Bas. res incerta. *Suppeditare aliquid ex locis* scribitur de Orat. II, 215, ad Att. VIII, 1, 2; quamquam quis dubitat? Ex Attici thesauris multa, quae ad historiam pertinerent, Ciceronem prompsisse, declarant epistulae,

sauris suis quos et quantos viros! 68. Nonne melius est de his aliquid quam tantis voluminibus de Themista loqui? Sint ista Graecorum; quamquam ab iis philosophiam et omnes ingenuas disciplinas habemus; sed tamen est aliquid, quod nobis non liceat, liceat illis. Pugnant Stoici cum Peripateticis. Alteri negant quidquam esse bonum, nisi quod honestum sit, alteri, plurimum se et longe longeque plurimum tribuere honestati, sed tamen et in corpore et extra esse quaedam bona. Et certamen honestum et disputatio splendida! Omnis est enim de virtutis dignitate contentio.

1 Post *viros* add. *habere testium sat est* LPMCR 2. *iis* R *Themistocle* LMCR *loquitur* E 3. *his* [A]EPMCOr. *illis* L 10. *est* om. E

ut illud supra de Tubulo et Scaevola. Fortasse ipsum annalem Attici significat (Corn. Nep. Att. 18, Hannib. 13, Cic. Orat. 120, Brut. 14, 19, 42, 72, ad Att. XII, 23, 2, Ascon. in Pisonianam p. 127 Hot.).

quos et quantos viros) Sic etiam Pal. 1, codd. Mor. et Scal., El. (2), Spir. [B], Gud. 2. Ceteri eadem addunt, quae nostri deteriores; non intellexerat, qui interpolavit, formam orationis declarativae in exclamationem transeuntis. A multis damnata delevit Gzius. Quod autem iam diu ante Bremii coniecturam Manutius scripserat: *quot et quantos viros*, id etsi blandiri potest, quod et multitudo et magnitudo commode significari videtur, obstant tamen III de Legg. 20 et I de Divin. 52: *qui vir et quantus*; add. Plin. Ep. V, 15, 5.

68. *de Themista*) Nomen feminae in Epicuri schola celebratae, Leontei uxoris, ad quam Epicurus scripserat (Diog. X, 5 et 25; cfr. Cic. in Pison. 63 et Menag. Hist. mulierum philos. § 69) conservarunt etiam Pal. 1, Scalig. et Gifanii codd., Spir. [B]. Restituerat iam Lambinus, cum in codd. repperisset *Themistio* (sic etiam Pall. quinque, Parr. tres, Eξ). *Tanta illa volumina* nonnihil habent ex oratoria superlatione.

Alteri negant — alteri) dicunt; vid. ad § 25. Mox. ubi scriptum est: *et certamen* cet., nescio plane, cur turbatum a nonnullis editoribus sit; nam et frequenter sic nominativus sine verbo ponitur, cum breviter de re commemorata iudicatur (infra 97, V, 84, pro Mur. 19, de Divin. II, 3, al.), et rectissime haec laus in duas partes distribuitur, rerum ipsarum, de quibus certetur, et disputationis, quae inde splendorem accipiat. Tum *est* post *omnis* omittitur etiam in duobus aliis Gzii [B].

At cum tuis cum disseras, multa sunt audienda etiam de obscenis voluptatibus, de quibus ab Epicūro saepissime dicitur. 69. Non potes ergo ista tueri, Torquate, mihi crede, si te ipse et tuas cogitationes et studia perspexeris; pudebit te, inquam, illius tabulae, quam Cleanthes sane commode verbis depingere solebat. Iubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in tabula voluptatem pulcherrimo vestitu et ornatu regali in solio sedentem; praesto esse virtutes ut ancillulas, quae nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi ut voluptati ministrarent, et eam tantum ad aurem admonerent (si modo id pictura intellegi

1. *tu vis* E *cum desideras* E [„*cum* in A subducta linea deletum et sec. m. superscriptum est *tu.*"] *quomodo disseras* L 2. *de* ante *quibus* om. [A]E *dici* E 3. *igitur* EC *crede sed si* C 5. *nobis* (pro *verbis*) L 6. *pingere* LPMCR 8. *et habitu regali* C 9. *ac* (pro *ut*) E *ancillas* R 10. [*ministraret* Eh] 11. *tamen ad* R

cum disseras) Vereor, ne mendum hic haereat; neque enim coniunctivi ulla videtur ratio esse, [quoniam post *tuis* secunda persona de incerto subiecto (Gr. Lat. § 370) accipi nequit, nisi forte in certo subiecto eadem tamen significatio est rei tantum fictae et cogitatae; sed tum *sint* sequi debebat]. Ursinus et Marsus *si disseras*. In Erl. et Spir. Gzius narrat esse: *at tamen tuis eum disseras*, falso. [B ut Erl. Naegelsbachio in mentem venit *cum dissertas*, verbo non Ciceroniano. Kayserus simpliciter *disseris* scribi iussit.]

69. *verbis depingere*) Sic Mars., Crat., Grut. tacite, Ox. ξ, Gzii praeter Gud. 1. Davisius revocavit *pingere* e deterioribus codd. (duobus suis, Oxx. quattuor) et vett. edd. *Depingere vitam* (oratione), *aliquid cogitatione* dixit Cicero, non *pingere*; *depingere imaginem verbis* Quintilianus.

pictam in tabula voluptatem) Ab Cicerone, opinor, huius tabulae descriptionem Augustinus mutuatus est, de Civit. Dei V, 20. Senecam de vit. beat. 11 et 14, nihil est, cur eam ante oculos habuisse credamus ac non suis coloribus usum esse, qui facile cuivis occurrerent; idem de III de Off. 117 dicendum.

ancillulas) *Ancillas* aliquot vett. edd., Oxx. Eξψ; verum in mg. Crat. annotatur.

si modo id — posset) Cleanthis hanc esse cautionem, satis verbi modus et tempus admonet; et tamen Gzius et Otto reprehendi eum a Cicerone putant.

posset), ut caveret, ne quid faceret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quidquam, e quo oriretur aliquis dolor. „Nos quidem virtutes sic natae sumus, ut tibi serviremus; aliud negotii nihil habemus.“

XXII. 70. At negat Epicurus (hoc enim vestrum lumen est), quemquam, qui honeste non vivat, iucunde posse vivere. Quasi ego id curem, quid ille aiat aut neget; illud quaero, quid ei, qui in voluptate summum bonum ponat, consentaneum

1. *perficeret* LPMCR 2. *quidquid* E *animis* (pro *aliquis*) L 3. [*dolorum* Eh] *sic* — *negotii* transp. inter *enim* et *vestrum* C 4. *aliud* — *habemus* om. M *negotium nihil* [A]P *negotium non* E *nihil negotii* R 5. *Epic. negat* E 7. *Quasi* — *neget* Non. p. 70: *quasi ego id curem, quod* cet. *ergo* C [*alat* AEh] *agat* C 8. *qui voluptatem* E *putat* (pro *ponat*) LPMCR

ne quid faceret) Sic etiam Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor., El. 2, CCC; restituit Davisius.

aliud negotii) Meliores codd. (Pal. 1, Spir. [B], etiam Pal. 4 et ξ) *negotium*, quod mendum propter *aliud* ortum videtur indeque natum in Erl. et Spir. [B] *negotium non habemus*. Gzius, cum in Oxx. Eχ, Gud. 1, Bas. esset *haberemus*, scribendum putavit: *aliud negotium non haberemus*. Debebat in consilii significatione (ea enim in imperfecto esset) potius dici: *ne haberemus* (*ut ne*). Otto Latine dici credidit: *nihil* (id est, non) *habeo aliud negotium*. Renuet negitabitque, quem auctorem citat. Wunderus (ad orat. Planc. p. 182 sqq.), quamquam vir egregius non satis attendit in eo loco, qui in II de leg. agr. est § 37, ubi *nihil* coniungitur cum *suspicari*.

Cap. XXII, 70. *summum bonum ponat*) Sic unus Pal. 1 et, si Gzio credimus, Gud. 1 (de Marso errat; Lallemando de codd. regiis non credendum est); Oxx. tamen Eξ *ponat putat*. [Accedunt nunc Halmio teste Erl. et B.] Recepit Davisius. Repugnant Bremius et Gzius, huic locutioni: *in voluptate summum bonum putare* simile illud credentes: *imperatorem in aliquo numero putare* (quo nihilo similius est, quod Matthiaeus comparat ex V, 20, *vacationem doloris in rebus expetendis putare*, id est, numerare), tum non intellegentes, quod ne a Beiero quidem (ad Off. III, 117 p. 409) admonitus Otto intellexit, prorsus ferri non posse indicativum in hac necessaria parte obliquae orationis, ubi res ab uno Epicuro ad generalem notionem (*ei, qui*) transferatur, ut illo ipso de Off. loco: *Tamen non id spectandum est, quid dicat* (Epicurus), *sed quid consentaneum sit ei dicere, qui bona voluptate terminaverit, mala dolore.* Vid. ad § 15.

sit dicere. Quid affers, cur Thorius, cur † Chius Postumius, cur omnium horum magister, Orata, non iucundissime vixerit? Ipse negat, ut ante dixi, luxuriosorum vitam reprendendam, nisi plane fatui sint, id est, nisi aut cupiant aut metuant. Quarum ambarum rerum cum medicinam polliceatur, luxuriae licentiam pollicetur. His enim rebus detractis negat se reperire in asotorum vita, quod reprendat.

1. *est* C   *Postumius cur Chius* LPMCR *cur C. Hirrius Postumius* Or. cum nota mendi [*Postumus* Eb]   2. *horum* om. LPMCR   4. *idem* (pro *id est*) EPC *iidem* LM   *aut plane cupiant* R   5. *medicinam cum* E   7. *quid* L

cur Chius Postumius) Sic etiam Pal. 1, mg. Crat., cod. Mor., Spir., Gud. 1 (an potius 2?). El. 2 *cur Chireus Postumius*; eandemque scripturam Scaliger reppererat, ex qua ille fecit: *cur C. Hirrius Postumius*, quemadmodum Morelius et Ursinus (nisi quod hic *C. Hirrus*), ut intellegatur is, quem Varro de R. R. III, 17, 2 et Plinius H. N. IX, 171 primum muraenarum vivarium excogitasse narrant. Secuti hanc coniecturam post Davisium omnes sunt praeter Ernestium et Bremium. Sed nec, cur tam diligenter et tribus nominibus insigniatur, apparet nec cognomen ei Varro et Plinius addunt; debebat praeterea *Postumus* esse; [et hoc quidem in Erl. et B est]. Accedit, ut vix possit *omnium horum* de universo genere, ac non de iis, qui nominati sint, intellegi, quod sensit etiam Davisius. Itaque tres nominasse Cicero videtur, duos praeter Thorium, ut, si *Chius* est *C. Hirrius* [*C. Heius*], deesse videatur Postumii praenomen; nec enim mirum est, nominari homines nobis ignotos. In his, quos Cicero inter Thorium, quem ante commemorarat, et Oratam intericit, recte asyndeto uti potuit. Deteriores aliorum, ut mei, perturbate. Marsus *Postumus cur Chirrus* (*Chirus* Urs. cod.). [Kayserus: *cur Hirrius*, *cur Postumius.*] Tum *horum*, quod Crat. (non Marsus), Vict., deinde Grut. tacite ediderunt, apparet nunc e melioribus codd. ductum esse; omittitur in Mead., CCC (ξ), Ball., Uχ, Gud. 2, Bas. De C. Sergii Oratae (Auratae), qui L. Crassi oratoris aequalis fuit, luxuria et in eo genere inventis multi multa, ipse Cicero in fragm. Hortensii apud August. de vit. beat. 26 (p. 484 Or.), Val. Max. IX, 1, 1, Plin. H. N. IX, 168, Macrob. Saturn. II, 11.

nisi plane fatui sint, *id est*, *nisi* cet.) Praeposuit Cicero suam interpretationem, subiecit ipsa Epicuri verba (de quibus vid. ad § 21); dixi de hoc usu vocum *id est* ad I, 33. Tum mendum ed. R, *plane* ante *cupiant* repetentis, propagatum usque

71. Non igitur potestis voluptate omnia dirigentes aut tueri aut retinere virtutem. Nam nec vir bonus ac iustus haberi debet, qui, ne malum habeat, abstinet se ab iniuria; nosti, credo, illud:

Nemo pius est, qui pietatem —

cave putes quidquam esse verius. Nec enim, dum metuit, iustus est et certe, si metuere destiterit, non erit; non metuet autem, sive celare poterit sive opibus magnis, quidquid fecerit, obtinere, certeque malet existimari vir bonus, ut non

5. *pietate* E, add. *cavet* LPMCR 6. *quidquam putes* LPMCROr. 7. [*desistit* A] *destitere* E *metuit* LMCR 8. *potuerit* EOr. *maius* LPMR *quidquam* LPMCR 9. *obtinere* om. LPMCR *mallet obtinere existimari* LPMCR [*mallet* etiam AEh] *bonus vir* [A]LPMCROr.

ad Victorium. Morelius *plane* in suo cod. omitti annotat. Paulo post *rebus* om. Bas., Marsus.

71. *Nam nec vir bonus*) Debuit sequi de reliquis virtutibus: *nec fortis* et de ceteris eodem modo; vid. 72 et exc. ad I, 23. Duo Gzii et Ox. ξ, ed. Marsi: *aut iustus*. *Ne malum habeat* eodem modo ponitur ad Att. VII, 2, 4.

qui pietatem) Sic Pal. 1, Spir., nisi quod hic *pietate*; [B *pietatem*]. Sententia versus cuiusmodi fuerit, apparet; (*pietatem metu colit* aut simili forma).

poterit) *Potuerit* etiam Spir., ediditque Gzius, quod ferri possit; longe tamen alius generis sunt, quae is eiusdem esse putat, vera ac necessaria futura exacta *destiterit*, *fecerit*. Vid. Opusc. Acad. II p. 83 not.

sive — obtinere cet.) Hic quoque locus, qui ante Manutium et Lambinum sic edebatur, ut est in nostris codd. deterioribus, salutem meliori codicum familiae debet; eum, ut nunc editur, scriptum in antiquis codicibus repperit Io. Scala, P. Manutii amicus, tum Lambinus idem de se testatur; et erat sic in Pal. 1. mg. Crat., cod. Mor., nisi quod levi mendo *mallet* (Crat. *malle*) habebant. Dav. et Gzius nihil dixerunt. Oxx. e ψ annotarunt *maius*, e χψ *quidquam*, ex EUξψ *mallet*, id, quod caput est, transpositionem verbi *obtinere*, e nullo, quia ordinem verborum illi ne hactenus quidem curabant, ut ibi annotarent, ubi prorsus mutaretur oratio. Apparet autem audacia interpolatoris non minus quam supra § 26. Nam cum *obtinere* putaret esse *consequi*, quo significatu nemo bonus scriptor posuit (etsi apud Forcellinum eo trahuntur loci quidam, in quibus est *durchsetzen*; apud Cic. Legg. I, 59 in verbis *ad obtinendam adipiscendamque sa-*

sit, quam esse, ut non putetur. Ita, quod † certissimum

1. *itaque* (pro *ita quod*) R

pientiam aut durissima hysterologia est aut scriptura mendosa; nam obtinemus, quod iam adepti sumus), — cum igitur sic acciperet et fortasse iam scriptum reperiret *quidquam*, effecit: *sive opibus maius quidquam* (*quidpiam* esse debebat) *fecerit*; *certeque mallet* (*malet*) *obtinere existimari* (h. e. consequi, ut existimetur) cet.

vir bonus) Sic etiam Spir. [B], ut solet fere Cicero scribere hoc casu, praeposito monosyllabo; sed tamen *bonus vir* § 81, Off. III, 76. Bas. omittebat *vir*. Deinde in verbis *ut non sit* et *ut non putetur* Gzius et Otto *ut* pro *licet* positum putant. Rectiora prudenter et erudite docuit Wesenbergius in Annot. in Cic. Tusc. specimine primo (Viburgi 1830) p. 24 sqq. Ut enim, cum sic dicitur (de imp. Pomp. 19): *Ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefacta motu concidant*, nemo dubitat, quin necessariae consecutionis (*ohne dass*) significatio oriatur ex significatione modi (*ruere illa non possunt tali modo, ut non* cet.), ex quo genere est illud, quod infra IV, 29 legitur: *Sed id ne cogitari quidem potest, quale sit, ut non repugnet ipsum sibi*, etsi ibi non tam consecutio indicatur, quam quid in ipsa re inhaereat, item de aliis orationis formis iudicandum est, in quibus hac particula significatur, quo adiecto aut excluso aliquid mente concipiendum sit, ut in illo Laelii loco § 52: *Quis est, qui velit, ut neque diligat quemquam nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis*, hoc est, eo modo eaque lege, ut cet. Cfr. Tusc. I, 23. Livius etiam durius sic posuit *ut non* de modo, ut prorsus substitui possit *nisi* de condicione, XXVIII, 13, 1: *neque Romanis legionibus tantae se parem fore multitudini ratus, u t n o n in speciem saltem opponerentur barbarorum auxilia.* Atque hinc natus est concessivus particulae usus, cum initio sic diceretur, posse aliquid ita dici fierive, ut aliud aliquid simul aut fieret aut fieri non opus esset, paulatim autem prorsus obscuraretur modi significatio. Itaque ab eodem capite etiam ille usus manavit, cum non conceditur aliquid, sed sumitur et esse putatur in iudicando, velut hoc opere V, 82: *ut sapiens fuerit.* Ne in eo quidem, quod legitur I, 65 (*ut ad Orestem pervenias* cet.) *ut* aliter accipiendum est; (eiusmodi investigatione, ut cet.).

quod certissimum est) Hoc mendosum esse, omnes inde a Th. Bentleio et Davisio iure consentiunt praeter Gzium; ineptissime enim, cum aliquid concluditur et affirmatur, additur hoc modo, tamquam animadversione dignum, hoc ipsum,

est, pro vera certaque iustitia simulationem nobis iustitiae traditis praecipitisque quodam modo, ut nostram stabilem conscientiam contemnamus, aliorum errantem opinionem aucupemur. 72. Quae dici eadem de ceteris virtutibus possunt, quarum omnium fundamenta vos in voluptate tamquam in aqua ponitis. Quid enim? fortemne possumus dicere eundem illum Torquatum? — (delector enim, quamquam te non possum, ut ais, corrumpere, delector, inquam, et familia vestra et nomine; et hercule mihi vir optimus nostrique amantissimus, A. Torquatus, versatur ante oculos, cuius

5. *vos* om. L 6. *fortem non possumus* E 8. *possim* MCR 9. *modo* (pro *mihi*) LPMCR *nostri Q amantissimus* E 10. *Aulius* [A]PM

quod concludatur, certum esse. Nihil sic addi potest, nisi quod iudicium contineat de ipsa re. (Inelegantem repetitionem adiectivi eiusdem et adverbii cognati: *certeque*, *certissimum*, *certaque* non numero.) Ad sententiam apta sunt, quae Bentleio et Bremio in mentem venerunt, alteri *turpissimum*, alteri *perniciosissimum*.

72. *eundem illum Torquatum — delector enim* cet. ad *redeo* § 73) Significavi, quod omnes neglexerant, interruptam orationem et redintegratam; quo non animadverso, sententia nulla est; neque enim quaerit simpliciter, fortemne Torquatum illum dicere possit, tamquam neget fortem fuisse, sed cum condicione. Mox *possim*, ut Crat. et Vict., etiam cod. ψ et Davisius.

mihi) Sic Pal. 1, Spir. [B]. mg. Crat., Eξ. Probarat iam Lambinus, restituit Gruterus. Ceteri *modo*; Gud. 1 *mihi vir modo.*

A. Torquatus) Humaniter mentionem intulit amici, qui tum, cum haec Cicero scribebat, in Graecia exulabat, Caesari invisus; vid. ad Fam. VI, 1-4 (ep. 1, 7: *ego habeo*, *cui plus quam tibi debeam*, *neminem*). Is, ut videtur, praetor fuit a. 52 a. Chr. (Ascon. ad Milon. p. 147 et 159 Hot.), nec alius *optimus vir* appellatur ad Att. V, 1, 5. L. Torquati, qui in his libris partes habet, fratrem non fuisse, quod Ernestius et alii putarunt, recte Gzius e Ciceronis silentio et orationis forma apparere putat. Nec video, cur ab hoc seiungamus et Lucii fratrem faciamus eum, qui cum Lucio nominatur ad Att. IX, 8. Quid is in Ciceronis causa egerit, cum hic a Clodio impugnatus esset, nescimus. [Verbum *fuerit* post *studium* posueram Erlangensis meam collationem et Gzii de Spir. testimonium secutus. B ut ceteri.] Paulo post lusit Cicero in duplici usi vocis *gratus*.

quantum studium et quam insigne fuerit erga me temporibus illis, quae nota sunt omnibus, scire necesse est utrumque vestrum; quae mihi ipsi, qui volo et esse et haberi gratus, grata non essent, nisi eum perspicerem mea causa mihi amicum fuisse, non sua; nisi hoc dicis, sua, quod interest omnium recte facere. Si id dicis, vicimus; id enim volumus, id contendimus, ut officii fructus sit ipsum officium. 73. Hoc ille tuus non vult omnibusque ex rebus voluptatem quasi mercedem exigit; sed ad illum redeo;) si voluptatis causa cum Gallo apud Anienem depugnavit provocatus et ex eius spoliis sibi et torquem et cognomen induit ullam aliam ob causam, nisi quod ei talia facta digna viro videbantur, fortem non puto. Iam si pudor, si modestia, si pudicitia, si uno verbo temperantia poenae aut infamiae metu coërcebuntur, non sanctitate sua se tuebuntur, quod adulterium, quod stuprum, quae libido non se proripiet ac proiciet aut

1. *studium fuerit et tam insigne fuerit* E *fuerit* transp. post *studium* Or. *etiam* (pro *et*) C 3. *volo esse* L *cupio* (pro *et haberi*) C 4. *nisi aspicerem* C 6. *enim* om. P 8. *voluptatem* om. E 10. [*eius* om. A¹] 11. *nullam* omnes *aliam* om. R 13. *si pudor* om. PMCR, add. *est* E 14. *poenae* om E 16. *se non* R *aut* (pro *ac*) C

73. *ullam aliam ob causam*) Conspirant aliorum quoque codices in *nullam*. Emendatum Orellius dicit iam in ed. Ven. 1480; deinde a P. Manutio. (Paulo ante Eξ et tres Gzii *haec ille tuus non vult.*)

si pudor) Haec, quae omittuntur in codd. deterioribus, accesserunt in ed. Crat. et Vict. Erant in Pal. 1, [B,] Eξ. Dav. et Gzius tacent. Annotandum verbum plurale non solum post anaphoram coniunctionis in subiectis [vid. Wesenb. Emendatt. epist. Cic. p. 127], sed etiam post subiecta apertissime (*uno verbo*) in unam postremam notionem collecta et conflata. Tum Cicero insolentius virtutes, quae in vitiis coërcendis positae sunt, ipsas coërceri dixit; obversabatur enim notio cupiditatis prudentia quadam temperatae, quae ipsa erat virtus Epicurea. [Similiter, minus tamen notabiliter, infra 88 *perfectio virtutis* dicitur, quae est virtus perfectione rationis orta.]

quod adulterium — se proripiet ac proiciet) Recte haec verba absolute dicuntur de iis, quae spreta dissimulatione audacter prorumpunt, ut nulla causa fuerit, cur aut corrector codicum Eξ aut Davisius scriberet: *quo adulterium, quo stuprum,*

occultatione proposita aut impunitate aut licentia? 74. Quid? illud, Torquate, quale tandem videtur, te isto nomine, ingenio, gloria, quae facis, quae cogitas, quae contendis, quo referas, cuius rei causa perficere, quae conaris, velis, quid optimum denique in vita iudices, non audere in conventu dicere? Quid enim mereri velis, iam cum magistratum inieris et in contionem ascenderis (est enim tibi edicendum, quae sis observaturus in iure dicendo, et fortasse etiam, si tibi erit visum, aliquid de maioribus tuis et de te ipso dices more maiorum), — quid merearis igitur, ut dicas, te in eo magi-

1. *quod* E 4. *quod optimum* [AEh]PMCR 6. *merere* E *iam cum tu* MR 7. *contencionem* E 8. *servaturus* C 9. *tuis* om. C 10. *te dicas* COr.

quo libido, in quo etiam molesta est loci notio in singulis rebus repetita.

aut occultatione aut impunitate aut licentia) Ex his tribus duo posteriora non ita inter se differunt, ut ipsa a primo; et supra (71) duo erant, non tria, *celare* et *magnis opibus obtinere*; neque nova partitio hic altero *aut* fieri potest in tribus substantivis (quemadmodum fit, ut hoc utar, pro Sestio 24: *si parvo puero aut si imbecillo seni aut debili*). et, si fieri posset, nihilo magis, quid interesset certi discriminis, constaret. Non improbabiliter igitur Lambinus *ac licentia*.

74. *quid optimum*) Plerique mendose ediderunt *quod*; correxerat Manutius, tum Davisius e Par. 3; vid. ad I, 18.

iam cum) *Tu* addunt etiam El. (uter?), Mead., χψ, Bas., Gud. 1; receperunt Vict. et Dav. Vitiose abundat. *Iam* adverbium significat, non longe abesse praeturae ineundae tempus, ut in Brut. 171: *Iam intelleges, cum in Galliam veneris*, [et supra I, 37, infra III, 40. Livius I, 23, 9: *Memor esto, iam cum signum pugnae dabis*, cet.]. Cur, dicat aliquis, hoc tam puerile? Videat modo, quas proprietates concurrentibus particulis *iam cum* et *cum iam* Handius ascribat Turs. III p. 118 in aliquot locis, in quibus quid esset, quod a pervagatissimo usu vocis *iam* abhorreret, frustra intellegere studui. Praetor Torquatus fuit a. 49 a. Chr.; vid. argum. libri I. Non memini alibi tradi, praetorem in contione edixisse et edicto orationem addidisse.

ut dicas, te) Sic omnes etiam Gzii codd. et ex R edd. quaedam veteres. Mox etiam Gud. 1 *inquit*, ut voluerat Walkerus.

stratu omnia voluptatis causa facturum esse teque nihil fecisse in vita nisi voluptatis causa? — An me, inquis, tam amentem putas, ut apud imperitos isto modo loquar? — At tu eadem ista dic in iudicio aut, si coronam times, dic in senatu. Numquam facies. Cur, nisi quod turpis oratio est? Mene ergo et Triarium dignos existimas, apud quos turpiter loquare?

XXIII. 75. Verum esto: verbum ipsum voluptatis non habet dignitatem, nec nos fortasse intellegimus; hoc enim identidem dicitis, non intellegere nos, quam dicatis voluptatem. Rem videlicet difficilem et obscuram! Individua cum dicitis

2. *inquit* C 5. *quod* om. E *est oratio* LPMCR 6. *existimes* [A]L 7. [*loquere* Eh] 10. *voluptatem quam dicatis* LPMCR *voluptatis* E 11. *vides* omnes, Or. *cum dicitis* om. PMCR

Nulla hic ratio est incertae personae inducendae, cum in unum Torquatum haec cadant.

nisi quod turpis oratio est) Omittunt *quod* etiam Spir. [B] et tres Parr. Davisii; sequuntur eos hic et Gzius, [contra A et] vix recte. Nam aut sic quaeritur: *Quam aliam causam habes nisi hanc?* id est: *nisi quod*, aut sic: *Quam causam* (omnino) *habes, si hanc non habes?* id est: *si turpis oratio non est*; tertium illud: *Quam causam habes, nisi — est?* interrogationi ad negationem inclinanti exceptionem similem adiungere videtur, ac si dicas *nisi forte*, quod hinc alienum est. Notabile tamen, infra § 102 similiter in melioribus codicibus [sed omnibus] esse *nisi*, in deterioribus *nisi cum*. Verbum ultimo loco habent etiam Spir., Bas., Gud. 1 et ex iis Gzius.

Cap. XXIII, 75. *quam dicatis voluptatem*) Verum ordinem (prave enim substantivum interrogativo praeponebatur, in quod praesertim oratio incumbat) restituit Gzius e suis codd. praeter Gud. 2 (nisi de deterioribus falsus est, ut de Marso), et ediderat sic Cratander.

Rem videlicet difficilem) In omnibus codd., hoc est, in uno principe compendium hoc *vid.* transiit in *vides*, ut alibi, quod commutatum erat cum altero *iud.*, in *iudices* (pro Planc. 72 ibique Garat.). Correxit Manutius certissima emendatione et a multis probata, contra quem Gzius frustra pugnat. Neque enim in huiusmodi ironia, cum id, quod adversarius intellegi negat, pervagatum esse significatur, quisquam *vides* dicere potest. Quid enim ille *videt*? Tum illo vocabulo utimur, cum alterum ad rem sibi notam, quae ad alium aliquem pertineat, attendere

et intermundia, quae nec sunt ulla nec possunt esse, intellegimus; voluptas, quae passeribus nota est omnibus, a nobis intellegi non potest? Quid, si efficio, ut fateare, me non modo, quid sit voluptas, scire (est enim iucundus motus in sensu), sed etiam, quid eam tu velis esse? Tum enim eam ipsam vis, quam modo ego dixi, et nomen imponis, in motu ut sit

1. *esse possunt* L 2. *omnibus nota est* EI'MCROr. *est nota omnibus* L 3. [*ne* pro *me* Eh] 4. *sciretur* E 5. *velis tu eam* E *tu enim* MR 6. [*dixi ego* Eh] *ego* om. L *nomen iam ponis* E

iubemus (II, 30: *nunc vides*; IV, 7: *itaque vides*; ibd. 5: *illorum, vides, quam niteat oratio*) aut ad id, quod nostra argumentatione et oratione conficiatur. (Quod Gzius advocat, quod IV, 7 editur: *vides, quantam rem agas*, id, etiamsi mendo careat, diversissimum est; ibi enim alter attendere iubetur, quantam rem suscipiat, non negatur magnum esse, quod is dixisset.) Poterat poni: *Rem dicis difficilem*; sed nihil aptius quam *videlicet*, ut mirer, Davisium *video* scribendum coicere, in quo nulla irrisio est, Ernestium *vide*, quod paene in eodem incommodo est, in quo *vides*. Accusativus autem eodem appositionis genere ad superiorem sententiam annectitur, quasi a verbo pendens (*rem videlicet difficilem nos non intellegere dicitis*), quo II de Orat. 79: *Rem sane non reconditam*, et Orat. 52: *Sed id mihi quaerere videbare, quod genus ipsius orationis optimum iudicarem; rem difficilem, di immortales! atque omnium difficillimam* (quibus locis usus est Matthiaeus in Gramm. Graec. § 432, 5), et I Tusc. 102: *Admoneor, ut aliquid etiam de humatione dicendum existimem; rem non difficilem* cet. Nec aliter hoc accusativo Cicero usus est nisi in adiciendo huiusmodi iudicio, intra fines aliquanto angustiores, quam aut Graeci aut Tacitus [vid. Nipperd. ad Ann. I, 27], nec pluribus, opinor, locis quam quos posui.

cum dicitis) Sic Crat. et Vict., tum e Pall. 1 et 3 Grut., et erant haec verba in Oxx. Eξ, Spir. [B], etiam Bas. Morelius omitti in suo cod. annotat, quod miror.

intermundia) *Τὰ μεταχόσμια* sic appellat hic et I de N. D. 18, hoc est, *τὰ μεταξὺ διαστήματα* (Epic. apud Diog. X, 89), fortasse sumpto nomine ab Epicureo aliquo Romano, qui haec Latina facere conabantur. Tum *omnibus nota est* etiam omnes Gzii codd.; Gruterus tacite *nota est omnibus*, quod propagatum est, excepto Davisio, [et nunc repositum, cum sit in A]. Passeres cur nominet, ostendit communis de eius avis natura opinio.

modo ego dixi) Gzius propter incertum ordinem (nam in

et faciat aliquam varietatem, tum aliam quandam summam voluptatem, cui addi nihil possit; eam tum adesse, cum dolor omnis absit; eam stabilem appellas. 76. Sit sane ista voluptas. Dic in quovis conventu, te omnia facere, ne doleas. Si ne hoc quidem satis ample, satis honeste dici putas, dic te omnia et in isto magistratu et in omni vita utilitatis tuae causa facturum, nihil nisi quod expediat, nihil denique nisi tua causa; quem clamorem contionis aut quam spem consulatus eius, qui tibi paratissimus

2. [*quo* pro *cui* A *qua* Eh] *potest* C 3. *assit* E *eamque stabilem* LPMCBOr. 4. *in quo conventu vis* E 5. *sum hoc quid est satis* E 6 [*omnia te* A aut hic aut v. 4] 8. *tui causa* E

Gud. 2 et Bas. esse *dixi modo ego*) delevit *modo ego* cum damno orationis et oppositionis; nec talia scribae addunt; et quod *modo* de re tam brevi ante nominata improbat, ignorat particulae usum; vid. Legg. I, 47.

nomen imponis, in motu ut sit) Non habebat Cicero unum satis usitatum nomen; nam *moventem* non appellabant, etsi eo usus est § 31; itaque circumlocutione usus est; deinde liberius paulo huic circumlocutioni ea adiunxit proxime et eodem ordine (*et faciat* cet.), quae nihil ad nomen pertinerent, sed ad naturam rei. [Mox *quo* et *qua* orta puto ex *quoi*. Vid. Emend. Liv. p. 286. Baiterus A secutus est. Cum eo nunc sustuli *que* post *eam*, omissum etiam in B.]

76. *nisi tua causa*) Dixeritne Cicero *tui causa*, non tam certum est, ut unius Erl. [et B] fide sic scribendum putarim [nedum repugnante nunc aperte A], etsi ipse in Lael. 57 optimis codd. obsequens edidi *nostri causa* [ubi nunc duo antiquissimi *nostra* dederunt], in Verr. III, 121 Zumptius *sui causa*. In Acad. II, 120 nunc editur e pluribus et melioribus codicibus *nostra causa*. De Div. II, 126 auctoritatem paene nullam habet *nostri causa*; hoc ipso libro 60 in duobus Gzii codd., Bas. et Gud. 1, erat *sui causa*. Dictum sic aliquando esse, declarat etiam Servius ad Aeneid. XII, 29. Praeter Ciceronem apud Plinium H. N. II, 155 legebatur *nostri causa*, [nunc e codd. *nostra*]; Ulpiani et Papiniani locos, quos Vossius (de constr. c. 57) significat, non vacavit operose quaerere. Multo tamen difficilior videtur fuisse in *causae* nomine transitus a possessiva forma ad obiectivum genetivum [Gr. Lat. § 297 b cum notis] quam, quod unum genus eius transitus praeterea apud Ciceronem reperitur, in substantivis personam agentem significantibus (*accusator mei* pro *meus*). Cetera, quae apud poëtas et argenteae aetatis scriptores reperiun-

est, futuram putas? Eamne rationem igitur sequere, qua

1. *putas* M, superscripto *e*; *putes* ceteri, Or. *igitur* om LPMCR *sequare* ELPMCROr.

tur (*imago nostri*, *gravitate sui*, *longa sui absentia*, *tertia parte sui* cet.), ad Ciceronem nihil pertinent, sed ne ea quidem cum *causae* nomine valde coniuncta sunt. Quo uno loco apud Ciceronem in aperta significatione possessiva *tui* legitur, ad Fam. II, 6 extr., ibi Cicero sine dubio scripsit ut saepissime: *unius tuo studio*; [atque ita Med. a prima manu]. In IV Catil. 7 *pro sui dignitate*, quod in multis codd. est, nemo probavit. [De proximis verbis *quem clamorem* cet. vid. ad V, 61.]

futuram putas) Non magis in hac simplici interrogatione de iudicio alterius coniunctivum ferendum putavi, quam tulerunt prudentes editores in act. I in Verr. 40: *Quo me tandem animo fore putetis?* Correxi eo fidentius, quod V, 89 idem mendum optimi codices tollunt et supra § 60 sustulerunt, utroque autem loco scribarum iudicium apparet. Hic tamen Bas. quoque codicis corrector *putas* supra scripsit. Gzius optativum suum crepat. In Tuscul. V, 119 vitiosum in hoc genere sane erat: *Quid a Socrate et Platone profectis philosophis faciendum putes?* Non minus vitiosum est in ipso verbo, quod ex optimis codicibus revocavit Klotzius, crudelitatem criticorum accusans. Nemo enim sic sententiam eius, quicum loquitur, exquirit: *Quid faciendum vides?* Quod Moserus scripsit: *Quid tandem — faciendum, vides*, sine interrogatione, neque *sit* abesse potest et interrogationem postulat *tandem*. Nihil plane ad hanc rem pertinet Livii locus IX, 34, 12, ubi P. Sempronius secunda persona de incerto subiecto utitur [Gr. Lat. § 370]: *Quem tu regem sacrificiorum crees?* (Sic interpungendum; est enim: *creare audeas?*) *Ut qui optimo iure rex Romae creatus sit, creatum se dicet.* (Sic interpungendum: quicumque creatus erit, simili calumnia utetur, ac nunc in censura Claudius.) *Quem semestri dictatura, quem interregno quinque dierum contentum fore putes?* cet. Deinde autem ad auditores convertens orationem recte dicit: *Quam isti stolidos ac socordes videri creditis eos* cet.?

Eamne rationem igitur sequere) *Igitur* praeter Erl. accessit e Pall. 1, 3, Spir. [B], receptum a Davisio; in El. 2, Eξ erat: *eamne igitur rationem*. [*Sequere* pro *sequare* nunc cum Baitero ex A, cui adiungitur Ox. E, recepi; neque enim haec interrogatio ex illo vehementi genere est, in quo additur pronomen: *tu deligas ex omni populo amicos tuos* cet. et hic paulo post: *verba tu fingas* cet., de quo dixit Wunderus ad orat. pro Planc. 40; nam in eo sane coniunctivus paene necessarius est, nec

tecum ipse et cum tuis utare, profiteri et in medium proferre non audeas? At vero illa, quae Peripatetici, quae Stoici dicunt, semper tibi in ore sunt, in iudiciis, in senatu. Officium, aequitatem, dignitatem, fidem, recta, honesta, digna imperio, digna populo Romano, omnia pericula pro re publica, mori pro patria, haec cum loqueris, nos barones stupemus, tu videlicet tecum ipse rides. 77. Nam inter ista tam magnifica verba tamque praeclara non habet ullum voluptas locum, non modo illa, quam in motu esse dicitis, quam omnes urbani, rustici, omnes, inquam, qui Latine loquuntur, voluptatem vocant, sed ne haec quidem stabilis, quam praeter vos nemo appellat voluptatem.

XXIV. Vide igitur, ne non debeas verbis nostris uti, sententiis tuis. Quod si vultum tibi, si incessum fingeres, quo gravior viderere, non esses tui similis; verba tu fingas et ea dicas, quae non sentias? aut etiam, ut vestitum, sic sententiam habeas aliam domesticam, aliam forensem, ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur? Vide, quaeso, rectumne sit. Mihi quidem eae verae videntur opiniones, quae honestae, quae laudabiles, quae gloriosae, quae in senatu, quae apud populum, quae in omni coetu concilioque

1. *profiteri autem et* LPMCROr. 6. *varones* C 7. *rectum* (pro *tecum*) P *ipse* om. L 8. *magnificata* E 13. *igitur* om. LPMCR 14. Post *incessum* add. *tibi* L [*fringeres* A] 15. *esse* E 16. *sit* (pro *ut*) E 19. [*mihi quid* Eh] *hae* [A]LMCR [*et* Eh] 21. *ad populum* L

video nisi unum et alterum obstare exemplum, ut Philipp. V, 6 et XIV, 18.]

Officium, aequitatem — pro patria, haec cet.) Orationem ut Davisius sic distinxi, ut appareat, unde accusativi orti sint et quam rationem habeant; nam omnia colligit vox *haec.* Ceteri ante *haec* plene interpungunt.

nos barones) In hac scriptura nominis consentiunt codices (Mor., Pall., Dav., Gzii), ut fere in ceteris Ciceronis locis; de origine non habeo quod addam aliorum coniecturis.

Cap. XXIV, 77. *Vide igitur*) Sic iam Cratander scripserat, deinde e Pal. 1 et El. 2 Davisius; accedunt [B,] Eξ, Gzii, si non erravit, omnes praeter Gud. 2. Ceteri *igitur* omittunt. Pro *debeas* codd. Mor. et Scal. *dubites.*

profitendae sint, ne id non pudeat sentire, quod pudeat dicere. 78. Amicitiae vero locus ubi esse potest aut quis amicus esse cuiquam, quem non ipsum amet propter ipsum? Quid autem est amare, e quo nomen ductum amicitiae est, nisi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamsi ad se ex iis nihil redundet? Prodest, inquit, mihi eo esse animo. Immo vi-

1. *proferendae* LPMCROr. *ne idem* C *ne id pudeat ne sentire quod non pudeat* E 2. *ubi locus* R *esse* post *amicus* om. L 4. *ex* C *amicitiae ductum* LMCR 5. *ex his* [A]L *nihil ex iis* EOr. 6. [*redeunt et prodest* AEh] *redeat quid prodest* LMC *redeat et prod.* PR(Em) *redeat. Et quidem prod.* Or. *inquis* (P)R om. MC (*mihi inquis* R) *in eo* LPMCR

profitendae sint) *Profitendae* etiam Pal. 1, El. 1 (2?), codd. Mor. et Scal., nec dubitari debet de Spir., quamquam Gzius incredibili socordia. praefatus, Davisium de Pal. 1 falli videri nec quidquam Gruterum monere (at is perspicue illud scripsit), negat „suos illos binos a vulgata discedere". [B recte.] Deinde omnes suos dicit habere *sunt* itaque edidit; fallitur de Erl. et. opinor. de omnibus; coniunctivus est ex eo genere, de quo dictum est ad § 15. De gerundivi usu in hoc loco dixi ad I, 6. Mox *ne id non pudeat* cet. sic adiunguntur, ut cum brevitate quadam et ellipsi Cicero significet, quo consilio quaque de causa haec dicat; (hoc ideo statuo et dico, ne cet., id est: nam, nisi ita statuerimus, non pudebit cet.); cfr., si tanti est, I, 43 (*ne invidia* cet.). Erratum est in his a pluribus.

78. *quid autem est amare*) Davisius malebat *quid enim*, quod praeceperat is, cuius correctiones codd. Eξ habent. Putant enim ex amandi notione, e quo nomen amicitiae ductum dicatur, confirmari, quod de amicitia dictum sit. Sed Cicero, posito iam in priore sententia *ipsum propter ipsum*, hoc tamquam novum adiungit. Tum *ductum amicitiae* Gruterus tacite [ex A]; superiores et Davisius e suis codd., ut nostri deteriores. De eo, quod sequitur, *ad se*, dictum ad I, 67. *Nihil ex iis* etiam Spir. [B *nihil ex hijs*.]

redundet. Prodest) [Cum ederetur *redeat. Et prodest, inquit*. (— *et prodest* in Palatinis. si Grutero credas, omnibus, Eξ, Gud. 2 —), Lambinus fecit: *Et quidem prodest*, tenueruntque, excepto Davisio, ceteri. (Gzius etiam Erl. et Spir. „servare simplex *quidem*" narravit, cum deberet *et* dicere.) Alii deteriores (El. uterque, Mead., CCC, Oxx. Uχ, Gud. 1) ex infelici correctione *quid prodest*, ut LM. Ad *redeat* nemo quidquam annotarat, ne is quidem, qui mihi Erl. contulit. Itaque antea dixeram *Et prodest* fortasse defendi posse, sed videri scribendum *At*

deri fortasse. Esse enim, nisi eris, non potes; qui autem esse poteris, nisi te amor ipse ceperit? quod non subducta utilitatis ratione effici solet, sed ipsum a se oritur et sua sponte nascitur. „At enim sequor utilitatem." Manebit ergo amicitia tam diu, quam diu sequetur utilitas, et, si utilitas constituet amicitiam, tollet eadem. 79. Sed quid ages tan-

1. *qui autem — solet* Nonius p. 399 2. *potes* Non om. P *te* om. C *sub dubia utilitatis* codd. (Non. *subducta*) 3. *ad se* E *ex se* MCR 4. *enim* (pro *ergo*) C 5. *quam diu* om [V¹]E 6. *amicitiam constituet* ELPMCROr. *agis* E

prodest. Nunc cum Halmius indicasset, in A et B et Erl. esse *redeunt*, statim intellexi *redeuntet* significare *redundet.*] Deinde *inquit* „Pall. meliores", Ball., Gzii tres ediditque Davisius. Fingit sibi Cicero h. l. adversarium incertum; deinde sensim, aperte autem § 80 transit ad Torquatum. *In* ante *eo* addunt etiam $\chi\psi$, Marsus, Vict., opinor, deteriores omnes praeter Eξ.

Esse enim, nisi eris, non potes) Paulo obscurius Cicero [et, si severe verba exigas, subabsurde] significavit conclusionem argumenti; (quam praeterea infirmavit nonnihil in illis: *quod non solet* cet. Neque enim ex eo, quod fieri solet, sed ex ipsa rei natura et ex repugnantia ducitur). Sic enim ratiocinatur: Dicis te ideo tali esse animo, quia tibi prosit esse; at is animus in eo ipso positus est, ut, etiamsi nihil ad te veniat, ne species quidem et ex ea utilitas, amicum bonis affici velis; itaque si, quia prodest, tali animo es, non es tali animo, sed videris tantum. [Quod Graserus p. 8 commentationis ad I, 23 indicatae scribi iubet: *Esse enim, nisi videris, non prodest*, quod Baiterus secutus est, Ciceronem ipsum eum corrtexisse, apparet iam ex duabus vocibus separatis (*eris — potes*) sine ullo indicio mutatis; apparet etiam ex eo, quod sequitur: *qui autem esse poteris*, in quo continuatur argumentatio. Utilitas ex specie captatur; sed ipsa illa speciei petitio tollit rem, quae posita est in nihil petendo.] *Subducta* e Nonio restituit Lambinus, ut faciendum esse viderat Morelius. Consentiunt in mendo Pall., Dav., Oxx., Gziani. Pro *a se* etiam Spir. [non B] *ad se*; Victorius et Davisius e tribus suis (Gud. 1) *ex se.* Praestat alterum, non solum propter auctoritatem, de initio non aliunde sumpto, ut dicitur *homo a se ortus.*

79. *utilitatis causa expetenda*) Damnant haec verba Manutius, Lambinus (qui a nonnullis codicibus abesse significare

dem, si utilitas ab amicitia, ut fit saepe, defecerit? Relinquesne? quae ista amicitia est? Retinebis? qui convenit? quid enim de amicitia statueris utilitatis causa expetenda, vides. „Ne in odium veniam, si amicum destitero tueri.“ Primum cur ista res digna odio est, nisi quod est turpis? Quod si, ne quo incommodo afficiare, non relinques amicum, tamen, ne sine fructu alligatus sis, ut moriatur, optabis. Quid, si non modo utilitatem tibi nullam afferet, sed iacturae rei familiaris erunt faciundae, labores suscipiendi, adeundum vitae periculum? ne tum quidem te respicies et cogitabis, sibi quemque natum esse et suis voluptatibus? Vadem te ad mortem tyranno dabis pro amico, ut Pythagoreus ille Siculo fecit tyranno, aut, Pylades cum sis, dices te esse

1. [*relinques neque ista* A] *relinques nequaquam ista* C *relinques nequaquam quae ista* L 4. *veniantur* E 5. *odio est num quid est turpe nisi quod est si ne* LPMCR 6. [*ne tuo incommodo* A] 8. *quod* [A]LPMCR *non* om. L *nullam tibi* L *tibi* om. R 9. *erit* E 10. *quid est te* E 11. [*esse suis* Eh] *vadente* E 13 *fecit Siculo* PMCR *fecit* om. L *aut cum Pilades cum* L *dices* om. L

videtur), Davisius (qui in El. 1 omissa tradit), nulla satis iusta causa. Aberant tamen etiam ab Ox. E (ξ *exprimenda*).

nisi quod est turpis? Quod si ne cet.) Sic etiam Pal. 1, e quo Gruterus hunc locum emendavit, Spir. [B], Gud. 1, mg. Crat., El. 2, in quibus duobus tamen pro *quod si ne quo* erat *quod sine tuo* [quod nunc etiam in A esse indicatur], Eξ, in quibus pro eodem erat *nisi aedes sine* (ξ *sive*). Longius aberrat cod. Morelii: — *odio est non quod est turpis nisi quod est sine quo inc.*

Quid? si) Sic etiam Spir. [B] et ξ, recteque secuti sunt Bremius et Gzius in ascensu orationis in interrogationem desinentis.

Siculo fecit) Hunc ordinem Gzius se e Bas. et Gud. 1 recepisse ait, Erl. omittere *Siculo*. Adeo, ne quae probat quidem, scit, unde habeat. Sine dubio hoc reppererat etiam in Spir. [B] et Gud. 2, in duobus illis vulgaris ordo erat. Sed suspectum est aliis *tyranno*, aliis totum hoc *Siculo tyranno*, quod putide abundet post prius illud *tyranno*. [Quod Bremius praeterea offensus est in dativo cum *fecit* coniuncto, recte et Latine sic dicitur, paulo aliter quam *facio in tyranno*, quo tamquam materia ad agendum subiecta significatur; pro Rosc. Com. 18: *quod nemo nisi honestissimo facere consuevit*; Verr. IV, 49: *Quid? Eupolemo — non idem fecit?* (id est, argentum reddidit); pro domo 124: *Vidimus hoc idem Cn. Lentulo censori tribunum pl.*

Oresten, ut moriare pro amico, aut, si esses Orestes, Pyladem refelleres, te indicares, et, si id non probares, quo minus ambo una necaremini, non precarere?

1. *Orestem* ELPMROr. *ut moriare — Orestes* om. R 2. *refferres* L *defenderes* M *te* om. P *et id* (om. *si*) E 3. *deprecarere* Or.

facere; de Divin. II, 126: *vigilantibus idem faceret.* Add. Sallust. Cat. 55, Iug. 85, 17, Corn. Nep. Paus. 3, Ter. Andr. I, 1, 85, Iustin. XXII, 5, 3.] Obstat suspicioni, praeter ordinem verborum nunc restitutum, quod vix quisquam grammaticus aut librarius in interpretando illa circumlocutione usurus fuit; Dionysii nomen e Tusculanis et libris de Officiis ascripsisset. Et si Siculi tyranni mentio tollitur, nimis infinita videtur historiae significatio. De Damone et Phintia et nota res et collecta testimonia sunt a Beiero ad Off. III, 45 p. 259.

et, si id non probares, quo minus —, non precarere?) In Pacuvii Duloreste, quam fabulam Cicero et hic significat et libro V, 63 et in Laelio 24, et de qua scripserunt nuper Nackius (Bonnae 1822) et Stieglitzius (Lips. 1826), Orestes et Pylades inducebantur capti a Thoante rege, qui cum Oresten interficere vellet, ignoraret autem, uter Orestes esset, Pylades se eum esse dicebat; Orestes se ipse indicabat et Pyladem refellebat; haerenti igitur regi et dubitanti hic ab utroque ostendebatur exitus, ut utrumque occideret, cum neuter sine altero vivere vellet. Id duplici modo dici poterat, aut, ut in quinto libro: *precamur una necari*, aut paulo parcius: *non deprecamur, quo minus una necemur.* Itaque Cicero, servata ea interrogationis forma, quam instituerat (*aut, si esses Orestes, — te indicares?*), adicere poterat aut hoc: *et, si id non probares* (id est, si non persvaderes regi, te Oresten esse), *precarere, ut una necaremini?* aut hoc: *et, si id non probares, quo minus ambo una necaremini, non deprecarere?* (tam constans esses, ut non deprecarere?) Et orationis quidem forma perspicua est et necessaria, declarata etiam a Klotzio (Quaest. Tull. p. 57 et ad Lael. l. c.). Illud non sine causa quaesitum est, possetne sic dici: *non precor, quo minus* eodem sensu, quo: *non deprecor, quo minus* (ut Livius dixit); neque enim verbum illud, cum ab impediendi significatione remotum sit, has particulas asciscere posse videtur, ne in negando quidem. Itaque iam editor Venet. 1480, deinde alii, nuper Orellius scripserunt: *non deprecarere.* Nec reprehendo; immo laudo, quod saltem sententiam viderunt; nec dubitationem tam superbe reicio, quam Klotzius facit. Sed tamen cum Cicero *perficiendi* verbo negative

XXV. 80. Faceres tu quidem, Torquate, haec omnia; nihil enim arbitror magna laude dignum esse, quod te praetermissurum credam aut mortis aut doloris metu. Non quaeritur autem, quid naturae tuae consentaneum sit, sed quid disciplinae. Ratio ista, quam defendis, praecepta, quae didicisti, quae probas, funditus evertunt amicitiam, quamvis eam Epicurus, ut facit, in caelum efferat laudibus. „At coluit ipse amicitias.“ Quis, quaeso, illum negat et bonum virum et comem et humanum fuisse? De ingenio eius in his disputationibus, non de moribus quaeritur. Sit ista in Graecorum levitate perversitas, qui maledictis insectantur eos, a quibus de veritate dissentiunt. Sed quamvis comis

2. *est* (pro *enim*) L [*esse magna laude dignum* A] *esset* E om. LPMCROr. 3. *nutu* (pro *metu*) C 4. *quod* E 5. *quod* [A]E om. C 6. *amicitiam evertunt* L 8. *quasi* omnes (*quasi quis* C) *neget* C 12. *in veritate* R

posito subiecerit *quo minus* (ad Fam. III, 7, 6), item *pugnandi* (Divin. in Caec. 58) *consulendique* (Verr. III, 16), non audeo negare, sic dici potuisse (ut esset: non conor precando impedire); etsi vicinum et aptius erat *deprecor*. Incredibile autem est, quales huius loci inde a Davisio et interpretationes et correctiones excogitatae sint, cum non intellegeretur, *non cum precarere* in unam notionem coalescere et de ea interrogari et hinc pendere *quo minus*. [*Oresten* ex A restitutum.]

Cap. XXV, 80. *dignum esse*) Infinitivum omnes omittunt, de codd. tacentes. [*Esse* hoc ipso loco B.]

Quis, quaeso, illum negat) Ut nostri codd., quattuor Gzii (e Gud. 1 tantum *negat* annotatur) et sine dubio alii omnes aut fere omnes, etsi, cum primi editores substituissent: *quasi quis — neget*, primus Davisius attendit, illo modo scriptum esse in Par. 3 (*qui quasi*), Ball., Mead., verumque invenit. Oxx. ex Eχψ annotant *negat*, de *quis quasi* tacent, quia in ordine tantum verborum variabatur. Tum Ox. E, Gud. 1, Bas. *commune* pro *comem*, Gud. 2 *commendatum*. Hic satis defenditur *comem*, quod subicitur: *Sed quamvis comis* cet. Ac vereor, ne etiam in Cat. 59, ubi nunc editur ex optimis sane codicibus: *communem erga Lysandrum et humanum*, librarii, quod plenum esset (*comem*), pro compendio frequentioris vocis acceperint; [et *comen* habet cod. Leidensis a prima manu]. Nam alia est *communitas*, quae in Laelio 65 postulatur, tum quae apud Svetonium in imperantibus, cum se ceteris aequant, laudatur.

comis in amicis tuendis) Transponi *fuerit* in Erl. et Spir. [B]

in amicis tuendis fuerit, tamen, si haec vera sunt (nihil enim affirmo), non satis acutus fuit. „At multis se probavit." 81. Et quidem iure fortasse; sed tamen non gravissimum est testimonium multitudinis. In omni enim arte vel studio vel quavis scientia, vel in ipsa virtute, optimum quidque rarissimum est. Ac mihi quidem, quod et ipse bonus vir fuit et multi Epicurei et fuerunt et hodie sunt et in amici-

1. *amicitiis* Or. *fuerit* transp. post *comis* E 2. *enim* om. P *fuerit* L 3. *in rem* (pro *iure*) LPMCR 5. *quavis* om. L *quodque* E *quippe* L 6. *est* om. Or. 7. [*et multi et Epicurei fuerunt* A] *et multi Epic. sunt fuerunt* E *et multi Epic. fuerunt* LPMCROr. [*amicicia* Eh]

Gzius annotavit; non annotavit, legi ibi *amicis*, quod cum Gruterus in Pall. omnibus invenerit, Oxx. in Uξχψ, alterum nullam habet auctoritatem, quod inde a Marso et Victorio propagatum est. (Crat. *amicis.*) Nec minus amicos tuemur (beneficiis et officiis, vid. ad Att. II, 20 init.) quam amicitias.

si haec vera sunt (*nihil enim affirmo*) Parum apte, cum omnia hactenus δογματικῶς disputarit, subito intericit Academicae dubitationis significationem.

81. *Et quidem iure*) Sic cod. Mor. et Spir. [B], id est, meliores; edidit primus, opinor, Cratander. Ut nostri deteriores, Oxx., Gziani ceteri.

vel studio vel quavis scientia) Offenderunt hic Davisius et Ernestius, nec ipse me initio expediebam, quod nec, *quavis* cur adderetur, videbam et *vel* etiam ante *arte* ponendum fuisse putabam (vid. ad I, 52). Nunc video, *vel* hic cum correctione aliqua poni, ut ante primum nomen poni non debuerit. Nam cum *artem* dixisset, non artem nominandam fuisse significat, quod maius videatur, sed studium, etiamsi artis formam et dignitatem non attingat, vel omnino quamvis cuiusvis rei scientiam; tum in tertio *vel*, ubi addita praepositio significat, hoc seiungi ab illa serie, ascendit oratio vel potius transfertur ad aliud, ut sit: *etiam in ipsa virtute.* Nam quod Stoici ipsam virtutem artem faciebant, nihil ad hanc orationem pertinet.

rarissimum est) Verbum *est* Ernestius, sequens El. utrumque et ed. Vict., omisit. Cfr. ad I, 43.

fuerunt et hodie sunt) Aptum est ad utrumque tempus distincte notandum, quod Lambinus edidit: *et fuerunt*, cum praesertim Cicero, ubi praesens tempus superiori simpliciter adiungit, potius dicere videatur: *hodieque sunt* (ut pro Cael. 3, de Orat. I, 103). [Addidi nunc *et* cum Baitero, adiuvante nonnihil A.]

tiis fideles et in omni vita constantes et graves nec voluptate, sed officio consilia moderantes, hoc videtur maior vis honestatis et minor voluptatis. Ita enim vivunt quidam, ut eorum vita refellatur oratio. Atque ut ceteri dicere existimantur melius quam facere, sic hi mihi videntur facere melius quam dicere.

XXVI. 82. Sed haec nihil sane ad rem; illa videamus, quae a te de amicitia dicta sunt. E quibus unum mihi videbar ab ipso Epicuro dictum cognoscere, amicitiam a voluptate non posse divelli ob eamque rem colendam esse, quod, *cum* sine ea tuto et sine metu vivi non posset, ne iu-

1. *et non* (pro *nec*) C 2. [*se officio* Eh] *haec* LC 3. [*quidem* A²] 4. *exist. dicere* (P)MCR 5. *videntur melius facere* LR 8. [*ad te de amiciciis* A] 9. [*uidebatur* A¹] 11. *quod sine* omnes, Or. *non possit* L *nec iucunde* omnes, Or.

dicere existimantur) Sic etiam Spir. [B], Bas., Gud. 1. Ante Gzium invertebatur.

Cap. XXVI, 82. *cognoscere*) Fuerunt, qui *agnoscere* requirerent, contra quos disputavit Bremius, citans ep. ad Att. XII, 22, 1 et XIV, 19, 4 et quae iam Nonius posuit in v. *cognoscere* p. 276. Add. Verr. I, 59, Zumpt. ad V, 72.

quod, cum sine ea cet.) Vulgo sic scribebatur: *quod sine ea tuto et sine metu vivi non posset, nec iucunde quidem posset.* Haerebant igitur iure in extremis quattuor verbis, quod et insolentem haberent adiunctionis formam (pro eo, quod est: *ac ne iuc. quidem*, etsi hoc praeter Ern. et Bremium num ceteros moverit, nescio) et ingratissimam repetitionem verbi *posset*, quod denique sententiam pravam; sic enim in illa scriptura dicitur *ne — quidem*, tamquam minus sit *iucunde* (*ac ne iucunde quidem*), quod in Epicurea disciplina summum est. Itaque post Davisium plures secuti sunt codices nonnullos ([B,] Par. 2 Dav., Eξ, Gud. 2, Bas.), in quibus haec verba casu exciderunt, librarii oculo a priore *posset* ad alterum transiliente. (Eξ *potest* pro *posset.*) Nuper autem Dietrichius (Quaestion. gramm. et crit. p. 70 sqq.) ita tueri vulgatam scripturam conatus est, ut conclusionem inesse doceret et sic illa verba interpretaretur: *et ita ne iucunde quidem* (*und also auch nicht*). Verum neque omitti particula conclusionis index poterat, neque umquam *ne — quidem* in conclusione adiungitur superioribus, sed aut in apodosi ponitur aut separatim (*ita ne illud quidem*); nec, etiamsi dici *nec — quidem* pro *ac ne — quidem* in novae periodi initio

cunde quidem posset. Satis est ad hoc responsum. Attulisti aliud humanius horum recentiorum, numquam dictum ab ipso illo, quod sciam, primo utilitatis causa amicum expeti, cum autem usus accessisset, tum ipsum amari per se,

1. *quid* E *posset* om. L *est enim ad* E 2 *horum — sciam* Nonius p. 167 3. *illo ipso* E *ipso* om. Non. *qui sciam* E *primum* L 4. *propter se* (P/C

possit, quod ipsum prorsus nego, defendi ullo exemplo poterit talis duorum verborum, nedum eiusdem repetiti, coniunctio: *sine metu non potest nec iucunde quidem potest.* (Vid. de his, quae exposui in exc. ad huius libri § 25.) Et tamen vidit Dietrichius, quem locum et quam vim in ipsa sententia haec verba tenerent, et viderat pridem et dixerat Manutius, cum sic scribi volebat: *quod, si sine ea —, nec iucunde quidem posset*; sic enim argumentum procedere, ut ex eo, quod tuto sine amicitia vivi non possit, ostendatur, ne iucunde quidem sine ea vivi posse; sic effici, ut amicitia cum voluptate copulata sit. Sed minus recte *si* interposuit; neque enim cum condicione argumentum concluserat Torquatus, sed ita esse posuerat. Itaque *cum* ponendum erat, quod post *quod* facillime in codice nostrorum parente excidere potuit, ut excidit in Erl. [et B] § 101; *nec — quidem* in apodosi ne dubitationem quidem afferre poterat; itaque *ne — quidem* scripsi; hic *nec* ortum fortasse etiam ex studio orationis vinciendae, cum excidisset *cum.* Mox *illo ipso* etiam Spir. [B].

per se) Sic Gzii codd. omnes, Oxx. Eξ, edd. Crat. et Vict. *Propter* cum ex C in aliquot vett. edd. venisset, a Manutio ad Gzium in editionibus mansit. Animadvertenda est h. l. aperta permutatio notionum vicinarum, utilitatis et voluptatis, in qua ipsa Lambinus offensus est, socium habens correctorem cod. El. 1, qui *spe utilitatis* scripsit; vid. ad I, 34. Tum *etiamsi* Spir. quoque [B] et Gud. 2; deinde *multimodis* etiam Pal. 1 [et B]. (Gzius negat, suos quidquam variare!) Obscuratione illa litterae *s* et contractione, qua veteres poëtae usi sunt (Lucretius quidem etiam ad huius tamquam veri adverbii formam fecit *omnimodis*), Ciceronem usum non esse, colligi potest ex Orat. 153; [cur enim alioquin *contraxisse* diceret, non *contrahere*?]. De Cornelio Nepote (Them. 10) nihil decerno; nam potuit apud eum quoque, ut h. l. in ipso fonte codicum nostrorum, casus illam formam gignere. *Dant* Lambinus primus posuit; confirmarunt etiam Pal. 1 et Spir. [B]; ceteri, ut nostri deteriores, *dat*, nisi quod in Mead., Eξ correctum *datur.*

etiam omissa spe voluptatis. Hoc etsi multis modis reprendi potest, tamen accipio, quod dant; mihi enim satis est, ipsis non satis. Nam aliquando posse recte fieri dicunt, nulla expectata nec quaesita voluptate. 83. Posuisti etiam, dicere alios, foedus quoddam inter se facere sapientes, ut, quemadmodum sint in se ipsos animati, eodem modo sint erga amicos; id et fieri posse et saepe esse factum et ad voluptates percipiendas maxime pertinere. Hoc foedus facere si potuerunt, faciant etiam illud, ut aequitatem, modestiam, virtutes omnes per se ipsas gratis diligant. An vero, si fructibus et emolumentis et utilitatibus amicitias colemus, si nulla caritas erit, quae faciat amicitiam ipsam sua sponte, vi sua, ex se et propter se expetendam, dubium est, quin fundos et insulas amicis anteponamus? 84. Licet hic rursus ea commemores, quae optimis verbis ab Epicuro de laude

1. [Post *vol.* A² add. in marg. *vel utilitatis*] *etiamsi* E *multimodis* [A]E 2. *dat* LPMCR 3. *posse non recte* E *fieri recte* L 4. [*expecta* ⊦ h] *exquisita* E *autem* (pro *etiam*) PMCR 5. *facere inter se* R 8. *perspiciendas* [A]E *perficiendas* L 10. *At* [Δ]LPMCROr. 12. *ipsa* P 15. *laudibus* COr.

nec quaesita) Etiam Spir. [B] *exquisita*, mendose repetita praepositione; neque enim umquam sic *exquirere* pro simplici ponitur de re aliqua petenda et paranda, longeque aliter *exquisita voluptas* dicitur.

83. *Posuisti etiam*) Sic mg. Crat., Pal. 1, e quo post Manutium Gruterus restituit, [B,] Gzii, excepto Gud. 2, omnes.

An vero — dubium est —?) Sic scribendum esse, in mentem venerat Gzio, qui si codices inspexisset, non solum in Erl., sed sine dubio etiam in Spir. ita scriptum repperisset. [Ita B.] Postulat hanc adiunctionem (*Oder kann es wohl* cet.) interrogativa orationis forma. *At vero*, quod Handius defendit (Turs. I p. 429), tum esset verum, si Cicero, explicata natura eius amicitiae, quae per se expeteretur, e contrario adiungeret affirmando aut negando, quid in altera ratione sequeretur. Itaque hactenus recto iudicio usi sunt librarii, qui in El. uno et Mead. scripserunt: *At vero — dubium non est*, ut est etiam in ed. Crat. Persaepe hoc *an*, quod in adiungenda interrogatione ponitur, corruptum est; cfr. I, 5. Mox *insularum*, quae ad habitandum elocabantur, *mercedes* significari (ad Att. XV, 17), apertum est.

84. *de laude*) Sic etiam Spir. [B], Gud. 2, Eξψ, ed. Crat., id est, meliores et bona pars deteriorum. Superiores alterum

amicitiae dicta sunt. Non quaero, quid dicat, sed quid convenienter possit rationi et sententiae suae dicere. „Utilitatis causa amicitia est quaesita.“ Num igitur utiliorem tibi hunc Triarium putas esse posse, quam si tua sint Puteolis granaria? Collige omnia, quae soletis: „Praesidium amico-

1. [*sed quod* Eh] 2. *rationi possit* LMCR 3. *quaesita est* EOr. *non igitur* C 4. *si* om. (L)Or. 5. *gramana* [A]F *gramina* ceteri

tacite propagarunt. *Possit rationi* primus Gruterus tacite, [ut nunc apparet,] e Pal. 1; alterum e Gud. 2 annotat Gzius. *Quaesita est* [B] Gzius e suis omnibus (?) praeter Gud. 2.

quam si — granaria) *Granaria* pro *graminibus*, quae Victorius (Var. Lectt. VI, 16) mire interpretabatur campos foenum praebentes, restituerunt Muretus (Var. Lectt. VII, 20), codicum veterum auctoritate utens, et Lambinus, qui se in „aliquot“ antiquis codd. sic scriptum repperisse affirmat; et erat sic in Pal. 3, El. (utro?), Gzii duobus (quibus?), ediderat que iam Marsus. Non tam conservata per illos codd. ex archetypo vera scriptura erat quam prudenti coniectura inventa ex eo, quod habuit etiam Pal. 1 et cod. Gronovii, *gramana*. [B *grauiana*.] Intelleguntur horrea, quae Puteolis erant ad frumentum recipiendum, quod magnus navium numerus quotannis ex Sicilia, Africa, Aegypto in eum portum advehebat, de qua re dixi propter Verr. V, 154 in epistula ad Orell. p. 131 (Cic. pro Rab. Post. 40, Senec. Ep. 77, Svet. Aug. 98, Strab. XVII p. 793, Pitisc. Lex. Ant. Rom. v. *Cataplus* et *Classis Alexandr.*). Non publica, sed privata illa erant, opinor, nec tam hic ipsum frumentum significatur ibi congestum quam mercedes, quae dominis ex locatione redibant. Sed Muretus et Lambinus praeterea, ut fecerant in vulgata scriptura quidam editores (Ascens., Crat.), omittunt *si*, ut granariorum, quae Torquatus vere habuerit, utilitas intellegatur; eos, accedente cod. Par. 2 Davisii (et, si silentio confidimus, Oxx. EUψ), multi secuti sunt, iniuria bonos et paene omnes deserentes. Nam tum saltem dicendum fuit: *quam tua sunt*, et ante: *putas esse*, non: *esse posse*, quod refertur ad *spem* utilitatis; at in granariis, si iam ea habebat, res erat, non spes solum. Itaque hoc Cicero dicit: quam si granaria illa, quae Puteolis sunt, tu possideas.

Praesidium amicorum) Sic hoc ponit, tamquam plura deinceps enumeraturus, quae contineantur *omnibus* illis, et singula remoturus. Subiecit unum, alia orationis forma, § 85: *At quicum* cet. Paulo post (*satis in mediocribus*) addebatur ante

rum." Satis est tibi in te, satis in legibus, satis in mediocribus amicitiis praesidii; iam contemni non poteris; odium

1. *satis et in legibus* R *satis et in med.* PMCR 2. *amicis* L *praesidium* omnes, Or. *contemnere* LPMCR

Gzium *et* post *satis*, quod omittit etiam Spir. [B] et Ox. ψ; Eξ habebant *in legibus et in mediocribus.*

praesidii) Codices omnes omnium (Grut., Dav., Oxx., Gzii) *praesidium*, nisi quod *praesidii* in mg. Crat. annotatur, quae si emendatio est (sed scribitur: *praesidii: iam contemni*, hoc posterius, pro *contemnere*, sane e cod.), vera est et necessaria, quam recte a Victorio ad Ernestium editores secuti sunt. Nam etsi sunt aliquot scriptorum Latinorum loci, in quibus, cum posset *satis* cum substantivo coniungi, retinetur nominativus aut accusativus substantivi, ut *satis* ad verbum cum substantivo coniunctum adiungatur (Verg. Aen. XI, 366, Ovid. Metam. III, 149, Lucret. I, 241, ubi animadvertendum est, non dici absolute: *tactus satis esset causa*, sed: *tactus satis esset causa leti*, id est, letum satis efficeret, Cic. de Invent. II, 113: *num iam satis pro eo, quod fecerit, honos habitus sit*, ubi manifestum est *honorem habere* quasi pro una voce poni), tamen ea ratio ad alios locos prosae orationis scriptorum quatenus pertineat, mox videbimus; ad hunc certe non pertinet, in quo necessario *satis* cum voce *praesidii* conflatur et propter sententiam (quaeritur enim, satisne magnum praesidium sit) et propter verborum ordinem ipsamque anaphoram et propter verbi adiuncti genus; nam ad nudum verbum substantivum, addito etiam dativo *tibi*, adiunctum *satis* necessario hanc efficiet sententiam ab hoc loco alienissimam: *praesidium tibi sufficit*, *nihil praeter praesidium requiris*, non hanc: *nullum aliud praesidium*. Itaque eo minus dubitavi *praesidii* restituere, quod etiam in perbonis codicibus, cum brevior genetivi forma (*praesidi*) ignoraretur et syllaba voci deesse putaretur, non raro additum est *um*, ut paulo ante § 69 *aliud negotium nihil* pro *negoti* scriptum erat [et apud Livium XXII, 14 extr. cod. Puteaneus habet: *si militaris suffragium res esset*]. Quod de aliis locis significavi, primum reprehendenda grammaticorum (velut Ramshornii et Klotzii ad Lael. 45) supina neglegentia, qui Livium VI, 18, 10: *vobis auxilium satis est* pro *auxilii* scripsisse narrant, quasi ibi tribunus queratur, tam parvi animi esse plebeios, ut satis auxilii habeant adversus patricios, novo et inaudito parvi animi effectu. Indignatur eos, si auxilium habeant, contentos esse, tamquam inferiores et ad parendum natos, nihil praeterea requirere.

autem et invidiam facile vitabis; ad eas enim res ab Epicuro praecepta dantur. Et tamen tantis vectigalibus ad

1. *res enim* E 2. *tamen non tantis* LPMCR

Monuerat iam Drakenborchius. [Aeque incredibiliter advocatur Verg. Aeneid. VII, 470.] Illud merito superfluum dicas, quod Gronovius et Drakenb. (ad Liv. IV, 30, 15) exempla colligenda putarunt, ubi diceretur, rem aliquam satis esse, id est, sufficere. In Cornelii etiam Epamin. 4 quod scriptum est: *abstinentiae erit hoc satis testimonium*, recte sic iam Drakenb. intellexit (*hoc testimonium satis erit*). Relinquuntur igitur, de quibus dubitetur, duo loci, alter Ciceronis in ep. ad Att. XII, 50: *si satis consilium quadam de re haberem*, de quo equidem non nimis confido; nam ipse verborum positus repugnat, nec sane apte dici videtur *consilium habeo*, ut addatur *satis*, *parum*, similia; [Moserus excidisse putavit *certum* aut simile adiectivum post *satis*]; alter scriptoris rhetoricorum ad Herennium in ipso initio: *vix satis otium studio suppeditare possumus*, ubi qui *otium* omittunt, debebant dicere, ubi scriptum repperissent de homine: *suppedito rei*. Sed utroque loco *consilii* et *otii* illo, quo dixi, modo corrumpi potuit. De Legg. I, 30 tantum mali codd. habent: *quod argumentum satis est*, meliores et plures *argumenti*. In Digestorum libr. XL, 5, 45 (Ulpian.) sententia respuit, quod in cod. Florentino est: *satis iniuriam facit libertati*, in libro XXXVIII, 1, 19 (Gai.): *ut satis tempus ad quaestum faciendum habeat*, tantum verborum coniunctio offendit. [Omittendum videtur *satis*.] Comparant, quod apud Sallustium est (Iug. 102): *parentes abunde habemus* (cui simile est in orat. Licinii § 26: *abunde libertatem rati*); velim tamen animadverti, adiungi e contrario: *amicorum neque nobis neque cuiquam omnium satis fuit*. Nego dici potuisse: *amici — satis fuerunt*.

iam contemni) Sic etiam [A,] Spir. [B], mg. Crat., ut videtur, etiam Eξ. Deteriores ceterorum (Davisiani, Oxx. χψ, Gzii), ut nostri, *contemnere* (sic interpungentes: *praesidium iam contemnere*). Eξ *poteritis*. *Contemni* restituit Victorius.

Et tamen tantis vectigalibus) Sic Pal. 1, Morel., Spir. [B], El. (2?); „in Scaligerano *non* lineis subductum erat.“ *Et tamen* simili modo atque I, 15, h. libr. 64 ponitur, hac sententia: et, etiamsi illa, quae dixi, defecerint, tamen cet. Itaque refertur particula ad tacitum intellectum et concessionem contrarii eius, quod antea positum est. Notavit hoc genus Gernhardus in Cat. 16. [Ad Att. XII, 42 init.] Non alio genere, tantum

liberalitatem utens, etiam sine hac Pyladea amicitia mu rum te benevolentia praeclare tuebere et munies. 85. quicum ioca, seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum culta omnia? Tecum optime, deinde etiam cum medio amico. Sed fac ista esse non importuna; quid ad utilitat

1. *libertatem* [A]ELPMR *eam* [A]E *eis* ceteri, Or. 2. [*beniuolentia* Post *praeclare* add. *et* [A]PMCROr. *et praeclare* L [*tuebare* Eh] 3. [*i* *et seria* A] 4. *deinde et qui med.* E 5. *facta ista* E [*inportuna* . *inoportuna* corr. fort. prima m.] *inopportuna* Or. *ad* om. P

apertius, *et tamen* ponitur libr. I, 11, h. libr. 15 et 21, alil Non intellexit, qui auctor fuit scripturae deteriorum codd.: *et t men non tantis* (Pall. praeter 1, Davis. praeter El., Gzii praet duos, Oxx., ut videtur, EU, editionum ante Davisium). Gziu quia vectigalia non dicantur privatorum reditus, intellegi put frumenti decimas et granaria publica. Sed apud Romano frumentum decimanum non publice colligebatur, sed privati decimae venibant; vectigalia autem illo modo dici etiam a ipso Cicerone (ut *rustica*, *urbana*), notissimum est. Intelleguntu Torquati reditus e locatione granariorum, si ipsius sint. Tun *ad liberalitatem* necessaria emendatione, ut a primo editore, si fere a ceteris scriptum est, confirmarique dicitur ab El. 2 et Par. 3 Dav. (Gzius scribit *libertatem* esse in optimis suis; erat in omnibus.) Significatur largitio socios et adiutores et favorem parans. Gruterus tamen *libertatem* revocavit, „tanto magis, quod displiceret Lambino“.

etiam sine hac) Hoc, quod a Manutio ad Ernestium editum est, Grutero tacente, manifesto latet in bonorum codd. (etiam Spir. [B], Morelii, fortasse Ox. E quoque) scriptura *eam*, quae nasci non potuit e deteriorum (Davisii, Oxx. ξχψ, Gzii praeter Erl. et Spir.) scriptura *eis*; contra haec ex illa corrigendo orta est. Et necessarium est *etiam*, ineptum *eis* post *utens*. Tum editum est ab omnibus *et tuebere et munies*, prava distractione unius notionis; vid. ad 63. [B ut Erl.] Praecedens *e*, sequens *t* hoc *et* genuerunt, ut apud Svetonium Claud. 21: *quae utraque et tophina ac lignea antea fuerant.* Non offendit editores soloecum illud *et* — *ac*.

85. *quicum ioca, seria*) Inutili lusu Beierus (ad Fragm. Oratt. p. 195), quod communi sermone tritum erat (*ut dicitur*), in versum senarium coëgit, deleto altero et tertio *quicum*.

non importuna) Lambinus (in curis secundis) *inopportuna* scribendum putaverat, idque Gruterus et post eum ceteri e Pal. 1 [sed, ut nunc indicatur, interpolato] ediderunt. (Mar-

tantae pecuniae? Vides igitur, si amicitiam sua caritate metiare, nihil esse praestantius, sin emolumento, summas familiaritates praediorum fructuosorum mercede superari. Me igitur ipsum ames oportet, non mea, si veri amici futuri simus.

XXVII. Sed in rebus apertissimis nimium longi sumus. Perfecto enim et concluso, neque virtutibus neque amicitiis usquam locum esse, si ad voluptatem omnia referantur, nihil

2. *suo* (pro *sin*) F 3. *pretiosorum* C 4. *ipsum igitur* LPMCROr. 6. *si* (pro *sed*) E *fuimus* E 7. *profecto* [A¹]B [*concludo* A¹] *nec amic.* C

num et Cratandrum sic scriptum habere, Gzius mentitur.) Vereor omnino, ut illud Latinum vocabulum sit; nam ab eadem origine duo contraria adiectiva sic descendere videntur, *opportunus* et *importunus*, quemadmodum *obnoxius* et *innoxius*, ut *importunum* primo usu sit id ipsum, quod volunt esse *inopportunum*, nisi quod propter vim originis nobis ignotae mature ab negativa illa significatione transiit ad certam (positivam nunc dicimus) vitii significationem. Et tamen illam alteram non prorsus sublatam esse, declarant Sallustii (Iug. 92) et Taciti (Ann. XII, 12) et Silii Italici (III, 540) et Gellii (III, 7: loci *importunitate*) loci, ut non incredibile sit, eam Ciceronem quoque aliquando ita secutum esse, si negatio praeponeretur (non *importunus*). [*Inopportunus* III de Orat. 18 olim scripseram sine varietate legi; nunc recte e codd. editur, quod praeceperam coniectura, *importuna*; II, 20 codices discrepant, recteque nunc scribitur.]

praediorum fructuosorum) Ex edit. prima ad Manutium (nam alii recte scripserant) et inde ad Lambinum et Gruterum propagatum est *pretiosorum*, quod interpretandi causa suppositum erat. Correxit Davisius e quinque codd.; accedunt Gzii omnes. Miror alterum in mg. Crat. annotari. Ex E𝔈 annotatur *pretiosarum fructuosarumque* (pro *praed. fr.*), e χψ *praediorum fructuosorum*. Tum *igitur ipsum* etiam Spir. [B] et tacite Gruterus (e Pal. 1); ceteri *ipsum igitur*. De proprietate formae eius, quae sequitur: *si — futuri sumus* (*εἰ — μέλλομεν*), qua significamus, ad quid consequendum aliquid necessarium sit (ubi nunc fere dicunt: *si nos amicos fieri oportet*), dixi in praefat. Cat. et Laelii p. XVIII [Opusc. Acad. II p. 281].

Cap. XXVII. *longi sumus*) *Fuimus* etiam Spir. [non B]. Sed inhibet Cicero cursum orationis etiam nunc fluentis; itaque se-

praeterea est magno opere dicendum. Ac tan non videatur esse responsum, pauca etiam reliquam orationem tuam. 86. Quoniam igit philosophiae ad beate vivendum refertur, idq tentes homines se ad hoc studium contuleru vivere alii in alio, vos in voluptate poniti

1. *est* om. LPMCR *Attamen* LPMCROr. 3 *omnis sententia* M 6. *contra* om. R

quitur: *est dicendum*, non *fuit*. Hoc ipsum *es* etiam ex Spir. [B]; erat in E quoque.

Ac tamen, ne cui loco) Sic etiam Spir. [B], i *at tamen* restitutum recte Handius (Turs. I p. Dixi de hac re in Opusc. Acad. I p. 491. aliquid, quod superiori contrarium est, ibi Cice aut *et tamen* aut *ac tamen*, quod, ut hic et V, brarii recentiores et editores veteres saepe simos codd. (in oratione in Pison. contra Erfurt ana contra Parisiensem et Bern., in orat. de pr hos et Erf., in epistulis ad Fam. contra Medic contra Einsiedlensem) in *at tamen* mutaverunt, *at* particulae naturam prorsus ab hac coniunct Praeter locos iam ab aliis emendatos corrigen editur de Orat. I, 148: *Hanc ipsam, inquit volumus; at tamen* (cod. Haun. uterque, Guelf. I *quae abs te breviter de arte decursa sunt, audi* sic iam Schuetzius]. In Taciti Ann. XIV, kerus ex optimis codd. *ac tamen* restituit (III, 29, 72, VI, 30, Hist. V, 16), Waltherus nue defendit. Eadem correctio adhibenda est Wesenbergius indicavit: pro Sest. 105, in XVI, 11, 2, de Univ. c. 9. Uno modo rect *men*, ubi *at* in descensu ad minus post *si* posito superadditur *tamen*, interposito saepe v Orat. III, 14, Brut. 15, ad Fam. II, 6, 116, XIII, 18, Off. II, 58. [Inania artifici et aliis adhibuit Stuerenburgius ad orat. pr ed. alt.]

86. *omnis summa philosophiae*) *Summa om* [B]. De re cfr., quae dicta sunt ad I, 62; a 16, 86; Varro apud August. de Civ. Dei XI *homini causa philosophandi, nisi ut beatus sit.*

miseriam omnem in dolore, id primum videamus, beate vivere vestrum quale sit. Atque hoc dabitis, ut opinor, si modo sit aliquid esse beatum, id oportere totum poni in potestate sapientis. Nam si amitti vita beata potest, beata esse non potest. Quis enim confidit semper sibi illud stabile et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit? Qui autem diffidit perpetuitati bonorum suorum, timeat

1. *omnem infelicitatem* (pro *miseriam omn.*) LPMCR *indole* (pro *in dolore*) E 4. *beata* (altero loco) om. E, ante *beata* add. *vita* PC 5. [*quid enim* Eh] *sibi semper id* F.Or. *semper illud sibi* C 6. *ac mansuram* (om. *firmum*) L 7. *diffidet* [A]LPMCR

miseriam omnem) Sic etiam Pal. 1, mg. Crat., cod. Scal., vet. cod. Lambini, El. 2 restituitque post Manutium Davisius; Gzius sic in omnibus suis praeter Gud. 2 esse scribit. Quod erat in edd. ante Man., *omnem infelicitatem*, habebant etiam Oxx. omnes. De adiunctione horum verborum: *item* — *in dolore* vid. ad I, 41. Mox in verbis: *si modo sit aliquid esse beatum*, hoc *sit aliquid* non significat, ut Gzius docet, *aliquid magnum*, sed hoc dicitur: *wenn es überhaupt etwas ist*, *Realität hat.* Totam, quae sequitur, disputationem a Stoicis sumptam esse patet; cfr. III. 45 sqq. et extremo libro.

semper sibi illud) Sic Gud. uterque. Ut Erl., etiam Spir. (Bas. *sibi id semper*). [B *sibi semper illud.*] Dav. e CCC, ut est in C; Gzius *sibi semper*, omisso *id.*

Qui autem diffidit) [Hoc, quod Gzius et Orellius ediderant, nunc restitui ex Erl. et B, teste Halmio; probaveram iam ante ob reliqua praesentis temporis verba. Gzio, sic esse in omnibus suis codicibus, narranti credi non poterat, praesertim mea collatione de Erl. dissentiente, coniecturaque utenti incertum erat, maluissetne Cicero *diffidat.*] Nam in his sententiis relativis, quibus subiectum generatim definitur, cum demonstrativa sententia pendet et coniunctivum habet, exiguo discrimine tum vis orationis pendentis ad relativam sententiam pertinet (ut Tusc. V, 118: *quae qui recordetur*, *haud sane periculum est*, *ne non mortem aut optandam aut certe non timendam putet*; de Divin. I, 127: *qui enim teneat causas rerum futurarum*, *idem*, *necesse est. omnia teneat*, *quae futura sint*), tum eo non pervenit (ut Off. II, 5, N. D. II, 93, ubi *existimat* meliores codd. omnes tuentur), ut difficile sit iudicium de iis locis, ubi boni codd. discrepant, ut II N. D. 4: *quod qui dubitet*, *haud sane intellego*, *cur non idem*, *sol sit an nullus sit*, *dubitare possit*; nam cod. op-

necesse est, ne aliquando, amissis illis, sit miser. Beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest. 87. Nemo igitur esse beatus potest. Neque enim in aliqua

1. *illis amissis* L 3. *beatus esse* E *in alia* LMCR

timus (A Moseri) *dubitat.* [Moseri testimonio Baiterus refragatur.] Eadem dubitatio est in condicionalibus sententiis, cum post eas infertur *necesse est*, *non intellego* similiave verba. N. D. I, 2 editur nunc: *eaque* (dissensio) *nisi diiudicetur, in summo errore necesse est homines versari* (ad eam formam, quae est huius operis V, 15); sed optimi codices, non solum plurimi, habent *diiudicatur*; cfr. de Orat. I, 50; [pro Rosc. Amer. 139, de Off. III, 21, ubi in condicionali sententia futurum est].

87. *esse beatus*) Inverso ordine „omnes" Gzii, excepto Gud. 2, in quo, ut in ed. Marsi, haec: *nemo — potest* exciderunt propter repetitum *potest.* [At B ut ceteri.] Tum non dubitari potest, quin in cod. archetypo fuerit *duci*, ut est in Pall. omnibus, [B,] Davisianis, Oxx., Gzianis praeter Bas. et Gud. 1, edd. ante Venetam 1494. Verum hic non de existimatione aliqua, sed de usu loquendi Cicero quaerit; neque apta videtur *in* praepositio nisi ad verbum *dici.* Quod autem Rathio tum [in ea scriptura, ad quam ante nos nihil erat annotatum: *nec appellatur omn. vita beata nisi conf.*] bis idem dici videtur nec diversum hoc esse ab eo, quod sequitur, ea quidem offensio non minus erit in altera scriptura, quoniam hic opinio hominum et loquendi usus eodem loco erunt. Itaque sic declaranda videtur sententiae progressio: *nicht mit Bezug auf einen Theil, sondern auf die Dauer der Zeit pflegt man das Leben glücklich zu nennen, und (daher) wird überhaupt das Leben nicht als glücklich bezeichnet, bevor es geschlossen und vollendet ist.* (Sic enim necessario intellegi, quod Cicero dicit *confecta et absoluta*, ut cum *annus, dies, bellum, vitae cursus confici* dicitur et hic III, 76 *extremum vitae diem morte conficere*, annoto propter interpretes Germanos, qui aliter verterunt, veriti, ne, quod hic dicitur, pugnaret cum eo, quod sequitur: *neque expectat ultimum tempus* cet. Sed hic Cicero utitur pro testimonio consvetudine loquentium, qui, quod perpetuitas temporis requiratur, tum demum beatam vitam dicant, cum ad finem pervenerit; ibi docet ex philosophorum sententia, hanc esse beatae vitae naturam, ut, si semel eiusmodi fuerit, semper ad finem perveniat.) Me tamen in aliam suspicionem inducit cod. Erlangensis, quocum si alios bonos consentire scirem

parte, sed in perpetuitate temporis vita beata dici solet, nec appellatur omnino vita nisi confecta atque absoluta, nec potest quisquam alias beatus esse, alias miser; qui enim existimabit posse se miserum esse, beatus non erit. Nam cum suscepta semel est beata vita, tam permanet quam ipsa illa effectrix beatae vitae sapientia, neque expectat ultimum tempus aetatis, quod Croeso scribit Herodotus praeceptum a Solone. At enim, quemadmodum tute dicebas, negat Epicurus ne diuturnitatem quidem temporis ad

1. *dici* omnes 2. *neque* LPCOr *vita beata nisi* LPMCROr *absoluta* om. E 3. *neque enim potest* C 4. *aestimabit* C 5. *semel est suscepta* LPMCR 6. *etenim* (pro *at enim*) omnes 9. [illegible] Er *Epicurus diuturnitatem* [A] LPMCR [*Ep. nec diuturnitate* Er] *Ep. nec diuturnitatem* Or

in verbo *beata* (post *omnino*) omittendo, facile crederem, Ciceronem hoc tantum scripsisse: *neque omnino vita nisi confecta* cet. hac sententia: neque omnino vitae nomine (sic, cum de ea iudicamus et eam in certo genere ponimus) utimur nisi de vita confecta. Non accurate hoc dictum erit nec vere: nam eius quoque, qui vivit, vitam laudamus et reprehendimus; sed potuit tamen Ciceroni excidere, cum occurreret, quotiens vita nondum confecta ab hac, de qua agitur, parte laudaretur, annos felices, laetos dies, laetum tempus dici solere. Progressio tum aptissima erit a *beata vita* ad *vitam*, quae *omnino* dicatur. [Itaque nunc, cum accesserit testimonium codd. A et B, cum Baitero delevi *beata*. Ex omisso in B et Erl. *absoluta*, cum teneant *atque*, suspicio nasci possit, fuisse aliquando scriptum: *confecta atque*, similiterve; sed hoc incertum.] Mox *suscepta semel est* Gzius dedit ex omnibus suis, excepto Gud. 2. [B tamen *est semel*.] Sententiam, quae Soloni tribuitur (inde ab Herod. I, 32, etiam apud Aristot. Eth. Nicom. I, 11), quam saepe et alii et maxime tragici poëtae extulerint et qua varietate, perspici potest ex iis, quae ad hunc locum Davisius, ad Soph. Oed. Reg. versus extremos Brunckius et Erfurdtius collegerunt.

At enim, quemadmodum — dicebas) Recte, quod in codicibus est, mutavit Davisius, Manutii coniecturam sequens. Nam neque proximorum ratio redditur neque Ciceronis disputatio continuatur, sed interponitur a diversa parte Epicuri sententia, qua is se expedire conabatur. De re vid. ad I, 63. Poterant subtilius a Cicerone explicari hae notiones gradus et summae earumque vis. Tractaverat iam Aristoteles.

ne diuturnitatem quidem) Cum ederetur *Ep. diut. quidem*, merito offendebat *quidem*, quoniam in hac simplici negatione sic in-

beate vivendum aliquid afferre, nec minorem voluptatem percipi in brevitate temporis, quam si illa sit sempiterna. 88. Haec dicuntur inconstantissime. Cum enim summum bonum in voluptate ponat, negat infinito tempore aetatis voluptatem fieri maiorem quam finito atque modico. Qui bonum omne in virtute ponit, is potest dicere, perfici beatam vitam perfectione virtutis; negat enim summo bono

3. *nec dicuntur* E 6. *perspici* E *dicere beatam perfectione effici vitam* (om. *virtutis*?) L 7. *in summo* MC

signiri diuturnitatis nomen non poterat; itaque Lamb. particulam illam omisit. Gzius ex Erl., Spir. [B], Bas., Gud. 1 addidit *nec* (modo ne in his duobus itidem erraverit, ut de ed. Crat., quam appellat; sed accedit ad illos Ox. E); verum ne sic quidem causa ulla perspicitur particulae *quidem* hic positae, ac potius manifestius fit vitium; nullus enim reperietur locus, in quo priori membro diiunctionis negativae additum sit *quidem*. Ac praeterea aliud est vitium orationis; qui enim sic loquitur: *nego nec* — *nec*, is duas res aequales diligenter diiungit negando; hic una est sententia; ea primum sic posita: *nihil ad beate vivendum diuturnitas temporis affert*, amplificatur hac explicatione: *nec minor voluptas percipitur* cet. Haec isto modo distrahi non possunt; (cfr. I, 63 et ipsa Epicuri verba, quae ibi posui). Itaque in mentem venit, scribendum fortasse esse: *negat Epicurus ne diuturnitatem quidem* cet., ut huic alterum illud adiungatur, particularum autem significatio eo pertineat, quod Epicurus praeterea motum voluptatis et varietatem non desideret. Pronomen *aliquid* positum in sententia generaliter negante [pro quo in cod. interpolatissimo Glogaviensi scribitur *quidquam*] uno et altero exemplo defenditur (obscurato pronomine et cum verbo prope in unam notionem conflato), velut pro Mil. 88: *Ne cum solebat quidem id facere, in privato eodem hoc aliquid profecerat.* [Edidi nunc *ne diuturnitatem quidem.* B quoque *diuturnitate.*]

88. *finito atque modico*) Ὡρισμένον Epicurus dicebat. *Ac modico* Spir. [non B] et Gud. 1.

perfici beatam vitam perfectione virtutis) Hoc est, cum virtus perfecta sit, statim perfectam esse beatam vitam nec temporis spatio egere. Sed paulo brevius *virtutis perfectionem* dixit, cum proprie Stoicorum sententia virtus non perficiatur, quippe quae gradus non habeat, sed ipsa posita sit in perfectione naturae et rationis (τελειώσει, Diog. Laërt. VII, 90, Cic. hic IV, 35, V, 38, Tusc. V, 39, Acad. I, 20, de Legg. I, 25). Haesit Bremius.

afferre incrementum diem; qui autem voluptate vitam effici beatam putabit, qui sibi is conveniet, si negabit voluptatem crescere longinquitate? Igitur ne dolorem quidem. An dolor longissimus quisque miserrimus, voluptatem non optabiliorem

1. [*effici volupt. beat. vit.* A] 2. *sibi conveniret* E *negabat* E 4. [*optabilem* A¹]

qui sibi conveniet) *Is* excludit etiam Spir. [B]. In Gud. 1 erat *is sibi.*

Igitur ne dolorem quidem) Accusativus postulare videtur, ut audiatur *crescere dicet*, durius ex superiore *negabit*; ad sententiam aptius erit, si hoc ipse Cicero adiunget et sequi ostendet: *Igitur ne dolor quidem* (crescet). Neque aliter Cicero intellegi haec voluit, sed accusativum accommodavit ad casum eius substantivi, cui hoc contrarium est. Fit id saepius apud Latinos, ut in respondendo et adiungendo attractione quadam contra sententiae rationem superioris orationis obliquae grammaticam formam sequantur, subiectum accusativo casu ponentes, ut I N.D. 82: *Quid igitur censes? Apim illum nonne deum videri Aegyptiis? Tam hercle, quam tibi illam vestram Sospitam*, id est: *Tam hercle videtur, quam tibi illa vestra Sospita.* Eodem modo durissime apud Terentium Hecyr. II, 3. 5, cum Sostrata dixisset: *Ita animum induxerunt. socrus omnes esse iniquas*, addit: *Haud pol me quidem.* Debuit: *Haud pol ego quidem*; nam ipsa affirmat, non, quid alii de se sentiant, dicit. Similiter, sed paulo lenius, Cicero Legg. I, 52: *Postremo, si propter alias res virtus expetitur, melius esse aliquid quam virtutem necesse est.* Quaerit iam, quid sit illud; debuit igitur dicere: *Pecuniane igitur* (melior est); sed, quasi audiretur: *necesse est esse*, dixit: *Pecuniamne igitur? an honores? an formam? an valetudinem?* Livius quoque se implicavit hac orationis structura V, 35, 3: *Hanc gentem — Romam venisse comperio; id parum certum est, solamne an — adiutam*, id est, *solane an — adiuta venerit.* Volebant enim Latini eandem brevitatem consequi, quam nos consequimur, verbo ex superioribus audito; atqui sic eodem modo, hoc est, infinito occurrebat animo eundemque casum trahebat.

An dolor longissimus quisque miserrimus cet.) Goerenzii in hoc loco errorem et dubitationem sustuli adulescens in Emendatt. Tullianis p. 43; vid. ad I, 5. Lambinus post *quisque* addidit *est*, quod post adiectivum poni debuit; sed durius etiam verbum omittitur in priore membro huiusmodi interrogationis connexae V, 91.

diuturnitas facit? Quid est igitur, cur ita semper deum Epicurus beatum appellet et aeternum? Dempta enim aeternitate, nihilo beatior Iuppiter quam Epicurus; uterque enim

2. *appellet Epicurus beatum* [A]LPMCR *beatum Epicurus appellet* Or. 3. [*Iupiter* A]

cur ita semper cet.) Gzius et Otto coniungunt *ita semper*. vertuntque *so unafhörlich*; comparant οὕτως ἀεί, quod ubi sic positum legerint, ut solent, non dicunt. Assentitur tamen Handius (Turs. III p. 490). Sed *semper* respuit adverbium gradum notans. *Ita* demonstrationem habet huiusmodi: *ita, ut facit*; itaque proxime annectitur superiori particulae interrogativae, nec multo aliter dicitur *cur ita* atque *quid ita* (*warum denn*), cum sic de causa rei quaeritur, ut particula modalis vehementiorem efficiat interrogandi vim; quo genere in integris sententiis Cicero rarius usus est, pro Rosc. Com. 12: *quaero abs te, quid ita — compromissum feceris*, et ibd. 54 (nam *quid ita?* absolute saepe dicit), Livius frequenter; exempla posuit Handius p. 496, quibus addi potest XXVIII, 43, 12. Tum Gzius tamquam ex Erl. et Spir. edidit: *deum beatum Epicurus appellet*, errans, ut ex Erl. apparet. Antea edebatur, ut in nostris deterioribus. [B *Epicur. app. beat.*] Recte adiectivis coniunctis unum interponitur verbum; vid. epist. mea ad Orell. p. 54. Deum Epicurus μακάριον καὶ ἄφθαρτον appellare solebat. (Diog. X, 123, cfr. 139.)

Dempta enim aeternitate) Non valde perspicue nec firmiter Cicero argumentatur. Sic enim concludit, Epicurum, cum semper *beatum* appellet deum, praecipui ei aliquid ad beatitudinem (εὐδαιμονίαν) tribuere videri; id non effici, nisi vis aliqua in hac re tribuatur aeternitati. Atqui respondere poterat Epicurus, se beatum deum dicere, quod beatus esset, non quod sapiente beato beatior, et uti ipsa Stoicorum, quorum telis Cicero se instruxit, auctoritate, Chrysippi saltem; vid. Stob. Eclog. Eth. p. 198 Heer. Et ferebatur interdum in eam partem; nam ἔλεγεν ἑτοίμως ἔχειν καὶ τῷ Διὶ ὑπὲρ εὐδαιμονίας διαγωνίζεσθαι μάζαν ἔχων καὶ ὕδωρ (Stob. Florileg. tit. XVII, 30 p. 158 Gesn., ex Aelian. Var. Hist. IV, 13). Itaque hic exitus intercludendus ei erat, cum ostenderetur, eum interdum aperte confiteri, praestantiorem esse εὐδαιμονίαν dei quam hominis, ut Diogenes significat X, 121 (vid. ad I, 62); aut, si hoc fieri nequibat, potius ex altera parte urgvendus erat, ut quaereretur, cur ita semper aeternum deum appellaret, cum aeternitas nihil adderet, quo praestantior esset.

summo bono fruitur, id est, voluptate. „At enim hic etiam dolore!“ At eum nihili facit; ait enim, se, si uratur, „Quam hoc svave!“ dicturum. 89. Qua igitur re a deo vincitur, si aeternitate non vincitur? In qua quid est boni praeter summam voluptatem et eam sempiternam? Quid ergo attinet gloriose loqui, nisi constanter loquare? In voluptate corporis (addam, si vis, animi, dum ea ipsa, ut

1. *fruitur bono* L 2. *enim* (pro *eum*) LC *cum* R *nihil* [A]ELMR [*se* supra versum A, fort. pr. m.] *se* om. E *sese* (pro *se*, *si*) LMCR [*se*], *si* Or. *iratum* (pro *uratur*) MR *ita tum* L *iuratum* C 3. [*ab deo* A] 4. *In quo* Or. 6. *loqui* (pro *loquare*) E *in* om. P 7. [*aut* pro *ut* Eb]

At enim hic etiam dolore) Non dicitur *frui dolore*; sed in contrariis membris ex priore verbo speciali (quod in meliorem partem vergit) in alterum membrum latenter infertur ea significatio, quae in contrariam (malam) partem sub eandem communem notionem (capiendi) cadit, nota figura, quae tamen plerumque minus perspicue describitur. Recte Dav. comparat X ad Attic. 4, 4: *fortuna, qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur.* Vid. Ramshorn. p. 1021 et quos ille citat. Durissime Livius in comparatione post *quam* ex praecedente *obesse* audiri voluit *prodesse* XLV, 20, 9 et 24, 8.

ait enim, se, si uratur) in Phalaridis tauro; hoc enim additur II Tusc. 17 (Senec. Ep. 66, 18, Lactant. Inst. III, 27, 5). Graece hoc dictum non extat, etsi summa sententiae est apud Diogen. X, 118; cfr. infra V, 80. In verbis: *se, si uratur* similiter ac mei aberrant alii codd. (E *sese iuraturum*, χψ *sese iratum*). Inde Crat. et Vict. *si uratur, se.* Omittit *se* etiam Spir. [B]; vid. ad V, 31; hic facillime excidere pronomen potuit.

89. *In qua quid est boni*) Concluso, ut dixi, aeternitate beatiorem deum effici, ostendit aeternitatem ipsam nihil aliud afferre, nisi ut sempiterna sit voluptas, hoc est, longioris temporis; ita sequi, ut temporis magnum sit in beata vita momentum. Paulo minus diligenter dixit, in aeternitate inesse *summam voluptatem et eam sempiternam*; neque enim ipsam voluptatem aeternitas afferebat, sed eius, si adesset, sempiternitatem; sed cum hoc vocabulum in usu non esset, illo altero modo locutus est. Apparet, prave omnes inde ab Ernestio, Walkero auctore et Davisio svasore, scripsisse: *in quo*, qua mutatione inanis efficitur repetitio eius, quod dictum iam est (*Dempta* cet.). Videndum etiam erat, id bonum, quo deus frueretur, rectene *in deo esse* diceretur.

vultis, sit e corpore) situm est vivere beate. Quid? istam voluptatem perpetuam quis potest praestare sapienti? Nam quibus rebus efficiuntur voluptates, eae non sunt in potestate sapientis. Non enim in ipsa sapientia positum est beatum esse, sed in iis rebus, quas sapientia comparat ad voluptatem. Totum autem id externum est, et quod externum, id in casu est. Ita fit beatae vitae domina fortuna, quam Epicurus ait exiguam intervenire sapienti.

XXVIII. 90. Age, inquies, ista parva sunt. Sapientem locupletat ipsa natura, cuius divitias Epicurus parabiles esse docuit. — Haec bene dicuntur, nec ego repugno; sed inter sese ipsa pugnant. Negat enim tenuissimo victu, id est,

1. [*sit et corpore* A] *sit quod et corpore* LMC *sit quod et in corp* PR 3. [*hę* A] *hee* EC *hae* (PC)Or. *in potestate sunt* EOr. [*in* om. A[1]] 5. *his* LC [*qua sap.* Eh]· 6. *extremum* EPC (bis) *est* om. LPMCROr. 8. *obvenire* L 10. *Epicurus ipse parabiles* C 11. *nec* (pro *haec*) E 12. *repugnant* EC *idem* (pro *id est*) E

sit e corpore) Sic, ut primus Dav. edidit, etiam Spir. [B]. Edebatur enim: *quod et in corpore* (ut in PR) et sic Pal. 3; ceteri Pall., excepto primo, Mead., Par. 2, χψ, Gud. 1, Bas. *quod et corpore*; Eξ *quod est in corpore.* [Baiterus *ex.*] Mox *non sunt in pot.* naturali verborum ordine omnes ante Gzium, qui ex Erl. et Spir. [B] mutavit. [*Est* post *externum* nunc accessit ex ABErl.; in mea collatione annotatum non erat.] De extrema huius capitis sententia dictum est ad I, 63.

Cap. XXVIII, 90. *Epicurus parabiles esse docuit*) *Ipse* post *Epicurus* ex C per Manutianam edit. propagatum ad ceteras est; sustulit Dav. auctoribus utens codd. suis quattuor; accedunt Oxx. et Gzii omnes. De sententia vid. ad I, 45. Paulo post in *enim* (post *Negat*) haerebat Dav., non intellegens, ut ait, cuius rei ratio redderetur. Explicatur repugnantia illa; nec tamen ea explicatio hac sententia absolvitur, sed incipitur; vid. ad I, 18. Epicurus apud Diogen. X, 130: *Οἱ λιτοὶ χυλοὶ ἴσην πολυτελεῖ διαίτῃ τὴν ἡδονὴν προσφέρουσιν, ὅταν ἅπαν τὸ ἀλγοῦν κατ' ἔνδειαν ἐξαιρεθῇ· καὶ μάζα καὶ ὕδωρ τὴν ἀκροτάτην ἀποδίδωσιν ἡδονήν, ἐπειδὰν ἐνδέων τις αὐτὰ προσφέρηται.* Alia in eandem sententiam ab Epicuro dicta habet Stobaeus Floril. tit. XVII. 23 et 34 p. 158, 159 Gesn. Ante *tenuissimo* Lambinus addebat *e*, ut § 96 *ex* ante *memoria*, non ferens ablativum laxius cum instrumenti significatione adiunctum.

contemptissimis escis et potionibus minorem voluptatem percipi quam rebus exquisitissimis ad epulandum. Huic ego, si negaret quidquam interesse ad beate vivendum, quali uteretur victu, concederem; laudarem etiam; verum enim diceret, idque Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem, cibi condimentum esse famem, potionis sitim. Sed qui, ad voluptatem omnia referens, vivit ut Gallonius, loquitur ut Frugi ille Piso, non audio, nec eum, quod sentiat, dicere existimo. 91. Naturales divitias dixit parabiles esse, quod parvo esset natura contenta. Certe, nisi voluptatem tanti aestimaretis. Non minor, inquit, voluptas percipitur ex vilissimis rebus quam ex pretiosissimis. Hoc est non modo cor non habere, sed ne palatum quidem. Qui enim voluptatem ipsam contemnunt, iis licet dicere, se acipenserem maenae non anteponere; cui vero in voluptate

4. *uteretur* L 5. *id quod* R [*inillo*, om. *loco*. A] 8. *loquitur* om LP *frui ille ipso* E *nec enim eum* PMCR *nec* [*enim*] *eum* Or 9. *quod* om E *quid* M 12. Ante *ex* add. *tam* LPMCR 13. *ne* om. E 14. *Qui* — *anteponere* Nonius p. 550 (*voluptates ipsas*) *eis* Non. [*is* A¹] *his* [Eb]LC *se* om. L 15. [*accupenserē me non* A *accupenserem mene non* Eb]

cibi condimentum esse famem cet.) Xenoph. Memor. I. 3, 5 et 6, 5. De Gallonio vid. ad § 24; de L. Pisone, qui Frugi cognomen adeptus est vitae continentia, testimonia collecta sunt in indicibus et onomasticis. (Mendum cod. Erl. [et B] admonet, ut idem mendum tollam ex Asconii commentario in Pisonianam p. 119, ubi scribitur: *ut ipso recenti reditu*, vitiose abundante pronomine, pro: *ut Piso recenti reditu*.) Mox *enim*, quod inter *nec* et *eum* interponebatur, omittit etiam Spir. [B]; deleri iussit Gzius. Non causa additur, sed absolvitur iudicium.

91. *ex vilissimis rebus*) *Tam*, quod ante *ex* addebatur, a Man. damnatum Lamb. sustulit, deinde Grut. auctoritate Pal. 1; Dav. et Gzius tacent. Erat *tam* in EUχψ, [om. B].

acipenserem maenae non anteponere) Miro errore quidam *non* tolli voluerunt, sententiam evertentes. Qui voluptatem ipsam contemnunt, ii possunt dicere, se acipenserem maenae non anteponere, non quo non sentiant, meliorem acipenseris esse saporem, sed quod saporem non curant (ut Laelius § 24); qui voluptatem sequitur, is si acipenserem maenae non anteponit, ostendit, se palatum non habere; nam si meliorem saporem sentiret, praeferre voluptatis causa debebat. Mox *sint*

summum bonum est, huic omnia sensu, non ratione sunt iudicanda, eaque dicenda optima, quae sunt svavissima. 92. Verum esto; consequatur summas voluptates non modo parvo, sed per me nihilo, si potest; sit voluptas non minor in nasturcio illo, quo vesci Persas esse solitos scribit Xenophon, quam in Syracusanis mensis, quae a Platone graviter vituperantur; sit, inquam, tam facilis, quam vultis, comparatio voluptatis; quid de dolore dicemus? cuius tanta tormenta sunt, ut in iis beata vita, si modo dolor summum malum est, esse non possit. Ipse enim Metrodorus, paene alter Epicurus, beatum esse describit his fere verbis: cum

2. *sint* [A]MR *firmissima* E 3. *isto modo* (pro *esto*) LPMCR 4. *sed ferme* LPMCR 9. *in his* ELPMCOr. 11. [*aliter* A¹] *aliter quam* LPMCR

Crat., Vict., Man., Dav. duo, Oxx. EU, Gziani praeter Erl. et Spir. [B], ut significentur, quae ipse svavissima iudicet.

92. *Verum esto; consequatur*) *Esto* coniectura praeceperat Manutius; confirmant Pal. 1, El. 2, Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor. Lambinus, nescio qua fide, tradit in suis omnibus codd. esse *isto* sine *modo*. Tum *per me* Gruterus e Pal. 1 restituit; confirmat etiam Spir. [B]. Oxx. Eξ *firme*, Uχψ *ferme*.

scribit Xenophon) Cyropaed. I, 2, 8, quem locum Cicero attingit etiam Tuscul. V, 99, ubi plura Davisius collegit; de mensis Syracusanis Plato, qui Ciceroni videbatur, Epist. VII p. 326 B, quem locum Cicero interpretatus est Tusc. V, 100.

describit his fere verbis) Usus hac definitione erat *ἐν τῷ περὶ τοῦ μείζονα εἶναι τὴν παρ' ἡμᾶς αἰτίαν πρὸς εὐδαιμονίαν τῆς ἐκ τῶν πραγμάτων*, e quo libro ipsa verba Graeca habet Clemens Alex. II Strom. p. 179: *Ἀγαθὸν ψυχῆς τί ἄλλο ἢ τὸ σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα καὶ τὸ περὶ ταυτης πιστὸν ἔλπισμα*; Metrodoro tribuit Cicero in Tusculanis quoque II, 17 et V, 27. Ceteri fere tamquam communem scholae Epicureae summi boni et beatae vitae definitionem ponunt, ut Plutarchus (Non posse svaviter cet. 4 p. 1089 D): *Τὸ γὰρ εὐσταθὲς σαρκὸς κατάστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα τὴν ἀκροτάτην χαρὰν καὶ βεβαιοτάτην ἔχει τοῖς ἐπιλογίζεσθαι δυναμένοις*. Alia citat Davisius ad Tusc. locum priorem, quibus addi potest Plut. Praecept. de sanit. 22 p. 135 C. Paulo ante *paene alter Epic.*, quod in mg. Crat. annotatur, primus, opinor, edidit Marsus, deinde Manutius et ceteri deinceps tacite, nisi

corpus bene constitutum sit et sit exploratum ita futurum. An id exploratum cuiquam potest esse, quomodo se hoc habiturum sit corpus, non dico ad annum, sed ad vesperum? Dolor igitur, id est, summum malum, metuetur semper, etiamsi non aderit; iam enim adesse poterit. Qui potest igitur habitare in beata vita summi mali metus? Traditur, inquit, ab Epicuro ratio neglegendi doloris. Iam id ipsum absurdum, maximum malum neglegi. Sed quae tandem

2. *sese habiturum* LPMCROr. 3. *vesperam* LPMCB 4. *id est om.* E 7. *enim* (pro *inquit*) E *iam ad ipsum* E *iam ipsum* ceteri Or

quod Oxx. ξχψ ostendunt deteriorum codicum conspirationem (Cod. Mor. *aliter Epicurus* [ut A?].)

quomodo sese [sic edit. superior] [illegible] Pal. 1 *quomodo se haec hab.* Potest ex hoc et Erl. [e quo mihi notatum erat *se h'*] in mentem venire, scribendum esse: *quomodo se hoc hab. sit corpus*, id est, hoc, quod videmus. [Sic Baiterus in A et Erl. scribi testatur; itaque restitui, ut ille. B *se h*[illegible]]

ad vesperum) Sic etiam Spir. [B] et praeterea CCC (etsi de ξ tacetur) et χ, ut saepe Cicero: in Cat. tamen II. 6 codices, quantum scitur, *vesperam* retinent. Mox pro *id est* (de quo vid. ad § 6) tantum *est* habent etiam Spir. [B] et Gud. 2: saepissime erratur in hoc compendio. Paulo post, ubi est: *qui potest igitur*, Bremius *autem* pro *igitur* scribi malebat: neque enim hanc conclusionem esse. Sed saepe extremam partem argumenti sic illa particula notamus, ut simul conclusionem latere significetur, ut hic: Itaque tollitur isto modo beata vita. [Tum *enim* pro *inquit* etiam B. Poterat ferri *Tr. enim, inquit*, ut *enim* pervagato usu pertineret ad latentem significationem responsi. Sed omisso *inquit* h. l. sic poni non potest.]

93. *Iam id ipsum*) Hoc, quod Ernestius coniectura invenerat, manifesto mihi significari videbatur codicis Erl. [et B] scriptura. (Neque eam Gzius neque de ceteris quidquam annotavit.) *Ipse* num pro eo, quod est *is ipse*, a Cicerone et ceteris optimis scriptoribus poneretur, a multis quaesitum est (Gronovio et Drakenborchio ad Liv. V, 43, 4, Wopkensio Lectt. Tull. p. 292, Handio ibd. p. 391 [quem secure sequitur Ellendtius ad II de Orat. 132], Gzio ad Cic. Legg. II, 12 et ad h. l., Ottone ad I, 10), quorum fere nemo satis certis finibus quaestionem terminavit, nonnulli gravissime erraverunt. Nam iis exemplis utuntur, in quibus cum nulla omnino sit causa personae reive satis iam definitae pronomine (*is*) demonstrandae,

ista ratio est? Maximus dolor, inquit, brevis est. Primu[m]

tantum persona vel res eis, quae adiuncta sint, contrar[i] significatur. Quis enim, cum de homine eo, de quo agi ia[m] constat, sic loquor: *ipse dixit* (non pro eo alius) aut: *qu[ae]ram ex ipso* (non ex alio de eo), omissum putat *is* aut *e[um]* quamquam noster sermo pronomen illud ponit, quod in e[o] numquam subiecti nota abesse potest? aut quis non senti[t] perverti saepe sententiam, si de eo subiecto, quod ipsum spont[e] animis occurrat, id pronomen addatur? Et tamen citantur i[n] hac quaestione huiusmodi loci: Fin. II, 82: *ipsis non satis*, et V, 2 *ipsum videntur in conspectu meo ponere*, et ibd. 39: *in ips[a] enim parum magna vis est* (sententia intercidat, si dicas: *in e[a]* *ipsa*, quasi non *ipsa vitis* et *quae extra eam sint* contraria po[n]antur, sed ea discernatur ab aliis vitibus et demonstretur), pro Cael. 33 (*ex ipsa quaeram*), de Orat. I, 28 (*ipsa aqua[ul]i*). [Itaque potius notandum, interdum tamen addi *is* in talibus locis, ut Cat. 80: *si nihil eorum ipsorum animi efficerent* cet. Cfr. Liv. II, 38, 1, III, 51, 3, V, 33, 3 et de *ipse is* Iac. Gron. ad Liv. III, 12, 4.] Ne illud quidem ad hanc quaestionem pertinet, quod Acad. II, 84 dicitur: *ipse erit, qui tibi videbitur*, quemadmodum apud comicos dicitur: *ipsus est*. [Cfr. Sveton. Aug. 94: *ipsum esse, quem* cet.] Illud quaeritur, cum *ipse* adiungatur ad necessariam personae reive notationem, quod aut ea persona vel res non ex orationis cohaerentia intellegatur, sed nunc circumlocutione et sententia relativa definiatur, aut significetur, in hac persona vel re id, quod dicatur, memorabile videri, possitne tum pronomen personae reive index, in quod orationis et vocis pondus incumbere videatur, omitti et solum *ipse* poni. Id sequente sententia relativa, in qua *ipse* ita innititur, ut *ipse, qui audit* sit *αὐτὸς ὁ ἀκούων* [*αὐτός, ὃς ἀκούει*, Matth. Gr. Gr. § 469, 7], facilius fieri potest, et factum esse exempla declarant, ut illud libr. I, 13: *ab ipsis, qui eam disciplinam probant*; similia haec sunt: de Inv. I, 82: *de ipso, qui iudicarit*, de Orat. I, 250: *ipsi, quorum negotium est*. ibd. II, 60: *ipsi, qui scripserunt*, 208: *ipsis, qui audiunt*, 344: *ipsis, qui eas habent*, ibd. III, 168: *pro ipsis, in quibus illa sunt* (sic etiam Iul. Vict. p. 252 Orell.), Orat. 134: *ex ipsis, quae supra dicta sunt* (sic meliores codices, deteriores: *ex his, quae*, Orell. e Lambini coniectura: *ex iis ipsis, quae*), ibd. 180: *ipsi, qui affirment* (codd. interpolati: *ipsi illi, qui*, quod non recepit Orellius, qui altero loco coniecturam secutus erat), Partt. Orat. 30: *cum ipsis, apud quos res agetur*; Divin. in Caec. 13: *ipse, cui maxime haec res obstat*, [pro Rosc. Am. 71, pro Arch. 22,] de R. P. I, 47: *sed ea dant magis* (hoc voca-

quid tu dicis breve? deinde dolorem quem maximum? Quid enim? Summus dolor plures dies manere non potest? Vide, ne etiam menses! Nisi forte eum dicis, qui, simul atque

1. *tam* (pro *quem*) LPMCR 3. *ne* om C *ne forte* E *qui si simul atque* E

bulum delendum puto), *quae*, *etiamsi nolint*, *danda sint et quae ipsi non habent*, *a quibus alii petunt*, hoc est: *quae ipsi illi non habent*, *a quibus alii petunt*; nihil hic mendi est). Non utor eo, quod I de Orat. 87 legitur: *ut et ipsis*, *apud quos ageret* cet., quoniam ibi *ipsis* prorsus alienum est; scribendum est enim: *ut et ipse iis*, *apud quos ageret*, *talis* — *videretur*; huic, quod de *ipso* dicitur, contrarium est: *et uti ei*, *qui audirent*, *sic afficerentur animis* cet. Ex aliis scriptoribus haec addo: Caes. B. C. III, 20: *ipsis*, *ad quorum commodum pertinebat*, [Liv. IX, 34, 18, XXI, 45, 5, XXXII, 8, 14,] Senec. de Ira I, 18, 2: *nihil praeter ipsum*, *de quo agitur*, de Benef. IV, 17, 2: *ipsis*, *quae impotentissime facit*, [Plin. Epist. VIII, 4, 5]. Haec igitur mihi dubia non videntur, illud neque per se probabile neque exemplorum constantia satis confirmatum, Ciceronem II Legg. 12 potuisse dicere: *estne ob ipsum habenda nullo loco*, cum significaret: *ob id ipsum*, *ob eam ipsam causam*. Huic hi loci adduntur: ad Fam. VI, 19, 2: *si modo ipsum sciet*; ad Attic. X, 14, 3: *et ipsum* (id ipsum, quod dictum erat) *fore et*, *quae iam fiant*, *non esse leviora*; ibd. XII, 14, 3: *quamquam ipsum doleo*; de Divin. II, 119: *animum Zeno quasi labi putat atque concidere et ipsum esse dormire*, in quibus omnibus et quanta insolentia sit, infinito numero contrariorum exemplorum repugnans, apparet, et quam facile *id* excidere potuerit, demonstrant, quae e Livii codicibus congessit Drakenborchius. II Acad. 109 *si ipsum* et codices et editiones respuunt et sententia, quae postulat: *si quidquam* (omnino); ad Fam. IV, 13, 2 quod legitur (*ut ipsum*, *quod maneam in vita*, *peccare me existimem*), videri potest ita defendendum esse, ut *quod maneam* relativae sententiae vicem expleat. [Cfr. Sen. cons. ad Marc. 12, 2: *ipsum*, *quod habuisti*, *fructus est.*] De Legg. II, 34 sanum haberi *et ipsa*, codices, *ea ipsa* intellegi, sententia vetat. Livii codices antiqui tribus tantum locis in hanc formam consentiunt: V. 43, 4 (*per ipsos dies*) et XXI. 55, 11 (*ad ipsum locati*) et XXII, 4, 2.

Maximus dolor cet.) Vid. I, 40 et quae ibi annotata sunt. Mox *dolorem quem maximum*, quod Manutius coniectura reppererat, dederunt Pal. 1, [B,] mg. Crat., El. 2, nec *tam* notatur ex ξχ. Gzius tacet.

arripuit, interficit. Quis istum dolorem timet? Illum mallem levares, quo optimum atque humanissimum virum, Cn. Octavium, M. F., familiarem meum, confici vidi, nec vero semel nec ad breve tempus, sed et saepe et plane diu. Quos ille, di immortales! cum omnes artus ardere viderentur, cruciatus perferebat! Nec tamen miser esse, quia summum id malum non erat, tantummodo laboriosus videbatur. At miser, si in flagitiosa atque vitiosa vita afflueret voluptatibus.

XXIX. 94. Quod autem magnum dolorem brevem, longinquum levem esse dicitis, id non intellego quale sit. Video enim et magnos et eosdem bene longinquos dolores; quorum alia toleratio est verior, qua uti vos non potestis, *qui*

1. *eripuit* C *interfecit* E 3. [*Marci filium* plene, ut vid., A] 4. *etiam saepe* E *saepe plane diu* [A]E *saepe plane et diu* LMCROr. *saepe plane* (om. *diu*) P *di immortales ille* LMCR *o vos di imm.*, om. *ille*, P [*dii* A] 8. *vitiosa et flagitiosa* LPMCROr. 10. [*lenem* A] *esse* om. ELMOr. 11. *et* ante *magnos* om. P *quaenam* (pro *quorum*) LMCR *quae nostra* P 12. *ratio* L

Cn. Octavius) is, qui consul fuit a. 76 a. Ch. n. et a Sallustio homo mitis, captus pedibus appellatur; vid. Orellii Onomast. Tull. Paulo post [*et*, quod omittitur etiam in B, post *saepe* restituit Halmius; tum] *ille*, *di imm.*, etiam Spir. [B]; editum hoc est a Crat., tum a Grut., Ernestio, ceteris. Alter ordo erat in Gud. utroque; Bas. *di imm.. quos ille.* Tum *vitiosa et flagitiosa* omnes ediderunt; Gzius in omnibus suis ait esse: *flagitiosa et vitiosa*; sine dubio in Spir. erat, quod ex Erl. edidi, et fortasse in Gud. 2. [Sic A et B.] Eξ om. *vitiosa et.*

Cap. XXIX, 94. *levem esse*) Verbum om. etiam Spir. [B]; paulo post vett. quaedam edd. (Man. et Lamb.) om. *bene.*

quorum alia toleratio) Sic Gruterus e Pal. 1; confirmant etiam Spir. [B] et mg. Crat. Cod. Mor. *quae non alia tol.* Ut nostri deteriores, Oxx. Eξχψ, Gud. uterque, Bas. et sine dubio reliqui Pall. et Davisiani (El. 2?), editionesque, quantum video, ante Ascens. 1511 et Crat. Hi et ceteri ante Gruterum: *quaedam alia.* Cod. Urs. et Mead., ut L, *ratio.* Davisius scribi volebat *tolerandi ratio*, quod ipsum ita significat *toleratio*, ut simul inclinet in significationem *potestatis tolerandi*, quam attigi in Emendatt. Tull. p. 89. Sic etiam Seneca de Benef. IV, 39, 2: *Pecuniae etiam male creditae exactio est*, hoc est, exigi ea potest. [Cfr. Naegelsbachius in libro, qui inscribitur Latein. Stilistik, § 58, 1 b ed. tert.]

honestatem ipsam per se non amatis. Fortitudinis quaedam praecepta sunt ac paene leges, quae effeminari virum vetant in dolore. Quamobrem turpe putandum est, non dico dolere (nam id quidem est interdum necesse), sed saxum illud Lemnium clamore Philocteteo funestare,

Quod eiulatu, questu, gemitu, fremitibus
Resonando mutum flebiles voces refert.

Huic Epicurus praecentet, si potest, cui

3. *dico dolore* ER 4. [*interdum est* A] 5. [*philoctere* Eh] *Philoctetaeo* Or. 6. [*heiulatu* A] *et questu* LPC 7. *mutu* E *multum* L 8. [*et* pro *praecentet* A] *competenter et* (pro eodem) LPMCR *comparet se* Or.

sed saxum illud Lemnium cet.) Eodem Philoctetae exemplo Cicero utitur in Tuscul. II, 33, dolorem non satis viriliter nec ex virtutis praeceptis ferentis. Versus ex Attii, ut videtur, Philocteta sumpti ibi quoque ponuntur, adiectis initio ex superiore versu his verbis: *in tecto humido* (sic enim recte emendare videntur, quod codices habent, *lecto*). Hic Cicero pro eo *saxum* subiecit.

mutum flebiles voces refert) Sic codices non solum boni (Pal. 1 [et B]), sed etiam deteriores fere omnes (Pall. praeter duos, Mead., El. uterque, Oxx., Gziani), estque elegans et a tragicae orationis subtilitate minime abhorrens figura in illo *mutum voces refert*, cum circumloquendo describatur echo; alioquin satis erat *resonat*. Nam qui *resonando mutum* iunxerunt, ut esset *dumpf widerhallend*, neque artificium orationis perspexerunt et significationem vocis fingunt. In Tusculanarum codice eo, ex quo nostri orti sunt, mendose scriptum erat *multum*, ut hic pauci quidam editores (velut Lambinianarum curatores, Gruterus invitus) scripserunt. Id sive ad *resonando* referas, ineptum est (neque enim, quam multum resonet saxum, quaeritur), sive ad *flebiles*, frigidum et superfluum.

Huic Epicurus praecentet) [Sic etiam B.] Gzius e Spir. enotavit *protentet*. Cod. Vict. *p̄ tēnt et si.* Significari medicinam, quae magicis carminibus fiat, quibuscum apte et acerbe comparentur Epicuri magnificae voces, intellexit Wesenbergius, adhibito Varronis loco apud Nonium p. 494: *ut faciunt plerumque. ut adhibeant praecantrices nec medico ostendant*, tum Tibulli versu I, 5, 12: *carmine cum magico praecinuisset anus*, postremo Plinio H. N. XXIX, 69: *aiunt viperam praecanere.* Eodem pertinent *praecantrices* nominatae apud Plautum (Mil. Gl. III, 1, 99) et *praecantatores* apud Augustinum et *praecantationes*

E viperino morsu venae viscerum
Veneno imbutae taetros cruciatus cient!
Sic Epicurus: „Philocteta! Brevis dolor.“ At iam decimum

1. *E* om. omnes, Or. 3. *Sit* [A]LPMROr. [*Phil. si breuis dolor leuis* A, nisi, quod opinor, erratum est de *si.*] *Philocteta brevis dolor levis* E *Philocteta: Si gravis dolor, brevis* LPMCROr.

apud Solinum et Vegetium et alios et *lapilli praecantati* apud Petronium. Easdem Graecorum esse ἐπῳδάς verbo significasse satis est. *Praecentare* ex *praecinendo* fit, ut *occentare* (*accentus*), etsi fuit etiam *praecano* (quod Lucilius apud Nonium p. 102 aliter posuit), ut est *occano*, et *praecanto*, ut Statius dixit *accanto*. *Si potest* ad ipsum effectum medendi refertur. Verbum rarum et obscurum librarius cod. Pal. 1 omisit retenta, quae separata erat (ut in cod. Vict.), syllaba *et*; in codice deteriorum principe, retentis litteris aliquot (*petente*) effecta est vox Latina inferioris aetatis; nam ut nostri, Pall. ceteri, „fere“ Davisiani, Oxx. (*competentur*), Gud. uterque, Bas., edd. vett. plures, postrema Victoriana. Ex interpolato illo *competenter et* nescio quis editor fecerat *comparet se et*, quod Orellius in ed. Ven. 1480 repperit. Deinde cum ferri non posset *et*, alii scribendum coniecerunt: *etsi qui potest?* quae coniectura in mg. Crat. annotata est (*qui* Dav. tradit in El. 2 fuisse, fortasse pro 1 appellans), alii *et* delerunt, eaque scriptura (*comparet se, si potest*). quae est apud Marsum et Crat., inde a Manutio ab omnibus ante Gzium servata est. Enarrat Orellius: „in Philoctetae locum se paulisper cogitatione transferat“, non aberrans, opinor, ab interpolatoris sententia; Latine quidem id sic dici nequit, nec Cicero Epicurum ipsum doloribus oppressum inducit et sic experimentum suae sapientiae capientem, sed postulat ab eo, ut aliis dolentibus subveniat (§ 93, 95, Tusc. III, 44 simillimo loco). Quod Gzius, Rathio svadente, proxime ad Pal. 1 edidit: *Huic Epicurus, si potest*, cet., tenue, quod in illo ipso codice supererat, vestigium veri sustulit; nec *dicat* (coniunctivo modo) omitti poterat, et ineptum est: *dicat, si potest*. Sed nihil opus haec refelli.

E viperino) [Praepositionem Baiterus addidit e Tusc. II, 19 et Non. p. 324; nec erat, cur eam Cicero hic detraheret. Sed quod pro *cui* scripsit *cum*, poterat Cicero hic aliter atque in Tusculanis versus orationi annectere.]

Sic Epicurus: Philocteta!) Vocativum esse *Philocteta* et cum irrisione induci Epicurum Philoctetae praecepta sua ingerentem, ipsa vocabuli forma admonere editores debuit; nam nominativo

annum in spelunca iacet. „Si longus, levis; dat enim intervalla et relaxat.“ 95. Primum non saepe, deinde quae est ista relaxatio, cum et praeteriti doloris memoria recens est et futuri atque impendentis torquet timor? Moriatur, inquit.

1. [*lenis* A] 3. *quae* (pro *cum*) E *et* om. MR [*recens sit* A]

casu Cicero non magis *Philocteta* dixit quam *Oresta* aut *Scytha* (*Scythes* Tusc. V, 90) aut *Abderita* (*Abderites* Brut. 30, N. D. I, 63; *sophistes* Acad. II, 72, N. D. I, 63, *Heracleotes* Acad. II, 71, *geometres* de Fato 15, *Spartiates* ad Fam. V, 12, 7, *Perses* de R. P. I, 43, *Persa* in nomine canis ex sermone familiari et antiquo de Divin. I, 103, ut *pirata* dicitur), sed vocativo (*Aeeta*, *Thyesta* Tusc. III, 26, *citharista* de Divin. II, 133), ut ablativo, barbaro casu (de Orat. III, 128 *de Protagora Abderita*, *Aeeta* III N. D. 48, *de Philocteta* de Fato 36). Recte *Philoctetes* legitur de Fato 37, prave ibd. *Philocteta*, quod Manutium et Lambinum non fugit; altero loco additum nomen a librariis videtur. Grammatici haec parum distinxerunt. (Varro *Aeeta* nominativo casu posuit R. R. II, 1, 6.) Atque hanc allocutionis figuram a totius loci forma flagitari, dixi superiore annotatione. Senserat Schuetzius, sed licenter, ut solebat, scripsit: *Dicat Epicurus: Philocteta.* Ego posui, quod in Erl. [et B] et ed. prima erat, Gzius autem, omissa Erl. et Spir. mentione, e Gud. 2 et Bas. profert: *Sic Epicurus* (loquitur). Ipse e Bremii coniectura scripsit: *Sic Ep. Philoctetae*, et sic enarrat: „tali condicione cum sit, quali eum hi versus fingunt.“ A ceteris editum est: *Sit Epicurus Philocteta*: *Si* cet., quod ut posset eam habere sententiam, quam subiciunt: „cogitet se Epicurus Philoctetam esse“, quam sit ea prava, dictum iam est. [Oritur deinde de proximis dubitatio. Non quod antea ex uno Erl. annotatum erroris loco habebatur: *brevis dolor levis*, id nunc (ex A et B) apparet in omnibus bonis fuisse; alterum, quod edebatur, correctione valde audaci ortum esse. Nec tamen ipsum illud verum esse potest; nam brevis dolor Epicuri sententia gravissimus esse poterat, nec haec prior consolatio eodem redire potest (*levis*), quo altera, et, quod subicitur, demonstrat, non levitatem doloris Epicurum nominasse, sed tantum brevitatem. Epicurus primum absolute Philoctetam consolatur brevitate doloris; deinde, cum huic consolationi locum non esse appareat, cum condicione ad alteram transit. Delevi igitur *levis* prave additum in bonorum codd. scriptura.]

95. *Moriatur, inquit*) Vid. ad I, 49 et de iis, quae se-

Fortasse id optimum, sed ubi illud: „Plus semper voluptatis“? Si enim ita est, vide, ne facinus facias, cum mori svadeas. Potius ergo illa dicantur, turpe esse, viri non esse debilitari dolore, frangi, succumbere. Nam ista vestra: „Si gravis, brevis; si longus, levis“ dictata sunt. Virtutis, magnitudinis animi, patientiae, fortitudinis fomentis dolor mitigari solet.

XXX. 96. Audi, ne longe abeam, moriens quid dicat Epicurus, ut intellegas, facta eius cum dictis discrepare: Epicurus Hermarcho S. Cum ageremus, inquit, vitae beatum et eundem supremum diem, scribe-

1. *ubi* om. P 2. *facias facinus* E [*mori si videas* Eh] 3. *viro* MR *iure* C *viris* L *non esse* om. LPMCR 4. *dolere* L 8. *me* (pro *ne*) L 9. *et intellige* LPMCROr. 9. *Hermacho* (*co*) LPMR *Hermeo* C

quuntur (*Plus semper voluptatis*) ad I, 62. [In proximis illis *vide, ne facinus facias* familiaris sermonis imitatio aliqua est, proverbio aut poeticae orationi nihil omnino simile.]

turpe esse, viri non esse) Sic etiam [B et] mg. Crat. et cod. Gronovii; Lallemandi regium non numero. Davisius annotat in El. 2 legi *viri non esse*, omisso *turpe esse*. Deteriores, non intellecta figura orationis, in qua gradatio est, omisso *non esse*, partim *viri* retinuerunt, ut P, partim substituerunt *viro*, ut, tacente Grutero, Davisio de ceteris suis, Oxoniensibus, ante Gzium edebatur, qui omnia turbans narrat, in Pal. 1 (at Gruterus οὐδὲ γρῦ), Erl., e quo mihi singulae litterae ita notatae sunt, ut edidi, Spir. esse: *turpe viri non esse*, in reliquis suis omnibus scribi *viri*. Itaque *turpe esse* delevit et secutus est Otto. Deteriores Gzii codices videntur idem habuisse, quod P, nisi etiam de *viri* erravit.

dictata sunt) praeceptoris, quae pueriliter sine ulla vi decantantur; vid. lexica.

ut intellegas) Sic etiam Pal. 1 et Spir. [B], ediditque Davisius; non iubet Cicero Triarium intellegere, sed praedicit, si audierit, intellecturum. Itaque poterat etiam dicere: *audi — Epicurus; intelleges* (sive: *iam intelleges*). Sic enim Cicero solet imperativo verbum futuri temporis sine copula subicere; quod Oxx. Eξ habent: *audi — et intelleges* Senecae est, ut exposui Opusc. Acad. II p. 162. [Graeci fere ἄκουε καὶ γνώσει.]

Cap. XXX, 96. *Epicurus Hermarcho S.*) Diog. Laërt. X, 22: Ἤδη δὲ τελευτῶν γράφει πρὸς Ἰδομενέα τήνδε ἐπιστολήν· Τὴν

bamus haec. Tanti aderant vesicae et torminum

1. Post *haec* add. *ne* E *autem* (pro *aderant*) *vesicae* E *autem morbi aderant ves.* LPMCR *autem aderant ves.* Or. *viscerum* (pro *torminum*) LPMCR

μακαρίαν ἄγοντες καὶ ἅμα τελευταίαν (sic recte Davisius; libri *τελευτῶντες*) *ἡμέραν τοῦ βίου ἐγράφομεν ὑμῖν ταυτί. Στραγγουρία τε παρηκολούθει* (sic Gzius recte, etsi fortasse casu; edd. *παρηκολουθήκει*) *καὶ δυσεντερικὰ πάθη ὑπερβολὴν οὐκ ἀπολείποντα τοῦ ἐν ἑαυτοῖς μεγέθους. Ἀντιπαρετάττετο δὲ πᾶσι τούτοις τὸ κατὰ ψυχὴν χαῖρον ἐπὶ τῇ τῶν γεγονότων ἡμῖν διαλογισμῶν μνήμῃ. Σὺ δὲ ἀξίως τῆς ἐκ μειρακίου παραστάσεως πρὸς ἐμὲ καὶ φιλοσοφίαν ἐπιμελοῦ τῶν παίδων Μητροδώρου.* Quod ibi Idomeneo epistula scripta dicitur, Gassendius ad utrumque datam putat, ego, quoniam eam habet formam, ut communiter et quasi in orbem ad omnes Epicuri amicos data videri possit, pluribus praescriptionibus circumlatam apud posteriores puto, cum alia atque alia singulorum nomina praeponerentur. Extabant etiam Epicuri epistulae ad Hermarchum, quibus Leontium commendabat (Athen. XIII p. 588 B). Quod autem nonnemini salutatio apud Ciceronem subditicia visa est, neque omnino cuiquam scribae eam addere in mentem venire poterat, et, si venisset in mentem, quod Graecum exemplar nosset, idem nomen posuisset. Verum non tam docti homines hos libros olim interpolarunt. Hermarchi (Mitylenaei, qui Epicuro in schola successit, vid. Diog. X, 15, 17, 24, 25) nomen, cum et hic et infra 101 et in libro I de N. D. 93 et Acad. II, 97 et apud Diogenem, Athenaeum, Senecam (Ep. 6, 33, 52), Porphyrium (de Abstin. I, 26) *Hermachus* scriberetur, e monumentis Herculanensibus (subscriptione statuae et libro Philodemi *περὶ ῥητορικῆς*, vid. Antichita di Ercolano vol. V tab. 17 et p. 71) veram formam restituendam esse monuit Villoisonius Anecd. Graec. Tom. II p. 159, quem Gzius secutus est. Confirmant eam hic [AB] Erl., infra autem [AB,] Erl. et Spir. (hic *Hermarci*), in libris de N. D. optimi codd. (B *Hermachus*, ACE *Hermarcus*). Idem mendum erat in alio homine in orat. de harusp. resp. 34. Eandem epistulam Epicuri Cicero significat Tusc. II, 45 et V, 88.

Tanti aderant) [Edidi nunc cum Baitero, ut est in A, quem antea falso putaveram habere *tanti autem aderant*, quod erat in cod. Mor. In Erl. et B *autem* ex *aderant* ortum videtur.] Ordinem hunc verborum, quo *morbi* longius reicitur, Gzius ait in suis omnibus esse praeter Gud. 2; non valde credo, quoniam non animadvertit, in Erl. *aderant* abesse. *Torminum*

morbi, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere. Miserum hominem! Si dolor summum malum est, dici aliter non potest. Sed audiamus ipsum. Compensabatur, inquit, tamen cum his omnibus animi laetitia, quam capiebam memoria rationum inventorumque nostrorum. Sed tu, ut dignum est tua

1. *morbi* om. LPMCR *possit* LPMCR 2. *ecce miserum* LPMCR [*Ecce*] *mis.* Or. 3. *compensabat* EC 4. *tamen inquit* C 6. *est* om. P

etiam Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor. et ediderat Victorius. Dav. et Oxx. tacent, deteriores cum Grut. sequentes. Recte negat Gzius *viscera*, quae proprie illa intelleguntur, quae supra abdomen sunt, apte nominari, cum δυσεντερικὰ πάθη significentur; ea enim ad *intestina* pertinent. Offensioni fuit coniunctio genetivorum inaequalis, *vesicae*, quae pars est corporis dolore correpta, et *torminum*, quae ipsa est doloris species, ut explicandi et definiendi vim genetivus habeat; (vid. Epist. nostra ad Orell. p. 79, Matth. ad or. Catil. II, 24, ad or. pro Mur. 23); sed eiusdem generis alia posui ad I, 51; in hoc ipso vocabulo commode Gzius comparat, quod apud Plinium legitur H. N. XXXII, 24: *contra torminum ac vesicae ac calculorum mala.* [Ex Cicerone addo de imp. Pomp. 39: *hiemis, non avaritiae perfugium* et II in Cat. 3: *non modo invidiae meae* (quae contrahetur), *verum etiam vitae* (quae eripietur) *periculo.*] Mox *posset*, quod temporum consecutionem postulare, Manutius aliique intellexerant, Gzius ait in omnibus suis praeter Gud. 2 esse. Erat etiam in Eξ.

Miserum hominem) Quod a librario ad accusativum, qui in exclamando ponitur, explicandum additum erat in codicum deteriorum principe, *ecce*, recte omittunt etiam Pal. 1 et Spir. [B]. Paruit Palatino Davisius. Recte Zumptius ad Verr. I, 93 annotat, *ecce* cum accusativo a Cicerone non poni. Sed praeterea omnes haec sic interpunxerunt: (*Ecce*) *miserum hominem, si dolor summum malum est. Dici* cet. Condicio non exclamationi, sed iudicio adiungenda erat.

inquit, tamen) Alter ordo ex ed. pr. in Manutianam et deinceps in ceteras ante Gzium venit, contra edit. Crat. et Vict., codices Gzii.

memoria rationum inventorumque) Non potuit Cicero uno vocabulo exprimere vim τοῦ διαλογισμοῦ, quo vocabulo Epicurus libenter usus esse videtur de rebus quaerendis et disserendo explicandis, ut in definitione philosophiae apud Sext. Emp. adv. Math. XI, 169.

erga me et philosophiam voluntate ab adulescentulo suscepta, fac, ut Metrodori tueare liberos. 97. Non ego iam Epaminondae, non Leonidae mortem huius morti antepono; quorum alter cum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam atque ipse gravi vulnere exanimari se videret, ut primum dispexit, quaesivit, salvusne esset clipeus. Cum salvum esse flentes sui respondissent, rogavit, essentne fusi hostes. Cum id quoque, ut cupiebat, audivisset, evelli iussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita multo sangvine profuso, in laetitia et victoria est mortuus. Leonidas autem, rex Lacedaemoniorum, se in Thermopylis trecentosque eos, quos eduxerat Sparta, cum esset proposita aut fuga turpis aut gloriosa mors, opposuit hostibus. Praeclarae mortes sunt imperatoriae, philosophi autem in suis lectulis plerumque moriuntur. Refert tamen, quomodo. *Beatus* sibi videtur

1. *me philos.* E *me et erga phil.* LPMCROr. *adolescente* C *adolescentia* R 2. *ut* om. L 3. *non Leonidae* — *apud* transp. inter *videret* et *ut primum* (scriptum *se ut primum*) PMR 5. *simul atque* (pro *atque*) MCR *simulque* (P) [*exanimati* Eh] *videri se* C 6. *despexit* omnes [praeter A] 8. *cumque id* PMCR 10. *perfuso* L *et in victoria* PMROr. 15. *quod* (pro *quomodo*) LPMCROr. *Beatus* om. omnes, Or. *videbatur* E

fac, *ut Metrodori tueare liberos*) Eosdem Epicurus amicis commendavit testamento (Diog. Laërt. X, 19, 21). [Paulo ante *me et phil.* cum Baitero ex A restitui, idem significante Erl. B ut ceteri.] *Ab adulescentia* fuit fere in edd. vett. ante Gruterum, excepto Victorio. Mg. Crat., cod. Mor., Pall. omnes recte.

97. *atque ipse*) Sic in quattuor suis Gzius esse scribit, nescio satisne fideliter: de „Crat. et pluribus veteribus impressis" errat; sed sufficit Erl. [cum A et B]. Pro *simul atque* (sic etiam Oxx.), quod et sententiae et grammaticae (*videret*) repugnabat, Manutius tacite dedit *simulque*, quod usque ad Gzium propagatum est. Transpositio eadem, quae in tribus nostris, erat in Ox. χ. *Dispexit* (non *despexit*) tres Gzii (?); mox *cum id quoque* Gzius ex suis omnibus praeter Gud. 2. Edebatur tacite: *cumque id quoque*. Deinde *et victoria* (om. *in*) etiam Spir. [B].

Refert tamen, *quomodo. Beatus* — *Magna laus.*) Editum est ab omnibus, Lambino excepto: *Refert tamen*, *quod sibi videtur esse morienti magna laus.* Quae verba primum quomodo cum superioribus cohaererent, nemo ostendit, neque quid sibi vellet illa comparatio imperatoriarum mortium et philosopho-

esse moriens. Magna laus. Compensabatur, inquit, cum

1. *morienti* LPMCROr.

rum in suis lectulis morientium, nisi aliquid ad eam adiungeretur. Deinde multo minus ipsa probabiliter quisquam enarravit. Et Lambinus quidem, Davisius, Ernestius, Bremius, non plene perspecta neque exposita dilucide difficultate, satis infeliciter verba corrigere conati sunt; Gzius intellegere sibi videtur; *refert* enim vult esse *exponit*; *sibi* pro *ipsi* poni; itaque haec efficiuntur: *exponit aliquid, quod videtur ei magna laus; dicit enim* cet. Atqui *referre* apud Latinos neque *exponere* significat neque *dicere* (ut ceteri praeter Bremium intellegunt); ne pro eo quidem, quod est *narrare*, ante Horatium et Livium positum reperitur; (apud Ciceronem et Caesarem nuntii et legati et speculatores, quae cognoverunt, *referre ad aliquem* dicuntur, similique sensu Lucretius I, 75 Epicurum dicit, cum caelum mente peragrarit, inde hominibus victorem referre (cognitum, tamquam spolium), quid possit oriri cet. Ea etiam, quae e contraria parte alicui obiciuntur, *referri alicui* Cicero dicit, pro Quinct. 44, pro Caec. 84 et 85). Deinde nulla sequitur expositio, sed vox aliqua et dictum. Cetera nescio quomodo Gzius intellexerit; sed si hoc dici voluit, eam expositionem (quae nulla est) magnae laudi Epicuro fuisse, non dicitur Latine: *quod est magna laus* (pro *magnae laudi* aut *quae est magna laus*); nam de *sibi* nihil dicam; etsi nulla hic talis sententiarum permutatio est, qualem ibi esse, ubi *se* pro eo, quod est *is*, positum reperiatur, ostendi in Opusc. Acad. I p. 189. Sed cur, melioribus e certissimo fonte prolatis, haec refello? nisi ut ostendam, quales nugas Gzius ceteris probarit. *Quomodo* habent etiam Pal. 1 et Spir. [B], ex eiusque vocis compendio ortum esse *quo* (El. 1) et *quod*, ostendi supra ad § 53. Laudatis Leonida et Epaminonda, praeclaras Cicero esse ait mortes imperatorias, philosophos fere in suis lectulis mori; nec tamen eorum mortes gloria carere; referre enim (*interesse*), quomodo moriantur. Haec plana sunt. (*Refert* esse *interest*, unus senserat Bremius; sed in reliquis prorsus aberravit.) Iam quae sequuntur, eo pertinent necessario, ut ostendatur, moriendi modo Epicurum non minorem quam illos laudem adeptum esse. Et iudicium quidem ipsum continetur nominativo illo: *Magna laus* pro sententia posito (vid. ad § 68); post quem a verbo *inquit* idem recurrit orationis, ut ita dicam, orbis, cum primum Epicuri factum (dictum) declaretur (*Compensabatur, inquit* cet.), deinde de eo iudicetur (*Audio equidem* cet.). Itaque in illis: *Sibi videtur morienti* inesse debet significatio eius, in quo posita sit magna illa Epicuri laus, idque

summis doloribus laetitia. 98. Audio equidem philosophi vocem, Epicure; sed quid tibi dicendum sit, oblitus es. Primum enim, si vera sunt ea, quorum recordatione te gaudere dicis, hoc est, si vera sunt tua scripta et inventa, gaudere non potes; nihil enim iam habes, quod ad corpus referas; est autem a te semper dictum, nec gaudere quemquam nisi propter corpus nec dolere. Praeteritis, inquit, gaudeo. Quibusnam praeteritis? si ad corpus pertinentibus, rationes tuas te video compensare cum istis doloribus, non memoriam corpore perceptarum voluptatum; sin autem ad animum, falsum est, quod negas animi ullum esse gaudium, quod non referatur ad corpus. Cur deinde Metrodori liberos commendas? quid *ex* isto egregio tuo officio et tanta fide (sic enim existimo) ad corpus refers?

1. *equidem summi philosophi* R 6. [*ne* pro *nec* Eh] *quidquam* E
10. *si* (P)MCR 13. *ex* om. omnes. *tuo egregio* LPMCR

ex ea epistula, ad quam haec omnis disputatio refertur, sumptum esse. Sed pro *morienti* codex Pal. 1 [et, Halmio teste, Erl. et B] *moriens*; idemque Victorius e suo cod. enotavit. Apparet, et aliquid deesse et quid desit; ita enim de se moriens Epicurus et suo statu iudicabat, ut is ipse animi habitus et iudicium gloriosum esset: *Beatus sibi videtur esse moriens*; nam *beatum* et eundem *supremum* diem se agere dixerat. De verbis in codice archetypo omissis vid. praef. I § 5. Gud. 2 habet: *quod sibi morienti videtur esse magna laus*, Ox. E: *quod si morienti vid. e. m. l.* [*Videbatur* pro *videtur* etiam B, quod recte poni poterat.] Editorum coniecturae eo magis omittendae sunt, cum, initio sententiae (*refert tamen*, *quomodo*) non recte constituto, nihil in reliquis expediri potuerit.

98. *nec gaudere quemquam*) Gziani praeter Gud. 2 *quidquam* (credo de uno Spir.), unde is coicit *quemquam quidquam*, non improbabiliter; sed tam neglegenter in Erl. syllabae a *qu* incipientes permutantur, ut confidi nequeat. Tum *sin autem* etiam Spir. [B]. Ante Gzium erat *si*, nisi quod Lambinus *sin*.

ex isto egregio tuo) Praepositio abest ab omnibus codd. (Pall., Davisianis, Oxx., [B]) et edd. vett. Addidit, opinor, Manutius. *Ex* an *in* (cum tam officiose agis) addendum fuerit, dubitari potest. *Egregio tuo* etiam Spir. [B].

XXXI. 99. Huc et illuc, Torquate, vos versetis licet; nihil in hac praeclara epistula scriptum ab Epicuro congruens et conveniens decretis eius reperietis. Ita redarguitur ipse a sese, convincunturque scripta eius probitate ipsius ac moribus. Nam ista commendatio puerorum, memoria et caritas amicitiae, summorum officiorum in extremo spiritu conservatio indicat, innatam esse homini probitatem gratuitam, non invitatam voluptatibus nec praemiorum mercedibus evocatam. Quod enim testimonium maius quaerimus, quae

2. *scriptum epistola* E 3. *suis* L *redarguetur* [A]ELPMR 4. [*a se* A] 4. *vincunturque* [A]EOr. *veneuntque* ceteri 5. *commendatione* LP 8. *mutatam* PR *mutuatam* LMC *non praemiorum* C 9. [*quid* Eh] *magis* LP

Cap. XXX, 99. *Ita redarguitur*) In hac generali conclusione necessario praesenti tempore Cicero utitur, flagitatque id sequens *convincunturque*. Tamen in nostrorum codicum principe fuit *redarguetur*; nam sic etiam [AB,] Uξχ et omnes Gziani. Ortum id est ex *reperietis*.

convincunturque) Codices optimi (Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat., El. 2, Eξ, etiam Mead. et ed. Marsi) *vincunturque*, quod a Davisio restitutum Gzius et Orellius tenuerunt. Nam *venire* dici Epicuri scripta et ad legendum commendari probitate eius et moribus, quo sensu apud Horatium (Ep. II, 1, 75) versus unus et alter totum poëma ducere et vendere dicitur, et per se ineptum est (quis enim post aliquot saecula propter Epicuri mores sibi ignotos scripta eius legebat?) et ab iis, quae sequuntur, et omnino ab eo, de quo agitur, alienissimum est. Sed ne *vincuntur* quidem rectum est; nam persona aut res *ab* alia vinci aliqua re dicitur, aut res aliqua ea re vinci et obscurari, quacum in certamen venire possit, ut virtus vitio; scripta probitate hominis vinci non recte dicuntur. Deinde, quod caput est, quae adiciuntur (*Nam ista* cet.), ostendunt, hoc Ciceronem dicere, ipsa illa probitate vitae Epicuri redargui sententias eius; apparere enim, aliis rebus ad agendum homines natura impelli, quam quibus eos Epicurus impelli dicat. Itaque verissime Davisius *convincuntur* scribi voluit, eadem prorsus sententia, qua § 81 dicitur: *Ita enim vivunt quidam, ut eorum vita refellatur oratio.* (Cod. Morel. *vaeneantur.*)

non invitatam) Sic primus Victorius et deinde Lambinus. Confirmant mg. Crat., Pall. 1, 3, 6, [B,] Par. 2, El. uterque, CCC. (Oxx. Uψ *mutuatam*; Gzius tacet.)

honesta et recta sint, ipsa esse optabilia per sese, cum videamus tanta officia morientis? 100. Sed ut epistulam laudandam arbitror eam, quam modo totidem fere verbis interpretatus sum, quamquam ea cum summa eius philosophia nullo modo congruebat, sic eiusdem testamentum non solum *a* philosophi gravitate, sed etiam ab ipsius sententia iudico discrepare. Scripsit enim et multis saepe verbis et breviter aperteque in eo libro, quem modo nominavi, mortem nihil ad nos pertinere; quod enim dissolutum

1. *sint* om. LP *sunt* MR 2. *tanta esse officia* LMCROr. 3. *quam* om. C 4. *ei* (pro *ea*) E *cum sententia* LMR *philosophi* [A]LPMCR 5. *nequaquam congruebat* L *testimonium* C 6. *a* om. omnes. 7. *enim multis et* E 8 *licenter* (pro *breviter*) E *apteque* [A]PMCROr. *nominavi modo* P 9. *quid enim* E

recta sint) *Sunt* etiam χ, Gud. 1, Bas., prave in hac oratione obliqua; peius Gzius Gud. 2 sequens verbum delevit. Tum *tanta officia* recte Ascens. 1528 et Vict. et deinde Gruterus e Pal. 1, Davisius tacite. Significat enim: cum tam officiosas actiones morientis videamus. Erat *esse* in Oxx., Gzius e quattuor suis se id restituisse ait; dubito de Spir. [B omittit.]

100. *summa eius philosophia*) Cum ederetur: *sententia eius philosophi*, Vict. et deinde Grut. e Pal. 1 scripserunt *summa*, idemque notatur pro *sententia* in mg. Crat.; Gzius ex Erl. et Spir. [B] etiam *philosophia* restituit. Simile est *summa res publica*; contra *summa philosophi alicuius* vix recte dicitur. [Baiterus *philosophiae*, coll. § 86, ubi tamen paulo aliter intellegitur *summa*.] Paulo post *a* exciderat in archetypo (Oxx. EUξψ, Gzii codd., [B,] edd. ante Manutium).

breviter aperteque) Recte emendator codicis L (et ed. Marsi); in ceteris omissa erat compendii nota (*apte*). Minime *apte* Epicurum dixisse, ipse Cicero ostendere conatur; sed sine involucris sententiam aperuerat. [*Aperte* Erl. et B, Halmio teste.]

in eo libro, quem modo nominavi) § 20; nam in dialogo vox *modo* recte refertur ad id, quod eodem sermone dictum est, etsi plura interiecta postea sunt. Ipsam secundam sententiam Graece ascripsi ad I, 40. E Gellio II, 8 intellegimus, eam quoque, quae sequitur, reprehensionem Ciceronem a Graecis transtulisse. Nam ibi Plutarchus, quem ipsum hoc a vetustioribus sumpsisse apparet, Epicurum reprehendisse dicitur, quod in hoc syllogismo non in prima parte posuisset: ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος διάλυσις. Non igitur notionem dissolutionis explicari debuisse Cicero dicit, ut interpretes reddiderunt

sit, id esse sine sensu; quod autem sine sensu sit, id nihil ad nos pertinere omnino. Hoc ipsum elegantius poni meliusque potuit. Nam quod ita positum est, quod dissolutum sit, id esse sine sensu, id eiusmodi est, ut non satis plane dicat, quid sit dissolutum. 101. Sed tamen intellego, quid velit. Quaero autem, quid sit, quod, cum dissolutione, id est, morte sensus omnis extingvatur, et cum reliqui nihil sit omnino, quod pertineat ad nos, tam accurate tamque diligenter caveat et sanciat, ut Amynomachus et Timocrates, heredes sui, de Hermarchi sententia dent, quod satis sit ad diem

2. *omnino ad nos pertinere* LMCR 3. *quid ita* E 5. *huiusmodi* C 7. *cum* om. E *extingvitur* C 9. [*sanctiat* A] *sanctitat* E *sentiat* R 10. [*Aminomachus* A] *Antinomachus* LPMCR *ad* (pro *de*) E 11. *Hermachi* L *Hermadii* PMR *Hermie* C

et editores intellegere videntur (id enim esset: *quid sit esse dissolutum*), sed addendum fuisse, illud, quod dissolutum dicatur, esse animum et corpus morte seiunctum. Frigida haec cavillatio iure Gellio videtur. Sed ex Alexandri Aphrodisiensis annotatione ad Aristot. Top. I p. 7 (p. 253 ed. Berol. scholiorum Aristot.), quam post Muretum (Var. Lect. XI, 16) Iac. Gronovius ad Gellium ascripsit, apparere videtur, nec Ciceronem nec Gellium satis intellexisse, quid in Epicuro reprehenderetur; hoc enim reprehendebatur, quod a dissolutione ad dissolutum iniuria transiret; neque enim, quod id, quod dissolutum esset, sine sensu esset, sequi, ut etiam ipsa dissolutio et mors fieret sine sensu. (Cfr., quae ipse dixi supra p. 83 ad verba *mors sensu careat.*) Tum ordo verborum a Gzio correctus est etiam e Spir. et Gud. 1, et erat sic in [A et B et] ed. Crat. Vulgo, ut in nostris quattuor. Vox *omnino* sic in extremum locum reici III N. D. 69 (*non adhibere omnino*) et Acad. II, 48 et alibi, Gzius notavit.

101. *caveat et sanciat*) In testamento apud Diog. X, 18. Amynomachi nomen in Oxx. codd. similiter corruptum est atque in nostris deterioribus; recte mg. Crat. *Ad* pro *de* etiam Spir. [B]; sed *ad sententiam alicuius facere aliquid* non usitate dicitur. Lunares Atheniensium menses et dierum a nova luna progressum Cicero significavit (*lunae*). Iis, quae de his feriis vicesimae lunae collegit Menagius ad Diog., addendum Philodemi epigramma in Antholog. Palat. XI, 44.

agendum natalem suum quotannis mense Gamelione, itemque omnibus mensibus vicesimo die lunae dent ad eorum epulas, qui una secum philosophati sint, ut et sui et Metrodori memoria colatur. 102. Haec ego non possum dicere non esse hominis quamvis et belli et humani, sapientis vero nullo modo, physici praesertim, quem se ille esse vult, putare ullum esse cuiusquam diem natalem. Quid? idemne potest esse dies saepius, qui semel fuit? Certe non potest. An eiusdemmodi? Ne id quidem, nisi multa annorum interces-

1. *mense ganidipne* PMCR 3. *epulas eorum* L *secum una* C 4. *sunt* E [*et ut sui* A] 6. *quamvis* om. PMCR 7. *philosophici* LP *esse* (post *ille*) om. LMCR *putari* [A]ELMCR 8. *verene* (pro *idemne*) LPMCR 10. *eiusmodi* C *nisi cum multa* LMCROr. *cum multa* (om. *nisi*) P

102. *quamvis et belli* cet.) *Quamvis* habet iam Cratander, tum Victorius, e Pal. 1 et El. 2 Davisius. Accedit Spir. [B].

quem se ille esse vult) *Esse* omittunt etiam apud Dav. tres codd., Oxx. $\chi\psi$, Bas. et edd. ante Manutium. Nam cum omnes codd. (Davisiani praeter El. 1, Oxx. E$\chi\psi$, Gziani, [B]) habeant *putari*, id mendum effecit, ut *esse* in deterioribus codd. deleretur (*quem se ille vult putari*); retinent id „quattuor optimi“ Gzii. [B]. Posse dici: *quem se ille vult*, satis constat, neç mutabo, quod a codicibus confirmatur V, 13: *physicum se voluit.* Cfr. Tusc. V, 66, ubi optimi codd. consentiunt, de Divin. II, 118, Off. II, 78, de Orat. II, 246 (*qui se vult dicacem*), Top. 78 (*quales se ipsi velint*), de opt. gen. or. 6 et 15 (*qui se Atticos volunt*), Philipp. II, 14, IV, 6. Add. Lucret. V, 1120. Quod Klotzius ad Tusc. V, 66 idem genus loquendi esse ait, cum dicamus: *salvum se vult*, genere idem est; sed inclinatione quadam dicitur non de ipsius rei consequendae voto, sed de loco et nomine postulando et arrogando. [*Cupio me audacem* Philipp. II, 19.]

idemne) Sic Dav. ex El. 2 (cod. I. Fr. Gron. *itemne*); accedunt [AB,] mg. Crat. et Spir. et Gud. 1, postulatque descensus in verbis *an eiusdemmodi.* In Bas. et ed. Marsi Gzius ait esse: *verene idemne*; Marsus saltem *vere idemne.* Cur diiunctionem in particula *an* (tamquam optio detur adversario, utrum dicat) Bremius non tulerit et *at* scribi maluerit, non intellego.

nisi multa) Sic etiam Pal. 1, Spir. [B] ediditque Davisius. Non solum temporis definitioni, ante quod eiusdemmodi dies esse non possit (etsi ea accuratior est forma), sed etiam condicioni universe declaratae locus est; neque haec orationis

serint milia, ut omnium siderum eodem, unde profecta sint, fiat ad unum tempus reversio. Nullus est igitur cuiusquam dies natalis. „At habetur.“ Et ego id scilicet nesciebam! Sed ut sit, etiamne post mortem coletur? idque testamento cavebit is, qui nobis quasi oraculum ediderit, nihil post mortem ad nos pertinere? Haec non erant eius, qui innumerabiles mundos infinitasque regiones, quarum nulla esset ora, nulla extremitas, mente peragravisset. Num quid tale Democritus? Ut alios omittam, hunc appello, quem ille

1. *et omnium* C 2. *nullius* E 3. *et* (pro *at*) E [*habet* Eh] [*scilicet* om. A[1]] *ego scilicet id* LPMROr. *scil. ego id* C 5. *vobis* E *post mortem* transp. post *pertinere* [A](P), post *nos* R 8. [*hora* A] *extremitas quam mente non* L *num quod* E *talis* C 9. *ut* om. E

forma necessario significat, dubitari, an numquam id futurum sit. Cfr. ad § 74. Apparet, significari magnum illum annum sive mundanum, quem veteres quidam praeeunte Platone (Tim. p. 39 D, Cic. de Univ. c. 9) commenti erant, duodecim milia nongentos quinquaginta quattuor annos solares complectentem, qui tum effici putabatur, cum solis et lunae et quinque errantium ad eandem inter se comparationem (id est, ad eandem inter se locorum et intervallorum rationem) confectis omnium spatiis esset facta conversio; (Cic. N. D. II, 51; add. fragm. Hortensii apud scriptorem dialogi de orator. c. 16 et somn. Scipion. § 24 Or. Aliorum scriptorum locos Lindenbrogius ad Censorin. c. 18 collegit). *Ad unum tempus* est: *uno et eodem temporis puncto.*

id scilicet nesciebam) Cur igitur tantis physicae doctrinae ambagibus Epicurum ad communem morem et opinionem se accommodàntem impugnas, ac non id agis paucis, quod agendum est, de vanitate hominis? [*Id scilicet* etiam A[2] et B edideratque Gruterus ceterique ante Gzium.]

qui nobis) Manutius et deinceps alii quidam (Grut.) tacite *vobis* scripserunt; alterum Davisius e tribus Parr., Ball., Mead. (Eξχψ), Gzius e „trinis“ suis restituerunt. Codicum exiguum in hac re momentum est. Sed Cicero Epicurum irridens commodius sic loquitur, tamquam hoc ille oraculum omni hominum generi ediderit. (*Post mortem ad nos pert.* Gzii omnes [B]; ut R, edd. aliquot ante Grut.; is tacite: *nihil ad n. pert. p. mort.*)

mente peragravisset) Opinor, Ciceroni obversatum aut Graeci scriptoris locum similem Lucretiani in libr. I v. 74 sqq. (*omne immensum peragravit mente animoque*) aut hunc ipsum Lucretianum, quem legerat (ad Qu. Fr. II, 11, 3).

unum secutus est. 103. Quod si dies notandus fuit, eumne potius, quo natus, an eum, quo sapiens factus est? Non potuit, inquies, fieri sapiens, nisi natus esset. Isto modo

1. *quid* E [*eumque* Eb] 3. *esset. Et isto* omnes, Or.

103. *Quod si dies notandus fuit, eumne potius*) Plane memorabile exemplum hoc est orationis sic structae, ut posterior pars non ad eam, quae praecesserit, formam, sed ad aliam idem significantem accommodetur; nam ex illo *notandus fuit* sumitur *notari oportuit.* Similiter Cicero dixit in Laelio 74, ubi ex gerundivo non eiusdem verbi infinitivus, sed sola significatio verbi *oportet* ad alium infinitivum auditur: *Omnino amicitiae corroboratis iam confirmatisque et ingeniis et aetatibus iudicandae sunt, nec, si qui ineunte aetate venandi aut pilae studiosi fuerunt, eos habere necessarios* (oportet), *quos tum eodem studio praeditos dilexerunt.* Eadem ratione haec Quintilianus scripsit IV, 5, 20: *Quaedam interim nos et invitis litigatoribus simulandum est dicere (quod Cicero pro Cluentio facit circa iudiciariam legem), nonnumquam, quasi interpellemur ab iis, subsistere* (oportet); *saepe avertenda ad ipsos oratio* cet. (Nam *subsistere nos* non simulamus, sed vere subsistentes simulamus nos interpellari.) [Itaque etiam apud Cic. de Inv. II, 130 vix recte additum est coniectura *oportebit.*] Eodem modo haec scripsit Varro R. R. III. 9, 8: *In cubilibus, cum parturient, substernendum acus; cum pepererunt, tollere substramen et recens aliud subicere.* Similiter Graeci interdum, posito suo illo gerundivo (in τέον), in altero membro infinitivum ponunt, tamquam praecedat δεῖ; vid. (quos Klotzius ad Lael. citavit) Plat. Crit. p. 51 C ibique Buttmannus, Gorg. p. 492 D ibique Heindorfius, et quae Struvius in Seebodii et Friedemanni Miscell. Crit. II, 1 p. 238 e Luciano et aliis protulit.

Isto modo) Recte *et*, quod praeponebatur, Manutius et Lambinus sustulerunt; neque enim in hac refutatione, cum demonstratur, quid cum aliqua re coniunctum sit, aut copulativae particulae locus est aut quidquam verbis *isto modo* praeponi potest; cfr. § 23: *isto modo ne improbos quidem, si essent boni viri.* (*Anima* pro *avia*, excepto Marso, fere edd. ante Vict., χψ; *avia* mg. Crat.) Mox in gravi comprehensione et conclusione (*Res tota*) non admodum desideratur *est*, quod fuerunt qui addi vellent. *Facetorum* mg. Crat., Man., Lamb., Grut., Dav. tacite (Spir. *factorum*; ceteri Gziani, Eψ *facetosam*, χ *factiosam*). De re nihil alibi tradi memini.

ne si avia quidem eius nata non esset. Res tota, Torquate, non doctorum hominum, velle post mortem epulis celebrari memoriam sui nominis. Quos quidem dies quemadmodum agatis et in quantam hominum facetorum urbanitatem incurratis, non dico; nihil opus est litibus; tantum dico, magis fuisse vestrum agere Epicuri diem natalem, quam illius testamento cavere, ut ageretur.

XXXII. 104. Sed ut ad propositum revertamur, (de dolore enim cum diceremus, ad istam epistulam delati sumus), nunc totum illud concludi sic licet: Qui in summo malo est, is tum, cum in eo est, non est beatus; sapiens autem semper beatus est et est aliquando in dolore; non est igitur summum malum dolor. Iam illud quale tandem est, bona praeterita non effluere sapienti, mala meminisse non oportere? Primum in nostrane est potestate, quid meminerimus? Themistocles quidem, cum ei Simonides an

1. *anima* LMCR 4. *facetosam* PMCR *incurrat* E 6. *fuisse* om. E *verum* P *agi* R *illam* LPMR *illum* C 8. *revertamur* om. [A]E 9. *dilati* E 11. *iste* (pro *is tum*) [A²]ELPMCR 13. *est* ante *igitur* om. L 15. *potestate est* ELPMCROr. *quod* E 16. *aut* (pro *an*) LPMCR

magis fuisse vestrum cet.) *Verum* Parr. 1, 3 Dav., Gud. 2, ed. Vict., *agi* Bas. et Gud. 1, *illam* (pro *illius*) aut *illa* Pall. praeter 1 et 6, *illam* Parr. 1, 3, Ox. U, *illum* fere edd. ante Gruterum.

Cap. XXXII, 104. *Sed ut ad propositum* cet.) *Revertamur* omittit etiam Pal. 1 [et B, id est, boni]; non puto sic post *ut* in sententia interposita abesse posse. Deinde *totum id* „tres optimi" Gzii; non Erl. quidem [nec B]. *Is tum* edidit Lambinus, tum e Pal. 1 (*istum*) Gruterus; mendosus etiam Spir. [B].

Simonides an quis alius) Sic iam Crat., Man., tum e Pal. 1 Dav. Accedit etiam Spir. [B]. Exempla Ciceroniana huius generis collegit Handius Turs. I p. 300 (ad Fam. VII, 9, 3, ad Attic. I, 3, 2, II, 7, 3, VII, 1 extr.), idemque aliorum antiquorum exempla posuit p. 302, sed sine causa haec in duas species distraxit; nec ex diiunctiva interrogatione haec forma orta est, ut is putat (*dubium, Simonides an quis*), sed cum oratio declarative de uno coepta est (*cum ei Simonides polliceretur*), subsequens dubitatio annectitur interrogando (*an quis*: *oder war es vielleicht*). Ea interrogatio sensim obscurata transiit in simplicem dubitationis significationem. Quod legitur de R. P.

quis alius artem memoriae polliceretur, Oblivionis, inquit, mallem; nam memini etiam, quae nolo, oblivisci non possum, quae volo. 105. Magno hic ingenio; sed res se tamen sic habet, ut nimis imperiosi philosophi sit vetare meminisse. Vide, ne ista sint Manliana vestra aut maiora etiam, si imperes, quod facere non possim. Quid, si etiam iucunda memoria est praeteritorum malorum? ut proverbia nonnulla

5. *vides* LMC *sint* om. P (*sint ista* L) *nostra* LPMR 6. *possum* E *quod* C

II, 28 (*an certe Pythagoreum*), iure dubium Handio visum est; nam et *certe* ab hac forma abhorret et inducitur in interrogando falsa diiunctio; nec ibi ulla est declaratio, cui dubitatio annectatur. Quod est de R. P. I, 18: *uno an altero spatio*, Handius p. 302 vindicat comparato Ovid. Fast. II, 392, loco incertissimo; accedit, quod et saepe *unus aut alter* Cicero et alii dixerunt et haec dubitandi forma ad illam parvi numeri significationem parum apta videtur. Recte Handius p. 308 addit Brut. 89 (*paucis*, *antequam mortuus est*, *diebus an mensibus*); sed addere debebat etiam ad Attic. XI, 6, 7; nam quod ipse defendit sequiturque Orellius: *an euntem? an iam in Asia?* Cicero scribere non potuit, qui numquam dixerit: *quaero*, *an*. Et frustra interpungendo obscuratur aperta diiunctio, si auditur, ut illi volunt, *quaere* (*utrum euntem*, *an iam in Asia*). De loco, quem in ep. ad Att. II, 6, 1 huic similem Handius putat, non minus graviter errat quam ceteri; verum est enim, quod omnibus litteris habent codices (nisi quod *quin* pro *qui*): *qui* (quippe qui) *etiam dubitem*, *an hic Antii considam*. Epistulam Cicero scripsit in Antiati; itaque dicit animum suum interdum eo inclinare (*dubito*, *an*), ut *hic Antii* considat, in quietissimo municipio. Ut ad rem redeamus, etiam II de Orat. 299 et 351 sic Cicero loquitur, ut appareat, in hac de Themistocle fama non certam sedem habuisse Simonidis, ipsius artis inventoris, nomen. Cfr. Acad. II, 2.

105. *ne ista sint Manliana vestra*) Cum et praecederet *imperiosi* et sequeretur *si imperes*, poterat Cicero haec sic universe eloqui, nullo addito substantivo. *Nostra* etiam Oxx. quattuor. De Manlianis imperiis, quae in proverbio erant, vid. Liv. IV, 29, VIII, 7; cfr., quae ad § 60 dixi. Pro *vide* ceteri quoque deteriores codd. (Oxx. omnes et Bas.) *vides*. Paulo ante Gud. 2 *se res tamen*, Gud. 1 et Bas. *res tamen se*, Oxx. Eξ om. *se*. Paulo post etiam Pal. 1 et quattuor alii Pall., Uχψ *iucunde*.

veriora sint quam vestra dogmata. Vulgo enim dicitur: Iucundi acti labores; nec male Euripides (concludam, si potero, Latine; Graecum enim hunc versum nostis omnes):

Svavis laborum est praeteritorum memoria.

Sed ad bona praeterita redeamus. Quae si a vobis talia dicerentur, qualibus C. Marius uti poterat, ut expulsus, egens, in palude demersus tropaeorum recordatione levaret dolorem suum, audirem et plane probarem. Nec enim absolvi beata vita sapientis neque ad exitum perduci poterit, si prima quaeque bene ab eo consulta atque facta ipsius

2. *iucunde* omnes 3. *nostis* om. E 4. *svavis laborum mem. est praet.* E *svavis est lab. praet. mem.* LPMC *svavis est pr. lab. mem.* R 6. *qualis* C [*gaius* A] *gravis* (pro *C.*) E 7. *paludem* L [*dimersus* A]

concludam) numeris, ut Horatius *concludere versum* dixit. Cum *nostis omnes* Cicero dixit, oblitus videtur, quot sermoni interesse finxisset; nam quod Gzius intellegi vult: *vos omnes Epicurei*, cur illi versum suae sententiae plane contrarium praeter ceteros memoria retinerent, nulla causa erat. Versus est ex Andromeda: Ἀλλ' ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων, notus ex Stobaeo, Plutarcho, aliis. [Nauck. Fragm. Trag. Gr. p. 317.] *Svavis laborum est*, recto versu, iam Crat., deinde Grut. e Pal. 1; accedit cod. Morelii. (Gzius tacet.) [B ut Erl.]

prima quaeque) ita ut, quodcumque, priore dempto, ipsum primum factum sit, continuo ipsum quoque obruatur, id est, aliud super aliud continuo ordine et, ut nos loquimur, unum post alterum. Proprium et usitatum genus loquendi mire ignorarunt multi, ut editores recentiores librorum de N. D. praeter Orellium, hic post paucos versus Davisius et Gzius, nec pauca, quae in lexicis ponuntur, exempla recte explicantur (a Schellero p. 8463 ima, a Forcellino III p. 490 summa). [Freundius III p. 1147 unum habet et prave vertit.] Ascribam igitur plenius: de Inv. I, 33 (*ut prima quaeque pars*, *ut exposita est in partitione*, *sic ordine transigatur*, et paulo post: *ad primam quamque partem primum accessit*); Acad. II, 49 (*huc si perveneris*, *me tibi primum quidque concedente*); de N. D. I, 77 (*primum igitur quidque consideremus*); ibd. III, 7, de Divin. I, 127, ad Fam. XII, 1, 1; (quod ad Fam. VIII, 8, 8 in SCto legitur, minus huc pertinet; est enim: „quo ordine quique primi praetores fuissent"). Eodem modo dixit scriptor rhet. ad Herenn. III, 37: *ut identidem primos quosque locos — animo pervagemur*, et Lucretius I, 389, V, 291 et Curtius IV, 2, 8 (cap. 8 Zpt.),

oblivione obruentur. 106. Sed vobis voluptatum perceptarum recordatio vitam beatam facit, et quidem corpore perceptarum. Nam si quae sunt aliae, falsum est, omnes animi voluptates esse e corporis societate. Corporis autem voluptas si etiam praeterita delectat, non intellego, cur Aristoteles Sardanapalli epigramma tanto opere derideat, in

1. *obruerentur* [AEh]C 2. *beatam vitam* LCR 3. [*voluptas* (sic) *animi* Fh] 4. *e* om. E 5. *etiam si* LPMCR *non delectat* L 6. *Sardanapali* (LP)COr.

ab Orellio alicubi citatus. [Varr. R. R. I, 55, 5, Liv. XXXI, 1, 5, Senec. de brevit. vit. 9, 1, Quaest. Nat. II, 28, 2, VI, 17, 2: *primas quasque aquas explicat*, id est, aquas sensim; Plin. Epist. VIII, 4, 6. Attigit hoc loquendi genus eodem, quo ego, tempore Haasius in not. 362 ad Reisigii scholas de gramm. Lat.] Lucretius alibi eodem significatu dicit *primum quidquid*, ut V, 264 (*primum quidquid aquai*), 284 (*primum quidquid fulgoris*), 304 (*primum quidquid flammarum perdere semper*); nam *quisquis* apud eum, saltem neutro genere, saepissime pro *quisque* dicitur.

oblivione obruentur) *Obruerentur* [etiam B] pars vett. edd., Vict., Grut.; *obruentur* (ut habent Man., Lambin., recentiores inde ab Ern.) Davisius profert ex CCC et Mead., Oxx. ex Uψ, Gzius etiam e Spir. (?) et Gud. 1.

106. *vitam beatam*) Sic Gruterus [ex A] et recentiores tacite; *beatam vitam* superiores.

si etiam praeterita) Sic [AB,] Lambinus et recentiores tacite, nisi quod *etiamsi* in tribus suis esse Gzius annotat.

Sardanapalli epigramma) quod monumento in urbe Nino inscriptum fuisse Chaldaicis litteris dicitur; Graecis versibus sex quinqueve expressum apud multos Graecos scriptores legitur, quos enumerant Davisius ad Tuscul. V c. 35 et Naekius, qui totum locum de monumentis Sardanapalli post Buherium diligentissime pertractavit, in libro de Choerilo Samio (Lips. 1817) p. 196 sqq. Tribuuntur enim versus Choerilo, qui, si quidem Aristoteles de eius versibus tamquam vulgo notis disputavit, Samius fuisse videtur. Naekius tamen, cum incertum sit, Aristotelesne Choerilo tribuerit, multaque alia dubia, duos celebratissimos versus, quos Aristoteles commemoravit, incerti poëtae vetustioris fuisse putat, ceteros Choerili Iasensis, qui Alexandrum comitatus est. Duo illi versus hi sunt: *Κεῖν' ἔχω. ὅσσ' ἔφαγον καὶ ἐφύβρισα καὶ μετ' ἔρωτος Τέρπν' ἔπαθον, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια πάντα λέλειπται* (alii habent

quo ille rex Syriae glorietur, se omnes secum abstulisse libidinum voluptates. Quod enim ne vivus quidem, inquit, diutius sentire poterat, quam dum fruebatur, quomodo id mortuo potuit permanere? Fluit igitur voluptas corporis et prima quaeque avolat, saepiusque relinquit causam paenitendi quam recordandi. Itaque beatior Africanus cum patria illo modo loquens:

Desine, Roma, tuos hostes —

1. *Assyriae* C *se* om. [A]L *abstulisse* transp. post *voluptates* [A]LPMCROr. 2. [„Verba *inquit diutius sent. pot.* in A vix legi possunt."] 3. *potuit* E *poterat dum vita fruebatur* LPMCR 4. *potuit mortuo* [A]LPMCROr. [*fluit* om. Eh] 5. *prona quaeque* M *avolat* (LMC *advolat*) *ut aiebat* LMCR *ut aiebat*, om. *avolat*, P (?) *causas* PCR [*penitendi* A]

σὺν ἔρωτι et *λέλυνται*), quos Cicero in Tusculanis Latinos fecit. Aristotelis iudicium in quo libro expositum fuerit, ignoratur.

rex Syriae) *Assyriae* ex C venerat in Manutianam et propagatum est, donec Davisius ex tribus codd. *Syriae* restituit, quod Oxx. ex Eχψ annotant, Gziani omnes habebant. Et Graecos et Latinos saepissime Syriae nomine de Assyria usos esse, ostenderunt Davisius et Buherius ad Tusc. l. c., Graevius et Oudendorpius ad Svet. Iul. 22.

quam dum fruebatur) Sic Manutius et Lambinus et deinceps omnes tacite, nisi quod Oxx. χψ om. *quam*, EUξ addunt *vita*. Verum cum [AB] Erl. confirmat cod. Mor. In *abstulisse* et *mortuo potuit* omnes tacite ut mei deteriores. [B ut Erl.]

prima quaeque avolat) Quid hoc sit, explicatum est. Generali significationi voluptatis fluentis et instabilis addidit Cicero imaginem specialiorem. *Prona* pro *prima* etiam El. uterque (?), Par. 2, CCC (ξ), Mead., Ball. (ψ), Ox. χ, tres Gzii (deteriores, ut apparet), edideratque olim Victorius, nuper Gzius (qui „editos veteres plerosque omnes" sic habere narrat sua illa fide); *quamque* videtur putare esse *omnem*; quid putet esse *pronum avolare*, nescio. Aliter aberravit Davisius. Deinde additamentum illud *ut aiebat* (ortum, ut videtur, ex ipso *avolat*) habent edd. ante Lambinum, codd. Pall. praeter 1 et 3, Mead., Oxx. omnes, duo Gziani. Omittit cum ceteris bonis Morelianus [B]. (*Advolat* Oxx. omnes.)

causam paenitendi) Sic etiam Pal. 1 et [B et] cod. Mor., Gzii omnes, nisi quod Gud. 2 *tam* (e compendio *cãm*). Ceteri et edd. ante Davisium *causas*.

Desine, Roma, tuos hostes) Haec versus pars citatur etiam

reliquaque praeclare:

Nam tibi moenimenta mei peperere labores.

Laboribus hic praeteritis gaudet, tu iubes voluptatibus, et hic se ad ea revocat, e quibus nihil umquam rettulerit ad corpus, tu totus haeres in corpore.

XXXIII. 107. Illud autem ipsum qui obtineri potest, quod dicitis, omnes animi et voluptates et dolores ad corporis voluptates ac dolores pertinere? Nihilne te delectat

2. *namque* [A]LPMCR [*monimenta* AEh] *monumenta* ceteri *munimenta* Or. [*repperere* A] *reperere* PMR *reperiere* L 3. *et* om. LPMCROr. 4. *nihil* om. EC *numquam* C [*retulerit* A] *retulerat* C 7. *ad corporis — dolores* om. E *ad corpus*, om. *vol. ac dol.*, R 8 *Nihil tene* EOr.

III de Orat. 167. Videtur cum proximo ex Ennii annalibus esse; nam Scipio Ennii totus versibus tetrametris trochaicis scriptus fuisse videtur, etsi de eo aliter nonnulli statuunt. [Quod Vahlenius, Enn. poësis reliqu. p. 157, ad satiras rettulit, minime constat haec ex eodem poëmate sumpta esse, ex quo ea, quae de Or. simul afferuntur: *Testes* cet.] Verbum, quod omissum est, timendi significationem habuit. Nam quod Scaliger *postes* scribi voluit (*ornare tropaeis*), causam non habet.

Nam tibi moenimenta) *Nam* pro *namque*, quod tacite omnes ante Gzium ediderant, etiam Spir. [non B]. Eo certior est Mureti emendatio (Var. Lect. XI, 1), quam Gzius secutus est, restituentis: *Nam tibi munimenta*, quod postulat superioris versus sententia. *Monimenta* etiam Gziani. [B *monumenta*. *Moenimenta* Klotzius.] Pro *peperere* etiam ψ et tres Gzii *reperere* (*repperere*), Eξ *repetere*.

rettulerit ad corpus) Coniunctivus ex adversativa significatione ortus videtur (*ex quibus tamen*). Rarius hoc est in eiusmodi sententia relativa, quae simul generis definitionem contineat (*ea, e quibus*); sed tamen similiter § 102: *cavebit is*, *qui nobis quasi oraculum ediderit* cet.; [Act. I in Verr. 11: *eum*, *cui legatus fuisset*, *in invidiam adduxit*]; cfr., quae dixi ad § 15. Ernestius probabat *rettulerat*, secutique eum alii. Ad praesens (*revocat*) aptius esset *rettulit*.

Cap. XXXIII, 107. *ad corporis vol. ac dolores*) Haec verba e Gzianis unus Gud. 1 servabat; aberravit oculus librarii eius, a cuius codice Erl. et Spir. [B] orti sunt, in voce *dolores*, idemque accidit in uno et altero deteriorum, ex quo in R ortum illud *ad corpus*.

Nihilne te) Ut Erl., etiam Spir. [B] ediditque Gzius, quod si sequimur, statim Torquatus ab aliis seiungitur.

umquam (video, quicum loquar), te igitur, Torquate, ipsum per se nihil delectat? Omitto dignitatem, honestatem, speciem ipsam virtutum, de quibus ante dictum est; haec leviora ponam: poëma, orationem cum aut scribis aut legis, cum omnium factorum, cum regionum conquiris historiam, signum, tabula, locus amoenus, ludi, venatio, villa Luculli (nam si tuam dicerem, latebram haberes; ad corpus diceres pertinere) — sed ea, quae dixi, ad corpusne refers? an est aliquid, quod te sua sponte delectet? Aut pertinacissimus

1. *inquam* R 3. *antea* E 4. *poëma ponam* [A]E *poëma* om. P *aut cum scribis* E 5. *factorum aut regionum* E 6. [*amenus* A] *venationes* E [*Lucilli* A+h] 7. *dicere* (pro *diceres*) E

haec leviora ponam, *poëma* cet.) Orationis formam, quod sequuntur nominativi (*tabula*, *locus* cett.), contra Davisium, qui *ponantur* scribi voluerat, et editores iure defenderunt et Matthiaeus in disputatione de anacoluthis Ciceronis. Non subicitur haec enumeratio voci *ponam*, sed nova instituitur sententia, in qua primum actiones describuntur, deinde res nominibus appellantur; ea cum interrupta esset parenthesi (*nam si* cet.) et deinde oratio redintegrata (*sed ea*), non succurrebat orationis exitus, qui ad praecedentes nominativos aptus esset; itaque *ea* Cicero accusativum fecit, ut nominativi pendeant. Simillimus locus, durior etiam, quod tantum brevissima sententia relativa orationis cursum impedivit, legitur III, 11; illud autem, quod III Tusc. 16 ponitur, iam plane neglegenter scriptum est. Utrumque locum advocavit Bremius, sed alia admiscuit, hinc aliena, quod fecit etiam Matthiaeus, qui *poëma*, *orationem* similiter pendere voluit, quae ad *scribis* et *legis* pertinent. Nam accusativos et nominativos sic permiscere balbutientis esset, non orationem declinantis. Addo II Tusc. 16 (*Ergo id*, *quod natura ipsa et quaedam generosa virtus statim respuit*, — *in eo* cet.), ubi Handius et Moserus, cum interpungendo tollere anacoluthon vellent, sententiam sustulerunt, et ad Att. XV, 3, 1. Voces *ponam poëma* etiam Pal. 1 invertit [et B], casu, opinor, in simillimis litteris. Nam si quis *ponam* subditicium putaverit, dure haec coniungentur: *haec leviora*, *poëma*, *orationem cum aut scribis* cet., maxime in particula *cum*. Quae sequuntur de conquirenda historia, Torquati studium significant, quod I, 25 tangitur. Luculli villam Tusculanam (III, 7) aliasque (*villarum magnificentiam*, Off. I, 140) fama satis nobilitavit. [Mox *aut cum* etiam B. Tum *hominum facta* Bakius, violenter; ac ne sic quidem

fueris, si perstiteris ad corpus ea, quae dixi, referre, aut deserueris totam Epicuri voluptatem, si negaveris. 108. Quod vero a te disputatum est, maiores esse voluptates et dolores animi quam corporis, quia trium temporum particeps animus sit, corpore autem praesentia solum sentiantur, qui id probari potest, ut is, qui propter me aliquid gaudeat, plus quam ego ipse gaudeat? [Animo voluptas oritur propter

1. [*si hi* (vel *in*) *perstiteris* A] *si in eo perstit.* LPMCROr. 3. *vero* om. E *late* (pro *a te*) LPMCR 4. *animus particeps* LR 5. *fit* LMCR *quid probari* [A]PMR *quid id prob.* E *qui prob.* LCOr. 6. *aliquid gaudet* Or. *plus — gaudeat* om. [A]LPMCR 7. *Animi* COr.

apte *hominum facta* cum *regionum historia* componuntur. Vellem liceret facere *hominum clarorum.*]

si perstiteris — referre) [Secutus sum nunc cum Baitero Erl. et B. Nam *in eo* apparet corrigendo natum ex eo, quod in A obscure scriptum est, id autem ipsum (*si hi*) ex geminatione quadam litterarum potest ortum esse. *Persto facere* neque apud Ciceronem neque apud alios eius aetatis prosae orationis scriptores nunc legitur, sed apud poëtas et Tacitum; verum dixit Cicero non minus insolenter *insto facere* (Verr. III, 136). Restat alia offensiuncula, quod ad *negaveris* requiritur accusativus cum infinitivo (*te referre*), ut ea orationis et sententiae forma praecedere debuisse videatur. *Persto in eo — referre*, quod e deterioribus codd. propagatum est, Latine dici nequit; multoque minus post *perstiteris in eo* audiri pronomen, ut sit *perstiteris in eo*, *te — referre.* Antea secutus eram Lambini et Ernestii coniecturam: *si in eo perst.*, *ad c. ea — referri.* Sed *in eo* auctoritatem infirmissimam habet.]

108. *a te*) *Late* ξχψ, Gud. 1, Bas., edd. vett., excepto Marso, ante Man. Itaque *a te* notatur in mg. Crat.

qui id probari potest, *ut*) [Hoc iam antea dixeram fortasse efficiendum e cod. Erl. scriptura; idem significat *quid* (Pall. et Oxx. Eξψ) eratque ipsum in B. Addito *id* lenitur etiam *ut* subiectum verbo *probari*, cum simul ad pronomen referatur.]

gaudeat, *plus quam ego ipse gaudeat*) Non solum in deterioribus codd. omnibus (Pall., Davisianis, Oxx., Gzii praeter Erl. et Spir.), sed etiam in Pal. 1 et [B et] El. 2 exciderunt verba *plus — gaudeat.* Restituisse ea videtur Vict., annotata iam in mg. Crat. Sed Gzius priore loco e Spir. posuit *gaudet.* Si ita in Spir. erat, mendum id fuit. [B *gaudeat.*] Nam et oratio coniunctivum (in generali notione sententiaque pendente) postulat et in *gaudeat* bis posito aberravit librarii oculus, cum illa, quae dixi, verba omisit. (Veteres quaedam edd., ut Marsi et Crat., haec

voluptatem corporis, et maior est animi voluptas quam corporis; ita fit, ut gratulator laetior sit quam is, cui gratulatur.] Sed, dum efficere vultis beatum sapientem, cum maximas animo voluptates percipiat omnibusque partibus maiores quam corpore, quid occurrat, non videtis.

2. *qui* E 3. *gratuletur* (P)COr. 5. [*maioris* AEh] *corpore — maiores quam corporis* om. M *quod occurrat* E

sic interpolata habent: *qui propter me aliquid gaudeat*, *gaudeat animo*, *si voluptas animi*, *ut dicitis*, *oritur* cet.)

Animo voluptas — gratulatur) Haec verba non immerito Bremio (qui tamen etiam superiora: *ut is — gaudeat* damnabat), Matthiaeo recentioribusque editoribus spuria visa sunt; Gzius et Otto sustulerunt. Nihil enim continent nisi explicationem eius similitudinis, qua Cicero usus est, animum propter corpus gaudentem cum homine propter alterum de aliqua re gaudente comparans, in syllogismi formam putide ita redactam, ut animus gratulator fiat corporique gratuletur; eaque explicatio ne coniungitur quidem cum reliqua oratione; debebat enim saltem dici: *Animi enim voluptas* cet. Accedit vocabulum *gratulator* apud neminem alium scriptorem Latinum positum, cuius fingendi nulla omnino hic necessitas erat. Tum perpetuus Ciceronis usus postulabat, ut *animi voluptas* diceretur; sed *animo* summo codicum consensu confirmatur (mg. Crat., Pall., [B,] Davisianorum, Oxx., Gzianorum omnium); *animi* ex ed. pr. ad Manutianam et ceteras propagatum est praeter Davisianam. *Gratulatur* pro *gratuletur* etiam [AB,] Parr. 1, 2, Mead., El. 1, χ, Gziani, [quod nunc restitui cum Baitero]. Tenemus igitur h. l. eius generis additamentum, de quo in Opusc. Acad. I p. 148 dixi posteaque simillimum huic exemplum in II Legg. 48 coargui (Opusc. II p. 155), annotationem, qua Ciceronis sententia explicatur et aliter conformatur, ipsius verbis admixtam iam in eo codice, ex quo omnes nostri ducti sunt. Alia plurium verborum additamenta, quae iam in eo fuerunt, arguentur III, 22 et 35 et V, 21. (Quae praeterea in his verbis Gzius reprehendit, recte habent.)

omnibusque partibus maiores) Sic Latini loquuntur, cum id significant, quod Germanis est: *unendlich grösser*. Est enim quasi ultimum et extremum eius multiplicationis, qua *multis partibus maius* aliquid dicimus (*vielmal*). Schellerus (p. 7459) praeter hunc locum citat huius operis V, 93, sed minus recte interpretatur. Addo de Invent. I, 58: *omnibus partibus commodius*. Eodem modo dicitur Off. III, 35 *omni pondere gravior quam reliqua omnia*.

Animi enim dolores quoque percipiet omnibus partibus maiores quam corporis. Ita miser sit aliquando necesse est is, quem vos beatum semper vultis esse; nec vero id, dum omnia ad voluptatem doloremque referetis, efficietis umquam. 109. Quare aliud aliquod, Torquate, hominis summum bonum reperiendum est; voluptatem bestiis concedamus, quibus vos de summo bono testibus uti soletis. Quid, si etiam bestiae multa faciunt, duce sua quaeque natura, partim indulgenter vel cum labore, ut in gignendo, in educando perfacile appa-

1. *quoque dolores* omnes, Or. 2. *corpore* C *est* om. L 4. *omnia* om. LP *refertis* [Bh]LC *referatis* R 5. *aliquid* omnes, Or. *reperiendum est summum bonum* L 8. *quaque* [A]E

quid occurrat) Paulo insolentius dictum de eo, quod ex altera parte obsistat et obiciatur; cum tamen *occurrant* omnia, in quae incidimus, et cum *occurrere atque obsistere consiliis alicuius* dicatur (in Cat. III, 17) et similia, non erat, cur Ernestius de veritate scripturae dubitaret.

Animi enim dolores quoque) Correxi, quod perspicue mendosum erat; nam cum voluptatibus animi contrarii ponantur dolores, huic vocabulo necessario subiciendum erat *quoque*, cuius particulae a librariis transpositae exempla aliquot indicavi in Opusc. Acad. I p. 181. [Cfr. Wesenbergii Emendatt. Epist. Cic. p. 36.] Accedit, quod vox *quoque* ita adhaeret principali, quam sequitur, ut ab ea non divellatur alius particulae interpositu, sed in tali concursu priore loco sit; itaque scribendum erat: *animi quoque enim*. Apud Ciceronem ubi *enim* et *quoque* concurrant, nunc non memini; apud Livium saepe (II, 18: *id quoque enim*, III, 50: *illis quoque enim*, XXIII, 12, XXVII, 22, XXX, 1, XXXIII, 30, XXXVI, 27; notavit Kreyssigius in Nov. Annal. Philolog. Supplem. vol. I p. 53); sed apud Ciceronem eodem modo scribitur (Div. in Caec. 32): *huius quoque igitur*, non: *huius igitur quoque*. [Apud Varronem *illic quoque enim* scribitur L. L. V p. 30 Bip., *in eo quoque enim* IX p. 130.]

109. *aliud aliquod*) Sic recte Lambinus; vid. ad I, 18. [*Refertis* etiam B, non A.]

partim indulgenter vel cum labore cet.) Neglegenter Cicero partes et membra sententiae distribuit. Nam illud, multa bestias facere, duce sua quamque natura, non plenum est; addi enim debet, qualia faciant. Sed hoc, quod universe dici debuit (*ex quibus appareat*, *aliud quiddam iis propositum esse*, *non vo-*

reat, aliud quiddam iis propositum, non voluptatem? partim cursu et peragratione laetantur; congregatione aliae coetum

1. *quoddam* MC *is* C *his* R *turtures et* (pro *partim*) LPMR *cicures et* C 2. *et* om. E *peregrinatione* LPMCROr. *alia* C [*cetum* A *tecum* Eh] *rerum* C

luptatem), subiecit primo membro partitionis (*partim indulgenter vel cum labore, ut* cet.). Poterat hoc aliquo modo differri, etsi post illud *multa faciunt* expectabatur, sed primo membro separatim non recte subicitur, ceteris membris non eodem modo conformatis. Nam in primo membro, posito adverbio *indulgenter* et accommodato ad generale verbum *faciunt*, Cicero directo unius virtutis similitudinem in bestiarum actione significavit, eam autem actionis earum partem, in qua indulgentia appareret, in sententia subiecta quasi exempli loco posuit (*ut in gignendo, in educando appareat*); in proximis ita ipsam actionem specialibus verbis describit, ut non statim appareat, saltem non dicatur, quae sit in ea virtus virtutisve similitudo (*partim cursu et peragratione laetantur* cet.). Offenderunt haec editores aliquot, et merito; (nam Gzius et Otto ideo omnia praeclare habere putant, quod ad difficultatem intellegendam torpent); corrigere iniuria conati sunt, nec res processit; nam parti incommodi subveniunt, partem relinquunt aut augent, ut Pearcius et Ernestius, qui scribi volunt: *partim indulgent labori in gignendo, in educando, ut perfacile* cet. Violentiam correctionis omitto; illud etiam, quod *indulgere labori* poëtice dicitur et alio significatu; sed hi, dum in primo membro ipsam actionem eodem modo significari volunt, quo in proximis, prorsus intolerabile efficiunt illud, quod sic plane separatim dicitur: *quid, si etiam bestiae multa faciunt?* Deinde non tollunt inaequalitatem eam, quae ex eo oritur, quod primo membro adiciuntur illa: *ut perfacile* cet. Mihi ipsi aliquando, cum nondum satis perspicerem, quot festinantis stili indicia hi libri haberent, in mentem venerat: *Quid, si etiam bestiae multa faciunt — partui indulgentes vel cum labore* cet., ut hoc de indulgentia erga partum (intellegebam enim, *quae nata essent*) communiter de omnibus diceretur, deinde separatim: *partim — aliae.* Nunc et alia in hoc conatu improbo et intellego, sic tolli generale exordium sententiae de universa bestiarum actione. Commemoro tamen, ne alii similia quaerant.

partim cursu) Sic praeter Erl. etiam Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor., edd. inde a Gronovio. Deteriores aliorum interpolati ut nostri; *turtures et*, ut fere antea edebatur, Pall. tres, Ox. U (E§ *et turtures*), *cicures et* duo Pall., χψ. Dav. tacet, Gzius eadem in suis fuisse dicit. Deinde *peragratione* erat etiam in [B et]

quodam modo civitatis imitantur; 110. videmus in quodam volucrium genere nonnulla indicia pietatis, cognitionem, memoriam; in multis etiam desideria videmus; ergo in

2. *volucrum* [A]LMCR *voluerunt* E [*iudicia* Eh] 3. *disciplinam videmus* COr. *erunt* (pro *ergo*) E (et mox *erunt*)

mg. Crat. et cod. Mor., id est. in melioribus; (Gzius tacuit de Erl. non minus quam de Spir.); recepi, etsi, ut *peragrare* accusativum habere solet, sic *peragratio* ad certum aliquem locum referri debere videtur; sed tamen *peragrare* Cicero sine accusativo posuit pro Mil. 98; [simillimeque, etsi *lustrare* semper dicitur addita loci significatione, *lustratio* absolute ponitur Tusc. V, 79, N. D. I, 87]. Cicero non tam eas bestias significat, quae peregrinantur in alias terras (quod fere coetu civitatem imitante fit), quam eas, quae huc illuc dispersae et sine coetu vagantur.

110. *in quodam volucrium genere*) *Volucrium* primus Lambinus e Charisio p. 119, qui sic Ciceronem in hoc opere scripsisse testatur; *volucrum* etiam Oxx. quattuor, Gziani omnes. [B ut Erl.] Ceterum hinc ortum in deterioribus codicibus paulo ante turturum nomen putaverim. Sed ut de certo quodam genere Ciceronem locutum esse apparet, ita, quodnam significet, incertum est; nam in pluribus generibus eiusmodi indicia sunt. Adeo hoc obscure scriptum est, ut verear, ne aliunde Cicero sumptum non perspicue intellexerit. Quod *cognitionem* et *memoriam* addit, non mentis facultates significat (*das Fassungsvermögen* Gzius interpretatur), sed aves illas, quid boni acceperint, meminisse et eos, a quibus acceperint, cognosse dicit. Ascendit igitur oratio in eodem genere, cum *desideria* nominantur; ea enim vox est in codd. fere omnibus (mg. Crat., de quo Gzius errat, cod. Tusani, Pall., El. utroque, Ball. (ψ), CCC (ξ), Mead., χ, Gzianis praeter Bas., [B]), tenueratque ex R Vict. et deinde Gruterus; in paucissimis et deterrimis codd. (Parr. 1 et 2, si Davisio credimus, Bas.; siletur de Oxx. EU) substitutum est *disciplinam*, quod Dav. et recentiores probarunt. Disciplina adhibetur bestiis, in earum natura non est. *Videmus* extremo loco omittitur in quibusdam editt. (Ven. 1480, Crat., deinde Man. et Lamb.) nec annotatur ex EU; in mg. Crat., Pall., Davisianis, Gzianis, [B] erat; commodius altero utro loco abesset; in hoc tamen orationis ascensu ferenda repetitio videtur. Paulo post *praecipui* a Manutio restitutum puto; nam Victorius superioresque *praecipue*, et sic [AB,] EUχψ, Gzii quattuor; quintus, Gud. 1, ut L; Grut. et Dav. tacent. Correctio necessaria est.

bestiis erunt secreta a voluptate humanarum quaedam simulacra virtutum, in ipsis hominibus virtus nisi voluptatis causa nulla erit? et homini, qui ceteris animantibus plurimum praestat, praecipui a natura nihil datum esse dicemus? XXXIV. 111. Nos vero, si quidem in voluptate sunt omnia, longe multumque superamur a bestiis, quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios atque abundantes nihil laborantibus; nobis autem aut vix aut ne vix quidem suppetunt multo labore quaerentibus. Nec tamen ullo modo summum pecudis bonum et hominis idem mihi videri potest. Quid enim tanto opus est instrumento in optimis artibus comparandis, quid tanto concursu honestissimorum studiorum, tanto virtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem nisi ad voluptatem conquiruntur? 112. Ut, si Xerxes, cum tantis classibus tantisque equestribus et pedestribus copiis,

4. *praecipuum* L *praecipue* ceteri *esse dicemus datum* E 5. *sint* C 6. *separamur* E 7. [*ex sese fundit* Eh] *varios varieque* LPMCR *habundantibus* E 9. *labore multo* E 10. *pecudum* PMCR 11. *bonis* (pro *optimis*) L 12. *qui* E *optimorum studiorum* C 13. *sed ea iam non ad aliam* E 14. [*si exerses* Eh]

Cap. XXXIV, 111. *atque abundantes*) Sic etiam mg. Crat., El. 2, Eξ, Spir., recepitque post Manutium Davisius. Gud. 2 *varios* omittebat. *Varie abundare* nihil est. [B ut Erl.]

pecudis bonum) Sic Manutius, deinde Grut. et Dav. tacite et reliqui deinceps. *Pecudum* Uχψ (recte de Eξ tacetur) et, si Gzio credas, omnes eius codd., sed excipiendus erat Erl. et, opinor, Spir. [B]. (Mox, cum ederetur *optimorum studiorum*, in mg. Crat. annotatum alterum est.)

112. *Ut, si Xerxes, cum* — *si, cum* — *venisset*, cet.) Sententia condicionali: *si Xerxes* — *diceret*, quae definitur adiecta temporis et rerum ante gestarum notatione, includitur altera propior et subsequens condicio: *si* — *quis quaereret*, eique iterum interponitur significatio laboris ante exhausti (*cum tanto* cet.), nec quidquam a recta orationis norma deflectit. Turbarunt tamen Lambinus, Davisius, Gzius. Similia exempla condicionis propioris et posterioris priori subiectae reperiet, qui operae pretium putabit, in orat. pro Rosc. Am. 2, pro Sest. 45, Off. III, 30, ad Fam. XIII, 26, 3, in hoc opere IV, 22. [Verr. IV, 10, de imp. Pomp. 59, pro Cluent. 6, pro Balbo 16.]

Hellesponto iuncto, Athone perfosso, maria ambulavisset, terram navigavisset, si, cum tanto impetu in Graeciam venisset, causam quis ex eo quaereret tantarum copiarum tantique belli, mel se auferre ex Hymetto voluisse diceret, certe sine causa videretur tanta conatus, sic nos sapientem, plurimis et gravissimis artibus atque virtutibus instructum et ornatum, non, ut illum, maria pedibus peragrantem, classibus montes, sed omne caelum totamque cum universo mari terram mente complexum, voluptatem petere si dicemus, mellis causa dicemus tanta molitum. 113. Ad altiora quaedam et magnificentiora, mihi crede, Torquate, nati sumus; nec id ex animi solum partibus, in quibus inest memoria rerum innumerabilium, in te quidem infinita, inest coniectura

1. [*Atthone* A] *Athove* M 2. *terramque* (P)C *navigaxset* (LPM)COr. 3. *causam eius quis* LPMCR 4. *afferre* LPMCR 5. *vos* L 6. *et virt.* L 13. *inde* (pro *in te*) E *vitae* (*vite*) LPMCR *et ea* Or (cum mendi nota)

Athone perfosso) Cum Vict. edidisset *Athove* (quod erat in tribus Pall., El. 1, Parr. 1, 3, ψ, Gzii, ut videtur, praeter Erl. et Gud. 2), Manutius alterum restituit, quod habuit etiam cod. Mor. [et B]. *Athonem* Cicero dixit de R. P., *Athones* Lucilius. In mg. Crat. *Atho* notatur, vix e codice.

terram navigavisset) Asyndeto utitur in celeri magnarum rerum et gravi notatione; nam sic Vict., Dav. ex El. (utro?) et Mead., Gzius etiam ex (Ox. χ et) Spir. [B]. In ξ et Gud. 2 erat *vel terram*. Colorem simillimum orationis de eadem re Ursinus demonstravit in Isocrat. Panegyr. p. 58 Steph. (§ 89 Bekk.): ὥστε τῷ στρατοπέδῳ πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάττης, τὸν μὲν Ἑλλήσποντον ζεύξας, τὸν δ᾽ Ἄθω διορύξας. [Admodum probabiliter Baiterus in ed. min. *mari ambulavisset*, *terra navigavisset*; nam nec per se *ambulare mare* placet ultra poeticam paene licentiam progressum nec *maria* plurali numero.]

causam quis) Sic etiam Spir. [B], et viderant Th. Bentleius et Davisius delendum esse *eius*, cum sequeretur *tantarum copiarum*. Mox *auferre* etiam Pal. 1, Spir. [B], cod. Mor., et, ut videntur, Eξ; corrigendum esse monuerat Man. Ceteri *afferre*.

113. *nec id ex animi solum partibus*) Additurus erat: *sed etiam ex corpore intellegi potest*, aut similia, sed pluribus de animo interpositis, orationis progressum mutavit in illis: *ergo haec* cet.

in te quidem infinita) Sic aperte Pal. 1, ξ, ed. Ven. 1480; eodem

ad voluptatem artes suas direxisse. Ergo opifex plus sibi proponet ad formarum quam civis excellens ad factorum pulchritudinem? Quae autem est alia causa erroris tanti, tam longe lateque diffusi, nisi quod is, qui voluptatem summum bonum esse decernit, non cum ea parte animi, in qua inest ratio atque consilium, sed cum cupiditate, id est, cum animi levissima parte deliberat? Quaero enim de te, si sunt di, ut vos etiam putatis, qui possint esse beati, cum voluptates corpore percipere non possint, aut, si sine eo genere voluptatis beati sunt, cur similem animi usum in sapiente esse nolitis.

XXXV. 116. Lege laudationes, Torquate, non eorum, qui sunt ab Homero laudati, non Cyri, non Agesilai, non Aristidi aut Themistocli, non Philippi aut Alexandri; lege

1. *ad voluptates* LPMCR 3. *est autem* Or. [*ilia* A] 5. *bonum dicerint cum* (om. *esse* et *non*) E *animi in qua — parte* om. P *in* om. [A]E 7. *animi* om. C *deliberatur* E *sint* M 8. [*dii* A] *etiam* om. LP *qui possunt* omnes, Or. 9. *corporis* C [*percipe* A] *percipi* EC *possunt* LC 10. *sint* [A]ELMR 13. [*hagesilai* AEh] 14. *Aristidis* LPMCR *non* (P)C *Themistoclis* LPMCR *non Alexandri* LPMCR *sed* (pro *lege*) L

leviores illas aut simile quid; sed orationem, ut solet, avertit. Non multum discedit haec species huius declinationis ab ea, quam in verbis *non tam — sed* pro: *non tam — quam* commemoravi ad I, 1. Mox *Polyclitum* Erl. et Spir. [B *piloclitum.*] Vid. Zumpt. ad Verr. IV, 5. [*Phidian* ABEh, *ceurim* etiam B.]

ad voluptatem) Sic Iunt., Crat., tum Davisius tacite et recentiores; confirmat nunc Erl. [AB]; ceteri (Grut. et Oxx. tacite) *voluptates.* [Mox *quae est autem* cum Schuetzio et Or. e Gud. 1 dederam; nunc parui codd.]

qui possint esse beati) Sic scripsi cum Lambino; pendere enim hanc interrogationem ostendit, quod sequitur: *aut — cur nolitis.* Hic in omnibus scriptum est *possunt*, mox in multis (tribus Gzianis). Pro *sunt* priore loco Eξ, altero E *sint.* [*Percipe, percipi* (B) errore orta videntur.]

Cap. XXXV, 116. *Aristidi aut Themistocli*) Genetivi hanc formam ex Erl. [AB] restituit Gzius. *Aut* h. l. non solum etiam [AB] Spir., id est, meliores habent, sed, opinor, etiam fere deteriores (Eξ, Gud. uterque, Bas.) et plures edd. vett. (Mars., Vict.); *non* Crat., Manutius, reliqui ante Gzium tacite; altero loco *aut* soli meliores, etiam Spir. [B] et ed. Crat., habere videntur, etsi

nostrorum hominum, lege vestrae familiae; neminem videbis ita laudatum, ut artifex callidus comparandarum voluptatum diceretur. Non elogia monumentorum id significant, velut hoc ad portam: HUNC UNUM PLURIMAE CONSENTIUNT GEN-

2. *utilitatum* [A]ER 3. *eulogia* [A]ELMC [*monimentorum* AEb] 4. *ore* (pro *hoc*) M *are* R *hoc ore* C *uno cum* [A]EPM *uno cui* L *unum esse* C *immo cum* R *Unum hunc* Or.

Gzius addit cod. Vindob. Singulis superioribus paria hominum coniunctorum Cicero addit.

comparandarum voluptatum) *Utilitatum* etiam [B,] apud Dav. El. 2, Parr. 2, 3, CCC, Mead., Ball.; Gruterus et Gzius tacent. Alterum quin necessarium sit in notanda vili et abiecta re et parum digna illorum hominum laudibus, non dubium est; nec hic iis uti licet, quae ad I, 34 dixi; sequitur etiam *in conficiendis voluptatibus*; sed mendum in cod. archetypo fuit. Mox *eulogia* etiam sex Pall., [B,] Oxx. EUξχ. Emendatiores antiqui codd. Tusculanarum et oratt. pro Cluentio et in Pisonem (saltem Erf.). Post *significant* prave interrogandi notam multae edd., etiam Gzius et Orellius habent.

ad portam: Hunc unum) A. Atilii Calatini (cos. a. 258 et 254 a. C.), hominis saepius a Cicerone inter summos viros nominati, cuius rerum memoriae tempus nocuit, elogium commemoratur etiam in Cat. 61. Sed scriptura incerta est. Codices fide digni: *ad portam uno cum* (Pall. 1, 4, 5, 6, Davisiani plures, Oxx. χψ, Spir. [B]; Gud. 2 *imo cum*, Pal. 2 *uno complurimae*); paucissimi *uno cui* (Pal. 3, unus fortasse et alter Dav., U, ut videtur). Quod vulgo legebatur ante Orellium: *ad portam: Uno ore cui plurimae* cet., nescio a quo editore invectum sit (*ore uno cui* Iunt. Si recte Oxx. notarunt, in Eξ legebatur: *ad portam: ore cui plurimae*, sed valde dubito). Dativus omnino nihil habet loci. In Catone codices etiam antiquissimi habent: *Atilio Calatino*, *in quem illud elogium unicum plurimae consentiunt* cet. Praeterquam quod alio ducunt vestigia codicum huius operis, non potest deesse in elogio pronomen hominem demonstrans. Accedit, quam primus Ernestius animadvertit, summa similitudo elogii in monumento L. Scipionis Barbati F. incisi (apud Orell. Inscr. Lat. n. 552, Mommsen. Corp. Inscr. Lat. I n. 32 p. 18): *Hunc oino ploirume cosentiont R... || Duonoro optumo fuise uiro.* Hinc Orellius effecit *unum hunc*; ad codices (monstrante maxime littera *c*) propius accedit id ipsum, quod est in Scipionis monumento et Ernestio placuerat: *hunc unum.* Nam quod Orel-

TES POPULI PRIMARIUM FUISSE VIRUM. 117. Idne consensisse de Calatino plurimas gentes arbitramur, primarium populi fuisse, quod praestantissimus fuisset in conficiendis voluptatibus? Ergo in iis adulescentibus bonam spem esse dicemus et magnam indolem, quos suis commodis inservituros et, quidquid ipsis expediat, facturos arbitrabimur? Nonne videmus, quanta perturbatio rerum omnium consequatur, quanta confusio? Tollitur beneficium, tollitur gratia, quae sunt vincla concordiae. Nec enim, cum tua causa cui commodes, beneficium illud habendum est, sed feneratio, nec gratia deberi videtur ei, qui sua causa commodaverit. Maximas vero virtutes iacere omnes necesse est voluptate dominante. Sunt etiam turpitudines plurimae, quae, nisi

1. *et due* (pro *idne*) E *concessisse* LMR 2. *a Calatino* C 3. [*fuisse populi* A] 4. *his* LC 6. *quid* C *expediet* L *facturos esse* E *arbitramur* ELMCR 7. [*nomine videmus* A] 9. *vincula* ELPMROr. *tuā causā* [A]E *enim si tuam ob causam cuiquam commodes* LPMCROr. 10. [*ueneratio* A] 11. [*suā causā* A] *suam commod. causam* E *suam ob causam commod.* PMCROr. *ob suam causam feneraverit commodaverit* L 12. *nc esse* E *est* om. P

lius et Klotzius Ciceronem antique scripsisse putant: *oino honc*, nihil erat, cur apices exprimeret, quos vix memoria tenebat (velut omissum *m*). Unicum illud esse elogium (etiamsi fuisset), Cicero non utroque loco prorsus eodem verbo annotasset. Portam significari Capenam, e Tusc. I, 13 intellegitur, ad quam cum multa essent clarorum hominum sepulcra et hoc ipsum notissimum, nomen omitti poterat.

117. *facturos arbitrabimur*) Hoc, quod Gzius e Parr. 1 et 3 Davisii, Gud. utroque et Bas. suis posuit, retinui, quod idem Morelius annotavit e suo et quod necessarium est propter *dicemus*. [Sic A; B ut Erl.] Quaeritur, quid posthac statuendum sit.

tua causa) Praepositionem *ob* omittit etiam Spir. hic et paulo post. Fieri potest, ut, cum Cicero scripsisset *tua causa* et *sua causa*, librarius verbi, quod est *commodare*, naturam ignorans, ei accusativum in codice archetypo accommodarit, deinde in deteriorum principe praepositio accesserit. [Itaque nunc, accedentibus A et B, ablativum restitui utroque loco.]

cui commodes) [Antea, cum de uno Erl. constaret, servato *si*, scripseram *cuipiam*, ex quo *cuiquam* ortum videbatur (nam hoc sententia non ferebat; vid. ad IV, 45), annotaveramque aut sic aut *cui* scribendum esse. Nunc ABErl. secutus cum Baitero *cum* — *cui* scripsi.]

honestas natura plurimum valeat, cur non cadant in sapientem, non est facile defendere. 118. Ac ne plura complectar (sunt enim innumerabilia), bene laudata virtus voluptatis aditus intercludat necesse est. Quod iam a me expectare noli; tute introspice in mentem tuam ipse eamque omni cogitatione pertractans percontare ipse te, perpetuisne malis voluptatibus perfruens in ea, quam saepe usurpabas, tranquillitate degere omnem aetatem sine dolore, assumpto etiam illo, quod vos quidem adiungere soletis, sed fieri non potest, sine doloris metu, an, cum de omnibus gentibus optime mererere, cum opem indigentibus salutemque ferres, vel Herculis perpeti aerumnas. Sic enim maiores nostri labores non fugiendos tristissimo tamen verbo aerumnas

1. *honesta* [A]ELP *cadant insipientem* E 2. [*at ne* Eh] 3. *voluptatis bene aditus* E 7. *perfluens* MCR [*quem* A] 9. *vos* om. L 10. *gentibus* om. E 11. *merere* [AEh]LMCR 12. *vestri* E 13. [*figiendos* A *fingendo* Eh]

honestas natura) ἡ ἀρετὴ φύσει. Correctio haec est; nam Pall. omnes et Spir. [B] et cod. Mor. *honesta natura*. (Davisius tacet.) Sed etiamsi intellegatur naturalis bonitas, malam doctrinam vincens, ea tamen ad hunc locum nihil pertinet omnino, ubi exponitur, quid secuturum sit, nisi aliud vitae agendae fundamentum ponatur, atque Epicurus posuerit, virtutem voluptatis causa inducens. Ed. Crat. *honestatis natura* et in mg. *honestas*, non ex antiquo illo cod. Eξ ex *honesta natura* unum effecerunt: *honestas*.

118. *voluptatis aditus intercludat*) Lambinus *voluptati*; vid. ad 27.

voluptatibus perfruens) Sic primus Lambinus; confirmant Pall. 1, 2, 3, 4, Gziani omnes, Eξ, ut videntur. *Perfluens* erat in Davisianis omnibus. *Affluere voluptatibus* dicitur, non *perfluere*.

de omnibus gentibus) *Gentibus* abest etiam a Spir. [B]. Scripsitne Cicero: *de hominibus?* Annotanda est autem orationis in verborum temporibus mutatio. Nam incipit Cicero dicere tamquam de earum rerum optione, quae fieri fortasse possint (*malis*), deinde, quasi nimis audacter hoc fingatur, declinat ad illam formam (*mererere*, *ferres*), in qua intellegitur *si posses*, non *si possis*.

tristissimo tamen verbo aerumnas) Extremum verbum, propter orationis gravitatem non necessario adiectum, damnabant Davi-

etiam in deo nominaverunt. 119. Elicerem ex te cogeremque, ut responderes, nisi vererer, ne Herculem ipsum ea, quae pro salute gentium summo labore gessisset, voluptatis causa gessisse diceres. Quae cum dixissem, Habeo, inquit Torquatus, ad quos ista referam, et, quamquam aliquid ipse poteram, tamen invenire malo paratiores. Familiares nostros, credo, Sironem dicis et Philodemum, cum optimos viros, tum homines doctissimos. Recte, inquit, intellegis. Age sane, inquam; sed erat aequius, Triarium aliquid de dissensione

1. *etiam ut video* LPMCR *eligerem* [AEb]P *exigerem* LMCROr. 4. [*dicere* Eh] 6. *familiares ostendere nostros* L *paratiores familiares nostros. Credo* Or. 7. *Syronem* LPMCOr. *Scyronem* R *Polidemum* LM *Polydemum* CR *tum optimos* LPR 8. *doctissimos homines* (M)CROr. [*sane* om. Eh] 9. *erat egregius* P *aliquod* E *nostra dissensione* LPMCROr.

sius et Ernestius, non multo melius quam § 16 illud *in motu*. *Aerumnam sextam Herculis* Plautus dixit Epid. II, 1, 9; Cicero saepius aerumnas Herculis appellatas legisse videtur. Tum *in deo* primus, ut videtur, edidit Victorius; est in mg. Crat. Deteriores omnes: *ut video* (ξχψ, Gud. uterque, Bas.; tantum E *ut in deo*; Grut. et Dav. tacent). Ex *in deo* cum factum esset *video*, additum est *ut*.

119. *Elicerem*) [Hoc post Gruterum Baiterus effecit ex scriptura codicum AB Eh. *Exigere ex aliquo* pro *ab aliquo* vix recte dicitur. Gradatio aliqua est in eliciendo cogendoque.]

Sironem dicis) Epicureum Graecum, qui Vergilium et Varium poëtas discipulos habuisse traditur; vid. Heynius ad Donati vit. Vergilii § 79. Eundem amicum suum Cicero appellare videtur ad Fam. VI, 11, 2 eiusque nomine in Acad. II, 106 tamquam Epicurei doctissimi utitur. [Formam nominis expressi nunc ex ABEh, quam M. Hauptius veram esse defendit Herm. I p. 40.]

Philodemum) Gadarensem, nobilem Epicureum, philosophum et poëtam, L. Pisonis amicum, cuius scripta quaedam Herculani reperta sunt. (Verum nomen annotatur in mg. Crat. et e cod. Mor.) Orationem prave sic distinctam: *paratiores familiares nostros. Credo, Sironem dicis* cet. correxi. Torquatus universe loquitur. Cicero suspicatur eum familiares suos Ciceronisque dicere.

cum optimos viros) *Tum* (ut cum R pleraeque edd. ante Manutium) e quattuor suis codd. revocavit Gzius; vid. ad I. 34. Tum omnes edd. tacite *doctissimos homines*. [Ut Erl., AB.]

nostra iudicare. Eiuro, inquit arridens, iniquum, hac quidem de re; tu enim ista lenius; hic Stoicorum more nos vexat. Tum Triarius: Posthac quidem, inquit, audacius. Nam haec ipsa mihi erunt in promptu, quae modo audivi; nec ante aggrediar, quam te ab istis, quos dicis, instructum videro. Quae cum essent dicta, finem fecimus et ambulandi et disputandi.

1. *iuro* [A]ELPMR *imo* C 2. *levius* [Eh]PCR 3. *quidem* om. LP 5. *video* PM [Subscribitur in A: *Incipit liber tertius de finibus bonorum et malorum.*]

Paulo post Gzii codd., excepto uno Gud. 2: *de dissensione nostra.* [Et sic ABEh, quibus parui.]

Eiuro, inquit arridens, iniquum) Editum fere ex C *immo* (inde a Crat. ab omnibus ante Gzium). Codd. apud Dav. *iuro*, Oxx. Eξψ *iure* (?), Gziani partim hoc, partim illud. Laudandus igitur aliquando Gzius, qui sollemnem formulam iudicis iniqui recusandi (vid. lexic.) restituerit littera *e* geminata.

et ambulandi) At nullam ambulationem Cicero initio libri I commemoravit. Festinans igitur putavit id se scripsisse, quod non scripserat.

M. TULLII CICERONIS

DE

FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBER TERTIUS.

ARGUMENTUM.

In huius libri exordio Cicero, conversa rursus ad Brutum oratione, quoniam voluptas superiore libro satis confutata sit, acriorem paratam esse ait cum Stoicis contentionem; atque eorum disserendi genus cum ipsum subtile sit vel potius spinosum, tum multo difficilius esse Latine loquentibus, quibus etiam nova verba parienda et nova rebus novis nomina imponenda sint. Nec hoc mirandum esse, quoniam, si aliae etiam artes suis et propriis utantur verbis, multo id magis philosophiae concedendum sit; et, si Graecis philosophis licuerit de rebus non pervagatis verbis quoque inusitatis uti, magis in Latina lingva hoc licere debere; atque etiam elaborandum esse, ut in ipsis Graecorum artibus Latinorum verborum copia Graecae respondeat (c. 1—2). Deinde Cicero exponit, sermonem sibi aliquando de Stoicorum de summo bono sententia incidisse cum M. Catone in villa Tusculana Luculli (c. 2—3). Nam cum Cato minus sibi probari significasset, quod Cicero non ad Stoicos, sed ad Academicos et Peripateticos se inclinavisset, Cicero autem inter hos et Stoi-

eos verborum, non rerum certamen esse dixisset, et Stoicos, si verborum splendorem re persequi vellent, in Pyrrhonis et Aristonis vitia incidere, ut rerum selectionem et ipsam virtutem tollerent,' Catonem, ut Ciceronem non recte iudicare ostenderet, totam Zenonis Stoicorumque sententiam explicare aggressum esse (c. 3—4). Ea explicatio huiusmodi est: Omne animal, simul atque natum est, se conservare studet et suum statum, quaeque eius status conservantia sunt, diligit; in his rebus, quas natura primas appetit, voluptas non est, est integritas corporis eiusque partium, rerum cognitiones artesque (c. 5). Cum igitur aliae res aestimabiles sint, quod aut secundum naturam sunt aut tale quid efficiunt, aliae inaestimabiles, quae illis contrariae sunt, illae autem sumendae, hae reiciendae sint, primum est officium se conservare, deinde seligere ea, quae secundum naturam sint, et reicere contraria; cum autem hoc constanter et naturae convenienter fit, tum demum intellegi incipit, quid sit bonum, et hoc ipsum adesse. Nam hac ipsa convenientia honestum continetur, quod et summum et unum bonum est et solum propter se expetendum; prima autem naturae non propter se expetenda sunt, et tamen omnia officia ab iis proficiscuntur (c. 6). Appetitio animi non ad quodvis vitae genus, sed ad quandam formam vivendi data est, itemque ratio, ut ad perfectam rationem, quae sapientia et virtus est, perveniatur. Sapientiae ultimum est, non aliquid extra se efficere, sed ipsa actio, et, quod recte factum est, id omnes virtutis numeros in se continet. Virtus autem teneri non potest, nisi statuatur, nihil esse, quod intersit aut differat aliud ab alio (quo bonum aut malum sit), praeter honesta et turpia. Itaque sapientes omnes semper beati sunt (c. 7). Quod autem totam disciplinam continet, quod honestum sit, id esse solum bonum, id brevibus quibusdam et acutis Stoicorum rationibus concluditur, quae ex eo ducuntur, quod bonum laudabile est et beata vita gloriatione digna, et quod fortis vir aliter esse non potest (c. 8). Nec tamen probandi sunt illi philosophi, qui sic summum bonum in animo posuerunt, ut nullam rerum differentiam esse dicerent; nam in selectione earum rerum, quae sunt secundum naturam, et

contrariarum reiectione prudentia et virtus posita est. Itaque summum bonum est vivere scientiam adhibentem earum rerum, quae natura eveniant, seligentem, quae secundum naturam, et, quae contra naturam sint, reicientem (c. 9). Actiones autem honestae ipsa susceptione, non effectu, laudabiles sunt (ibd.). Bonum Diogenes commodissime definivit id, quod esset natura absolutum. Ad boni notionem pervenitur, cum animus collatione rationis ascendit ab iis rebus, quae sunt secundum naturam. Bonum autem a ceteris rebus, quae aestimabiles sunt, non gradu, sed genere differt et suam habet propriam aestimationem (c. 10). Perturbationibus animi, quae opinione commoventur, non natura, sapiens semper vacat (ibd.). Omne, quod honestum sit, propter se expetendum esse, quod turpe, fugiendum, facillime intellegitur ex communi hominum iudicio et sensu, qui in agendo apparet (c. 11). (Hic ex Ciceronis persona brevis interponitur de nomine vitii digressio.) Inter Stoicos et Peripateticos rerum, non verborum controversia est; nam in Peripateticorum doctrina effici non potest, ut sapiens semper beatus sit; et eorum sententia alius alio beatior est, Stoici crescere beatam vitam negant posse; nam omnis commodorum accessio, quae ad virtutem adici potest, eius splendore obscuratur (c. 12—13, init. 14). Recta actio non crescit; itaque vita beata nihilo magis expetenda est, si longa est, quam si brevis (c. 14). Nec alius alio sapientior est, nec alius alio magis peccat. Sed etsi nec virtutes nec vitia crescunt, utrumque tamen eorum funditur quodam modo et dilatatur (ibd.). Divitias Diogenes putat ad voluptatem et valetudinem non solum duces esse, sed eas continere, in artibus et in virtute non eandem vim habere (c. 15). Deinde explicatur a Stoicis differentia rerum; nam cum ad beate misereve vivendum nihil quidquam valeat praeter honestum et turpe, tamen inter ceteras res aliquid interest, ut alia sint aestimabilia, alia inaestimabilia, alia neutrum, et alia προηγμένα (praeposita), alia ἀποπροηγμένα (reiecta); definitur autem προηγμένον, quod sit indifferens cum aestimatione mediocri (c. 15—16). Bona sic dividuntur, ut alia sint τελικά, id est, ad finem pertinentia, alia ποιητικά, id est, effi-

cientia: et pertinens autem et efficiens sapientia est: quae autem praeposita dicuntur, partim per se ipsa praeposita sunt, partim, quod aliquid efficiunt, partim utrumque: horum generum in utro bona fama ponenda sit. Stoici dissentiunt (c. 16—17). Officium, hoc est, quod ita factum est, ut eius facti probabilis ratio reddi possit, nec in bonis ponitur nec in malis: id versatur in eorum, quae media sunt, aliis sumendis, aliis reiciendis (c. 17—18). Itaque his mediis etiam excessus e vita et in vita mansio moderanda est, ut interdum sapienti e vita discedendum sit, cum sit beatissimus, stulto manendum, quamvis sit miser, dum modo pluribus naturalibus fruatur (c. 18). Liberi a parentibus natura amantur; atque hinc profecta et latius progressa societas omnes homines complectitur. Mundus quasi communis urbs et civitas deorum et hominum est, cuius cum unusquisque nostrum pars sit, communis utilitas nostrae anteponenda est (c. 19). Natura ad civilem communitatem coniuncti et consociati sumus, quod ni ita esset, nec iustitiae nec bonitati locus esset. Huic consentaneum est, ut etiam sapiens rem publicam administret. Ad hanc hominum societatem conservandam pertinet intellegi, emolumenta hominum et detrimenta communia esse et paria; commoda autem et incommoda communia sunt, paria non sunt (c. 20—21). Amicitia, tum iustitia ceteraeque virtutes per se, non utilitatis causa expetuntur. Inter virtutes autem etiam dialectica et physica numerantur (c. 21—22). His expositis Cato personam sapientis, qualis a Stoicis describitur, semper beati, fortunati, divitis, regis inducit et exornat (c. 22).

(De ordine et dispositione rerum in hoc libro tractatarum quaesitum est excursu quinto.)

I. 1. Voluptatem quidem, Brute, si ipsa pro se loquatur nec tam pertinaces habeat patronos, concessuram arbitror, convictam superiore libro, dignitati. Etenim sit impudens, si virtuti diutius repugnet aut si honestis iucunda anteponat aut pluris esse contendat dulcedinem corporis ex eave natam laetitiam quam gravitatem animi atque constantiam. Quare illam quidem dimittamus et suis se finibus tenere iubeamus, ne blanditiis eius illecebrisque impediatur disputandi severitas. 2. Quaerendum est enim, ubi sit illud summum bonum, quod reperire volumus, quoniam et voluptas ab eo remota est et eadem fere contra eos dici possunt, qui vacuitatem doloris finem bonorum esse volue-

1. *per se* M *prosequatur nec* E 2. *tam* om. E 3. *dignitate* R 4 [*impudens fiunt tuti diucius te pugnet* A] 5. *corporis et titillantem ex* LPMC *corporis et utilitatem ex* R *corp. et titillationem ex* Or. 6. *ea re* (pro *eave*) C *venenatam* (pro *re natam*) P 7. *illa* C *inquit* (pro *quidem*) E *dimittatur* C 8. *petere* [A]E *cedere* PMR 10. *quoniam ab eo voluptas* L *etiam* (pro *et*) C

Cap. I, 1. *dignitati*) Non virtuti et honestati (neque enim *dignitas* nude sic dicitur), sed amplitudini et splendori virtutis principatu dignae. (Pro *quidem* ed. Man. et quaedam aliae *equidem*.)

dulcedinem corporis) Sic etiam Pal. 1, Spir. [B], Mor., quos ratio sequi iubebat, etsi, *titillantem* unde ortum sit, difficile est dicere et videri potest e meliorum codicum principe excidisse, *et* autem e littera *t* ortum esse; nam sic, ut nostri deteriores, ceteri quoque (Pall. quinque, Dav. plures, Oxx. EUχ, Gziani tres reliqui). Manutius *et* sustulit. Lambinus, cum simul *eave* revocavit (nam *ea re* ex C manserat apud Man.), libros manu scriptos appellat; nec Oxx. *et* ex $\xi\psi$ annotant. Dubitari potest, an *titillans* sic absolute sine accusativo a Cicerone numquam dictum sit. Urs. codex et El. 2 (debuit 1 appellari): *et titillationem*, manifesta correctione; probarunt tamen Dav. et Gzius.

suis se finibus tenere) Verum hoc videtur, sed corrigendo natum est. Nam ut Erl., sic Pal. 1, Spir. [B], Bas. (Pal. 6 *suos se fines petere*); Pall. autem 2, 4, 5, Parr. 1, 3 Dav., Eξ, Gud. uterque *cedere*; *tenere*, quod in Gud. 1 superscriptum erat, Dav. ait in El. utroque, Mead., Ball., CCC esse, de postremo errans; idem fuisse videtur in Pal. 3 et tribus Oxx.

runt; nec vero ullum probetur [ut] summum bonum, quod virtute careat, qua nihil potest esse praestantius. Itaque quamquam in eo sermone, qui cum Torquato est habitus, non remissi fuimus, tamen haec acrior est cum Stoicis parata contentio. Quae enim de voluptate dicuntur, ea nec acutissime nec abscondite disseruntur; neque enim, qui defendunt eam, versuti in disserendo sunt nec, qui contra dicunt, causam difficilem repellunt; 3. ipse etiam dicit Epi-

1. *vero ita ullum* PMCR *vero ullum ita* L [*ut*] om. LPMCR, sine nota Or. *ut* (pro *quod*) LPMCR 2. *posset* [A]E *possit* LC 5. *intencio* E *vero* (pro *enim*) E 6. *disseruntur nec abscondite* L 8. *enim* R

2. *nec vero ullum probetur* [*ut*] — *quod virtute careat*) Sic etiam Spir. [B]. Edit. Crat. *nec vero ita ull. prob. ut s. b. quod* cet., retento *ita* ex altera scriptura; ex Eξ annotatur tantum *quod*. Nam ceteri ante Gzium tacite ut nostri detoriores et sic tres reliqui Gzii codices, poteratque ea scriptura per se ferri, etsi minus apte modus probationis (*ita* — *ut careat*) quam ipsius boni qualitas (*ullum*, *quod*) commemoratur. Sed in meliorum codicum scriptura magno opere offendit *ut*, quo retento *ullum* substantivum erit, contra huius aetatis et scriptoris usum (*nec vero quidquam probetur ut s. b.*); nam ut coniungatur: *nec vero ullum bonum prob. ut summum*, fieri nequit. Videlicet eadem brevitas loquendi utriusque codicum familiae primo librario displicuisse videtur, qua sic dicimus: *hoc summum bonum ne probetur*, hoc significantes: *hoc ne pro summo bono probetur.* Hinc illud *ut* natum. [Neque hoc probabile nec aptus coniunctivus ille hortativus aut per se, aut post illa *quoniam et* — *et.* Suspicor Ciceronem scripsisse: *ullum probaturus sum summum.*]

qua nihil potest) Absolute hoc cum affirmatione adiungitur; neque enim hic locum habet latens illa causae significatio, quae est in coniunctivo modo pronomini subiecto. *Potest* edebatur tacite ante Davisium, nisi quod quaedam vetustissimae edd. (Ven. 1480, 1494), ut C, *possit*, quod is e Parr. 1, 2, El. 2 (Gud. 2, Bas.), [etiam B] revocavit et Bremio Gzioque probavit. Sed meliores (praeter Erl. etiam Spir.), tum Mead., Eξχ, Gud. 1 *posset.*

causam difficilem repellunt) Insolentius dictum esse nec satis proprie, Lambino concedere debebant editores; nam repellimus impetum aut eos, qui impetunt faciunt (a quo translatum est, quod in Verr. IV, 8 dicitur: *verbo uno repellar*); ad eam imaginem non apta *causa* et *difficilis causa.* Itaque Lamb. *refellunt* coniecit; atqui ne refellitur quidem causa ab oppugnantium

curus, ne argumentandum quidem esse de voluptate, quod sit positum iudicium eius in sensibus, ut commoneri nos satis sit, nihil attineat doceri. Quare illa nobis simplex fuit in utramque partem disputatio. Nec enim in Torquati sermone quidquam implicatum aut tortuosum fuit, nostraque, ut mihi videtur, dilucida oratio. Stoicorum autem, non ignoras, quam sit subtile vel spinosum potius disserendi genus, idque cum Graecis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda sunt imponendaque nova rebus novis nomina.

1. *nec* LMCR 2. *eius iudicium* LPMCR *et* E *commoveri* [Eh]R
4. [*sermone nec quicquam* AEh] 5. *implicitum* C 7. *potius spinosum* L
9. [*pariendaq'* A] *novis rebus* LPMCROr.

parte. Scilicet ipsum *causae difficilis* nomen parum apte positum, cum de oppugnantibus ageretur (nam ad defendentes aptum erat), non habuit proprium verbum.

3. *ne argumentandum quidem*) *Nec* etiam EUξ, ut malam consvetudinem librariorum etiam alibi contemnere discas; vid. exc. ad II, 25. De re vid. I, 30. *Iudicium eius* (erat enim inversum) Gzius etiam e Spir., Gud. 1, Bas.

nova rebus novis nomina) Sic etiam [AB] Spir. In Gud. 1 et Bas. erat *nova reb. nom. novis.* Mox Ernestius malebat *nemo nec mediocriter* aut *nemo vel mediocriter*; debuit *nemo ne mediocriter quidem.* Opponit Gzius Rhet. ad Herenn. IV, 7: *quivis mediocriter litteratus.* Eodem modo dicitur *omnis minimus* et *nullus minimus*, ubi expectet quispiam *vel minimus*, *ne minimus quidem*; vid. ad Fam. I, 8, 6: *nullam rem esse minimam* (Lambinus *vel minimam*), pro Cluent. 137: *neque id ulla tenuissima suspicione* (*vel ten.* Lambinus et ceteri ante Classenium), N. D. I, 67, fragm. Hortensii p. 485 Or. Sed in II Tuscul. 7, quem locum Wopkensius (Lectt. Tull. p. 57) huius comparatione defendebat, *quidem* post *mediocriter* pravum esse, nisi praecedat *ne*, sentiet, qui certo sensu vim particulae *quidem* percepit. [Addi potest II de Orat. 162: *qui omnes tenuissimas particulas — in os inserant*, eodemque modo, non praecedente *omnis*, recte dici pro Rosc. Am. 102: *ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent*, ubi nuper addiderunt *vel* (— debebat tum dici: *ut ne in min. quidem rebus dicerent* —), confirmatur comparato loco orationis pro Flacc. 12: *vos in privatis minimarum rerum iudiciis testem diligenter expenditis.* Erravit in hoc genere etiam Haasius in Senec. Epist. 118. 12: *nullum est minimum contemnendum bonum.*]

Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans, in omni arte, cuius usus vulgaris communisque non sit, multam novitatem nominum esse, cum constituantur earum rerum vocabula, quae in quaque arte versentur. 4. Itaque et dialectici et physici verbis utuntur iis, quae ipsi Graeciae nota non sint; geometrae vero et musici, grammatici etiam, more quodam loquuntur suo; ipsae rhetorum artes, quae sunt totae forenses atque populares, verbis tamen in docendo quasi privatis utuntur ac suis.

II. Atque ut omittam has artes elegantes et ingenuas,

3. *nominum novitatem* L [*eam* Eh] (*ea* Em) 5. *et* ante *dialectici* om. E *philosophici* P, corr. in marg. *ipsi scientiae* R 6. *non* om. [A](P)MR *sunt* omnes, Or. *geometrae — suo* om. P [*geometriae* A *geometri* Eh] *et* om. LMCR 7. *quodam* om. L *suo; item ipsae* LMCROr. *item ipsae* P 8. *dicendo* LMCR 10. *has* om. E

earum rerum) Etiam Spir. *ea* [B *eam*], recepitque Gzius. Prorsus tum abundat *rerum* vel potius totum hoc: *cum constituantur — versentur*; nec vocabula in arte *versantur*, sed ex rebus iis, quae in quaque arte versantur, oritur vocabulorum necessitas. Extremae syllabae nota excidit propter sequens vocabulum, ut § 42.

4. *nota non sint*) Exciderat *non* etiam in quattuor Pall. [tribus praeter A]. Sed vulgo edebatur *sunt*, pravissima sententia; neque enim certum erat genus verborum Graecis ignotorum et iis dialectici utebantur; sed talibus utebantur, quae ipsi Graeci non nossent. Codicum in tali re in hac forma (*sunt* et *sint*), quae ubique permutatur, nullum prorsus momentum est. Mox *et* ante *musici* addidit Gzius ex omnibus suis. Ex Ox. E annotatur *vero et physici*.

ipsae rhetorum artes) Ascensus orationis significatur pronomine initio posito. *Item* vitiose abundabat. Tacent, qui meliores codices habuerunt; sed tacuit etiam Gzius de Erl. [Om. AB.] In ξ tenue indicium interpolationis est; habet enim *itaque ipsae*. Artes cum Cicero dixit plurali numero, cogitavit de libris et commentariis, qui sic dicuntur apud ipsum Ciceronem, frequentius apud Quintilianum, ut apud Graecos τέχναι. In Gud. 1 excidit *rhetorum*. Tum pro *tamen* Grut. e Pal. 1 [contra testimonium Halmii] *tantum*, sine sensu, sed recte post Man. *in docendo*, et sic mg. Crat., Par. 1, El. 2, Spir. [B], Gud. 2. Artes illae non dicebant et orationes habebant, sed in praeceptis tradendis sua et propria habebant verba.

Cap. II. *has artes*) Pronomen omittit etiam Spir. [B].

ne opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi. Quin etiam agri cultura, quae abhorret ab omni politiore elegantia, tamen eas res, in quibus versatur, nominibus notavit novis. Quo magis hoc philosopho faciendum est; ars est enim philosophia vitae, de qua disserens arripere verba de foro non potest. 5. Quamquam ex omnibus philosophis Stoici plurima novaverunt, Zenoque, eorum princeps, non tam rerum inventor fuit quam verborum novorum. Quod si in ea lingva, quam plerique uberiorem putant, concessum est, ut doctis-

1. *nec* MC [*opificis* AEh] 3. [*oborret* A] 4. *ea* [A]EOr. 5 *ars enim* (om. *est*) E 6. *accipere* L 7. [*Stoicis* AEh] 8. *nominaverunt* LMCR *Zeno quoque* LPMCR 9. *novorum verborum* L(P)MCR 10. *concessum a Graecia est* [A *Grecia*] LPMCROr (hic *a Gr.* inter uncos)

tamen eas res) Etiam Spir. [B], Bas., Vindob., tum editio Crat., id est, meliores: *tamen ea res*, quod Gzius et recentiores probarunt, ut nomini ex abundanti pronomen superaddatur, nota figura; sed ei ibi locus est, ubi eo pronomine sustinetur pondus orationis, quod hic in particulam *tamen* incumbit. Contra *eas* abesse nullo modo potest, cum definitur et circumscribitur certum genus rerum, non magis quam paulo ante (3) *earum*. Quod Orellius tum omnes res, in quibus agri cultura versetur, novis nominibus notatas dici putat, idque falsum esse, nescio, unde illud *omnes* magis oriatur addito *eas* quam detracto. Cicero eas res significavit, quae agri culturae ita propriae essent, ut aliunde nomina non haberent.

5. *Stoici plurima novaverunt*) Sic Manutius et ceteri deinceps e Pall. 1, 3, Mead., Eξ, Spir., Bas. Lambinus e Memmiano et Cuiaciano *novarunt*. Stoicos ad signandas notionum formas et discrimina, in quae omnia copiose persequentes incidebant, libenter et prompte nova nomina excogitasse, verum est; de Zenone quod addit, Antiochi iudicium est, expositum uberius libro IV. *Zenoque* etiam Spir. [B] et ex eo Gzius. ut iam Walkerus (ad Cic. N. D. II c. 57) scribendum esse intellexerat. In unam summam et caput iudicium colligitur, non tamquam appendix (*quoque*) Zeno Stoicis adiungitur. *Verborum novorum* Gziani omnes praeter Gud. 2. Antea inversum erat.

concessum est) Sic etiam Spir. [B]. Iam Ursinus a suo cod. abesse voces *a Graecia* annotarat, damnarant plures. Vitiose abundabant post illa: *in ea lingva*, nec sequitur: *a Romanis*. Mox *pervulgatis* ex edit. pr. ad Manutium et alios quosdam

[illegible]

[illegible]

propagatum est [illegible] [B] et, si [illegible] Oxx. reliqui Gud. [illegible]

Et quoniam saepe [illegible] sent in vulgata scriptura [illegible] orationem sic [illegible] *borandum est*, et [illegible] sententia. Brevius [illegible] *randum est* et esse hanc [illegible] additis parenthesis notis [illegible]) Atqui dixerat Cicero, [illegible] Latinis scriptoribus esse, cum nunc primum [illegible] attingerent, ut inusitatis verbis uterentur. Subicit, elaborandum esse, ut, quod de copia sermonis Latini saepe dixerit, non in Romanis tantum artibus, sed in Graecis quoque eam copiam assequantur. Id non poterat fieri nisi novis verbis et hactenus inusitatis reperiendis et frequentandis. Itaque non correctio haec est, sed apertissima eiusdem sententiae confirmatio et novi argumenti adiunctio: idque magis etiam, si fieri potest, apparet, restituta ex Erl. (de ceteris bonis tacent, ut de hoc Gzius) ea particula (*quoniam*), quae proprie ponitur in iis, quae consequentia alicui sunt, adiungendis. [Sic etiam B.] Non dubitavi igitur restituere: *et quoniam*. (Iam Vict., Man., Lamb. haesisse apparet ex eo, quod diiuncte *et si* scripserunt; atqui *si* non habet, quo referatur; voluerunt, quemadmodum Guyetus: *et, si, quod diximus —, non modo non vincimur, sed etiam superiores sumus, elaborandum est*, eadem, qua ego, sententia.) Tum *eorum etiam* Gzius e quattuor suis. [Accedunt nunc AB et de Erl. testimonium Halmii.] Idem mox alterum *etiam* (ante *in illorum*) omisit, sequens, ut ait, Gud. utrumque et Bas. Tum *assequamur* pro *consequamur* cod. Mor. et duo Gzii [ABEh; ergo recepi]. De sententia cfr. I, 10.

beri volunt, nos non modo non vinci a Graecis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores, elaborandum est, ut hoc non in nostris solum artibus, sed etiam in illorum ipsorum assequamur. Quamquam ea verba, quibus instituto veterum utimur pro Latinis, ut ipsa philosophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica, quamquam Latine ea dici poterant, tamen, quoniam usu percepta sunt, nostra ducamus. Atque haec quidem de rerum nominibus. 6. De ipsis rebus autem saepenumero, Brute, vereor, ne reprehendar, cum haec ad te scribam, qui cum in philosophia, tum in optimo genere philosophiae tantum processeris. Quod si facerem quasi te erudiens, iure reprehenderer. Sed ab eo plurimum absum neque, ut ea cognoscas, quae tibi notissima sunt, ad te mitto, sed quia facillime in nomine tuo acquiesco et quia te habeo aequissimum eorum studio-

2. *in eo* L [*superioris* AEh] 3 [*non ingris* A] 4. *consequamur* LPMCROr. [*eam* Eh] *ex instituto* LPMCR 5. [*utimur prolationis* AEh] *ipsa* om. C 6. [*geometrica* A] *musica et astrologia* C 7. *quia usu* E *praecepta* (P) 10 *qui tum* PMCR 12. [*quid si* Eh] 14. *in tuo acquiescas nomine* L 15. *aequissimum habeo* R

Quamquam — instituto veterum) [Pro *quamquam* Gruterus Pal. 1, Gzius Erl. et Spir. *quam* habere dicunt; Baitero mihique nihil notatum est.] Praepositionem, quae ante *instituto* addebatur, Gzius in solo Gud. 2 repperit.

usu percepta) Tuetur hunc locum, quod II N. D. 91 legitur: *nomen Graecum, perceptum iam tamen usu a nostris*, et ipsum hinc defenditur; significantur igitur usu sic trita, ut intellegantur. Nec tamen mirandum est, fuisse, quibus insolenter dictum videretur; neque enim de intellegentia quadam et perceptione longo usu effecta agitur (nec multae operae erat scire, quid rhetoricae aut musicae nomen significaret), sed de notitia quadam verbi ad cotidianum usum. *Penitus accepta et in linguam Latinam recepta* verbum significare nequit. Gruterus et Dav. e Pal. 3 et CCC *praecepta*, quod significaret Latinos usu quodam peregrina verba, antequam afferrentur, praecepisse, quemadmodum spe et opinione aliquid praecipimus.

6. *qui cum in philosophia*) *Cum*, quod Lamb. voluerat, Grut. edidit [ut nunc apparet, ex A; idem B]. *Tum* Oxx. EUξχ, „multi scripti" Gzii, id est, deteriores omnes. De Bruto vid. ad I, 8.

rum, quae mihi communia tecum sunt, existimatorem et iudicem. Attende igitur, [illegible] eamque controversiam diiudicato, [illegible] ac singulari [illegible]. Nam in Tusculano cum essem vellemque e bibliotheca pueri Luculli [illegible] in eius villam, [illegible] Quo cum venissem, M. Catonem, [illegible] esse [illegible], vidi in bibliotheca sedentem, [illegible]. Erat enim, ut scis, in eo [illegible] legendi, nec satiari poterat;

1. *tecum communia* [illegible] M [illegible] CR 2 [illegible] *attende* L 3 [illegible] transp. post [illegible] E 4 [illegible] L 5 [*Luculli* Eb] 6 [illegible] LPMCR[illegible]. 9. [illegible] *inexhausta aviditas* LPMCR[illegible].

existimatorem) Sic primus, ut videtur, Lambinus, deinde Gruterus tacite: Dav. in Parr. 1. 3 hoc ait esse, Grius in suis omnibus: *aestimatorem* El. 2. et χ ut M. Qui de discrimine verbi simplicis et compositi dixerunt, enumerant Oudendorpius ad Caes. B. G. II. 17. Kritzius ad Sall. Cat. 8. Tantum tenendum, ubi universe de bonitate earum rerum, quae neque permutationem et emptionem neque remunerationem habeant, de recto et pravo iudicetur, pretii notionem, quae apud nos fere admiscetur, apud Latinos remotam esse: itaque existimatoris eae partes sunt, non aestimatoris. Paulo post *fuit* quo loco Erl., eodem habuit Spir. [B]. De cognatione Bruti et Catonis vid. ad § 8.

7. *e bibliotheca pueri Luculli*) in villa Tusculana, quam pater, Ponticus ille, splendidissimam extruxerat (II, 107). [De bibliotheca Plutarchus Luc. 42.] De filio, qui in Philippensi acie cecidit, quae tradita sunt, collecta sunt in onomastico Orellii. Tutorem ei pater Catonem avunculum reliquerat (Varr. R. R. III, 2, 17, Colum. VIII, 16, 5, Cic. ad Att. XIII, 6), sed etiam Ciceroni testamento commendaverat (§ 9); tutorem ei Ciceronem fuisse, nusquam traditum est.

depromerem) [Secutus sum nunc A et Erl. et Spir. [B], etsi sequitur *hinc* — *promerem*; hic, etiam omisso *inde*, locus satis significatur.]

aviditas legendi) Quod in codd. vulgaribus et editt. [ante Klotzium] additur, *inexhausta*, omittunt etiam Pal. 1 et Spir. [B]. Accedit, ut id verbum neque alibi positum nisi apud Vergilium et posteriores reperiatur et imaginem habeat perversam; nam id, ex quo hauritur, inexhaustum est, aviditas et cupiditas

quippe qui ne reprensionem quidem vulgi inanem reformidans in ipsa curia soleret legere saepe, dum senatus cogeretur, nihil operae rei publicae detrahens; quo magis tum in summo otio maximaque copia quasi helluari libris, si hoc verbo in tam clara re utendum est, videbatur. 8. Quod cum accidisset, ut alter alterum necopinato videremus, surrexit statim. Deinde prima illa, quae in congressu solemus: Quid tu, inquit, huc? a villa enim, credo; et: Si ibi te esse scissem, ad te ipse venissem. Heri, inquam, ludis commissis ex urbe profectus veni ad vesperum.

1. *ne* om. L *nec* MCR *prensionem* [A]EP *quidem* om. L 3. *oportet* C *rei se detrahens* P 4. [*belluari* A] *helluo libri* PMR *helluo librorum* LC 5. *vitam* E *tam in* LPMCR 9. *si* om E *esse ipse scissem* MC *ipse esse sc.* R 10. *vesperam* LMCR

inexplebilis et *insatiabilis*. Itaque aliud adiectivum Cicero posuerat, quod cum in cod. archetypo excidisset, hoc in deterioribus substitutum est; illud tale fuisse videtur, ut vitaretur tautologia ea, quae inest in his: *inexhausta nec satiari poterat*. Carere adiectivo huiusmodi oratio vix potest, cum praesertim addatur *nec satiari*, non: *quae satiari non posset*. [Fuitne: *ingens in eo avid.*?] Mox *ne prensionem* etiam Spir. [B].

helluari libris) Sic Pal. 1, mg. Crat., codd. Mor. et Scal., El. 2, Spir. [B] (cod. Cuiac. *heluaris*, Pal. 4 ad oram *beluaris*, Eξ *bellari libris*); restituit Gruterus; nec ulla causa est quidquam praeterea tentandi, cum absolutae potestatis verbo recte ablativus addatur materiam et instrumentum significans; longe alio significatu apud Gell. II, 24 dicitur: *cum plerique in patrimoniis amplis helluarentur*, hoc est, in patrimoniis amplis constituti. Ceteri codices (Grut., Dav., Oxx. Uχξ, Gzii) *helluo libri*, etiam edit. Marsi; ceteri ante Gruterum ed. princ. secuti erant.

in tam clara re) Sic [A et sic] editur inde a Man. et Lamb. tacite; confirmat aperto indicio Erl. [B]. Veteres edd. (Crat. et Vict.) ut codd. nostri deteriores, eamque scripturam Garatonius in cod. Barberino, quem perbonum appellat (sed erat e deteriorum familia), inventam probabat (ad orat. pro Cael. c. 5 p. 401). Potuisse sic scribi, ostendetur ad V, 26. *Praeclaram* rem dici quam *claram* Lambinus malebat, cui difficile est satis firmiter contradicere; nam alibi *clarus* semper ad notitiam et famam pertinet; pro Sest. quoque 7, quo loco Bremius utitur, *clara pietas* est, quae hominum animos convertit et fama celebrata est; itaque additur: *et omnibus grata*.

8. *ludis commissis*) Imperite Gzius et Otto significari pu-

Causa autem fuit huc veniendi, ut quosdam hinc libros promerem. Et quidem, Cato, hanc totam copiam iam Lucullo nostro notam esse oportebit; nam his libris eum malo quam reliquo ornatu villae delectari. Est enim mihi magnae curae (quamquam hoc quidem proprium tuum munus est), ut ita erudiatur, ut et patri et Caepioni nostro et tibi tam propinquo respondeat. Laboro autem non sine causa; nam et avi eius memoria moveor (nec enim ignoras, quanti fecerim Caepionem, qui, ut opinio mea fert, in principibus

1. *enim fuit* C [*hic* pro *hinc* A] 2. *et quidem* om. P *totam hanc* Or. *hanc* om. L 3. [*totam* pro *notam* Eh] *oportebat* C 5. *quidem hoc* LPMCR 6. [*et ut patri* A] [*Cepioni* A] *Scipioni* ceteri. 8. *haec* (pro *nec*) E 9. [*Cepionem* A] *Scipionem* LPMCR *mea refert* [A]EP

tant *post ludos* (finitos); nam *commissam pugnam* esse etiam, quae pugnata sit. Non apud Latinos quidem, nisi quatenus nulla umquam pugna pugnata est, quae non antea commissa esset, signo dato et militum concursu. Sed haec puerilia sunt. Cicero significat, quemadmodum saepius in epistulis, se, cum primum ludis commissis negotia urbana cessare coepissent, rus exisse, ut studiis se oblectaret, dum alii in ludis desiderent. *Ad vesperum* Grut. e Pal. 1, Dav. tacite, tum Spir., Bas., Eψ (silentio); vid. ad II, 92. Tum *causa enim* ex ed. pr. fluxit ad Manutium, Lambinum, alios ante Gruterum (Ox. χ); deinde *totam hanc* errore nescio ubi primum scriptum (non Crat., Vict.). Paulo post *hoc quidem* inde a Lambino omnes tacite; confirmat nunc [AB] Erl. Priores *quidem hoc*.

Caepioni nostro) Sic scribi voluerat Manutius et mox *Caepionem*; confirmavit Pal. 1; Gzius utroque loco etiam ab Erl. et Spir. confirmari scribit, de Erl. priore loco errans; altero loco etiam Oxx. EUξ, si silentio fides haberi potest, *Caepionem*. [B ut Erl.] Cognatio, quae hic et paulo post attingitur, haec est: M. Livii Drusi, qui C. Graccho restitit, filia, soror M. Drusi, qui a 91 a. Chr. in tribunatu multa molitus est, bis nupsit, Q. Servilio Caepioni, qui postea nobiles inimicitias cum Druso tribuno gessit (vid. Freinshem. Suppl. Liv. LXXI, 23 sqq., nec alius esse potuit, qui in bello Marsico legatus · P. Rutilii consulis periit; Freinshem. LXXII, 33), deinde M. Porcio Catoni. Ex his binis nuptiis nati:

iam esset, si viveret) et Lucullus mihi versatur ante ocu-

1. *et cum Lucullus* L

A			B
Q. Servilius Caepio, trib. militum bello Spartaci (Plut. Cat. Min. 8) nec multo post mortuus (ibd. 11).	Servilia, quae nupsit M. Iunio Bruto.	Servilia, quae nupsit L. Lucullo.	M. Porcius Cato, qui Uticensis dictus est.
	M. Iunius Brutus, qui interdum Q. Caepio dicitur.	(L.) Lucullus (puer).	

De Liviae nuptiis testis est Plutarchus in Cat. Min. c. 1 et, quod ad Servilium attinet, Dio Cass. in fragm. Peiresc. p. 45 Reim. [fr. 96 Bekk.] (de M. Druso minore et Q. Caepione: *ἰδίαν ἀλλήλοις ἔχθραν ἐκ φιλίας πολλῆς καὶ γάμων ἐπαλλαγῆς ποιησάμενοι*), quem illi, qui de hac cognatione egerunt post Manutium, eo minus neglegere debuerunt, quod ex eo loco certissimum est, quis Caepio intellegatur. (Freinshemius l. c. verborum Dionis, ex quibus apparet, Drusum etiam ex Caepionis familia uxorem duxisse et sine dubio sororem Caepionis, miram interpretationem sequitur, a Valesio, qui in eam inciderat, fere repudiatam.) Itaque superior Drusus Catonis avus dicitur a Cicerone huius operis libr. IV, 66, minor eius avunculus pro Mil. 16, idemque Bruti magnus avunculus Brut. 222. Serviliam Plutarchus illo loco unam facit, c. 24 perspicue duas. In Brut. 2 et 5 Bruti mater, in Cat. Min. 54 et Lucull. 38 Luculli uxor sic nominatur, ut, unam an duas Plutarchus putet, non dignoscas. Sed duas fuisse, ostendit, quod nec hic Cicero Brutum Luculli pueri fratrem uterinum fuisse significat et Philipp. X, 8 tantum propinquum eius appellat; consobrini igitur erant. (Duas Servilias etiam Drumannus facit Hist. Rom. IV p. 174. Altera nupserat etiam D. Silano; v. Plut. Cat. Min. 21.) Brutum inde Q. Caepionem appellatum probabiliter statuunt, quod ab avunculo Q. Caepione filio testamento adoptatus sit, etsi id factum esse neque alibi dicitur neque a Plutarcho (Cat. Min. 11), qui Caepionis hereditatem inter filiam et Catonem, fratrem uterinum, divisam scribit. Iam primum quaeritur, ubi Cicero dicit *Caepioni nostro*, utrum, quod Manutius putat, Catonis frater, pueri avunculus intellegatur an M. Brutus, consobrinus pueri, quod Schuetzium statuere video, motum fortasse eo, quod *nostro* de vivo commodius additum videretur. Sed longe praestat Manutii sententia; neque enim ad Brutum scribens Cicero sine magna ambiguitatis culpa alio

los, vir cum omnibus excellens, tum mecum et amicitia et

1. *vir tum* MC

eum hoc loco, atque supra, nomine significasset, cum praesertim mox Caepionem alium nominaret nec ullam altero utro loco distingvendi notam adderet. Et, nisi Cicero admodum Bruto blanditur, quo tempore hic sermo inter Ciceronem et Catonem habitus fingitur, nondum poterat Brutus inter Lucullum et Catonem poni tertius, cui puer respondere deberet. Sed magna difficultas est in iis, quae sequuntur: *avi memoria moveor; nec enim ignoras, quanti fecerim Caepionem*, et quod Cato mox significat, hunc testamento liberos suos Ciceroni commendasse. Nam, qui a. 90 periit legatus consulis et dux exercitus, neque magnum cum Cicerone, tum vix sedecim annos nato, usum habere neque ei liberos commendare potuit. Et, ut putemus alium illum legatum fuisse, Liviae maritum longius vitam produxisse (quamquam neque hic Q. Caepio postea nominatur neque alius ad illam legationem aptus reperitur), tamen haec verba: *in principibus iam esset, si viveret*, manifestissimum est, ad eum non pertinere, qui iam cum Druso certans magnum in re publ. momentum habuerit et qui, si nunc superfuisset, senex plus quam septuagenarius futurus fuerit, si tantum triginta annos natum cum Druso inimicitias gessisse statuimus; sed erat multo maior, ut qui a. 100 quaestor fuisset (ad Herenn. I, 21). Significatur aperte homo, qui, si vixisset, hoc tempore in flore aetatis et auctoritatis futurus fuerit, sed quem praematura mors extinxerit, Catonis fere aequalis, id est, Q. Caepio, Catonis frater uterinus. Is poterat moriens filiam Ciceroni fere aequali commendare; (*liberos* Cicero communiter dicit de eo et Lucullo). Atqui is non avus, sed avunculus erat pueri Luculli. Itaque recte Schnetzius difficultatem sublatam fore ait, si legatur *avunculi memoria*, cui sic assentior, ut ipsum Ciceronem perturbatione quadam memoriae, qualis saepe in cognationum serie optime nobis nota ad brevissimum tempus accidit, et manu aberrante *avi* scripsisse putem. (Quod Manutius se interdum eo deduci scribit, ut avum pueri, patrem Serviliarum et Q. Caepionis, a Drusi adversario separet et eius filium faciat, non norat Dionis testimonium, cuius nondum fragmenta illa reperta erant; deinde non animadvertit, hunc quoque, quem fingit, propter liberorum aetatem removeri longe ab eo tempore, quod significent verba: *in principibus iam esset.*)

vir cum omnibus excellens) Hoc vix aliter intellegere licet nisi, quomodo etiam ab aliis acceptum video, ut *omnibus* dativus sit masculini generis. Neque tamen aut ipsa laus ita

omni voluntate sententiaque coniunctus. 9. Praeclare, inquit, facis, cum et eorum memoriam tenes, quorum uterque tibi testamento liberos suos commendavit, et puerum diligis. Quod autem meum munus dicis, non equidem recuso, sed te adiungo socium. Addo etiam illud, multa iam mihi dare signa puerum et pudoris et ingenii; sed aetatem vides. Video equidem, inquam; sed tamen iam infici debet iis artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad maiora veniet paratior. — Sic; et quidem diligentius saepiusque ista

2. [*memoria* A] 3. *tibi* transp. post *suos* E *liberos suos testam.* L 6. *puerum et* om. E 7. *iam* om E *infici tamen iam* C *his* LC 9. [*paratior sit et quidem* AEh] *paratior sic equidem* LPMCR

exaggerata placet (*omnibus excellens*, non hac illave re, sed universe), neque haec apte inter se referri videntur: *cum omnibus excellens, tum mecum coniunctus*, in qua orationis forma comparatio aliqua esse videtur omnium et ipsius. In margine editt. Lambinianarum annotatur: „Fortasse: *cum rebus omnibus excellens.*“ [Praestat: *cum virtutibus omnibus*; Baiterus in edit. min.: *cum omn. virtutibus.* Praeterea probabiliter Halmius scribi voluit: *et L. Lucullus.*] Paulo post (9) Gzius ait in Erl. et Spir. esse: *suos testamento liberos*, errans de Erl. [Ut is etiam B.]

9. *Sic; et quidem*) Deteriorum codicum scriptura (Pall., Oxx., Gzii praeter Erl. et Spir.) defensorem nacta est Handium, qui Turs. II p. 428 ex hoc loco et aliis non melioribus (cfr. Opusc. nost. Acad. I p. 497) Ciceroni vindicat *equidem* plurali iunctum; quamquam quid esset: *sic equidem diligentius ista loquemur*, vellem declarasset; nam mihi neque *sic* cum ceteris cohaerere videtur neque *equidem* quidquam significare. Apparet, Catonem primum assentiri, tum aliquid addere (*et quidem*). Itaque recte Gruterus e Pal. 1 (*paratior sit et quidem*) id effecit, quod Erl. et Spir. confirmant. [Sed Erl. et B nunc indicatur cum A consentire.] Verum ambigitur, num Cicero in assensu declarando cum huiusmodi adiunctione nude *sic* dixerit, quod apud comicos in respondendo ponitur (Terent. Phorm. II, 2, 2; nam in Heaut. III, 2, 12 *sic satis* alio modo dicitur, ut in Phorm. I. 2, 95 *sic tenuiter*) et apud ipsum Ciceronem Philipp. II, 44: *Visne igitur, te inspiciamus a puero? Sic, opinor: a principio ordiamur.* (Sic enim recte Heusingerus, non: *sic opinor.*) Itaque Lambinus: *Sic est, et quidem* cet. (De R. P. I, 60: *Sic, inquit, est*; Ter. Andr. II, 1, 1, al.) Sed defenditur *sic* similitudine vocis *ita* similiter positae, etiam ubi

loquemur inter nos agemusque communiter. Sed residamus, inquit, si placet. Itaque fecimus.

III. 10. Tum ille: Tu autem, cum ipse tantum librorum habeas, quos hic tandem requiris? Commentarios quosdam, inquam, Aristotelios, quos hic sciebam esse, veni ut auferrem, quos legerem, dum essem otiosus; quod quidem nobis non saepe contingit. Quam vellem, inquit, te ad Stoicos inclinavisses! Erat enim, si cuiusquam, certe tuum nihil praeter virtutem in bonis ducere. Vide, ne magis, inquam, tuum fuerit, cum re idem tibi, quod mihi, videretur, non nova te rebus nomina imponere. Ratio enim nostra

1. [*que* om. Eh] *resideamus* LPMCROr. 2. *ita fecimus* E 4. *quos* om. F. *his* [A]E 5. *Aristotilis* E *Aristotelicos* LPMCR 6. *afferrem* EP 7. Post *nobis* add. *sicut scis* PMR *sic scis* L *ut scis* COr. *inquit ut te* LMCR 8. [*stoi* pro *Stoicos* A] *inclinasses* C 9. *nihil praeter — inquam tuum* om. P 10. *fuerit ut in re* L *fuerit in re* P

nulla praecedit interrogatio. ut infra V, 27 et Tusc. II, 67, etsi utrobique additur *prorsus* (cfr. de Orat. II, 44 post interrogationem). Mox de *residamus* vid. ad II, 59; habebant sic etiam Lambini libri manu scripti [B].

Cap. III, 10. *quos hic tandem*) [Aliter Ciceronem scripsisse suspicor ob codices (nam B quoque *his*, om. *quos*) et quod debebat dici *quos tandem hic*. Fuitne: *quid* (*quit*) *tandem*?]

Commentarios quosdam Aristotelios) Formam adiectivi correxit Grut. e Pal. 1 et Lambini libris; Spir. [B] ut Erl., ceteri Gzii et U$\xi\chi$ deterius servant. Hos Cicero quamquam ideo nominavit, ut sermonis initium esset, eo tamen commodius id fecit, quod multorum Aristotelis librorum codices illa aetate raros fuisse notum est. [Quod post *nobis* addebatur *sicut scis* (sic enim edd. vett. plures, codd. Oxx. et Gzii praeter Erl. et Spir.; edd. inde a Manutio *ut scis*), id nunc, accedente ad illos duos (B) etiam testimonio cod. A, omittendum fuit, et omiserat Baiterus. Unde tamen ortum sit, nescio.] Deinde *vellem, te* restituit Gruterus e Pal. 1 et tribus vett. libris in mg. repetitionum Lambinianarum [B]; *ut* interponunt Oxx. omnes; Dav. et Gzius tacent. Raro Cicero, nec tamen numquam, in optando dixit *velim, ut facias, vellem, ut* (ad Att. X, 16, 1, ad Fam. VII, 31, 2, XI, 18, 3, pro Sull. 1, Philipp. VIII, 31).

non nova te rebus nomina imponere) *Te* et contra consvetudinem et contra rationem abundat post *tuum est*; nam actio quaedam per se (*agere*) dicitur alicuius esse, non actio iam

consentit, pugnat oratio. Minime vero, inquit ille, consentit. Quidquid enim praeter id, quod honestum sit, expetendum esse dixeris in bonisque numeraveris, et honestum ipsum, quasi virtutis lumen, extinxeris et virtutem penitus everteris. 11. Dicuntur ista, Cato, magnifice, inquam; sed videsne verborum gloriam tibi cum Pyrrhone et cum Aristone, qui omnia exaequant, esse communem? de quibus, cupio scire, quid sentias. Egone, quaeris, inquit, quid sentiam?

1. *oratio pugnat* LMCR *non pugnat*, om. *oratio*, P 3. *esse si dixeris* LP *bonis* (om. *que*) E 6. [*gloria* A] [*Pyrrone* A] *et Aristone* LC 7. *exequantes se* (pro *exaequant*, *esse*) [A]E *exaequent*, *esse* LPMCROr. 8. [*quaeris*] Or. *inquam* [A]ELP *scire quid sentiam* LPMCROr. (hic uncis tres voces inclusit).

definita in hac ipsa persona (*eum agere*). Nec satis firma est, qua contra Dav. et alios Gzius utitur, Plauti auctoritas Stich. V, 4, 36: *Haud tuum est istuc vereri te.* Sed eodem modo, si codicibus credimus, propter rhetoricam orationis formam Cicero dixit pro Cael. 21: *Vestrae sapientiae est, non — ideo vobis quoque vos causam putare esse iustam* cet. [cui loco geminus fere est Livii XXXVII, 53, 28. Nec dissimile plane est. quod Tusc. I, 6 legitur: *Mandare quemquam litteris — hominis est abutentis otio*, aut quod apud Terentium Andr. I, 2. 16 et IV. 5, 15.] Illud quoque comparetur, quamquam non plane eiusdem generis est, quod II de Orat. 119 legitur: *Longum est enim nunc me explicare*, ubi longe frequentior usus *me* respuit, defendit similitudo loci Terentiani Andr. V, 6, 13. Orationis pondus, propter quod additum sit *te*, nullum magno opere est, etsi dicat aliquis, utriusque in re consensui contrariam poni alterius verborum novationem. Mox *pugnat oratio* Gzius ex omnibus suis praeter Gud. 2; vid. ad I, 57.

11. *et cum Aristone*) *Et Arist.* cum ed. pr. Manutius et deinceps ceteri, donec praepositionem Dav. restituit e tribus codd. (Oxx. Eχ, Gzii omnibus). De re vid. ad II, 43. Mox ex Erl. (de ceteris tacetur) facile erat efficere *exaequant*. nisi melius haec pars cum oratione obliqua coniungeretur. [Nunc cum eodem modo scribi viderem in AB, cum Baitero *exaequant* posui.]

Egone, quaeris, inquit, quid sentiam?) Edebatur: *Eg., qu.. inquit, scire, quid sentiam*, quomodo poëtae iam Augusti aetate, prosae orationis scriptor ex iis, qui supersunt, ante Senecam (Ep. 109, 8 et 118, 6) et Plinium Maiorem nemo locutus est. ut *quaero scire* pro eo, quod est *studeo* sive *cupio*, diceret. Sed

quos bonos viros, fortes, iustos, moderatos aut audivimus in re publica fuisse aut ipsi vidimus, qui sine ulla doctrina naturam ipsam secuti multa laudabilia fecerunt, eos melius a natura institutos fuisse, quam institui potuissent a philosophia, si ullam aliam probavissent praeter eam, quae nihil aliud in bonis haberet nisi honestum, nihil nisi turpe in malis; ceterae philosophorum disciplinae, omnino alia magis

5. quam pro praeter C 6 habet LPMCBOr habet in bonis L 7. Post magis alia add. minus LPMCR

scire, ut Erl. [et A], omittunt cod. Morelii et Spir. [B] et El. 1 (2), id est, meliores, recteque iam Davisius, Ernestius, Bremius damnarant. Sed longius progressus Gzius, quod in Bas., pessimo codice, esset: *egone inquit sentiam*, delevit etiam *quaeris* et uncis inclusit *quid sentiam*, ut simili brevitate hic usus sit Cicero atque I de Legg. 14: *Ordire explicare, de civili iure quid sentias. Egone? summos fuisse in civitate nostra viros* cet. et aliis locis. Verum nulla causa est, cur Ciceroni interdicamus, ne plene dicat, praeposito cum affectu quodam *egone* (pro *quaerisne, ego*). Et satis apparet, in Bas. non *sentiam* sine sensu additum esse, sed cetera excidisse. Quod Gzius ait, in Erl. et Spir. esse *quaero*, omnia, ut solet, confundit; nam sic etiam vulgo edi narrat, sed in Gud. 1 esse *quaeris*. Fieri potest, ut in illo uno librarius propter *egone* scripserit *quaero*. Pro *inquit* etiam Spir. *inquam*, vulgari errore. Cato ita respondet, ut non proprie de Pyrrhone et Aristone iudicet, sed omnes alias disciplinas praeter Stoicam reiciens illos etiam damnatione comprehendat.

in bonis haberet) [Sic etiam AB. Forma verbi accommodatur ad id, quod de praeterito tempore fingitur.]

ceterae philosophorum disciplinae — eas) Memorabile orationis institutam formam non servantis exemplum. Nam cum superiora, quae summam iudicii continent, a verbo *sentio* (*sentiam*) nexa essent, de ceteris disciplinis aliquid additurus Cato rectam et liberam orationem instituit, deinde, nonnullis interpositis, subicit *arbitror*; itaque nominativus pendet; vid. ad II, 107. Tum *alia magis, alia minus* omnes ante Grut., qui *minus* sustulit Pal. 1 auctoritate; erat in Dav. codd. et Oxx. omnibus; Gzius tacet. [B. om. Propter Handium, qui hic quoque interpolationem defendit Turs. III p. 560, ascribo IV, 43, Tusc. IV, 53: *alia magis alia*, Liv. XXIX, 15, 11.]

alia, sed tamen omnes, quae rem ullam virtutis expertem aut in bonis aut in malis numerent, eas non modo nihil adiuvare arbitror neque † affirmare, quo meliores simus, sed ipsam depravare naturam. Nam nisi hoc obtineatur, id solum bonum esse, quod honestum sit, nullo modo probari possit, beatam vitam virtute effici; quod si ita sit,

1. *expertem virtutis* E 2. [*aut malis*, om. *in*, A] *numerant* R 3. *arbitrare* E *nec* C *afferre* L 4. *si hoc non* LPMCROr.

virtutis expertem) Si sic Cicero scripsit, valde neglegenter scripsit, tamquam de solis bonis Cato loquatur; sed vix potuit in tanta vicinitate oblivisci, de utrisque agi; apertum est enim desiderari *aut vitii* (*aut turpitudinis*), videruntque id Lambinus, Davisius, Bremius; Gzius talia non curat. [Simile tamen, quod IV, 47 notabitur.]

neque affirmare) Hoc corruptum esse, recte consentiunt plerique editores; nam neque *affirmare aliquid* potest esse *docere* neque coniungi potest: *nihil adiuvant neque affirmant*, cum praesertim *nihil* priori verbo pro adverbio adiungatur (*nihil nos adiuvant*), alteri pro vero accusativo esse debeat. Sententia quae esset, Davisius vidit; hoc enim a philosophia Cato requirit, ut nos adiuvet et longius producat aut saltem confirmet in iis, quae a natura habeamus, quo (ut ea re) meliores simus. Sed quod Davisius *affirmare* pro confirmandi verbo positum putat, recte Orellius ferendum apud Ciceronem negat, [etsi Livius sic dixit aliquotiens]. Itaque hic aut *confirmare* cum Orellio scribendum est aut potius *firmare*, cui ex altero verbo (*adiuvare*) praepositio adhaesit. Quod in cod. Leid. scriptum ab emendatore est, *afferre* ediderunt Manutius et Lambinus, nescio unde, nec quidquam ad id ex EU annotatur, idemque Garatonius in cod. Barberino (cfr. ad § 7) repperit (ad Milon. p. 59 Bon.); verum et longe a libris fide dignis discedit ea scriptura et, quod supra attigi, cum *afferendi* verbo *nihil* non eodem modo coniungitur atque cum *adiuvandi*. Omnium minime ii probandi, qui propter unius vocis mendum alias, quae nihil dubitationis habent, mutant et delent.

nisi hoc obtineatur) Sic etiam Pal. 1 et mg. Crat. [B]. Edd. omnes *si hoc non*; Dav., Gzius tacent.

quod si ita sit, cur cet.) *Cur*, quod Aldus primus edidisse videtur, om. etiam Pall. 1 [Grut., non Bait.], 2, 4 [B]; contra 5 *an* habet pro *cur*, ut Oxx. Eξχ (U *an cur*); *cur* tantum Pall. 3 et 6 (Dav. et Gzius tacent); miror, quomodo exciderit particula apta et necessaria in cod. archetypo. Mox pro *non magno*

cur opera philosophiae sit danda, nescio. Si enim sapiens aliquis miser esse possit, ne ego istam gloriosam memorabilemque virtutem non magno aestimandam putem.

IV. 12. Quae adhuc, Cato, a te dicta sunt, eadem, inquam, dicere posses, si sequerere Pyrrhonem aut Aristonem. Nec enim ignoras, iis istud honestum non summum modo, sed etiam, ut tu vis, solum bonum videri; quod si ita est, sequitur id ipsum, quod te velle video, omnes semper beatos esse sapientes. Hosne igitur laudas et hanc eorum, inquam, sententiam sequi nos censes oportere? Minime vero istorum quidem, inquit. Cum enim virtutis hoc proprium sit, earum rerum, quae secundum naturam sint, habere delectum, qui omnia sic exaequaverunt, ut in utramque partem ita paria redderent, uti nulla selectione uterentur,

1. *cur* om. EP *an* LMCR [*sint danda* Eh] *aliquis sapiens* C 3. *magni* C 4. [*ante* pro *a te* A] 5. *sequerer* L [*Pyrronem* A] *et* (pro *aut*) E 6. [*siis* A] *si* E *si iis* R *si his* PM *si vis* C *his* L [*similiter*] *his* Or. 7. *videtur* P *videretur* MR 8. *sequi* E 9. *hos igitur laudasne* L 10. *inquam* om (P) 12. [*qui* A] 13. *quae* [A]EPM [*et in* Eh] 14. *ut in* (pro *uti*) [AEh]LPMCR *nullam selectionem verterentur* R

editiones vett. quaedam ex C *non magni*, ut Lamb., Gzius. „Nec umquam“ inquit hic „sic (*magno*) ad *aestimo* legere meminimus; contra (!) cfr. IV Verr. 13: *permagno aestimas.*“ Cfr. modo hic IV, 62 et V, 90, Tusc. III, 8 (nam Parad. VI, 51 variatur), Liv. XL, 55, 3, XLI, 20, 3.

Cap. IV, 12. *Nec enim ignoras, iis*) Geminata littera (*siis*) ortae quaedam in codd. turbae (Oxx. ψ et, si Gzio credas, omnes eius praeter Bas. *ignoras si his*, χ *ignoras si vis*). [B *ignoras si.*] Hinc corrector aliquis in Eξ, Bas. effecit: *ignoras similiter his*, quod Gzius secutus est; compendium enim huius adverbii esse s̄r. Ubinam in codice ullo Ciceroniano paulo antiquiore aut ubi omnino? Paulo post *inquam*, cum inde a Manutio excidisset, restituit Dav. ex El. utroque, Mead. (Gzianis quattuor, [B]); Oxx. tantum e χ annotant; in Parr. 1, 3 (Gud. 2) erat *in.*

uti nulla selectione uterentur, hi virtutem cet.) De selectione vid. ad § 20. Ex *uti* et sequentis vocis prima littera ortum *ut in* (Eχψ, „scripti plures“ apud Gzium, [B]), hinc *nullam selectionem* (ψ, Gud. 2); deinde factum *verterentur* in R et aliis vett. edd. (Crat.), in codice, quod sciam, nullo. Tum edebatur mendose: *uterentur eius*, confirmantibus omnibus Dav. codd.

hi virtutem ipsam sustulerunt. 13. Istud quidem, inquam, optime dicis; sed quaero, nonne tibi faciendum idem sit, nihil dicenti bonum, quod non rectum honestumque sit, reliquarum rerum discrimen omne tollenti. Si quidem, inquit, tollerem; sed relinquo. 14. Quonam modo? inquam. Si una

1. Pro *hi* [*huius* A] *eius* LPMCR, om. Or. *inquam* om. L 2. *numne* LMR *faciendum nihil idem sit* E 3. [*dicendi* AEh] 4. [*rerum* om. A] 5. [*tollendi* A]

praeter El. 2; in mg. Crat., El. 2 et, si credi potest, quattuor Gzii erat *huius*; Ox. ξ *huiusmodi* (ex EU ad Lambini scripturam, qui vocem omisit, nihil annotatum; Gruterus *eius* tacite). In his nihil aliud latet, nisi quod ex Erl. edidi, a Gzio non commemoratum; (Bremius *ii*, Ernestius *hi vero* scribi volebant). [B *hij*.] Corrumpendi causa nata e confusione litterarum *hi* et proximarum (*ui*). In huiusmodi pronominum coniunctione, ubi, praecedente sententia relativa, aut contrarium aliquid in eadem re notatur aut consequens, recte *hic* poni potest, re tamquam propius admota, ut II, 91, V, 37 et 88 (*quam* — *hanc*) et 96; eandem formam pro Cael. 78 (*qua in civitate* — *in hac civitate*) recte Wesenbergius ex optimis codd. restitui voluit, citavitque ex eadem orat. § 70, Verr. III, 47, Philipp. II, 68. Ceterum haec oratio: *sic exaequaverunt, ut* — *ita paria redderent, ut* cet. non caret iusta reprehensione. [Audax tamen sit scribere *et* (sic etiam B) — *reddiderunt*. Non recte paulo ante Baiterus e cod. Glog. ascivit: *quae sec. nat. sunt*; pars est enim decreti, esse huiusmodi res et delectu exquiri, quae sint.]

13. *nonne tibi faciendum idem sit*) „Sic praecipui e Pall. Alii consentiunt cum vulgg. *numne*.“ Grut. Etiam Lambinus *nonne*, alii veteres (Crat., Vict., Man.) *numne*. Dav., Oxx., Gzius (*nonne*) tacent. [B *nonne*.] Deinde incredibile est, quam graviter errarint interpretes in aperta sententia et dilucida oratione: quaero, nonne idem tibi faciendum sit (ut selectione nulla utaris et sic virtutem evertas), cum nihil dicas bonum cet., reliquarum rerum discrimen tollas. Expediverat Matthiaeus rem non Oedipode egentem, nec tamen aut Gzius aut Ramshornius (Gr. Lat. p. 685) intellexerunt. De *si quidem* responsi affirmationem concessionemve condicione implicatam habentis indice exposuit Garatonius ad orat. Milon. 18, 48.

14. *Quonam modo? inquam*) Interpungebatur: *Quonam modo, inquam, si* — *sequare?* Rectius plures ante Lambinum et Bremius. Primum Cicero admiratur et universe, quomodo, quod audierit,

virtus, unum istud, quod honestum appellas, rectum, laudabile, decorum (erit enim notius, quale sit, pluribus notatum vocabulis idem declarantibus), id igitur, inquam, si solum est bonum, quid habebis praeterea, quod sequare? aut, si nihil malum, nisi quod turpe, inhonestum, indecorum, pravum, flagitiosum, foedum (ut hoc quoque pluribus nominibus insigne faciamus), quid praeterea dices esse fugiendum? Non ignoranti tibi, inquit, quid sim dicturus, sed aliquid, ut ego suspicor, ex mea brevi responsione arripere cupienti non respondebo ad singula; explicabo potius, quoniam otiosi sumus, nisi alienum putas, totam Zenonis Stoicorumque sententiam. Minime id quidem, inquam, alienum, multumque ad ea, quae quaerimus, explicatio tua ista profecerit. 15. Experiamur igitur, inquit; etsi habet haec Stoicorum ratio difficilius quiddam et obscurius. Nam cum in Graeco sermone haec ipsa quondam rerum nomina novarum ** non

2. [*plurimus* A] 3. *id ergo* ELPMCROr. 4. *ut si* C 5. [*nihil* pro *nisi* A] *nil* E 7. [*quod* Eh] [*esse* om. Eh] 8. *inquit* om. [A]EL *inquit tibi quid* PMCROr. 9. *ex mea ut suspicor* (om. *ego*) L 11. [*alienam* Eh] *que* om. E 12. [*id quod* Eh] 14. *igitur* om. E *inquam* E 15. [*quoddam* Eh] 16. *rerum* om. E *novarum non videbantur* (sine lacunae indicio) [A]LPR *vocarunt non videbantur* E *nova tum non vid.* C *novantur non vid.* M *novarum novabantur* Or.

intellegendum sit, quaerit; deinde nova sequitur interrogatio ad rem ipsam accedens; vid. II, 6. [Mox *igitur* pro *ergo* ex A repositum.]

ignoranti tibi, inquit, quid) [Etiam B om. *inquit*. Id ante *quid* facillime excidere poterat, ubi Baiterus posuit. Editiones ut codd. deteriores.]

15. *nomina novarum* ** *non videbantur*) Sic codd. longe plurimi, nisi quod lacunae notam non habent (Pall. nonnulli, Uχψ, Spir., Gud. 1, Bas.; Davisius universe sic in plerisque codd. esse ait), et sic fere edd. ante Victorium et Lambinum, revocavitque Gzius, *non videbantur* enarrans *non audiebantur*, quod refutatione indignum est, indicativum particulae *cum* causali subiectum et pravum tempus verbi nihil curans. Quis enim non videt, in hac rei olim factae et eius, quae nunc facienda sit, comparatione necessario perfecto tempore utendum fuisse? E ceteris codd. haec annotantur: alii Pall., Gud. 2, unus et alter Davisii habebant: *nomina novantur non videbantur*, Pal. 6 *nomina non videbantur*, Par. 1 *nomina*

videbantur, quae nunc consvetudo diuturna trivit; quid censes in Latino fore? Facillimum id quidem est, inquam. Si

1. *tenuit* E [*quod* Eh] 2. [*famillimum* A] *faciendum? Facillimum* M *fatiendum? Fatiendum* C *Faciendum* LOr.

novarum videbantur, Oxx. Eξ *nomina novantur*. [B ut Erl.] Ex his Manutius effecit: *rerum nomina novarum nova videbantur* (in ed. 1560 *viderentur*), Ernestius (ut est in ed. Ven. 1480) *nomina nova tum videbantur*. Victorius: *nomina novarum novabantur*, quod Orellius secutus est; (de cod. Steph. nihil est); alia omitto; apparet enim, haec omnia in iisdem esse vitiis pravi modi et temporis. Quamquam modi vitium est qui removeat, pro *cum* substituens *quoniam*. Id unus vidit Manutius, non hoc Catonem dicere, quoniam apud Graecos verba nova reperienda fuerint, reperienda et facienda esse etiam in Latino sermone (debebat enim dici: *quid censes in Latino faciendum fore?*), sed hoc, quoniam ipsis Graecis haec nomina dura et vix ferenda visa sint, multo id magis in Latino sermone futurum. Id etiam cum ex verbis: *quae nunc consvetudo diuturna trivit* perspicuum fit. tum e proxima sententia, ubi Cicero facillimam id rationem habiturum dicit. Sed Manutii scriptura praeter ea incommoda, quae dixi, et a libris discedit nec satis id, quod ipse vult, exprimit; nimis est enim lene illud *nova videbantur*. Equidem non dubito, quin verba aliquot exciderint, et haec fere fuerit vera orationis forma: *Nam cum in Graeco sermone haec ipsa quondam rerum nomina novarum nova erant, ferenda non videbantur, quae nunc consvetudo diuturna trivit; quid censes* cet., ut priora absolute ponantur, tum adiciatur: *quid censes?* quemadmodum, si exemplis opus est, ad Attic. X, 11, 4, apud Horat. Ep. I, 6, 5. [Attendi velim, in Erl. et B omitti *rerum* scribique *vocarunt*; vereor, ne in altera stirpe codicum meliorum (A), cum *novarum* factum esset, additum sit *rerum*, a Cicerone autem fuerit: *cum — haec ipsa quondam nomina nova erant, ferenda non videbantur* aut, *non* sublato, *nova erant, videbantur.*]

Facillimum id quidem est) Sic etiam mg. Crat. [B] et sine dubio quidquid est meliorum codd., atque sic fere ante Davisium edebatur (etiam Mars., Vict.). Librarius aliquis id desideravit, quod superiore nota commemoravi; itaque in Par. 2 et Ball. (ψ) et uno et altero Gzii, ut in M, scriptum est: *fore faciendum? Facillimum*; is error proximam vocem similitudine corrupit, ut in CCC et Mead. et Ox. χ scriberetur. quemadmodum in C: *faciendum? Faciendum id* cet. Deinde deletum alterum *faciendum* in codd. interpolatissimis, El. 1, Bas. (etiam Eξ, si de ξ Oxoniensibus, non Davisio credimus); atque hanc scripturam inde a Davisio secuti erant. Mire, cum infinite quaesitum esset (*quid censes fore?*),

enim Zenoni licuit, cum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni? Nec tamen exprimi verbum e verbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent, cum sit verbum, quod idem declaret, magis usitatum; equidem soleo etiam, quod uno Graeci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere. Et tamen puto concedi nobis oportere, ut Graeco verbo utamur, si quando minus occurret Latinum, ne hoc ephippiis et acratophoris potius quam proëgmenis et apoproëgmenis concedatur. Quamquam haec quidem praeposita recte et reiecta dicere licebit. 16. Bene facis, inquit, quod me adiuvas; et istis quidem, quae modo dixisti, utar potius Latinis; in ceteris subvenies, si me haerentem videbis. Sedulo, inquam, faciam. Sed fortuna fortes; quare conare, quaeso. Quid enim possumus hoc agere divinius?

V. Placet his, inquit, quorum ratio mihi probatur, si-

3. *nec tantum* MC *nec non tantum* LP 4. *solent* om P 5. Post *magis* add. *minusve* LPMCR 7. *et* om. E 8. [*munus* AEh] *occurrit* L 9. *quam* om. C *pegmenis* E *prodegmenis* LPM (et simil. in *apopr.*) 10. *proposita* LPMCR 11. *licebat* E 12. *ut* (pro *quod*) E 14. *Sedulo — quaeso* Non. p. 37. *sed* om. P *fortis* [A] Non. 15. *hoc possumus* (LPM)ROr. *hoc agere possumus* C *agere* om M 16. *iis* R

Cicero respondet: *Faciendum id quidem est.* Atque id responsum concessionem habet molestae necessitatis, ut sequi debeat: *Sed si Zenoni*, non: *Si enim Zenoni.* Significat Cicero, quod Cato se timere dixerat, ne nimiam offensionem nova verba habitura essent, excusationem paratam fore.

magis usitatum) quam id, quod fingendum sit, si verbum e verbo exprimi oporteat. Sic Grut. e Pal. 1, Spir. [B]. (De Marso fallitur Gzius, ut solet; Morelius e suo cod. annotat: *quod magis idem declaret, usitatum*, nescio an in excribendo errans.) Oxx. ut nostri deteriores. Mox, ubi est: *ne hoc ephippiis*, pronominis significatio (*ut in Latinum sermonem recipiantur*) tam facile eruitur ex superioribus, ut nulla sit offensio. Tum *praeposita* iam ed. Ven. 1494 et aliae, tum e tribus melioribus Pall. Gruterus; *proposita* etiam Oxx. omnes. Quod Gzius ait paulo post (16), „multos scriptos" post *fortes* addere *adiuvat*, nemo alius quidquam annotavit. *Possumus hoc* (non *hoc possumus*) etiam Crat., Vict., Bas., Gud. 1; *agere possumus* Gud. 2.

Cap. V. 16. *Placet his, inquit* cet.) Incipit Cato a primi appetitus definitione et primae conciliationis, hoc est, *οἰκειώσεως*,

mul atque natum sit animal (hinc enim est ordiendum), ipsum sibi conciliari et commendari ad se conservandum et ad suum statum eaque, quae conservantia sunt eius status, diligenda, alienari autem ab interitu iisque rebus, quae interitum videantur afferre. Id ita esse sic probant, quod ante, quam voluptas aut dolor attigerit, salutaria appetant parvi aspernenturque contraria, quod non fieret, nisi statum suum

1. [*hin* A *huic* Eh] *ordiendum est* E 3. *eque* [A]E *et ad ea* LPMCR *status eius* MR *statum eius* C 4. *eisque* C *hisque*, om *rebus*, L 6. *qui* (pro *parvi*) Em (non I.h) 7. *statum ipsum* LP *statum ipsum suum* Or.

de quo initio ethicae Stoicorum praecipuus est locus Diogenis Laërtii VII, 85, qui tamen non recte scribitur; scribendus est autem sic: *Τὴν πρώτην ὁρμήν φασι τὸ ζῶον ἴσχειν ἐπὶ τὸ τηρεῖν ἑαυτό, οἰκειούσης αὐτῷ τῆς φύσεως ἀπ᾽ ἀρχῆς, καθά φησιν ὁ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τελῶν, πρῶτον οἰκεῖον λέγων εἶναι παντὶ ζῴῳ τὴν αὑτοῦ σύστασιν καὶ τὴν ταύτης σύνδεσιν· οὔτε γὰρ ἀλλοτριῶσαι εἰκὸς ἦν αὑτῷ τὸ ζῶον οὔτε, ποιήσασαν αὐτό, μήτε ἀλλοτριῶσαι μήτε οἰκειῶσαι· ἀπολείπεται τοίνυν λέγειν, συστησαμένην αὐτὸ οἰκειῶσαι πρὸς ἑαυτό· οὕτω γὰρ τά τε βλάπτοντα διωθεῖται καὶ τὰ οἰκεῖα προσίεται:* „Neque consentaneum erat, naturam animal a se alienare, neque, cum semel animal genuisset (composuisset), neque alienare a se ipso neque sibi commendare; relinquitur igitur, ut eam dicamus, cum animal genuisset, simul id sibi ipsum conciliasse.“ Universam sententiam intellexit Tiedemannus (System der stoischen Philos. III p. 19) et alii; sed ex verbis, quae erant, illa non efficiebatur. *Σύστασις* constitutio est (ut Seneca appellat Ep. 121, 10 sqq.) et compages, qua vivit animal et viget, quam Cicero *statum* appellat, quamque Chrysippus *τὴν ταύτης σύνδεσιν*, ea Cicero *conservantia eius status*. Eadem res Peripatetice ex Antiochi ratione, hoc est, fere Stoice tractatur IV, 16 et 19 et 25, V, 24. Cfr. Plut. de Stoic. repugnant. 12 p. 1038 B. [Apud Senecam in epistula illa § 24 in hac ipsa sententia scribendum est: *Primum hoc instrumentum illis natura contulit ad permanendum, conciliationem et caritatem sui*; sententiam pervertit *in* ex *m* natum.] [*Ord. est* etiam B.]

eaque, quae) Hanc scripturam, quam Gzius restituit, monstrarunt codicum vestigia. (Gzius in Erl., Spir., Bas. ait esse ipsum *eaque, quae*, in Gud. 1 *et ea quaeque.*) [B ut A.]

statum suum diligerent) Deteriores codd. aliquot, El. uterque, Parr. 1, 3, Mead., CCC (Oxx. neque hunc neque alium ullum appellant), ex Gzianis Gud. 2 et Bas. *statum ipsum diligerent*,

diligerent, interitum timerent. Fieri autem non posset, ut appeterent aliquid, nisi sensum haberent sui eoque se diligerent. Ex quo intellegi debet, principium ductum esse a se diligendo. 17. In principiis autem naturalibus plerique

1. *intellegi fieri* PM *autem* om. L [*possent* Eh] 2. *se et sua diligerent* LPMCROr. 3. *dictum* E 4. *diligendi* LPMCR *naturalibus diligendi sui plerique* omnes

ex quo Dav. coiciebat: *statum ipsi suum diligerent*, superfluo pronomine, quod et aequalitatem turbet et nimis vocem *suum* insigniat; peius tamen Gzius: *ipsum suum*, tamquam intellegatur e contrario aliquid, quod ab ipso statu seiunctum sit et maius.

eoque se diligerent) Sic etiam Pal. 1 et Spir. [B]. Codices meliores sequendos, ut fecerat Davisius, eo magis putavi, quod, postquam Cicero de status sui conservatione proxime dixit (*nisi statum suum diligerent*), hic quasi ad primum et summum fontem, in quo omnia insunt, amorem sui, ascendit argumenti conclusio etiam in ceteris verbis (*nisi sensum haberent sui* et mox *a se diligendo*). *Intellegi* ante *fieri*, ut in PM, additur etiam in EUχψ.

a se diligendo) Sic etiam Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor., El. 2, Eξ, Scaligeri quoque et Ursini codd.; restituit Davisius. Paulo brevius dicitur *principium*, ut intellegatur omne agendi et appetendi aliquid initium; ἀρχήν interdum non minus breviter Graeci philosophi dicunt. Aut ex hac causa aut ex sequenti littera *i* ortum in deterioribus (Pall., Dav., Gzianis reliquis, Oxx., ut videtur, Uχψ) *diligendi*. Nec diligendi universe initium quaeritur nec sic separari *principium* et *diligendi* poterant. Itaque in ed. Ven. 1494 et aliquot aliis (Crat., Vict.) scriptum est *diligendi sui*, quod Ernestius tenuit, eadem ordinis pravitate, sententia, si ulla est, ab hoc loco aliena; neque enim hic ea dubitatio attingitur, quae V, 30.

17. *In principiis autem naturalibus*) Codices omnes addunt *diligendi sui*; nam Ursini codex, qui haec non habere dicitur, nullus, ut saepe, fuit. Tollenda fuisse, ut post Ursinum intellexit Davisius, satis apparet, quoniam principia illa naturalia, id est, ut mox ait, eae res, quae primae appetuntur, a prima commendatione et conciliatione non differunt, in qua alii etiam voluptatem inesse putabant, Stoici solam sui conservationem; vid. II. 34 et exc. ad II, 33. Diog. Laërt. VII, 86: *Ὃ δὲ λέγουσί τινες, πρὸς ἡδονὴν γίγνεσθαι τὴν πρώτην ὁρμὴν τοῖς ζώοις, ψεῦδος ἀποφαίνουσιν· ἐπιγέννημα γάρ φασιν, εἰ ἄρα ἐστίν, ἡδονὴν εἶναι, ὅταν αὐτὴ καθ' αὐτὴν ἡ φύσις ἐπιζητήσασα τὰ*

Stoici non putant voluptatem esse ponendam. Quibus ego vehementer assentior, ne, si voluptatem natura posuisse in iis rebus videatur, quae primae appetuntur, multa turpia sequantur. Satis esse autem argumenti videtur, quamobrem illa, quae prima sunt ascita natura, diligamus, quod est

2. *nam* (pro *ne*) E [*posuisset* A] *potuisset* E 3. *his* [A]LCR *videretur* L 5. *quae natura prima* LPMCR [*adscita* A] *asserta* E *a se ita* R

ἁρμόζοντα τῇ συστάσει ἀπολάβῃ κ. τ. ἑ. Nec tamen illud additamentum e superioribus ortum est, ubi boni codd. non habent *diligendi*, nullus *sui*, sed infeliciter aliquis, principia naturalia quae essent, definire conatus est. Ceterum affectus illius, quem desideriis naturae expletis *ἐπιγίγνεσθαι* concedebant Stoici, in explicanda notione boni et beatae vitae rationem nullam habebant.

Satis — argumenti videtur, quamobrem cet.) Singulatim ratio redditur de rebus quibusdam, quas natura primas appetat; neque tamen eae e communi illo amoris et conservationis sui fonte derivantur, minime quidem cognitiones et artes, sed illi quodam modo adiungi videntur; et tamen sic Cicero loquitur (*illa, quae prima sunt ascita natura*), quasi hoc genus satis definierit et in eo has res posuerit; deinde autem nunc demum demonstrat, eas diligi; atqui, nisi diligerentur, omnino non essent in principiis naturalibus; itaque tautologia quaedam oritur, cum id docendum fuisse videatur, ea, quae a Stoicis prima ponantur, vere diligi et illum locum iure tenere. Huius obscuritatis reprehensio ex quanta parte ad ipsos Stoicos pertineat, ex quanta ad Ciceronem, minus distincte haec reddentem, difficile est dicere. In voce *quamobrem* similis quaedam structurae inconstantia animadvertenda ei, quae ad I, 14 in verbo *adducor* annotata est. Nam proprie aut sic dicitur: *satis argumenti est, illa — diligi*, de eo, quod concluditur (ut I Legg. 30), aut sic: *satis argumenti est, quamobrem illa — diligi credamus*, de fide, quae efficitur (ut V in Verr. 178: *Multa signa dederat, quamobrem responsurus non videretur*); Cicero coniunctivum etiam in priore forma tenuit. Simile est ex aliqua parte II, 70: *Quid affers, cur Thorius — non iucundissime vixerit*, hoc est, *vixisse iudicetur.*

prima sunt ascita natura, diligamus) Edebatur: *quae natura prima sunt ascita, natura diligamus*; sed *natura* diligi, quae natura asciverit, non alio quodam modo, satis apparet. Itaque priore loco vocem illam recte omittunt etiam [AB] Spir. et Ox. ξ, id est, meliores, quibus Gzius paruit; sublatam voluerant iam Ernestius et Bremius. *Ascita* [pro quo etiam in B *asserta* scri-

nemo, quin, cum utrumvis liceat, aptas malit et integras omnes partes corporis quam, eodem usu, imminutas aut detortas habere. Rerum autem cognitiones (quas vel comprehensiones vel perceptiones vel, si haec verba aut minus

1. [*apta* A] 2. *et* (pro *aut*) CR 3. *detectas* R *cognitiones autem* (om. *rerum*) PC *quas* — *perceptiones* om. [A]LPMCR 4 *hoc verbo* E *aut* om. C *minus* om. L

bitur] verum videtur, etsi V, 18 etiam mg. Crat. *assertum* habet, ut merito suspicere, in pluribus melioris familiae codicibus ita scriptum fuisse; sed ex eo nihil effici potest huic rei et loco aptum. Mire etiam praeterito tempore Cicero usus est (*sunt ascita*), cum et paulo ante (*primae appetuntur*) et alibi praesenti utatur; sed rettulit ad primum aliquod universae naturae humanae decretum, ut II, 33: *quae prima data sint.*

quam, eodem usu, imminutas aut detortas) id est, quam imminutas et detortas, etiamsi usus idem maneat, ac si integrae sint, ut appareat, non usus causa, sed per se integritatem et aptam formam expeti. Similiter V, 46 pravorum membrorum curatio et recta species expeti dicitur, etiamsi usus non maior aut etiam minor futurus sit. Mire multi in facillimis verbis et ad sententiam necessariis haeserunt, mire Gzius enarrat: *si ad eundem usum destinatae maneant.* Itaque, si alii usui corporis partes destinarentur, imminutas et detortas habere vellemus? *Aut det.* primus Gruterus tacite [ex A], priores *et.*

Rerum autem cognitiones) Sic ex R ed. Iunt., Mars., Crat., tum Gruterus ex aliquot Pall., Dav. et Gzius tacite; confirmat praeter Erl. [AB] cod. Mor. (cfr. § 49 *cognitiones comprehensionesque rerum*). *Cognitiones autem* ex ed. pr. Vict., Man., Lamb., et videtur ita fuisse in aliquot Oxx. De re comparari possunt, quae II Acad. 31 dicuntur, tum quae apud Plut. adv. Stoic. 7 p. 1061 C cum irrisione: *Καίτοι πᾶσα κατάληψις ἐν τῷ σοφῷ καὶ μνήμη τὸ ἀσφαλὲς ἔχουσα καὶ βέβαιον εὐθύς ἐστιν ἐπιστήμη καὶ ἀγαθὸν μέγα καὶ μέγιστον.*

quas vel comprehensiones vel perceptiones) Haec verba ex [A, id est, altera bonorum codd. stirpe et e] deterioribus exciderant propter similem terminationem vocum *cognitiones* et *perceptiones.* Restituit Gzius ex Erl. et Spir. [B]. Duas interpretationes Latinas Cicero tentat τῆς καταλήψεως, quas etiam alibi (Acad. II, 17 et 31), quae si displiceant, Graecum vocabulum retineri posse ait. Cognitionis vocabulum etsi mox (18) pro perceptionibus ponitur, tamen generalius est nec pro ipsa interpretatione proprii nominis Graeci ponitur, nec ad *rerum cognitiones*, quod unum est, ullo modo referri potest *haec verba*; itaque aliquid

placent aut minus intelleguntur, καταλήψεις appellemus licet), eas igitur ipsas propter se asciscendas arbitramur, quod habeant quiddam in se quasi complexum et continens veritatem. Id autem in parvis intellegi potest, quos delectari videamus, etiamsi eorum nihil intersit, si quid ratione per se ipsi invenerint. 18. Artes etiam ipsas propter se assumendas putamus, cum quia sit in iis aliquid dignum assumptione, tum quod constent ex cognitionibus et contineant quiddam in se ratione constitutum et via. A falsa autem assensione magis nos alienatos esse quam a ceteris rebus, quae sint contra naturam, arbitrantur. Iam membrorum, id

1. *aut si minus* L [*catalepsis* A] [*appellamus* Eh] 2. *has* Or. *igitur* om. C 3. *veritatem* om. R 4. *in* ante *parvis* om. [A]E 5. *sed quid* E 6 *invenerunt* (LPM)CROr. [*pro se* A] 6. *expetendas* (pro *asumendas*) L 7. *tum* LMCROr. *his* [A]ELPMCOr. *dignum aliquid* P 8. [*quo constent* Eh] 10. *assentatione* P 11. *sunt* (LPM)CROr.

deesse. iam Th. Bentleius senserat. Handius tamen ad Wopkens. Lectt. Tull. p. 22, ne deteriorum codicum mendo patrocinium desit, *haec* vult esse *talia*. Omnino Handius codicum discrimina et dignitatem nusquam curat. (*Aut* priore loco omittunt etiam Eξ, Man., Lamb.) [*Hoc verbo* etiam B.] Mox Gzius e cod. Vindob. *has igitur*, et negat aliter umquam scribi; at § 14 ipse ediderat: *id ergo, inquam*, non *hoc ergo*; adeo brevis fuit memoriae.

quod habeant) Poterat Cato, quod ipse verum esse putabat, absolute pro causa ponere: *quod habent*; sed partem hanc fecit sententiae ab *arbitramur* pendentis, et paulo post (18) eodem modo dixit: *putamus, cum quia sit* cet., *tum quod constent*, quia, etsi ipse his assentiens prima persona utitur, tamen se Stoicae disciplinae doctrinam explicare meminit. (Cfr. I, 8: *credo, quod inciderint*.) In eo, quod sequitur, *videamus* (pro quo Ernestius *videmus* scribi maluit, ut est in Eξ) causalis significatio est; cfr. 33. Sed quod subiciebatur *invenerunt*, ferri in oratione obliqua post *videamus* non poterat; *invenerint* etiam [AB] Eξ.

18. *cum quia sit in iis* cet.) *Cum* recte Gruterus tacite et ceteri, donec Gzius e Bas. et Gud. 1 *tum* reduxit: vid. ad I, 34; *in his* omnes fere editiones. Argumentum, quod priore loco Cicero ponit, miram habet tautologiam (cfr. Tiedem. Syst. Stoic. III p. 29). Artem σύστημα ἐκ καταλήψεων (συγγεγυμνασμένων) Stoici definiebant; vid. Acad. II, c. 7, 22 et ibi P. Faber, Sext. Emp. Pyrrh. Hypotyp. III, 241.

non alienatos esse — arbitrantur) Ursini codex (?) *arbitramur*,

est, partium corporis alia videntur propter eorum usum a natura esse donata, ut manus, crura, pedes, ut ea, quae sunt intus in corpore, quorum utilitas quanta sit, a medicis etiam disputatur, alia autem nullam ob utilitatem quasi ad quendam ornatum, ut cauda pavoni, plumae versicolores columbis, viris mammae atque barba. 19. Haec dicuntur fortasse ieiunius; sunt enim quasi prima elementa naturae, quibus ubertas orationis adhiberi vix potest; nec equidem eam cogito consectari; verum tamen cum de rebus grandioribus dicas, ipsae res verba rapiunt; ita fit cum gravior, tum etiam splendidior oratio. Est, ut dicis, inquam; sed tamen omne, quod de re bona dilucide dicitur, mihi praeclare dici videtur. Istiusmodi autem res dicere ornate velle puerile

2. *et ea* E 8. *vix adhiberi* R 11. *ut* om. E 12. *mihi — dici* om. E 13. *ut* (pro *autem*) E *res* om. C [*puerili* A]

idque Davisius et Ernestius secuti sunt, quod antea Cato dixit *arbitramur* et *putamus*; nec Oxx. *arbitrantur* proferunt nisi e χψ, ut in Eξ alterum fuisse videatur. Sed Cato, cum *nos* de hominum genere posuisset eoque se comprehendisset, Stoicos tertia persona significavit, ut saepe infra, velut § 62 (*arbitrantur — persequimur*), 64, 68, 69 cet. *Sint* pro *sunt* ex uno Erl. [AB] dedi, ceteris tacentibus. Mox de verbis: *id est, partium corporis*, quae nonnulli sublata voluerunt, vid. ad II, 6. [Pro *iam*, quod recte in progressu orationis ponitur, fuit qui prave *nam* scribi vellet.]

ut ea, quae sunt intus in corpore) Minus haec proprie subiecit membrorum generi. Magis tamen haec a proximis separantur, repetita particula *ut*, quam si *et* cum Erl. [B] scripseris, ut fecerunt Manutius et Lambinus. Mox aequalior esset oratio, si *pavonibus* scriberetur, ut Davisio placuit (El. 1 *pavonis* errore); necessaria correctio non est, in his praesertim libris. Exempla sine dubio Cicero sumpsit a Chrysippo, qui multa de singularum rerum, quae in mundo essent, etiam minutarum, consilio et descriptione et forma dixerat. Pavonem quidem etiam caudae causa totum natum dixerat in libro περὶ φύσεως; Plut. de Stoic. repugn. 21 p. 1044 C.

19. *ipsae res verba rapiunt*) id est, secum abripiunt et ad grandiorem quandam orationis formam trahunt. Obscurant sententiam, qui *pariunt* scribi malunt. Mox *istiusmodi ut* etiam Spir., non infrequenti in his codicibus mendo; nam ab eo,

est, plane autem et perspicue expedire posse docti et intellegentis viri.

VI. 20. Progrediamur igitur, quoniam, inquit, ab his principiis naturae discessimus, quibus congruere debent, quae sequuntur. Sequitur autem haec prima divisio: Aestimabile esse dicunt (sic enim, ut opinor, appellemus) id, quod aut ipsum secundum naturam sit aut tale quid efficiat, ut selectione dignum propterea sit, quod aliquod pondus habeat

3. *qui ideo* (pro *quoniam*) E *iis* R 4. *naturae dicimus* L 5. *prima divisio hdec* LPMCROr. 6. *dicitur* LPMCROr. [*opinior* A] *appellamus* omnes 8. [*praeterea* Eh] [*aliquod* om. A]

quod generaliter Cicero dixerat, ad speciale transit, nec quidquam obstat alterum *autem*, quod alio refertur. [B *autem*.]

Cap. VI. 20. *quoniam, inquit*) Offendit scribam codicis El. 1 vox *inquit* reiecta post coniunctionem in sententiam secundariam; itaque scripsit: *inquit quoniam*, secutusque Dav. est. Sed etiam § 10 dixit Cicero: *vide, ne magis, inquam*, non: *vide, inquam, ne magis.* Paulum diversa sunt, quae Gzius citat, ex hoc libro § 12 (*hosne igitur laudas et hanc eorum, inquam, sententiam sequi nos censes oportere*) et ex Acad. I, 14; copulatae enim sententiae sunt; sed tamen ostendunt, hanc vocem ab illo loco, ubi ponenda fuisse videatur intra primum verborum complexum, reici in posteriorem. [Cfr. V, 5. Longius reiecit Livius II, 40, 5. *Qui ideo* etiam B. Fuitne: *quoniam quidem*?]

haec prima divisio) Hoc ordine [AB,] Gzii codd. omnes, excepto Gud. 2. Divisio haec hoc loco ponitur, ut per selectionem ad virtutis notionem veniatur; ceterae, quae cum ea cohaerent, non hic explicantur, sed § 50 et proximis, ubi differentia rerum exponitur. Aestimabile appellat Cicero, quod illi *ἀξίαν ἔχον*, inaestimabile, quod illi *ἀπαξίαν ἔχον*. *Sumere* autem et *eligere* est *λαμβάνειν, ἐκλέγεσθαι*, *reicere* *ἀπεκλέγεσθαι*. His enim verbis Stoici in his rebus utebantur; *αἱρεῖσθαι* (*expetere*) et *φεύγειν* ad bona et mala pertinebant; vid. II, 38, IV, 20, 60, 71, 72, V, 88 cet. Lips. Manud. ad phil. Stoic. II, 23.

Aestimabile esse dicunt) [Hoc, quod nusquam annotatum erat (ne in mea quidem cod. Erl. collatione), Baiterus ex ABEh restituit pro *dicitur*. Cfr. *arbitrantur* § 18.]

sic enim, ut opinor, appellemus) Manutium et Lambinum, qui Graecum vocabulum deesse putabant addebantque barbaram vocem *ἀξιωτόν*, cum *ἀξίαν ἔχον* deberent, recte refutavit Da-

dignum aestimatione, quam illi ἀξίαν vocant, contraque inaestimabile, quod sit superiori contrarium. Initiis igitur ita constitutis, ut ea, quae secundum naturam sunt, ipsa propter se sumenda sint contrariaque item reicienda, primum est officium (id enim appello καθῆκον), ut se conservet in naturae statu, deinceps ut ea teneat, quae secundum naturam

1. *ille — vocat* omnes, Or. [*axian* AEh] 2. *intus igitur* E 4. *primum enim officium est* E 5. *idem* (pro *id enim*) E [*cathecon* A]

visius. Cato enim, Graeco nomine non commemorato, tantum Latinam vocem, quam finxerat, excusat: „hoc enim nomine utamur.“ *Appellemus* necessaria est Th. Bentleii correctio, quam plerique secuti sunt; nec enim Cato opinatur, sic Latinos loqui, sed sic sibi loqui licere. (Oxx. *appellamus* annotant tantum ex χψ.) [Cfr. Wesenberg. ad Tusc. IV, 12; Off. I, 8.]

quam illi ἀξίαν vocant) Recepi post Schuetzium certam Pearcii correctionem, aliis quoque probatam. Libri ceterorum cum nostris consentiunt. Saepe sic Cato Stoicos universe significat, cum Graeca eorum nomina interpretatur, ut mox § 21: *quam appellant ἔννοιαν illi*, et 24: *illi appellant κατορθώματα*, et 32: *quod illi ἐπιγεννηματικόν appellant*, et 35 et 53. Zeno, quem in vulgata scriptura intellegi volunt, nusquam neque hic neque alibi apud Stoicos Pythagorica illa ratione solo pronomine significatur (et αὐτός, non ἐκεῖνος Pythagoras dicebatur), omninoque mire is hic subito interponeretur, cum toto superiore capite Cato ipsa principia disciplinae exponens universe locutus esset. Nec magis hoc nomen eius proprium erat quam reliqua omnia, sed scholae commune.

id enim appello) Dav. malebat: *ita enim appello*, non sine causa; neque enim usquam sic pronomen cum appellandi verbo positum me legere memini, ut esset: *ita, eo nomine appello.* Nec tamen corrigo, quia, cum Cicero singulari quodam modo interdum rei et nominis notionem in unum conflet, ut II Acad. 18: *quod comprehendi posset* (*id enim volumus esse καταληπτόν*, id est: sic enim appellari Latine volumus), fieri potest, ut id hic etiam in appellandi verbo fecerit. [Livius XXXVIII, 17, 9: *Gallograeci, quod appellantur.*] Notio τοῦ καθήκοντος uberius explicatur § 58 sqq. [Verba *conservet — teneat — pellat* satis neglegenter referuntur ad *hominis* significationem nusquam expressam; sequitur enim paragrapho demum 21: *Prima est enim conciliatio hominis* cet. Suspicari aliquis possit, *enim*, quod post *primum* Erl. et B addunt, ortum esse ex *hominis.*]

sint, pellatque contraria; qua inventa selectione et item reiectione, sequitur deinceps cum officio selectio, deinde ea perpetua, tum ad extremum constans consentaneaque na-

1. [*que* Eh] *quae* LPMROr. *contra* (pro *qua*) C *relectione* (pro *reiectione*) P *eiectione* R *et electione* L 2. *sequuntur* PMCR *sequuntur sequitur* L

qua inventa selectione) Cum ederetur, ut est in nostris codicibus deterioribus: *quae*, *inventa selectione et item reiectione*, *sequuntur: deinceps cum officio selectio*. nulla sententia (quomodo scriptum erat etiam in quattuor Pall., plerisque, ut videtur, Dav., Oxx. χψ, Gzii Bas. et Gud. 1; in Parr. 1, 2, El. (1) Dav. repperit, quod est in L, *sequuntur sequitur*), Manutius, ipsa sententia et re viam monstrante, „adiutus a vetere libro" sic scribendum vidit, ut post Davisium et Ernestium edidi, confirmaruntque Pall. 1 et 3 (E ξ silentio). In Erl., Spir. [B], Gud. 2 legitur: *quae* (*que*) *inventa selectione et reiectione sequitur* cet., una littera depravata, et sic Gzius edidit; *quae inventa* accusativum esse vult; et persvasit Orellio et Ottoni. Sic iam non seliguntur naturalia et reiciuntur contraria, sed inveniuntur selectione et reiectione, nescio quarum rerum, quoniam ante illud discrimen inventum nulla nec seligendi nec reiciendi causa est. Itaque Cato illa initia ante constituta posuerat. In selectione et reiectione illa positum esse virtutis usum, Stoici consentiebant, quorum dicta ascribentur ad IV, 14; id difficile erat expedire, quo ita referretur haec selectio, ut a sui cuiusque amore transiretur ad communis naturae et rationis legem et ex hac universa natura et ratione certa aliqua norma agendi efficeretur. Sed primum haec selectio fit naturali quodam instinctu et impetu, ut in parvis (§ 16, cfr. Senec. Epist. 121, 14 sqq.); deinde, cum processum nonnihil est, intellegitur, cur quidque seligatur reiciaturve, atque statuitur, sic esse agendum. Ea est *cum officio selectio*, cuius probabilis ratio reddi potest (§ 58). Lambinus, Davisius, Bremius, cum hanc gradationem non animadverterent, *officiorum selectionem* substitui volebant, quae ad hunc locum nihil pertinet omnino. Tantummodo in eo Cicero minus diligenter et accurate scripsisse videtur, quod prius, quam debuerit, officii nomen posuerit (*primum est officium* cet.); ibi enim nondum officium apparet. Tum *inventam selectionem* sic dixit, ut magis animo obversarentur philosophi naturae progressum investigantes quam, de qua agitur, ipsa naturae humanae via, quae illam selectionem non invenit, sed insitam habet.

turae, in qua primum inesse incipit et intellegi, quid sit, quod vere bonum possit dici. 21. Prima est enim conciliatio hominis ad ea, quae sunt secundum naturam; simul autem cepit intellegentiam vel notionem potius, quam appellant ἔννοιαν illi, viditque rerum agendarum ordinem et, ut ita dicam, concordiam, multo eam pluris aestimavit quam omnia

1. *in qua quum primum* Or. *esse* R *et intellegit* [A]LPMCR *intelligit* (om. *et*) Or. 2. *primum* E 3. *simul atque cepit* R 4. *et notionem* E 5. [*ennoeã* A] om., vacuo spatio, C 6. [*concordia* A] [*estimabit* A] *existimabit* E *existimavit* L

in qua primum inesse incipit et intellegi, quid sit) In constanti demum et naturae consentanea selectione, quae est εὐλογιστία et ὁμολογία, cum et secum selectio et cum natura concordat, id est, virtus, incipit inesse bonum et eius notio apparere; nam in illa cum officio selectione nondum bonum est, quoniam ipsum officium bonum non est (§ 58). Cicero paulo durius duas sententias conflavit, cum rei (boni) et eius intellegentiae originem complecteretur; nam cum ad *inesse* addendum esset *bonum*, propter *intellegi* circumlocutione usus est. Sic autem, ut edidi, tacite scriptum est apud Manutium, Lambinum et aliquot deinceps edd., nunc autem confirmat prorsus cod. Erl. (non silentio) [et B]. Ceteri codd. (omnes Pall., Parr. 1, 3, El. uterque, Mead., Oxx., Gzii, si credas, omnes, sed videmus Erl.) et editt. superiores Manutiana: *et intellegit*, facillimo errore post *incipit*. Hinc Gzius effecit: *in qua cum primum inesse incipit, et intellegit* cet., nulla sententia (*cum primum* videtur putasse idem esse ac *quam primum*), Schuetzius autem et Orellius: *in qua cum primum inesse incipit, intellegit* cet. Quis, quaeso, incipit? Et ut audiatur *homo* [quod hic multo fit difficilius], quid hoc est, hominem inesse in selectione constanti et consentanea naturae? Aliorum coniecturas omitto.

21. *quam appellant ἔννοιαν illi*) Ἐννοίας Stoici proprie appellabant notiones studio et nisu quodam animi explicatas, quemadmodum hic Cicero intellegit; vid. Plut. de plac. philos. IV, 11 p. 900 B; quamquam etiam φυσικάς esse ἐννοίας τῶν καθόλου statuebant, easdem, quas προλήψεις appellabant; vid. Plut. l. c., Diog. VII, 54; atque eas Cicero ceteris locis intellegit, ubi hoc vocabulum posuit (vid. indd.), partim κοινάς illas, ab ipsa natura insitas, partim visis extrinsecus impressas.

illa, quae prima dilexerat, atque ita cognitione et ratione collegit, ut statueret, in eo collocatum summum illud hominis per se laudandum et expetendum bonum; quod cum positum sit in eo, quod *ὁμολογίαν* Stoici, nos appellemus convenientiam, si placet, — cum igitur in eo sit id bonum,

1. *primum* LPMCR *cogitatione* PMR 3. *qua cum* E *quod compositum* [A]PMCR 4. [*homologian* A] *analogiam* C 5. *id sit* R

quae prima dilexerat) Sic [AB,] ξ, codd. Gzii praeter Gud. 2; superiores ediderant *primum*; nec aliud est *prima* (cfr. 17 *quae primae appetuntur*); *prima naturae* non uno illo vocabulo, sed tota sententia significantur. Paulo ante, cum *simul atque* esset fere in edd. ante Vict., in mg. Crat. notatur *simul autem*, ut erat etiam in omnibus Gzii codd. [B].

cognitione et ratione) Sic meliores codd., Pal. 1, [B,] mg. Crat., et pars deteriorum (Pal. 3, Oxx., ut videntur, χψ); ceteri (libri veteres Lambini, Pall. quattuor, Parr. 1, 2, Mead., Eξ; de Gzianis non constat) *cogitatione*, ut Marsus, Crat., Dav., quod sane aptius videri possit *colligendi* verbo et visum est Beiero ad Off. I, 19; (zeugmati in hac adiunctione ablativorum proxime positorum locus non est); nec codices magnum momentum habent in his vocibus, quae saepissime commutantur. Multo tamen saepius *cogitatio* pro *cognitione* substituitur quam contra; et fieri potest, ut Cicero cognitionis nomine adultam illam mentis vim, quae in notionibus explicatis apparet, significarit.

in eo oollocatum) Expectes in *ea*; sola enim feminini generis nomina praecedunt; et scribi sic Manutius voluit; sed neutrum genus Cicero rettulit ad universam notionem, non ad certum nomen, ut V, 37 (*in eoque*; praecedit *ea vita*), de Legg. I, 45 (*quod*; praecedit, et proxime, *perfecta ratio.*) [Cfr. supra II, 4: *Quaerimus finem bonorum*; *possumusne hoc scire* cet.; Off. I, 67; Caes. B. G. I, 44, 5.]

quod **ὁμολογίαν** *Stoici*, *nos appellemus convenientiam*) In *appellemus* syllepsis forma quaedam singularis est; nam ad prius membrum auditur (indicativo modo) *appellant*; cfr. IV, 74: *haec paradoxa illi*, *nos admirabilia dicamus*, Acad. I, 40: *quam ille* **φαντασίαν** (appellat), *nos visum appellemus licet.* De re cfr. § 24. Stoici *τὴν ὁμολογίαν λέγουσι τέλος εἶναι* (Stob. Ecl. Eth. p. 136 Heer.) et *τὸ ὁμολογουμένως ζῆν*, qua formula Zeno utebatur (ibd. p. 132), virtutem autem *διάθεσιν ὁμολογουμένην* (Diog. Laërt. VII, 89, Senec. Ep. 74, 30: *Virtus convenientia constat*; plura suppeditabunt Ritterus in Hist. Phil. III p. 636 et Tennemannus IV p. 94). Sic caecum impetum primi illius ap-

quo omnia referenda sunt, honeste facta ipsumque honestum,

1. *quo* om. C *omnia referenda sunt* (*sint* E) *omnia* [A]EPMR *referenda sunt omnia* C *honeste facta* om. Or.

petitus et amoris sui omittebant, qui singulorum commodis vitam recturus videbatur. Sed ut haec convenientia norma quadam efficeretur et regeretur, cogebantur naturae convenientiam advocare (*ὁμολογεῖν τῇ φύσει*, *ζῆν ὁμολογουμένως τῇ φύσει*); quae esset autem universae naturae lex et quomodo in singulis naturis appareret, propterea difficilius expediebant, quod initio, cum de sui amore dicebant, hominis naturam ab ea tantum parte spectarant, quae tota in se conversa esset. Itaque nec officii notio ab hac origine tracta cum summa illa lege coalescebat et in boni notione desideria naturae singulorum se spreta esse clamabant. Sed Cicero hic, postquam selectionem constantem *consentaneamque naturae* nominavit, deinde tamen Catonem inducit sola illa *ὁμολογίας* notione utentem; ad alteram formulam transit § 26, haec non connectens aut concilians.

quod cum — cum igitur cet.) Cum intervenisset definitio relativa sententia comprehensa (*in eo*, *quod*), Cicero orationem institutam sic revocat (*cum igitur*), ut simul primariam notionem alia forma comprehendat, qua in fine definiendo uti solebant: *id bonum, quo omnia referenda sint* (vid. ad I, 29). Gzius cum sic demonstrativum a relativo divellisset et sententiam peremisset: *positum sit in eo (quod — placet): cum* cet., ascripsit: „Mirum est, quod totiens VV. DD. in parenthesi ponenda caecutiunt.“ *Omnia* editiones ante Gzium, Lambini excepta, extremo loco habent (ut C). Bis *omnia* Davisius annotat habere CCC et Mead., Oxx. χψ, Gzius etiam Spir. [B] et Vindob.; causa mox apparebit.

honeste facta ipsumque honestum — expetendum est) Et singulae honestae actiones (*κατορθώματα, αἱ κατ' ἀρετὴν πράξεις*) expetendae sunt propter se et in bonis numerantur (vid. mox § 22 et 55, Sext. Empir. adv. Mathem. XI, 26, Diog. Laërt. VII, 94) et ipsum illud honestum, sine quo illae non sunt, ex quo tamquam fonte oriuntur et in quod tamquam caput colliguntur. Itaque, cum haec honesti notio praecelleret et honeste facta complecteretur, Cicero non solum ad *honesti* nomen posteriore loco positum singulari numero verbum accommodavit (*oritur — expetendum est*), sed etiam, cum illam sententiam: *quamquam — oritur* interposuisset, post *tamen* ex abundanti addidit *id*, ut eam notionem legentis animo obiceret (vid. ad V, 22). Sed editores et iam ante librarii mire erraverunt; nam cum non animadverterent, apodosin incipere a verbis *honeste facta*

quod solum in bonis ducitur, quamquam post oritur, tamen

1. [*quo solum* Eb] *quod* (om. *solum*) ceteri *post* om. P

ipsumque honestum (quod unus Manutius intellexit et interpungendo significavit), coniungebant haec: *omnia referenda sunt honeste facta* (unde scriptum est *referenda sunt omnia honeste facta*). Atque sic in eandem sententiam relativam trahebatur etiam (propter *que*) *ipsum honestum*, ut apodosis inciperet a *quamquam*. Atqui perversissime dici: *id bonum, ad quod omnia referantur honeste facta et ipsum honestum*, cum hoc honestum ipsum illud bonum sit (et additur etiam: *quod solum in bonis ducitur*), sensit Davisius, qui aliquid tamen ex vetere philosophia intellegebat; itaque forti remedio se expediebat, ut, deletis verbis *honeste facta*, scriberet: *ipsum honestum quidem* cet. (Quid haec particula hic ageret, non curabat.) Quid recentiores? Verba illa damnant, Gzius et posteriores delent, retinent *ipsumque*, id est, totam illam pravitatem, propter quam illa Davisius molitus erat. Adeo nihil ex rebus, quae tractantur, et ex sententiis intellexerunt aut saltem intellegere studuerunt; ac ne illud quidem, quod ad orationis formam pertinet, viderunt, *honesti* nomen, quod nunc demum inducitur, non posse latere inclusum in sententia illa relativa. (Gzius in Bas. ait esse *se honeste facta*, idque interpretatur *scil.*, additamenti notam. Unde igitur ea in recentissimo et infimo codice servata est, cum in optimis et antiquis nulla esset? Sic infinita de codicibus inconsideratissime finguntur et argumenta ducuntur. Ceterum, qualem Gzium novimus, fortasse totum illud *se* nullum fuit.)

quod solum) *Solum* se Gzius addidisse scribit ex Spir. et Erl. [Habet *quod solum* B.] Ac nisi haec vox ad Stoicae doctrinae proprietatem significandam additur, totum hoc membrum inane est. Sic quoque haec sententia relativa merito in tautologiae reprehensionem incurrit; id potius dicendum erat. quae antea convenientia appellata sit, id nunc honestum alio nomine appellari, ut, quae de illa dicta sint, ad hoc pertineant. Multis modis apparet, Ciceronem, cum praesertim festinaret, in notionum Stoicarum spinis haerentem, etiam oratione usum esse implicata et parum accurata.

quamquam post oritur) progrediente natura et rationis lumine exorto, cum in primo appetitu non fuisset, ut paulo post dicit. Mox *sua vi* Gzius e Gud. 1, 2, Bas. Tum *est* post *nihil* excidit in repetitionibus Lambinianis et omnibus deinceps edd. *Sumenda* tantum haec Stoici dicebant, non *expetenda*; vid. ad 20; contra Peripatetici et Academici.

id solum vi sua et dignitate expetendum est, eorum autem, quae sunt prima naturae, propter se nihil est expetendum. 22. Cum vero illa, quae officia esse dixi, proficiscantur ab initiis naturae, necesse est ea ad haec referri, ut recte dici possit, omnia officia eo referri, ut adipiscamur principia

1. *solum in sua dignitate* E 2. *est* om. Or. 3. *dici* C 4. *ea ad haec referri necesse est* (P) 5. *initia* (pro *principia*) L

22. *necesse est ea ad haec referri*) Inde a Grutero edebatur: *ea ad haec ref. nec. est*; Gzius alterum ordinem e codd. [ABEh] restituit. (Manutius *ad ea haec.*) Stoici cum virtutem et actionis honestatem in voluntatis cum natura et universa ratione convenientia ponerent eumque voluntatis habitum summum bonum putarent, quod tamen nulla inde praecepta elicere poterant ad singulas actiones regendas, agendi initia repetebant ab illo primo amore sui et appetitu eorum, quae secundum naturam essent (§ 59, IV, 46 et 47), ut officium esset illa petere et sumere, honestum autem et virtus hoc constanter et naturae convenienter velle et agere. Cfr. V, 20 et quae ad IV, 14 dicentur. Itaque Antipater Tarsensis interdum dicebat summum bonum esse *πᾶν τὸ καθ' αὐτὸν ποιεῖν διηνεκῶς καὶ ἀπαραβάτως πρὸς τὸ τυγχάνειν τῶν προηγουμένων κατὰ φύσιν* (Stob. Ecl. Eth. p. 136), quam formulam Cicero I Legg. 56 expressit (*nihil, quantum in ipso sit, praetermittere, quo minus ea, quae natura postulet, consequatur*). Verum in illo studio *adipiscendi* cum satis appareat spectatam tantummodo esse humanam naturam ab ea parte, qua se ipsa amet, nec satis ipsae desideriorum naturae pugnae nec singularum naturarum a communi ad sua commoda aversio exclusae erant; (voluptatis quidem studium a primo naturae appetitu segregare conabantur). Itaque, cum haec forma disciplinae ab ipso ingenio eius et eo, quod consequi volebat, abhorreret, huic incommodo subvenire videntur voluisse adhibita illa *τῶν φύσει συμβαινόντων ἐμπειρίᾳ* et *εὐλογιστίᾳ* (vid. ad IV, 14). Ea tamen neque alium fontem habebat neque satis umquam ad officii notionem moderandam deducta est. Tum etiam, quia non contigerat Stoicis, ut illa initia naturae et universae naturae legem conflarent et coniungerent, videbatur duplex oriri agendi consilium et duplex bonum, alterum in ipsorum naturalium consecutione, alterum in consequendi propterque ea agendi constanti voluntate. Hanc reprehensionem exponit Plutarchus adv. Stoic. 26 p. 1071 A, cuius tamen verba corruptissima sunt; et ad eam refertur, quae sequitur, Catonis defensio.

naturae, nec tamen ut hoc sit bonorum ultimum, propterea quod non inest in primis naturae conciliationibus honesta actio; consequens est enim et post oritur, ut dixi. Est tamen ea secundum naturam multoque nos ad se expetendam magis hortatur quam superiora omnia. Sed ex hoc primum error tollendus est, ne quis sequi existimet, ut duo sint ultima bonorum. Ut enim si cui propositum sit collineare hastam

1. *nec tamen — naturae* om. M 2. *non est* ELC 3. *enim est* [A] LPMCR 6. *quis sit qui existimet* LMCR (*estimet* R) 7. [*conliniare* A] *aliquo hastam* E (*aliquam* MCR)

quod non inest — honesta actio) extra quam bonum non est. *Conciliationes* plurali numero dixit res ipsas conciliatas, prima naturae; vid. exc. ad II, 33. [Pro *inest* etiam B *est*]; vid. ad II, 34. Tum *est enim* Gzius etiam e Spir. [B]. Paulo post *ne quis sequi exist.* libri veteres Lambini, Pall. quattuor, cod. Mor. [B] et iam edit. Ven. 1480, tum Manutius atque Gruterus; *sit qui* etiam Oxx. EUχψ. Dav. et Gzius tacent.

Ut enim si cui cet.) Totius comparationis haec est ratio, quam editores non explicaverunt. Cum Stoici summum bonum ponerent in honesta actione, omne autem agendi consilium et officium referri putarent ad prima naturae, ex quo oriebatur illa, quam posui, Antipatri definitio summi boni, cavendum erat, ne ipsam adeptionem primorum naturae ultimi loco ponere viderentur. Itaque hominem prima naturae consiliis et officiis petentem et eius rei causa omnia facientem comparabant cum eo, cui propositum esset telum aliquo collineare, hoc est, sic emittere, ut recte eo tenderet. Aliud est enim *ferire*, aliud *collineare*, in quo actio tantum eius, qui telum mittit, intellegitur, non etiam eventus ipse; potest enim res externa, velut aëris motus aut eius rei, quae petitur, migratio intervenire. (Ne II de Divin. quidem 121 haec verba: *qui non aliquando collineet* proprie et prima significatione aliud quidquam continent nisi hoc: *der nicht wenigstens einmal die wahre Richtung finden sollte.*) Itaque tali homini collineandi causa omnia facienda esse dicebant, non eventus, ut vere feriret; si suam partem actionis implevisset, finem eum consecutum fore; illud, ut etiam feriret, sumendum fore et seligendum, id est, *ληπτέον*, ut Stoici de commodis et primis naturae dicebant, non expetendum, *αἱρετέον*, ut bonum. Sed est aliqua in hac comparatione ambiguitas, Stoicis necessaria. Primum enim propositum esse sagittario collineare (*εὐστοχεῖν* an *στοχάζεσθαι* Graece dixerint, dubito), sic ponunt, ut putetur in illa notione simul

aliquo aut sagittam, sic nos ultimum in bonis dicimus. [sic

1. *sicut* omnes, Or. *ultimum* om. PR *diximus* LPMCR *sic — collineet* Or. sine uncis.

comprehendi voluntas et consilium feriendi, ut, qui non feriat, excidisse proposito iudicetur; deinde ipsi illam adiunctionem secludunt, ut simile sit non τῷ τυγχάνειν τῶν πρώτων κατὰ φύσιν, sed τῷ πάντα ποιεῖν τὰ καθ' αὑτὸν πρὸς τὸ τυγχάνειν αὐτῶν. Itaque cum sic inane fecerint sagittarii propositum (ut non feriendi scopi causa sagittam emittat, quemadmodum homo agere iubebatur prima naturae adipiscendi causa), facile reliqua conficiunt, sed incidunt in id, quod Plutarchus adv. Stoic. 26, hac ipsa comparatione utens, aenigmati simile esse ait, ut τὸν τοξεύοντα dicant πάντα ποιεῖν ἕνεκα τοῦ πάντα ποιῆσαι τὰ περὶ αὐτόν (πρὸς τὸ βάλλειν). Orellius dum huic loco e Graecis fontibus lucem afferre conatur, res dissimillimas ac longe dissitas confundit. Nam quod Stobaeus p. 136 Heer., a quo Matthiaeus quoque enarrationem petendam putaverat, discrimen aliquod τοῦ σκοποῦ et τοῦ τέλους commemorat, id eadem pagina et p. 138 apparet non ad diversitatem ipsarum rerum, in quibus sit ὁ σκοπός et τὸ τέλος, pertinere, sed ad logicam eiusdem rei rationem, ut σκοπός sit ἡ εὐδαιμονία, quod appetatur, τέλος sit τὸ εὐδαιμονεῖν, tamquam status, quem quis adeptus sit; hic autem res dignitate ac genere diiunctae distingvuntur. Eodem pertinet vel potius eadem est distinctio τοῦ αἱρετοῦ (rei bonae, velut φρονήσεως) et τοῦ αἱρετέον (status eandem rem bonam continentis, velut φρονεῖν, vid. Stob. Ecl. Eth. p. 140 et 196 Heer.), quam nollem Orellius, incaute res fortasse a se non tractatas attingens, confudisset cum notissimo discrimine rei expetendae (bonae, τοῦ αἱρετοῦ) et seligendae (sumendae, τοῦ ληπτοῦ). *Conliniare* (sic) et *conliniet* scriptum est in Pal. 1 et Erl. [et B], *collineare* in ed. Ven. 1480, Crat., Vict., Man., Grut., posterioribus; in aliis et in codd. deterioribus, Oxx. et nostris, tum etiam mg. Crat. et cod. Mor. *collimare.* Pro *aliquo* etiam Oxx. omnes *aliquam*; alibi annotatum non est.

sic nos ultimum in bonis dicimus. [*sic — collineet*].) Edebatur: *sicut nos ultimum in bonis dicimus* (ita etiam Pal. 1 [B] et Gzius e quattuor suis pro *diximus*), *sic illi, facere omnia, quae possit, ut collineet.* Manifestum est, quod recentissimos editores ne ab aliis quidem admonitos sensisse miror, orationem non cohaerere nec quidquam respondere initio comparationis: *Ut enim si* cet., nec omnino dici, huic exemplo simile esse summum bonum. Deinde autem quae haec coniunctio est: *sicut nos — dicimus. sic illi facere* cet.? Quomodo enim ex verbis *ultimum*

illi, facere omnia, quae possit, ut collineet.] Huic, in eiusmodi similitudine, omnia sint facienda, ut collineet, et tamen, ut omnia faciat, quo propositum assequatur, sit hoc quasi

1. *Huic — collineet* om. CR *in eius similitudine* PM 2. *et tum uti* (*uti et* R) *tamen* PR 3. *sed hoc* (pro *sit hoc*) omnes

dicimus auditur, quod necessarium est, *ultimum est*? Postremo quomodo hic praecipitur id, quod postea demum infertur (*ut omnia faciat, quo propositum assequatur*)? Perspicuum est, primum ipsam comparationem universe significari, similiter summum bonum dici, ac si cui propositum sit sagittam aliquo collineare, tum, quid in huiusmodi similitudine faciendum sit et quid ultimum futurum, explicari (*Huic in eiusmodi* cet., vid. annot. prox.). Quid huic similitudini in bonorum ratione respondeat, significatur ipsis nominibus ad sagittarium traductis et brevi admonitione (*quale nos summum in vita* cet.). Recte igitur Gzius secutus est Bas. et Gud. 1, in quibus felici correctione (nihil enim aliud est) scriptum erat *sic nos* pro *sicut nos*. Sed deinde infelicissime scribi voluit: *sit illi facere* cet., quod vult esse: *liceat illi*, sententia non minus mira (quae enim hic licentia agitur?) quam oratione. Omnino inter universam illam comparationis significationem et hanc rei, quae comparatur, declarationem: *Huic* cet., nihil interponi potest. Itaque haec octo verba: *sic illi — ut collineet*, quae nullo modo cum reliquis coniungi possunt, puto, cum scriptum mendose esset *sicut*, nec id, quo referretur, haberet, ab aliena manu addita esse ad orationem aliquo modo explendam. Delenda esse haec verba etiam Ursinus et Matthiaeus iudicabant, cetera longe aliter, ac nos, constituebant. (Hertelius annotat, in edit. Marsi omitti *sic illi* et reliqua usque ad *collineet*; si ad prius *collineet*, eadem, qua nos, coniectura usus est, non meliore codice.)

Huic in eiusmodi — collineet) Haec verba propter idem vocabulum bis positum (*collineet*) exciderunt etiam in Ox. χ et cod. Scal.; addita primum videntur in ed. Ven. 1480. Pro *eiusmodi*, quod Orellius iam in ea ed. esse ait, postea editum est *eius*, donec illud revocavit Gzius e Pal. 1, ξ, Spir. [B], Gud. 1; cod. (?) Urs. *huiusmodi*, satis apte. *Ut* ante *collineet* excidit in Pal. 1. [Non annotat hoc Halmius.] Miro errore nonnulli pronomen *huic*, quod apertissime ad sagittarium refertur, qui unus significatus est et de cuius in hac comparatione loco et actione nunc explicatur, de eo positum putarunt, qui honestatem peteret, velut Gzius, Otto, puto etiam Orellius.

et tamen — sit hoc quasi ultimum) Ut dixi supra, sic ulti-

ultimum, quale nos summum in vita bonum dicimus, illud autem, ut feriat, quasi seligendum, non expetendum.

VII. 23. Cum autem omnia officia a principiis naturae

1. *ducimus* L

mum constituitur, ut excludatur omnis feriendi significatio; itaque, quia cavetur, ne id comprehensum videatur, cum sic dicatur: *ut collineet*, hoc adiungitur: *et tamen hoc sit ultimum, ut omnia faciat* cet. Est autem haec scriptura ab Ernestio in una voce emendata, quem recentiores secuti sunt. Nam *sed hoc* etiam aliorum, quantum constat, codices, in qua scriptura nec oratio constat nec sententia; coniungentur enim: *omnia sint facienda, ut collineet, et tamen ut omnia faciat*; itaque (quamquam omnino non dicitur sic: *facienda sunt ut* —, *et tamen ut*) incidemus in illam formam, qua Plutarchum vidimus Stoicos irridere, ne quid de ipso *sed* dicam. *Sit* et *set* etiam alibi non raro commutata sunt. Ipsa forma orationis (*hoc sit ultimum, ut omnia faciat* cet.) dubia esse nequit propter id, quod contrarium additur: *illud autem, ut feriat, quasi seligendum* (sit). Reliquorum editorum de toto hoc loco inde a verbis *Ut enim si cui* cet. coniecturas eo magis commemorare supersedeo, quod superiores, animadversa ex aliqua parte loci perturbatione, nec tamen explicata diligentius comparationis forma et consilio, tamquam in desperato loco omnia verterunt, nec tamen sibi ipsi satisfecerunt, recentiores autem, Gzius maxime et Otto, incredibiliter errant. Ursinus tamen quid se in codice suo repperisse fingat, dicendum est: *Ut enim — aut sagittam, ut feriat. sicut nos ult. in bonis diximus, sic h. in huiusmodi sim. o. sunt fac. ut collimet, et tantum niti ut — assequatur.* Ex ceteris codd. Scaligeri habebat *tum* pro *tamen*, et paulo post omittebat *dicimus*; Oxx. E§ *quoad* pro *quo* (*propos. assequ.*) [Nihil nunc melius certiusve in hoc loco efficere potui, etsi et corrigendi violentia (*sic* pro *sicut*, *sit* pro *sed* et verborum seclusio) et orationis forma dubitationem relinquunt. Ex iis, quae Fr. Iacobus in Philologi vol. VI p. 485 sqq. scripsit, nihil proficere potui. Nam neque huius comparationis cum Stoicorum doctrina cohaerentiam perspexit et delendo ita grassatus est, ut totam comparationis explicationem et ad reliqua accommodationem Ciceroni eriperet, interpolatori autem ea tribueret, quae ei numquam in mentem venissent, ut de seligendo et expetendo.]

Cap. VII, 23. *Cum autem* cet.) Obscure haec dicuntur, vereor, ne aliqua etiam ipsius Ciceronis culpa, non satis scite sententias in breve contrahentis et rebus non prorsus perspectis ambiguam et, ut ita dicam, fluctuantem orationem adhibentis.

proficiscantur, ab iisdem necesse est proficisci ipsam sapientiam. Sed quemadmodum saepe fit, ut is, qui commendatus sit alicui, pluris eum faciat, cui commendatus, quam illum, a quo sit, sic minime mirum est, primo nos sapientiae commendari ab initiis naturae, post autem ipsam sapientiam nobis cariorem fieri, quam illa sint, a quibus ad hanc venerimus. Atque ut membra nobis ita data sunt, ut ad quandam rationem vivendi data esse appareant, sic appetitio

1. [*isdem* A] 3. *alicui* — *commendatus* om. E *commendatus sit* LPMCROr. 4. [*a quo sic minime* AEh] *a quo sit min.* LPMCR 5. *ipsam autem* E 7. *data sint* ER 8. [*date* A]

Nam aliter officia ab initiis naturae proficiscuntur, aliter sapientia, cui etiam commendari ab initiis naturae paulo post dicimur, quod satis diversum esse videtur. Sapientia, id est, perfectio ea rationis, quae et scientiam rerum et omnes virtutes complectitur, ab initio non inest in homine, nec is intellegentia et voluntate boni movetur, sed tantum studio sui conservandi; sed tamen ex illa prima conciliatione nascitur etiam studium mentis et rationis excolendae et cognitionis amor (§ 17 et 18) et insunt in animo cum adumbratae notitiae rerum, a quibus cognoscendi initium progrediatur (de Legg. I, 26 et 27), tum singularum virtutum elementa (*ἀφορμαί*, Stob. Ecl. Eth. p. 108 Heer.). Itaque rationalis est, ut ait Seneca (Ep. 121, 14), prima constitutio hominis. Haec nos initia sapientiae commendant, id est, *οἰκεῖοι* eiusque appetentes faciunt. (Non aliter hunc locum Ritterus intellexisse videtur, Hist. Phil. III p. 629, nec tamen accuratius aut is aut alius quisquam, quod norim, attigit. Editores talia non curant.) Sed alio modo intelleguntur principia naturae, cum ab iis officia proficisci dicuntur, id est, res eae, quae primae appetuntur, quia secundum naturam sunt; saltem ex his una tantum est illa prima cognitionis appetitio. Nec haec sapientiae profectio ab initiis naturae ita cum officiorum ortu videtur coniuncta esse, ut causa hinc recte repetatur (*cum* — *proficiscantur, necesse est*).

a quo sit, sic) Quod Gzius omnes suos codd. aut *sic* aut *sit* omittere ait, etiam ad reliquos pertinet; [B *sit*, om. *sic*, contra A et Eh]. Quod editur, primus Lambinus videtur edidisse et fuit in Pal. 3. Necessario hic additur *sit*, si [ut feci nunc ob A] post *commendatus* omittitur.

data esse appareant) Iure miramur, cur sic hoc uno loco Cicero dicere maluerit quam *appareat*. Sed cum negari nequeat, sic Senecam item semel scripsisse (de Provid. 5: *appa-*

animi, quae ὁρμή Graece vocatur, non ad quodvis genus vitae, sed ad quandam formam vivendi videtur data, itemque et ratio et perfecta ratio. 24. Ut enim histrioni actio, saltatori

1. [*horme* A] om. M *hoc me* R 3. *et oratio* C

rebunt autem bona esse) et Svetonium (Ner. 1), nec ulla necessaria ratio afferri possit, cur non, si non omnino repugnaret verbi natura, Cicero quoque ab impersonali usu ad personalem illum transire potuerit, ut fecit in passivis quibusdam verbis (velut V, 58: *ut plane, qualia sint, intellegantur*, de quo genere multi dixerunt), correctionem adhibere, ut Lambinus fecit, alii faciendum putarunt, nimis audax videtur et hic et apud Varr. R. R. I, 6, 2. Perverse tamen cum hoc genere illud comparatur apud Liv. II, 28, 8: *Apparebat atrox cum plebe certamen* (neque enim ibi additur *fore*, quod omitti nullo modo poterat) et illud apud Sveton. Rhet. 1: *Rhetorica utilis honestaque apparuit*, in quo non magis auditur *esse* quam in Horatiano illo: *Animosus atque fortis appare.* Multo incertius est, dixeritne Cicero, quod legitur pro Cluent. 104: *quae praeiudicia de eo facta esse constarent*, cui similis alter est locus in orat. pro domo 139, an pluralis verbi numerus a librario ad praecedentes voces accommodatus sit. [Non dubium, quin prave hoc illatum sit in orat. pro Rosc. Am. 118 recteque olim correctum apud Tacit. Agr. 43. Multum ponderis haberent exempla huiusmodi: *qui* (vel *quae* femin.)... *esse constat* aut *constant*; sed talia nulla sunt. Singulare est, quod Livius scripsit XLI, 20, 2: *ut nec sibi nec aliis, quinam homo esset, constaret*; nam *sibi* sic dicitur, quasi personale sit *constaret.* Apud Sallustium Iug. 49, 2 valde vereor, ne *decuerint* ortum sit ex *quae*, non animadverso, audiri *provideri.*]

sic appetitio animi cet.) Conferenda sunt, quae apud Diog. VII, 86 Stoice exponuntur, cum stirpes et herbae caeca natura regantur, in bestiis appetitum accedere, in homine rationem: Ἐκ περιττοῦ δὲ τῆς ὁρμῆς τοῖς ζώοις ἐπιγενομένης, ᾗ συγχρώμενα πορεύεται πρὸς τὰ οἰκεῖα, τούτοις μὲν τὸ κατὰ φύσιν τῷ κατὰ τὴν ὁρμὴν διοικεῖσθαι (sic recte Davisius: universale illud κατὰ φύσιν definiri et constitui ac regi hoc κατὰ τὴν ὁρμήν. Gzius, „cogitari οἰκείως" iubens, nihil cogitavit)· τοῦ δὲ λόγου τοῖς λογικοῖς κατὰ τελειοτέραν προστασίαν δεδομένου, τὸ κατὰ λόγον ζῆν ὀρθῶς γίνεσθαι τοῖς κατὰ φύσιν (recte Davisius: τούτοις κατὰ φύσιν; his naturale fieri non τὸ καθ' ὁρμήν, sed τὸ κατὰ λόγον. Gzius nugatur)· τεχνίτης γὰρ οὗτος ἐπιγίνεται τῆς ὁρμῆς.

perfecta ratio) quae et sapientia et virtus est; vid. ad II, 88; add. Senec. Ep. 76, 10.

motus non quivis, sed certus quidam est datus, sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet; quod genus conveniens consentaneumque dicimus. Nec enim gubernationi aut medicinae similem sapientiam esse arbitramur, sed actioni illi potius, quam modo dixi, et saltationi, ut in ipsa insit, non foris petatur extremum, id est, artis effectio. Et tamen est etiam alia cum his ipsis artibus sapientiae dissimilitudo, propterea quod in illis, quae recte facta sunt, non continent tamen omnes partes, e quibus constant; quae autem

1. *non quis* R *sed textus* P 2. *est in certo* L *non quodam non* E 5. *modo* om. C *ut arte in ipsa* MCR *ut in ipsa arte* P 7. *etiam* om. Or. *his* om. L *is* R 8. *recta* E 9. *continentur* LPMCR *ex* C

24. *in ipsa insit*) *Arte in ipsa* etiam Bas., Gud. 1, Vindob. apud Gzium. Editores inde ab Aldo transposuerant (*in ipsa arte*); in delendo vocabulo *arte* Gzius etiam Spir. [B] et Gud. 2 secutus est. *In ipsa* Cicero rettulit ad sapientiam, deinde transiit ad genus.

est etiam alia cum his ipsis artibus) Apertum est, saltationem et histrionis actionem significari; nam et pronomina (*his ipsis*) hoc ostendunt, quae ad proximas artes referuntur, et particula *tamen*, quae significat, eas, quae nuper similitudinem cum sapientia habere dictae essent, nunc ipsas dissimiles reperiri, et postulat res. Haec enim, quae in recte factis ponitur, comparatio ad eas proxime pertinet artes, quarum summa est in ipsa effectione et recte facto. Hoc cum Bremius videret (a cuius sententia Gzius ridicule aberravit), mendosum putabat *etiam alia*, quod nullam antea harum artium, sed tantum medicinae et gubernationis, cum sapientia dissimilitudinem Cato commemorasset; itaque scribi volebat: *etiam aliqua*. Sed defendi potest *alia* sic, ut Cato primum universe de artibus cogitans sic dicat: Est etiam alia (atque ea, quam in gubernatione et medicina ostendi) dissimilitudo sapientiae cum artibus, eaque cum his ipsis, saltatione et actione histrionum cet. (In exitu etiam sententiae universe loquitur: *in ceteris artibus.*) Huiusmodi neglegentia orationis in his libris offendere vix potest. Tolleretur alio modo difficultas, si recte Gzius *etiam* omisisset, quod in Spir. et Erl. esse, in ceteris suis abesse ait, ut in Eξ. Sed cum optimis [etiam AB] consentire deteriorum familiam, mei et reliqui Oxx. ostendunt; nec Gzio de suis credo.

non continent tamen) Sic etiam Spir. [B] et Bas., restituitque Gzius, ut fecerant pridem Marsus et Man. Corrupta est vera

nos aut recta aut recte facta dicamus, si placet, illi autem appellant *κατορθώματα*, omnes numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est, quod idem in ceteris artibus non fit. 25. Inscite autem medicinae et gubernationis ultimum cum ultimo sapientiae comparatur. Sapientia enim et animi magnitudinem complectitur et iu-

1. [*rectae fata* A] *autem* om. C 2. [*catorthomata* A] 5. *ultimum* om. E 6. [*sapi enim* A]

scriptura propter errorem in pronomine *illis*, quod neutro genere acceptum est. Atqui tum omnino non contraria ponuntur artium et sapientiae recte facta, nec tum verbum *constant*, ut debet, ad artes illas referri potest. In saltatione motus aliquis et gestus per se absolutus est nec quidquam extra requirit, sed tamen in hoc uno motu gestuve non tota ars simul adest, potestque is artifex, qui hunc recte effecit, in alio motu gestuve delinquere. Quod in vita recte factum est, in eo Stoicorum sententia, si modo recte factum est, adest plena et perfecta rationis et voluntatis absolutio, ut, qui hoc recte fecerit, cetera quoque omnia recte facturus sit; nam omne recte factum reapse idem est (ideo etiam par), materia tantum, in qua agitur, variatur; itaque qui unam virtutem habet, omnes habet (vid. Tennemanni Hist. Philos. IV p. 97 cet.), nec solum habet, sed in quovis recte facto omnibus utitur: *Ὁ κατὰ μίαν ἀρετὴν ὁτιοῦν ἐνεργῶν κατὰ πάσας ἐνεργεῖ* (Plut. de Stoic. repugn. 7 p. 1034, Stob. Ecl. Eth. p. 112 et 116). *Κατόρθωμα* Stoici quidam definiebant *καθῆκον πάντας ἐπέχον τοὺς ἀριθμούς* (Stob. Ecl. Eth. p. 184). Hoc quoque Cicero exprimit. (In verbo *dicamus* paulo insolentior accidit in relativa definitione coniunctivus hortativus.)

25. *Inscite autem* — *comparatur*) Melius, opinor, Cicero haec verba omisisset. Nam quae sequuntur, non tam ad ultimum illud, quod in gubernatione et medicina extra est, in sapientia ipsa inest, quam ad omnium virtutum unitatem pertinent; itaque cum iis, quae ante haec verba posita sunt, coniunctissima sunt, incommodeque inde his interiectis divelluntur. Nec ab hac parte sapientia magis medicinae et gubernationi dissimilis est quam, ut ipse ait, *ceteris artibus*.

Sapientia enim cet.) Eo modo, quo ad I, 42 dixi, sapientiae nomine simul significatur prima virtutis species, prudentia; expectes igitur, ut ei tres reliquae adiciantur; nominantur tamen duae tantum; tertia primum aspicienti per circumlocutionem

stitiam et ut omnia, quae homini accidant, infra se esse iudicet, quod idem ceteris artibus non contingit. Tenere autem virtutes eas ipsas, quarum modo feci mentionem, nemo poterit, nisi statuerit, nihil esse, quod intersit aut differat aliud ab alio, praeter honesta et turpia.

26. Videamus nunc, quam sint praeclare illa his, quae

1. [*et*] *ut* Or. *accidunt* E *se posita esse* L 2. *in ceteris* LPMCROr. [*contigit* A] 3. [*quorum* A] *mentionem feci* MCR 5. [*nisi* pro *praeter* Eh] 6. *sit* E *iis* PMCROr.

annecti videtur: *et ut omnia* cet., sed haec verba apertissime describunt despicientiam rerum humanarum, quae eadem est ac magnitudo animi. Itaque Ernestius et postea alii *et* delendum esse iudicarunt, ut his verbis demonstretur superiorum virtutum effectus. Verum ne id quidem procedit, quoniam iustitiae, quae Stoicis erat ἐπιστήμη ἀπονεμητικὴ τῆς ἀξίας ἑκάστῳ, hoc proprium non est. Confiteamur igitur, Ciceronem minus diligenter hic distinxisse virtutum species; nam ut despicientia casuum humanorum, quia complectatur contemptum divitiarum et sic cupiditatibus moderetur, temperantiae locum teneat, non magis fieri potest. *Accidunt* „quattuor optimi" Gzii codd. [B] et Ox. E; [adversatur A]. [Mox *in* omisi secutus AB Erl., ut paene tamquam personae artes cogitentur.] *Eas* om. Eξ; vid. ad II, 93. *Feci mentionem* Gzius ex omnibus suis; erat *ment. feci*; illius ordinis exempla collegit Klotzius ad Lael. p. 185 et 186.

quod intersit aut differat aliud ab alio) Davisius malebat scribi *aut quo*, Bremius, quem Beierus ad Off. I, 151 p. 299 sequitur, audiri *quo* ex *quod*. Atqui non dicitur, nihil esse, *quo* res differant, praeter honesta et turpia (debebat dici: praeter honestatem et turpitudinem), sed nullas res praeter haec esse, quae differentiam (ut expetendae aut fugiendae sint) habeant. Senserat iam Ernestius. Non meminerant viri optimi, et Terentium, quem Schellerus pag. 5246 testem appellat, dixisse: *haec res interest illi* et ipsum Ciceronem *ab illa* ter praeter hunc locum, Acad. II, 27 (*illa visa negant quidquam a falsis interesse*) et 83 (*visum aliud, quod ab eo nihil intersit*) et ad Att. V, 19 extr. (τὸ νεμεσᾶν *interest* τοῦ φθονεῖν). [Quod dicitur *quod* — *differat aliud ab alio*, non *quod differat ab alio*, de ea sive abundantia sive neglegentia appellanda est, vid. ad IV, 54. Utrum *praeter* an *nisi* [B] Cicero scripserit, nemo facile dicat.]

26. *quam sint praeclare illa*) quae iam dicturus est et

iam posui, consequentia. Cum enim hoc sit extremum (sentis enim, credo, me iam diu, quod τέλος Graeci dicunt, id dicere tum extremum, tum ultimum, tum summum; licebit etiam finem pro extremo aut ultimo dicere) — cum igitur hoc sit extremum, congruenter naturae convenienterque vivere, necessario sequitur, omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere, nulla re impediri, nulla prohiberi, nulla egere. Quod autem continet non magis eam disciplinam, de qua loquor, quam vitam fortunasque nostras, id est, ut, quod honestum sit, id solum bonum iudicemus, potest id quidem fuse et copiose et omnibus electissimis

1. *sentis enim — hoc sit extremum* om. MR 2. [*telos* A] *greci telos* E (pro τέλος spatium C) *Graecus·dicat* LPC 3. *tum summum* om. L 4. *ergo* (pro *igitur*) P *enim* LC *extremum hoc sit* E 6. [*necessario — fortunate vivere* om A] *sequitur* om. P 8. [*egeri* Eh] *re egere* L 9. *loquar* E

quae huic demonstrationi annectuntur particula *enim*, noto et frequenti usu, quem post Handium (Turs. II p. 379) uberiore exemplorum copia declaravi in praefat. ad Cat. et Lael. [Opusc. Acad. II p. 286]. Eodem modo Graeci: τάδε· ἐπειδὴ γὰρ κ. τ. ἑ.

Graeci dicunt) Sic [B,] mg. Crat., Eξ (Mor. *Graeci dicant*); restituit post Man. Gzius, qui ex suis unum Gud. 2 id habere dicit, quod ante edebatur: *Graecus dicat.* Mox *igitur* Gzius ex omnibus (?) suis praeter Gud. 2, qui haec omittebat; ante erat *ergo*; Oxx. omnes *enim.* [Tum *extr. hoc sit* etiam B.]

feliciter, *absolute*, *fortunate*) Similis coacervatio V Tusc. 53: *ergo omnia profluenter*, *absolute*, *prospere; igitur beate.*

potest id quidem) Hinc apodosin incipere, superius illud *id est*, *ut* adiungi cum explicatione ad illud: *quod autem continet* cet., dixerat Davisius, quia erratum videbat; et tamen aberravit Gzius, de puncto maiore et minore nugans.

et omnibus electissimis verbis) In mg. repetitionum Lambinianarum annotatur, alios *lectissimis* scribere, quod communiorem praestantiae laudem habet; itaque Cicero semper *lectos* et *lectissimos* viros, feminas, adulescentes nominat, non *electos* (vid. Zumptius ad Verr. II, 49, cuius notae Wesenbergius addit de Invent. I, 52; cfr. IV in Cat. 13). *Verba* quoque *lectissima* appellantur Orat. 227 loco huic simili (*optimis sententiis verbisque lectissimis dicere*), et III de Orat. 150 editur: *ut abiecta atque obsoleta* (verba) *fugiat*, *lectis atque illustribus utatur*; sed *electis*

verbis gravissimisque sententiis rhetorice et augeri et ornari; sed consectaria me Stoicorum brevia et acuta delectant. VIII. 27. Concluduntur igitur eorum argumenta sic: Quod est bonum, omne laudabile est; quod autem laudabile est, omne est honestum; bonum igitur quod est, honestum est. Satisne hoc conclusum videtur? Certe; quod enim efficiebatur ex iis duobus, quae erant sumpta, in eo vides esse conclusum. Duorum autem, e quibus effecta conclusio est, contra superius dici solet, non omne bonum esse laudabile;

1. *rhetorice* om. LP. cum uncis Or. 2 *consectari* LMCR *delectat* C 3. *eorum* om E 4. *laudabile esse* LPMCR (priore loco) 5. *omne honestum est* C 7. *his* omnes, Or. *vide* [AEh]LPM (*vide in eo* L) *inde* R 8. *enim* (pro *autem*) E om. L

est apud Iul. Victor. p. 251 Or., quod paene aptiorem videtur habere dilectus significationem. Hic quidem I, 8 *electa* sine controversia appellantur. [Rhetoricorum ad Her. scriptor IV, 36 utrum *electissimum verbum* posuerit et paulo post *electius* an *lectissimum* et *lectius*, non constat: *affectatius* certe non dixit.] Mox *rhetorice* omittitur in deterioribus aliquot codd. (Parr. 1, 3, Gud. 2, Bas.), quorum testimonium nullum prorsus est, cum ex ceterorum (Oxx. omnium) cum bonis consensu appareat. vocem in cod. archetypo fuisse. Damnant tamen verbum Dav. et recentiores, quod vitiose abundet, cum, quidquid verbis et sententiis augeatur et ornetur, rhetorice dici necesse sit. Atqui Cato et universam formam rhetoricam (qualis a Cicerone II, 17 descripta et dialecticae contraria posita est) a subtiliore conclusionum genere seiungit et eius ornatum et splendorem significat. Mox *consectaria* in mg. Crat. et e cod. Mor. annotatur. quod tum fere editiones principem sequebantur; *consectari* etiam χψ. [*Eorum* om. etiam B, et poterat abesse.]

Cap. VIII, 27. *Quod est bonum* cet.) Chrysippus apud Plutarch. de Stoic. repugnant. 13 p. 1039 C: *Τὸ ἀγαθὸν αἱρετόν· τὸ δ' αἱρετὸν ἀρεστόν· τὸ δ' ἀρεστὸν ἐπαινετόν· τὸ δ' ἐπαινετὸν καλόν· καὶ πάλιν· τὸ ἀγαθὸν χαρτόν· τὸ δὲ χαρτὸν σεμνόν· τὸ δὲ σεμνὸν καλόν.* (His postremis respondent, quae paulo post de gloriatione dicuntur.) Easdem verborum argutias exprimit Cicero Tusc. V, 45. Paulo aliter apud Stob. Ecl. Eth. p. 126 omne bonum expetendum esse demonstratur, quod sit *ἀρεστὸν καὶ δοκιμαστὸν καὶ ἐπαινετόν.* Cur Tennemannus IV p. 83 has ratiunculas Zenoni tribuat, non video, quas multo veri similius est tum esse natas, cum Chrysippus contra ceteras disciplinas pugnaret. (*Laudabile esse* etiam Eψ; *est*

nam, quod laudabile sit, honestum esse, conceditur. Illud autem perabsurdum, bonum esse aliquid, quod non expetendum sit, aut expetendum, quod non placens, aut, si id, non etiam diligendum; ergo et probandum; ita etiam laudabile; id autem honestum. Ita fit, ut, quod bonum sit, id etiam honestum sit. 28. Deinde quaero, quis aut de misera vita possit gloriari aut de non beata. De sola igitur beata.

1. *quod honestum sit laudabile esse* LPMCR 2. *bonum aliquod*, om. *esse*, E 3. *aut expetendum* om. E 4. *non etiam non* L *ita et laudabile* LP 5. *etiam* (pro *autem*) E *ita fit — honestum* om. E 7. *aut de beata* C *aut non de beata* ceteri. Or.

honestum (priore loco) Gzius ex omnibus suis; vulgo inversum erat; in cod. Mor. *laudabile* et *honestum* sine verbo. Mire et falso Gzius narrat, in Erl. bis abesse *omne.*) Mox verba: *in eo vides* (χ *inde.* Eξ om.) *esse conclusum* significant, in eo argumenti conclusionem constitisse, hoc tenuisse. (*Hoc* post *satisne* om. cod. Mor.) [*Ex iis* pro *ex his* cum Baitero scripsimus.]

laudabile sit, honestum esse) Verum ordinem et sententiam restituit Lambinus; confirmant Pal. 1, Mor., Spir. [B], Gud. 1; ceteri (Dav., Oxx., Gziani) ut nostri deteriores. Paulo post, si Plutarchus Chrysippi verba plene rettulit (τοιούτοις λόγοις κέχρηται), Cicero inter τὸ ἀρεστόν (*placens*) et τὸ ἐπαινετόν interposuit duo gradus, *diligendum* et *probandum*; sed sine dubio iam Graeci haec variaverant (ἐραστόν et ἀπόδεκτον sive δοκιμαστόν). Nam in Tusc. omittitur *placens*; *diligendum* (*gratum acceptumque habendum*) et *probandum* ordinem mutant; additur: *ergo etiam dignitas ei tribuenda est.* (Tres Gzii codd. dicuntur habere: *etiam non diligendum.*) [Baiterus in edit. minore: *ergo etiam probandum*; et solet sic Cicero.]

28. *aut de non beata*) Quod edebatur: *aut non de beata*, id unam hanc habet sententiam: *aut quis possit non gloriari de beata?* quamquam repeti verbum debuit. Atqui id hoc loco poni non potuit, quod postea demum ex his concluditur, gloriatione dignam esse beatam vitam. Et apertissime id, quod sequitur: *De sola igitur beata*, ostendit, ante a gloriatione ita reliqua genera vitae remota esse, ut hoc unum supersit. Erat autem vita aut *misera* aut *non beata* (nec beata nec misera) aut *beata.* Itaque necessario ita scribendum esse, ut feci, perspici poterat, etiamsi non certissimum testimonium adesset loci gemini in V Tusc. 49: *Nec in misera vita quidquam est praedicabile aut gloriandum nec in ea, quae nec misera sit nec beata* (id est hoc loco: *Quis aut de misera aut de non beata gloriari potest?*). *Et est in*

Ex quo efficitur, gloriatione, ut ita dicam, dignam esse beatam vitam, quod non possit nisi honestae vitae iure contingere. Ita fit, ut honesta vita beata vita sit. Et quoniam is, cui contingit, ut iure laudetur, habet insigne quiddam ad decus et ad gloriam, ut ob ea, quae tanta sint, beatus dici

1. *ex qua* omnes *dignum* E 2. *possit quidem nisi hon.* LOr. *possit quidem* (C *equidem*) *inhonestae* PMCR 3. *beata sit* (om. *vita*) L 4. *si* (pro *is*) E *insigne aliquod* L 5. *ut ad ea* omnes

aliqua vita praedicabile aliquid et gloriandum ac prae se ferendum. (Hoc initium conclusionis hic non bene omittitur). — *Quod si est, beata vita glorianda et praedicanda et prae se ferenda est* (id est: *De sola igitur beata gloriari aliquis potest*). Et narrat Gzius in tribus suis codd. scriptum esse: *de non beata*; quid esset, non intellexit; Erl., Spir., Gud. 2 fuisse crederem, nisi in mea collatione de Erl. taceretur. Nunc prorsus miror, quid sit; nam aliunde nihil annotatur, nisi quod cod. Mor. [et B] et Eξ habent *aut non beata*, omisso *de.* Mox *ex quo* quis primus recte scripserit, nescio; est in ed. Ascens. 1511; codices quidem omnes: *ex qua* (mg. Crat., cod. Mor., [B,] Oxx. omnes; ceteri editores tacent).

quod non possit nisi cet.) Manifestum est, hanc assumptionem esse et sic concludi: id autem (ut gloriatione digna sit) non potest nisi honestae vitae contingere; ergo cet. Primum igitur rectissime meliores codd., Pal. 1, Erl., Spir. [B], particulam *quidem*, quae post *possit* in reliquis additur, excludunt secutusque Davisius est solus; nihil enim circumscribitur, nihil insignitur tamquam alteri contrarium, nec, cum simpliciter negatur, quisquam dicit: *hoc non potest quidem fieri*; vid. ad I, 70. (Lambinus in curis secundis: *ne possit quidem.*) Sed restat coniunctivus verbi modus, cuius in hac affirmatione eius, quod ad concludendum tamquam certum ponitur, ratio nulla reddi potest; nam si eum Cicero ita posuit, ut ad hanc sententiam propagaretur vis obliquae orationis a verbo *efficitur* pendentis, ipse conclusionem apertam perturbavit; illo enim, ut dixi, effecto, gloriatione dignam esse beatam vitam, aliunde assumitur, id tantum in honestam cadere, et sic demum concluditur. Et tamen haec ipsa confusio et perturbatio aut potius multo maior manifesto tenetur infra IV, 50, ubi Cicero hanc conclusionem refellit. Tantum interdum ei, qui attendit, molestae dubitationis affert haec rerum non accurate perceptarum parum diligens elocutio. Vulgo quidem editores facillime se expediunt: tacent. Pro *nisi honestae* (sic etiam cod. Mor. [et B]) alii quoque

iure possit, idem de vita talis viri rectissime dicetur. Ita, si beata vita honestate cernitur, quod honestum est, id bonum solum habendum est. 29. Quid vero? negarine ullo modo possit, ***numquam*** quemquam stabili et firmo et magno

1. *dicitur* LPMCR 2. [*honeste cernitur* A] *solum bonum* L 3. *Qui vero* EOr. *quod vero* ceteri *negari nullo* omnes, *negari ullo* Or. 4. *numquam* om omnes, Or. *quequam* E *quem inquam* MC *quem umquam* R

codd. deteriores (quattuor Pall., Dav. tres, Oxx. Uψ, . aliquot Gzii) et edd. fere veteres (etiam Vict.) *inhonestae*; emendate Manutius, Lambinus.

rectissime dicetur) Futurum (hoc significatu: dici poterit; si dictum erit, recte dictum erit) etiam e Spir. atque Eξ [AB] et ed. Crat. Gzius restituit, et, ne rem apertissimam intellegere aliquando videretur, addidit, hunc esse sensum: „eiusmodi viri vita iure meritoque *honesta* dicetur"; immo *beata*. Paulo ante omnes, opinor, codd. ([B,] Oxx. Eξχψ, edd. Crat. et Vict.) *ut ad ea*. Recte Manutius, Lambinus, ceteri.

29. *Quid vero? negarine — numquam quemquam* cet.) Ut est in R, editum est a plerisque ante Bremium (Crat., Man., Lambino, cett.): *Quod vero negari nullo modo possit, quem umquam stabili et firmo et magno animo, quem fortem virum dicimus effici posse* cet.? nisi quod Vict. ex ed. pr. retinuit: *quem, inquam* (ut CCC apud Dav. et sine dubio alii), Dav. autem et Ern. sic verba interpunxerunt: *quem — dicimus*, *effici* cet., recte reapse (ostenditur enim, quo uno nomine proprie appelletur, qui pluribus verbis significatus erat), sed sublata etiam specie sententiae; deest enim interrogationi verbum finitum. Superiores sic verba continuaverant: *quem stabili — animo, quem fortem virum dicimus effici posse* cet.? eosque sequitur Matthiaeus, *dicemus* scribens. Debuit poni non *dicimus*, sed: *quem putamus posse?* (De praesenti tempore vid. Opusc. Acad. II p. 40.) Verum nemo, quamvis omnia Matthiaeus moliatur, huiusmodi interrogationi neganti praeposuit relativam sententiam negantem, hac forma: *Quod negari non potest*, *quomodo hoc fieri poterit?* ut sit: negari non potest, hoc fieri non posse. Sed codd. Erl., Spir. [B] *qui vero* (Bas. *quo*, ed. Marsi *quid*), deinde [AB,] Spir., mg. Crat., Mor.. Gud. 2, El. 1 (?), Mead., Eξ (hic contra Dav. testimonium): *quemquam* (pro *quem umquam*), a quibus reapse non discedit Erl. Hinc Gzius, ascito e duobus infimis codicibus, Bas. et Gud. 1, *ullo modo*, hoc effecit: *Qui vero negari ullo modo possit, quemquam stabili — effici posse, nisi —?* eamque scripturam probavit Schuetzio, Orellio, Ottoni,

animo, quem fortem virum dicimus, effici posse, nisi constitutum sit, non esse malum dolorem? Ut enim, qui mortem in malis ponit, non potest eam non timere, sic nemo ulla in re potest id, quod malum esse decreverit, non curare idque contemnere; quo posito et omnium assensu approbato, illud assumitur, eum, qui magno sit animo atque forti, omnia, quae cadere in hominem possint, despicere ac pro nihilo putare. Quae cum ita sint, effectum est, nihil esse malum, quod turpe non sit. Atque iste vir altus et excellens, magno animo, vere fortis, infra se omnia humana ducens, is, inquam, quem efficere volumus, quem quaerimus, certe et confidere sibi debet ac suae vitae et actae et consequenti

4. *decernit* LPMCR 5. *assensum approbat* P 6. [*atque forti — magno animo* om A] 7. *eadem* (pro *cadere*) E *at* (pro *ac*) E *et* ceteri 9. *vir alter* C 12. *et suae* LPMCROr. *apte* (pro *actae*) L

quorum nemo vidit, quod Bremius viderat, *neminem* dicendum fuisse; id enim contendebant Stoici, nisi constitutum esset, malum non esse dolorem, *non posse* effici fortem virum; hi editores inducunt eos contendentes *posse* effici; tametsi *quemquam* dici in hac affirmatione non potest. Praesto mihi fortasse erit subtilis aliquis grammaticus, qui narret, se ab Hermanno, Beiero, Klotzio, aliis didicisse, *quisquam* pronomen ad negationem inclinare; itaque hic *quemquam* intellegi *neminem*, quo artificio nuper memini virum minime spernendum uti ad illud Terentii in Andria (II, 6, 3) interpretandum: *Aeque quidquam nunc quidem.* (Sensus est: *Er sagt eben so gut etwas als du, der du nichts sagst.*) Scilicet ita inclinat, ut *queo* ad *nequeo*; quia generalius affirmat quam *aliquis*, magis ex adverso contrarium est negationi. Sed haec mittamus. Apparet, excidisse negativam vocem simillimam voci *quemquam*; eam restitui. Initio sententiae non recte iungebatur: *Qui ullo modo*, id est, *quomodo — ullo modo*; adhibui igitur ibi Davisii emendationem, ex qua apparet, unde ortum sit *nullo.* (In cod. Mor.. si recte notatum est, erat: *negari etiam nullo.*)

decreverit) Sic etiam Pal. 1, Spir., Ox. χ; restituit Gzius. Mox *ac pro nihilo* Gzius e tribus suis [AB], et recte notat, in Erl. esse *at*, sed addit infra *ac suae vitae* in uno esse Gud. 1. Saltem etiam in Erl. [B].

quem quaerimus, certe) Manutius et alii: *quem quaerimus certe, et* cet. Sed non minus est quaerere quam efficere velle. *Posse mali* pro *mali posse* Gzius etiam e Spir. [B].

et bene de sese iudicare, statuens nihil posse mali incidere sapienti. Ex quo intellegitur idem illud, solum bonum esse, quod honestum sit, idque esse beate vivere, honeste, id est, cum virtute vivere.

IX. 30. Nec vero ignoro, varias philosophorum fuisse sententias, eorum dico, qui summum bonum, quod ultimum appello, in animo ponerent. Quae quamquam vitiose quidam secuti sunt, tamen non modo iis tribus, qui virtutem a summo

1. *se* C *mali posse* LPMR *malum posse* C *sapienti incidere* P *sap.* om. C 2 *id est* (pro *idem*) E 3. *honeste* om. E *et honeste* MCR *et id cum virtute est* (pro *id est c. v.*) L 5. *vanas* (pro *varias*) P 6. *eorum — ponerent* Nonius p. 417 (*appellant*) 7. *quas quamquam* LPMCR *Quos quamquam* Or. *quidem* E 8. *his* [A]ELPCOr.

idque esse beate vivere, honeste) Sic, ut ediderat Aldus, Gruterus [ex A] et Davisius tacite, Gzius e Gud. 2 et Bas. *Id* praeponitur cum quodam pondere, cui deinde adicitur ipsa res: *honeste — vivere*; vid. ad V, 19. In Oxx. omnibus videtur fuisse *et hon.* Spir. [B] ut Erl.

Cap. IX, 30. *Quae quamquam vitiose*) [*Quae*, quod antea ex uno Erl. annotatum erat, nunc constat etiam in A esse et in B (*que*), non recte refertur ad *varias sententias* universe sic significatas. Pro eo, quod deteriores codd. habent, *quas*, nescio cur Davisius et deinceps omnes Th. Bentleio crediderint, scribendum esse *quos* (quod Gzius falso in ed. Crat. esse dicit); *quas* etiam aptius, ut ipsi sententiarum auctores comprehendantur; nam ii quoque sententiam sequuntur suam. Sed in omnibus his scripturis hoc est vitii, quod damnantur sententiae omnium eorum, qui summum bonum in animo posuerint, quorum in numero Zeno et Stoici sunt. (Neque enim *variae* horum sententiae sunt sententiae a Stoicis discrepantes, sed et Stoicorum et ceterorum.) Vereor etiam, ut *vitiose sententiam sequi* recte dicatur de ipsius sententiae vitio. Omnia recta erunt, si scripseris: *Quorum quamquam vitiosa quidam secuti sunt.* Ex illo numero eorum, qui summum bonum in animo ponerent, aberrasse Pyrrhonem, Aristonem, Erillum significat.]

iis tribus) Epicuro, Hieronymo, Carneadi; alteri tres Polemo, Calliphon, Diodorus sunt; vid. II, 35. [De *sine aliqua* (cfr. 37) vid. Gr. Lat. § 494 a not. 1.] *Singuli singulas* e P. Fabri (apud Lambinum) emendatione editiones inde a Davisio habent; nam in codd. littera male geminata erat; uni virtuti singuli ex tribus philosophis singulas ex tribus rebus addiderant. Tum *cuimodi* etiam Spir. [B], cod. I. F. Gronovii

bono segregaverunt, cum aut voluptatem aut vacuitatem doloris aut prima naturae in summis bonis ponerent, sed etiam alteris tribus, qui mancam fore putaverunt sine aliqua accessione virtutem ob eamque rem trium earum rerum, quas supra dixi, singuli singulas addiderunt, his tamen omnibus eos antepono, cuicuimodi sunt, qui summum bonum in animo atque in virtute posuerunt. 31. Sed sunt tamen perabsurdi et ii, qui cum scientia vivere ultimum bonorum, et qui nullam rerum differentiam esse dixerunt, atque ita sapientem beatum fore, nihil aliud alii momento ullo anteponentem, *aut*, ut quidam Academici constituisse dicuntur, extremum bonorum et

2. *natura* C 2. *sed etiam — virtutem* Nonius p. 141 *mancam enim forte* L *concessione* P 4. *earumque rerum* P 5. *singulis* (pro *singuli*) omnes *singula* LC (*singula singulis* C) *iis* LC 6. [*ante potui modo* pro *antepono cuicuimodi* A] *cuimodi* (pro *cuicuimodi*) E *cuiusmodi* LMR *eiusmodi* C 7. *sunt* om. MC 8. *hi* [A]L *summum bon.* E 9. *fore beatum* P 10. *anteponentem aut quidam* E *antep. ut quidam* [A]LPMCR

(ad Gell. II, 8); ceteri *cuiusmodi*; emendatum est a Lambino in curis secundis. Quod Zumptius ad Verr. V, 107 dubitare videtur, an nusquam ipsum *cuicuimodi* in codicibus legatur, ita bis scriptum est in cod. Paris. Tusculanarum.

31. *Sed sunt tamen*) Media vox excidit in pluribus codicibus deterioribus, apud Dav. El. (utro?), Mead., CCC, Ball. (neutrum Oxx. appellant), Ox. χ. Scientia bonum erat Erilli, *ἀδιαφορία* Pyrrhonis et Aristonis; vid. ad II, 43.

ut quidam Academici — dicuntur) Sic dicit, quod illi nullum summum bonum certa sententia defendebant. *Τέλος εἶναι τὴν ἐποχήν*, Arcesilam docuisse, Sextus Empir. ait Hypotyp. Pyrrh. I, 232 (cfr. Clemens Alex. Strom. II p. 179 Sylb.). Quae sint visa (*φαντασίαι*), qui assensus (*συγκαταθέσεις*), quae eorum sustentatio et retentio (*ἐποχή*), notum vel ex Academicis Ciceronis libris. [Sed in codicum plurimorum et editionum ante Gzium scriptura (*anteponentem, ut quidam*) prorsus vitiose haec Academicorum quorundam sententia adiungitur tamquam exemplum eorum sententiae, qui *ἀδιαφορίαν* sequebantur. Itaque hactenus recte e codd. Erl. et Spir. [B] scriptura Gzius effecit: *aut, ut*, quo fit, ut haec tamquam forma non ita diversa adiungatur illis: *et qui nullam* cet. (Gzius ipse male enarrat.) Sed tamen *aut* pro *ut* saepe mendose scribitur (vid. hoc libro 49, 51, lib. I, 7, 47, 72, al.), et aptius haec tertia sententia ex aequo duabus superioribus adiungeretur; id fiet, si hanc fuisse veram

summum munus esse sapientis obsistere visis assensusque suos firme sustinere. His singulis copiose responderi solet, sed quae perspicua sunt, longa esse non debent. Quid autem apertius, quam, si selectio nulla sit ab iis rebus, quae contra naturam sint, earum rerum, quae sint secundum naturam, † tollatur omnis ea, quae quaeratur laudeturque, pru-

1. *visis* om. E *iussis* C *nisis* R 4. *quin si* P *his* LC 5. *sunt* (bis) L *sint, ut earum* Or. cum nota mendi 6. Post *tollatur* add. *demum* MCR *quaeritur* MCR *laudaturque* C

scripturam statuerimus: *anteponentem*, *et qui*, *ut quidam Acad. const. dicuntur*, *extremum* cet. Quam facile *et qui* ante *ut qui(dam)* excidere potuerit, apparet. Atque eandem omnibus litteris coniecturam fecisse O. Heinium in Annal. Philol. XCIII p. 252, vidi, cum haec iam scripseram.] Mox Dav. ex El. 1 et Mead. *firmiter*.

Quid autem apertius quam, si — naturam, tollatur) Sententia manifestissima est, si res eae, quae sint secundum naturam, non seligantur a contrariis et sumantur, tolli omnem virtutem, maxime τὴν φρόνησιν, quae in hoc ipso dilectu versetur. Sed non minus manifestum est, orationem non cohaerere, quae sic continuari debebat: *quam — tolli omnem eam* cet. Itaque partim excusatione utuntur anacoluthi, quae in hoc apertissimo et rectissimo progressu orationis, nulla re interposita, quae orationem avertat, minime probabilis est, partim correctione; nam Davisius scribi vult: *apertius quam quod — tollatur*, longissime a sermonis Latini huius aetatis usu discedens; (vid. Opusc. Acad. II p. 232); Gzius autem, cum *ut* addi vellet, hoc incredibili errore posuit ante *earum*; ita genetivus divellitur a selectionis nomine nec ipse cum ullo nomine coniungitur nec omnino sententiae umbra remanet. Et tamen Orellius secutus est; nam Ottonem quid dicam? Verum etiamsi *ut* aut post *quam* (ut est in ed. Ascens. 1511) aut (ut Th. Bentleius voluit) ante *tollatur* positum fuerit, vitiosa erit oratio; nihilo enim magis Cicero aut quisquam dixit *apertum est ut* quam *apertum est quod*; quae enim a nonnullis similia putantur exempla, ea alius generis esse, ostendi ad II, 6; ne illa quidem accipio, quae Wesenbergius prudentius delecta protulit, primum Lael. 81: *Quod si hoc apparet in bestiis — primum ut se diligant* cet.; nam ibi *hoc* (quod dixi) *apparet* per se dicitur quasi: *hoc fit*, et tum adiungitur *ut*, quemadmodum sequitur: *quanto id magis in homine fit natura*; deinde de Divin. I, 126, ubi in concludendo sic dicitur: *Ex quo intellegitur, ut fatum* cet., ut sit: *Ex quo fit*

dentia? Circumscriptis igitur iis sententiis, quas posui, et iis, si quae similes earum sunt, relinquitur, ut summum bonum sit vivere scientiam adhibentem earum rerum, quae natura eveniant, seligentem, quae secundum naturam, et, quae contra naturam sint, reicientem, id est, convenienter con-

2. *iis quae* LPMCR 4. *et si quae contra* LPOr. *et si quae etiam contra* MCR 5. *sunt* omnes, Or.

(*sequitur*), *ut* cet. Relinquitur molestissima dubitatio, utrum Cicero plane perturbate sic scripserit *tollatur*, quasi ante posuisset *fore*, *ut* aut simile aliquid, an mendum subsit eo occultius, quod neque prior pars sententiae (*quid apertius quam*) neque posterior (*tollatur* cet.) per se ullam moveat suspicionem, nec tamen quidquam reperiatur, quo illae conciliari inter se videantur posse, nisi verba saltem duo addantur (*fore ut tollatur*, ut Lambinus, aut *sequi ut*). [Fieri potest, ut Cicero scripserit: *Quid autem apertius? Nam si selectio — naturam, tollatur — prudentia.* Idem Ussingio placuit.] *Demum* addunt etiam Mead. et El. 1, Oxx. E (*tollatur enim demum*), ξ (*tolletur enim demum*), χψ, tres Gzii, id est, deteriorum familia, quod unde ortum sit, non video; primus omisisse videtur Aldus.

et iis, si quae) Sic Pal. 1, [B,] codd. Mor. et Scal., El. (2), Gzii, excepto Gud. 2, omnes (?). Apte significatur, comprehendi ceteras sententias, si quae sint, nec tamen affirmari, alias esse; usitatissima est autem haec coniunctio *is*, *si quis*, conflata definitionis relativae (*is*, *qui*) et illius dubiae significationis (*si quis*) forma, ut iure mirere Davisium et Bremium Th. Bentleio *iis* tollenti paruisse. Exempla aliquot habet Ramshornius p. 570 aliis intermixta; add. hic lib. IV, 49 (*illos*, *si qui*), Divin. in Caec. 48, Philipp. VII, 23. Paulo ante *circumscriptis* (id est, *exclusis*) eodem modo dicitur, quo in Verr. I, 43, II, 149.

vivere scientiam adhibentem — id est cet.) Formulam summi boni ascita naturae notione definitam (vid. ad 21) sic Cato ponit, ut ipsi formulae breviori praemittat uberiorem declarationem; vid. ad I, 33, de ipsa autem declaratione ad IV, 14.

et quae contra naturam) Edebatur ex deterioribus codd. *et si quae*, translato huc, quod supra scribi debuit; recte *si* sustulerunt Davisius et Bremius, parentes optimis codd., Pal. 1, Mor., Scal., El. 1 (?), Spir. [B]. Perinepte Cato significaret, se ambigere, num qua essent contra naturam. Tum *etiam*, quod addebatur post *quae*, omiserant iam Vict. et Man., tum Dav. El. 1 (?) appellans, cui assentiuntur cod. Mor., Eξ, quattuor optimi Gzii. Sed *sint* scripsi cum Ern. contra codd., quod in hac obli-

gruenterque naturae vivere. 32. Sed in ceteris artibus cum dicitur artificiose, posterum quodam modo et consequens putandum est, quod illi ἐπιγεννηματικόν appellant; cum autem in quo sapienter dicimus, id a primo rectissime dicitur.

1. *vivere naturae* MR 3 [*epigenematicon* A] *quod autem* omnes, Or. 4 [*dicimus* om. A] [*ad primo* A] *apprime* LPMCR

qua oratione, cum non genus per se constitutum significetur, sed quod illa scientia intellegatur et definiatur, indicativus non magis ferri potest quam sex versibus superius. Et praecedit *eveniant*.

32. *cum dicitur artificiose* cet.) *Artificiose* communiter dixit pro eo vocabulo, quod cuiusque artis in laudanda eius actione proprium esset. Saltationem, ut hoc exemplo utar, tum demum ita laudamus, ut arti satisfactum dicamus, cum confectam saltationem videmus; sapientiae et honestatis laus ad ipsam susceptionem et voluntatem pertinet, ut a primo ei tribuatur, effectus non expectetur, non modo ille, qui in medicina et gubernatione sit, sed ne ille quidem, qui in externa actione positus etiam in saltatoris et histrionis arte requiratur (§ 24). Omnino haec hoc loco minus commode posita et potius cum illis, quae § 24 explicabantur, coniungenda fuisse videntur.

cum autem in quo sapienter dicimus) Secutus sum Davisii emendationem. Non solum simile hoc videtur esse debere superiori: *in ceteris artibus cum dicitur artificiose*, sed omnino *quod* locum non habet; nam quod Gzius enarrat: *quod attinet ad id quod*, non quaeritur, quale id sit, quod hoc nomen interdum a nobis ponatur (de qualitate huius facti), sed quomodo id in singulis actionibus ponatur. Nec, quod video nonnemini in mentem venisse, ullo modo fieri potest, ut sic intellegatur: *quod sapienter factum in aliquo homine dicitur*; unde enim participium illud? nec *in* pro *ab* recte poneretur. Itaque haec una sententia apta est: cum autem hac voce *sapienter* in aliqua re et facto laudando utimur, cet. [*Dicimus* in A errore omissum videtur.]

a primo) Hoc in Pal. 1 scriptura latere vidit Io. Walkerus, cuius emendationem Davisius et Gzius ita laudant, ut, num qua eius scripturae vestigia in codd. fuerint, non dicant (Oxx. Uξχ *adprime*); sed satis per se certa est et plane eam confirmat Erl. [et B]. *A primo* sic Cicero praeter eos locos, quos Schellerus citat p. 8461, dixit hic IV, 34, de R. P. II, 45 et VI, 27 (Somn. Scip. c. 8), Tusc. I, 54, Terentius Phorm. IV, 2, 14, IV, 3, 37. Aliorum scriptorum locos collegit Gronovius ad Senec. de Vita

Quidquid enim a sapiente proficiscitur, id continuo debet expletum esse omnibus suis partibus; in eo enim positum est id, quod dicimus esse expetendum. Nam ut peccatum est patriam prodere, parentes violare, fana depeculari, quae sunt in effectu, sic timere, sic maerere, sic in libidine esse peccatum est etiam sine effectu. Verum ut haec non in posteris et in consequentibus, sed in primis continuo peccata sunt, sic ea, quae proficiscuntur a virtute, susceptione prima, non perfectione, recta sunt iudicanda.

X. 33. Bonum autem, quod in hoc sermone totiens usurpatum est, id etiam definitione explicatur. Sed eorum

2. *positum est enim* E 4. *violari* EP 5 *effecto* EMCR 6. *ut hic* E 8. *sint* L 9. *recte* LPMCR 11. *explicetur* LPMCR

Beata c. 7. Extremo capite omnes deteriores (Oxx. EUξχ) *recte sunt iudicanda*; quis primus emendarit, nescio; (*recta* iam Mars., Crat.).

Cap. X, 33. *Bonum autem — explicatur*) Sic (pro *explicetur*) etiam Pal. 1 et Spir. [B] restituitque post Th. Bentleium Gzius; narrat Cato, quid fieri apud Stoicos soleat, ut § 50: *Deinceps explicatur differentia rerum.* Eo minus offensionis habet, quod, tamquam Stoicos appellarit, subicit *eorum*, in quo Ernestius haerebat, alii autem ita se expediunt, ut hoc pronomen eodem modo poni putent, atque *illi*, quo saepius Cato in Stoicis demonstrandis utitur. Mire hoc demum loco, constituto iam summo bono et demonstrato, nihil esse bonum, nisi quod honestum sit, ipsa boni notio attingitur et eius origo. Sed, ut ad II, 4 iam dixi, ipsi Stoici huic notioni a prima origine repetendae et constituendae minorem, quam debebant, operam impendisse videntur nec eius pertractationem in totius disciplinae descriptione praecipuo loco posuisse. Itaque non satis id consequebantur, quo ipsa haec explicatio (maxime § 34) spectat, ut perspicue ostenderent, bonum, quod ethice diceretur, quod illi solum bonum appellabant, quomodo ab illo bono, quod alio modo diceretur, differret et qua ex parte cum illo consociaretur. Ex definitionibus autem boni Stoicis, quae conservatae sunt, aliae tantum huius notionis cum alia non magis explicata nexum significant, ut illa communis, ἀγαθὸν εἶναι ὠφέλειαν ἢ οὐχ ἕτερον ὠφελείας (Sext. Emp. Pyrrh. Hypot. III, 169, adv. Eth. 22, Diog. VII, 94), aliae tantum adiunctum quiddam huic notioni, et quod consequens sit, exprimunt, ut illae, quae apud Sext. Empir. Hypotyp. III, 172 et adv. Eth. 30 ponuntur

definitiones paulum oppido inter se differunt, et tamen eodem spectant. Ego assentior Diogeni, qui bonum definierit id, quod esset natura absolutum. Id autem sequens illud etiam, quod prodesset (*ὠφέλημα* enim sic appellemus), motum aut

1. [*opido* A] 2. *ergo* E 3. [*esset enatura* A] *esse a natura* E
4. *ophelem* [ΛEh]PM *ophelen* C *ophelon* R (*tophelemema*, om. *enim*, Em)

(*ἀγαθὸν τὸ δι᾽ αὑτὸ αἱρετὸν ἢ τὸ συλλαμβανόμενον πρὸς εὐδαιμονίαν ἢ τὸ συμπληρωτικὸν εὐδαιμονίας*); illa autem, quae apud eundem Sextum praeterea utroque loco explicatur (Hypot. III, 171, adv. Eth. 31 sqq.) quaeque etiam apud Diogenem illo loco et apud Stobaeum (Ecl. Eth. p. 96) commemoratur, non boni definitio est, sed rerum bonarum enumeratio et divisio, quae alia forma exponitur apud Ciceronem § 55. Itaque quae vim et naturam notionis propius attingere conetur, ut Diogenis Babylonii, quam Cato ponit, una praeterea superest, paulum oppido differens nec tamen (ut a nonnullis dici video) eadem, apud Diog. Laërt. l. c. *τὸ ἀγαθὸν τὸ τέλειον κατὰ φύσιν λογικοῦ ὡς λογικοῦ.*

paulum oppido inter se differunt, et tamen) Davisio *tamen* non recte positum videbatur, quod, cum iam verba *paulum oppido* ad minuendam differentiae vim pertinerent, non esset huic contrarium illud *eodem spectant.* Praesto est Gzius, qui narret, *paulum oppido* esse *ein wenig sehr*; habemus igitur Catonem irridentem magnum Stoicorum in bono definiendo dissensum; aliter enim illud intellegi non potest. Comparat autem *parum admodum*, *parvo admodum plures*, quorum illud nemo dixit, hoc Livius (X, 45, 11) contrario significatu. Sed bene res habet; neque *oppido differre* quisquam dixit neque *paulum* addidit alteri adverbio gradus definiendi causa, diciturque *paulum oppido*, ut *pauci admodum*, *multum admodum*, hoc est, *admodum multum.* Tantummodo Cato brevitate quadam simul et differentiam esse significat (*paulum differunt*), ad quam significationem aptum est *sed* initio positum, et minuit (*oppido paulum*); itaque vocem *tamen* non ad hoc posterius: *oppido paulum* rettulit, sed ad prius illud: *sed — differunt.* Mox coniunctivus *definierit* (pro quo Ern. e Dav. coniectura: *definiit*) videtur causalem significationem habere, et tamen obscurissimam, vix ut appareat; nam cum non ostendatur, quo haec definitio ceteras vincat, minime hoc simile est, ut hoc utar, ei, quod II Acad. 32 dicitur: *Naturam accusa, quae in profundo veritatem abstruserit.*

Id autem sequens illud etiam, quod cet.) Sequens Diogenes hanc definitionem et in ea perstans, cum bonum definisset *natura*

statum esse dixit e natura absoluto. Cumque rerum notiones

1. *absoluta* omnes

absolutum, etiam illud, quod prodesset, definivit *statum e natura absoluto*. Bonum est virtus et eius species, velut φρόνησις. status autem et motus (actio) is, in quo virtus inest, ὠφέλημα dicitur, id est, status habenti et aliis utilis, et infra § 69 et apud Stobaeum Ecl. Eth. p. 140: *Αἱρετὸν μὲν ἀγαθὸν πᾶν* (male Heerenius τὸ πᾶν), *αἱρετέον δὲ ὠφέλημα πᾶν, ὃ θεωρεῖται παρὰ τὸ ἔχειν τὸ ἀγαθόν* (spectatur bonum habendo; sine causa Heer. *παρὰ τοῦ ἔχειν*), *διὸ αἱρούμεθα μὲν τὸ αἱρετέον, οἷον τὸ φρονεῖν, ὃ θεωρεῖται παρὰ τὸ φρόνησιν ἔχειν, τὸ δὲ αἱρετὸν οὐχ αἱρούμεθα*. Add. p. 158: *Ὠφέλημα οἷον τὸ φρονεῖν, τὸ σωφρονεῖν*. Verbum ipsum *ὠφελεῖν* Diogenes (VII, 104) ait definiri a Stoicis *κινεῖν ἢ ἴσχειν κατ' ἀρετήν. βλάπτειν δὲ κινεῖν ἢ ἴσχειν κατὰ κακίαν* (Stob. Ecl. Eth. p. 188 tantum *ἴσχειν κατ' ἀρετὴν* habet). Iam cum *ἀρετή*, hoc est, *ἀγαθόν* Diogeni esset *τὸ τέλειον κατὰ φύσιν* aut *φύσει* (sic enim reddamus *natura absolutum*), *ὠφελεῖν* erat ei *κινεῖν ἢ ἴσχειν κατὰ τὸ τέλειον κατὰ φύσιν* (*φύσει*). Nam mire interpretes iam inde a Lambino et Davisio, etiam Beierus ad Offic. III, 11 p. 201, aberrant, vocem *sequens* pro accusativo accipientes et coniungentes *id sequens*, ut huic superaddatur *illud etiam*, *quod* cet., nec animadvertunt. barbarum esse *id sequens*, in quo *id* aut pro articulo est (*τὸ ἑπόμενον*) aut pro demonstratione (*sequens illud*). Sed haerent in *etiam*; itaque fere enarrant, ut Bremius, Beierus, Otto, quasi sit: *quod etiam prodesset*, et gradum aliquem hunc faciunt, ut *ὠφέλημα* sit *ἐπιγέννημα* boni. Atqui *ὠφέλημα* Stoicis non *ἐπιγέννημα* erat. sed ipsa virtus, quatenus habetur; *ἐπιγεννήματα* bonae actionis erant *χαρά* et *εὐφροσύνη* (Diog. VII, 94). Unus praeter Th. Bentleium Gzius *sequens* recte accepit, casu; nam reliqua omnia perturbavit, primum *etiam* delens, ut fecerant Manutius et Lambinus (apud Marsum est *i.*, quo compendio notatur *id est*), deinde *ὠφέλημα* mutans in *ὠ φ έ λ ε ι α ν*, et Stoicos aliter dixisse negans. qui *ὠφέλειαν* ipsum bonum appellabant. Codd. ait habere aut *ophelem* (Ox. χ) aut *ophelen*; [illud bonos habere, apparet ex AB Eh]; Grut. et Dav. tacent. Marsus et Iunt. *ophelon*, Crat. *ὀφειλὴν* (sic); recte primus, opinor, Victorius. [*Ὠφέλημ'* facta elisione vix Cicero scripsit.]

e natura absoluto) Sic verissime Bremius, quem recentiores sequuntur; est enim, ut superiore annotatione exposui, *κίνησις ἢ σχέσις κατὰ τὸ φύσει τέλειον*. *Natura absoluta* neque ullum habet in hac Stoicorum disputatione locum neque in hac Diogenis definitione, quae superiorem illam boni constitutionem in

in animis fiant, si aut usu aliquid cognitum sit aut coniunctione aut similitudine aut collatione rationis, hoc quarto, quod extremum posui, boni notitia facta est. Cum enim ab iis rebus, quae sunt secundum naturam, ascendit animus

1. *animis fiant fiant usu* E [*aliquod* Eh] 3. *quod est extremum* C *bonum* omnes [*noticia* A *nocio* Eh] *notio* LOr. 4. *his* LC

se continere debet. Error librarii coniungentis *e natura* et ei accommodantis *absoluta* perspicuus est. Nec in hac interpretatione formulae Graecae durior, quam quae ferenda sit, haec coniunctio videri debet: *e natura absoluto*, inter *e* et *absoluto* alio interposito ablativo, cum ex sententia proxima superiore perspicuum sit, *natura absolutum* unam esse notionem ac pro una voce poni. Si Cicero sic dixisset: *ex eo, quod esset natura absolutum*, minus breviter apteque vertisset. [Magis perspicua, sed tamen eiusdem formae haec sunt: ad Fam. XII, 30, 7: *cum ignominia dignis*; de Fato 5: *in brumali die natis*; Philipp. II, 114: *non in regnum appetentem*. Nam poëtas omitto.]

Cumque rerum notiones cet.) Eandem varietatem originis notionum commemorant Sextus Empir. adv. Mathem. III, 40 et IX, 393 sqq. et, qui plures species novis partitionibus effectas enumerat, Diogenes VII, 52—53. Sextus igitur priore loco sic: *Καθόλου τε πᾶν τὸ νοούμενον κατὰ δύο τοὺς πρώτους ἐπινοεῖται τρόπους· ἢ γὰρ κατὰ περίπτωσιν ἐναργῆ* (hanc altero loco *ἐμπέλασιν τῶν ἐναργῶν* appellat) *ἢ κατὰ τὴν ἀπὸ τῶν ἐναργῶν μετάβασιν, καὶ ταύτην τρισσήν· ἢ γὰρ ὁμοιωτικῶς ἢ ἐπισυνθετικῶς ἢ ἀναλογιστικῶς*. Addit deinde exempla. Cicero, ut Diogenes, primam divisionem duorum summorum generum omittit; *περίπτωσιν*, id est, rerum in sensus incursum minus accurate et perspicuè *usum* interpretatus est, melius *coniunctionem ἐπισύνθεσιν* (Diog. *σύνθεσιν*), quae est, cum duae *φαντασίαι* conflantur, *similitudinem ὁμοιότητα*, ut cum ex imagine Socratis Socratis ipsius notio concipitur, *ἀναλογίαν* autem *collationem rationis*. Comparandus iam Senecae locus in Ep. 120, 4, ubi quaerit, *quomodo ad nos prima boni honestique notitia pervenerit. Quidam*, inquit, *aiunt nos in notitiam incidisse, quod est incredibile, virtutis alicui speciem casu occurrisse. Nobis videtur observatio collegisse et rerum saepe factarum inter se collatio; per analogiam nostri intellectum et honestum et bonum putant.* (Sic recte Schweighaeuserus e codicibus: *nostri*, id est, Stoici *putant bonum intellectum esse analogia.*) [*Visu* de *φαντασίᾳ* non Ciceroniane diceretur; nec pro *περιπτώσει ἐναργεῖ* substitui *φαντασία* poterat.]

hoc quarto, quod extremum posui, boni notitia) Sic Lambinus

collatione rationis, tum ad notionem boni pervenit. 34. Hoc autem ipsum bonum non accessione neque crescendo aut cum ceteris comparando, sed propria vi sua et sentimus et appellamus bonum. Ut enim mel, etsi dulcissimum est, suo tamen proprio genere saporis, non comparatione cum aliis dulce esse sentitur, sic bonum hoc, de quo agimus, est illud quidem plurimi aestimandum, sed ea aestimatio genere

6. *agitur* L 7. *existimandum* L *ea estimacione* E

in curis secundis correxit, quod in codice archetypo scriptum erat: *posui bonum notitia*; librarius *bonum* accommodavit ad *quod extremum*. Requiri *boni*, senserat, qui in cod. Scalig. et El. 1 scripsit: *posui bonum, boni*, et qui in Eξ: *bonum, eius*. (Aldus *bonorum notitia*.) Sed quod praeterea Gzius ex Spir. [B] et Erl. edidit *notio*, correcta videtur a librario Ciceronis inconstantia, qui bis *notionem*, medio lóco *notitiam* dixit, quo vocabulo non raro pro altero utitur, velut V, 60.

34. *non accessione neque crescendo*) Quos „codices plures“ *atque* pro *neque* habere Gzius dicat, nescio; *neque* eo modo ponitur, quo ad I, 30 dixi; nam una notio duobus verbis exprimitur. Sed minus recte Davisius hic significari putat, omnia bona aequalia esse; stultissime Gzius sic enarrat: *non usu* (*per accidens*) (!) *neque coniunctione aut similitudine*, qui satis declarat, quae esset περίπτωσις, quae ἐπισύνθεσις, quae nomina ponere non veretur, se omnino ignorasse. (Et belle Cato, cum dixisset, quomodo ad boni notionem perventum esset, adderet: Hoc autem ipsum bonum, quod quarta ratione intellectum dixi, non intellectum est una ex tribus prioribus rationibus.) Postquam Cato exposuit, a primis naturae ad boni notionem collatione rationis ventum esse, cavet, ne quis hoc ita interpretetur, ut in eodem genere, in quo prima natura sint, bonum esse putet, tantummodo accessione aliqua et gradu (haec est enim *comparatio*) ab illis differens, et aestimationem maiorem illam quidem, sed eiusdem generis habere. Itaque sic ascendi illa collatione rationis dicit, ut posterius et superius (bonum) ab inferiore et priore (primis naturae) genere, non gradu differat. Nec tamen facile Stoici se ex his angustiis expediebant, in quas inciderant, cum omnium notionum a sensibus originem repeterent, et magis affirmando rem praecidebant. Nam cum ἀναλογία illa sive collatio rationis esset aut αὐξητική aut μειωτική (Sext. Emp. adv. Math. ll. citt.), non sane appàret, quomodo ea quidquam inveniri potuerit genere differens.

valet, non magnitudine. Nam cum aestimatio, quae ἀξία dicitur, neque in bonis numerata sit nec rursus in malis, quantumcumque eo addideris, in suo genere manebit. Alia est igitur propria aestimatio virtutis, quae genere, non crescendo valet. 35. Nec vero perturbationes animorum, quae

1. *axia* A] 2. *dicit* E *bonis natura sit* C *non rursus* C *neque rursus* Or. *nec risus* [A]EP

aestimatio, quae ἀξία dicitur) quae tribuitur rebus iis, quae secundum naturam sunt, propter quam seligendae sunt et tamen in mediis et indifferentibus relinquuntur; vid. 20.

35. *Nec vero perturbationes* cet.) Totum hoc de sapiente perturbationibus vacuo neque cum iis, quae praecedunt, neque cum iis, quae sequuntur, admodum perspicue cohaeret nec apte interpositum videtur. [Videtur Cicero caput in plena ethicae Stoicorum expositione excerpenti sibi oblatum loco incommodo interposuisse. Nam quod Bakius ad Cic. de Legg. p. 262 haec eicienda putat, neque causa interpolationis fingi ulla potest et singula prope verba Ciceronianam notam impressam habent. Nec multo arctius cum ceteris cohaerent, quae § 49 de divitiis interponuntur.] Verba autem vulgo sic scribebantur, ut parenthesi includerentur haec: *quas Graeci — vitiosa declarari videtur* (ab aliis: *poteram — videtur*), tum sequerentur illa: *nec eae* (*hae*) *perturbationes — moventur*, ubi absolvi putabatur oratio interrupta, deinde adiungerentur reliqua: *omnesque — elationem voluptariam*, et ibi plene interpungeretur. Nec quemquam haesisse video nisi Lambinum. Et tamen quam multa vitiosa! Primum, qui sententiam interruptam absolvit, numquam eam particulam copulativam (*nec*) repetit, qua ea ab initio superiori orationi adiuncta est; sententia enim revocatur, non illa adiunctio, et, si *nec* ponatur, id necessario ea, quae subiciuntur, proximis, id est, parenthesi annectat. Non igitur *nec eae* dicendum erat, sed: *eae igitur — non* aut simili modo. Deinde apparet, interrumpi hic primariam sententiam de perturbationibus interposita explicatione nominis earum et generum. Itaque ea demum finita, oratio ad propositum redire potest. Atqui ea minime ibi finitur, ubi illa: *nec eae* cet. ponuntur, sed continuatur his verbis: *omnesque* cet., et postquam dictum est, quo nomine utendum sit, deinde genera dividuntur. Itaque perversissime in mediam hanc progressionem sententiarum illa intericiuntur: *nec eae* cet. Nec, quod putant, ea continent primariae sententiae absolutionem. Neque enim primarium est, perturbationes non natura moveri, sed sapientem iis vacare. Id et

vitam insipientium miseram acerbamque reddunt, quas Graeci πάθη appellant, poteram ego, verbum ipsum interpretans, morbos appellare, sed non conveniret ad omnia; quis enim

1. *et acerbam* L [*grece pathe* AEh] 3. *conveniet* [A]ELMCR

totius loci exitus ostendit et initium, ubi huic sententiae contrarium ponitur: *quae vitam insipientium miseram reddunt.* Deinde autem idem illud paulo post ponitur plenius: *perturbationes autem* cet., et ita ponitur, ut omnino ante dictum esse nequeat. Quis enim, cum aliquid iam plene dixerit, deinde pauca non contraria posuerit, sed addiderit (*omnesque*), illud sic iterat, tamquam transeat ad aliud: *perturbationes autem* cet.? Manifestum est igitur, explicationem illam perturbationum, quae incipit ab his verbis: *quas Graeci* cet., non interruptam sic decurrere, ut generum divisioni adiungatur originis notatio (*perturbationes autem*), deinde huic extremae parti ipsum illud adiungi et concludi, quod initio dicere Cato instituisset: *itaque his sapiens* cet. Itaque oratio initio abrupta omnino non absolvitur eadem forma, sed id, quod interiectum erat, sensim in idem exit. Illa autem verba: *nec eae — moventur* non a Cicerone scripta sunt ineptissimo loco, sed ab aliquo, qui primariam sententiam conatus est indicare et institutam absolvere, nec tamen satis attendit. (Lambinus: *nec hae igitur* et postea: *perturbationes, inquam, nulla* cet.) Erunt, qui putent, ipso illo *autem* (post *perturbationes*) sententiam initio institutam revocari, auctoreque utantur Handio in Tursell. I p. 569. Sed rectissime Beierus iudicarat, numquam sic poni *autem*, quae particula id, quod proxime praecessit, continuat, etiam contrario adiungendo; contra *sed* ea, quae interposita sunt, sic abrumpit, ut, illis relictis, oratio ad primam sententiam redeat. In libro I de Off. 153, quo loco Handius utitur, eadem prorsus est forma orationis, quam hoc loco declaravi. Incipit Cicero de sapientia dicere; intericit admonitionem de prudentia; huic ipsi admonitioni et prudentiae definitioni ex contrario (*illa autem sapientia*) sapientiae definitio adiungitur; huic annectitur, non ad initium redit, primaria sententia: *ea si maxima est* cet.; ipsum initium orationis: *Princepsque* cet. nusquam grammatice absolvitur. Qui in verbis *illa autem* eo rediri putant, illi statuunt, ab initio Ciceroni tamquam primarium propositum fuisse hoc loco sapientiam definire. At omnis eius oratio eo spectat, ut ostendat, etiam ex sapientiae notione sequi, ut communitatis officia maxima sint.

sed non conveniret) Sic, opinor, primi Manutius et Lambi-

misericordiam aut ipsam iracundiam morbum solet dicere? at illi dicunt πάθος; sit igitur perturbatio, quae nomine ipso vitiosa declarari videtur; [nec eae perturbationes vi aliqua naturali moventur;] omnesque eae sunt genere quattuor, partibus plures, aegritudo, formido, libido, quamque Stoici communi nomine corporis et animi ἡδονήν appellant, ego malo laetitiam appellare, quasi gestientis animi elationem voluptariam; perturbationes autem nulla naturae vi commoventur, omniaque ea sunt opiniones ac iudicia levitatis; itaque his sapiens semper vacabit.

XI. 36. Omne autem, quod honestum sit, id esse propter se expetendum, commune nobis est cum multorum aliorum philosophorum sententiis. Praeter enim tres disciplinas,

1. *misericordiam* om. E, spatio vacuo. *appellare solet* (pro *sol. dic.*) L 2. [*pathos* A] *sic igitur* R 3 *ipso vitiosa* om. E *nec — moventur* sine uncis Or. *hae* (LP)ROr. (*hee* C) 4. [*omnesque hec* Eh] *omnesque hae* LPCR (*hee* C) *omnesque* Or. [A, sed rasura sequitur unius vocabuli.] 5. [*firmido* Eh] *fortitudo* L *libido formido* MR *quamquam* R 6. [*hedonē* A] 7. *dationem* (pro *elationem*) C 10. *iis* LR *is* C 11. [*omnem autem* A] 13. *sententiis philosophorum* L

nus, tum Gruterus; nam superiores *conveniet*, ut codd. Davisii sex, tres optimi Gzii [B]; (Par. 3, Eξ (?), ceteri Gzii *convenit*); condicionale tempus necessarium est propter *poteram*.

omnesque eae) Edebatur *hae*. Omisit Dav. et recentiores pronomen (contra omnes Gzii codd.), quia praecederet *hae perturbationes*. Nunc apparet, etiam necessarium esse, cum a genere ad species transeatur. De definitione voluptatis sive laetitiae vid. ad II, 13. Ipsa divisio vel e Tusculanarum libro quarto notissima est.

omniaque ea sunt opiniones ac iudicia levitatis) *Omniaque ea* neutro genere non potest absolute dictum esse, cum praecedat proxime unum totius rei nomen (*perturbationes*), sed propter praedicatum; relatum est igitur non ad propius nomen (*opiniones*), sed ad remotius, quod scriptor dignitate praestare voluit (*iudicia*), cuius formae in hac accommodatione subiecti ad subsequens praedicatum aliud exemplum non habeo. (De praedicati genere ad remotius relato, ut I Legg. 1 *lectus* ad *lucum*, non ad *quercum* refertur, distincte exposuit Wesenbergius in Observv. Critt. in orat. pro Sest. p. 13 sq.)

Cap. XI, 36. *Praeter enim tres disciplinas*) Minus accurate tres sententias tribus disciplinis tribuit; neque enim disciplinae

quae virtutem a summo bono excludunt, ceteris omnibus philosophis haec est tuenda sententia, maxime tamen his, qui nihil aliud in bonorum numero nisi honestum esse voluerunt. Sed haec quidem est perfacilis et perexpedita defensio. Quis est enim aut quis umquam fuit aut avaritia tam ardenti aut tam effrenatis cupiditatibus, ut eandem illam rem, quam adipisci scelere quovis velit, non multis partibus malit ad sese, etiam omni impunitate proposita, sine facinore quam illo modo pervenire? 37. Quam vero utilitatem aut quem fructum petentes scire cupimus, illa, quae

2. Post *his* add *Stoicis* omnes, Or. cum uncis (*in* pro *his* C) 4. *haec* om. E *expedita* E 6. [*et eandem* Eh] 7. *ipsam rem* R *quamquam adipisci* [A]ELP 8. *postposita* E

hae fuerunt, nisi Aristippi et Epicuri, quos Cicero ibi in una sententia ponit; Hieronymum nulla secuta est familia; Carneades autem tertiam illam sententiam disputandi causa proposuerat, non quam ipse constanter teneret, nedum Academicorum disciplina et secta.

maxime tamen his, qui) Codices omnes *his Stoicis qui* (unus apud Manutium ut C *tamen in Stoicis qui*). Non potest ullo modo huic circumlocutioni (*his, qui* cet.), qua etiam causa continetur, ipsum nomen interponi; sic enim *hi Stoici* ab aliis quibusdam Stoicis seiungentur. Vocem ab interprete additam post Lambinum multi damnarunt. [Quod Lachmannus ad Lucret. p. 231 *his* tollit ut ortum ex scriptura *istoicis*, nusquam eius scripturae in hoc nomine in his libris ceterisve Ciceronianis de philosophia ullum vestigium est mendorumve inde ortorum; contra additamentum huiusmodi, cuiusmodi *Stoicis* est, exempla non rara sunt.] Mox *haec defensio* est, quae hanc rem defendit, *huius rei*; vid. ad II, 66. Tum *expedita* etiam Spir. [B], Gud. 1, Eξ, quod verum esse potest; nam etiam in Tuscul. II, 30 optimi codd. (Par., Guelf. 1) habent *perexigua et minuta*; ad Q. Fr. I, 1, 18: *dilectus percautus et diligens*; ibd. II, 15 a [13], 3: *persalse et humaniter*; ad Att. quoque XIV, 12, 2 certiorem auctoritatem habet *perhonorifice et amice.* Solet tamen *per* repeti (N. D. I, 1, R. P. I, 18, de Orat. I, 205, Brut. 158), et pro Cael. 50 servatur in optimis codd., abest a deterioribus. [Itaque nunc A secutus sum; antea Erl. et Spir. parueram.]

eandem illam rem, quam) Mendose Pall. 1, 2, 4, Ox. U, tres optimi Gzii [B] *quamquam*; relativum requirit tota orationis forma. (*Ipsam* quaedam edd. vett., *illam* mg. Crat.)

occulta nobis sunt, quomodo moveantur quibusque de causis ea versentur in caelo? Quis autem tam agrestibus institutis vivit aut quis contra studia naturae tam vehementer obduruit, ut a rebus cognitione dignis abhorreat easque sine voluptate aut utilitate aliqua non requirat et pro nihilo putet? aut quis est, qui maiorum, aut Africanorum aut eius, quem

1. *quomodo moveantur* om. E *quo moveantur* LPMCR 2. *versantur* [A]LPMC 3. *obduravit* omnes 4. *cognitu* C 5 *aut pro nihilo* E

37. *quomodo moveantur*) Sic Pall. (omnesne?), Par. 2, Eξχψ, Gzii, excepto Gud. 2, omnes, et sic iam edit. a. 1480. *Quo* Vict. et quidam alii; vid. ad II, 53. Hoc studium rerum caelestium cognoscendarum in hac re solet commemorari; cfr. II, 46. Sed ut nunc scribitur, his verbis: *illa*, *quae occulta nobis sunt* (*moveantur*), corpora caelestia describuntur; atqui illa occulta minime sunt. Hoc post Dav. intellexit Bremius, qui scripsit: *quomodo moveantur* [*astra*]. Sensit igitur illud: *scire cupimus illa*, *quae* — *sunt*, generaliter dici, tum exempli loco alterum adiungi; sed correctio nullam probabilitatem habet. Praeterea Dav. intellexit, non vacare tautologiae crimine haec: *quomodo moveantur quibusque de causis versentur*, quae Bremius non bene excusat. Codd. Pall. omnes, Dav., Oxx. EUχ *versantur*. [B cum Erl. *versentur*.] Videtur Cicero scripsisse: *quomodo moveantur quibusque de causis ea*, *quae versantur in caelo* (id est, corpora caelestia). Pro *moveantur* cod. Scal. et El. 1 *novantur*.

obduruit) Correctionem hanc habent cod. El. (1), Eξ, secutique sunt fere editores inde a Crat. praeter Vict. et Grut. (iam a. 1480; *obduravit* mg. Crat.) Totiens Cicero ea forma, quae huius significationis propria est. usus est, adeo nulla ne apud alios quidem inconstantiae vestigia sunt (nisi quis imperativo *obdura* absolute a poëtis posito aliquid tribuendum putat), ut vix dubitari possit, quin unius litterae mendum codex archetypus habuerit. Tum *cognitu* ad Lambinum et Gruterum propagatum erat, contra codd. (Dav., Oxx., Gzii).

maiorum, *aut Africanorum aut eius* cet.) Recte et maiores communiter appellantur et primum locum tenent Africani; id ambigi potest, in exemplis generi subiungendis rectene sic *aut* — *aut* ponatur, quasi divisio sit. Scribendum videtur: *ut Africanorum*, quod iam Gzio in mentem venit. *Proavum* Catonis censorium illum non, ut Manutius et Bremius putant, minus proprie, sed recte appellari, intellegitur ex iis, quae Gellius XIII, 19 (20) tradit.

tu in ore semper habes, proavi mei ceterorumque virorum fortium atque omni virtute praestantium facta, dicta, consilia cognoscens nulla animo afficiatur voluptate? 38. Quis autem honesta in familia institutus et educatus ingenue non ipsa turpitudine, etiamsi eum laesura non sit, offenditur? quis animo aequo videt eum, quem impure ac flagitiose putet vivere? quis non odit sordidos, vanos, leves, futiles? Quid autem dici poterit, si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statuemus, quo minus homines tenebras et solitudinem nacti nullo dedecore se abstineant, nisi eos per se foeditate sua turpitudo ipsa deterreat? Innumerabilia dici possunt in hanc sententiam; sed non necesse est. Nihil est enim, de quo minus dubitari possit, quam et honesta expetenda per se et eodem modo turpia per se esse fugienda. 39. Constituto autem illo, de quo ante diximus, quod honestum esset, id esse solum bonum, intellegi necesse est, pluris id, quod honestum sit, aestimandum esse quam illa media, quae ex eo comparentur. Stultitiam autem et

1. [*habes* om. A] [*ceterorum*, om. *que*, A] 6. *quamvis animo* C *et flagitiose* E 8. *poterat* LMCR *ipsam non* E 9. *statueremus* LPMR *statuerimus* C 10. [*delectore* Eh] 12. [*non* om. A] 13. *enim est* R *quam* om. C 14. *per se ipsa esse* L 15 [*custodito* A] 16. *sit* LPMCR 17. *id* om. LP 18. *aut* (om. *et*) C

38. *dici poterit, si — statuemus*) *Poterit* iam Marsus, Crat., Lambinus, Gruterus ex aliquot Pall., Eξ, Spir. [B]. *Statuemus* cod. Mor., Grut. et recentiores ex iisdem Pall., Spir. [B], *statueremus* (propter *poterat*) Parr. tres, Ball., Mead., E, aliquot Gzii, pars edd. veterum; hinc *statuerimus* CCC et aliae editiones, Lambinus. Davisio Walkerus persvasit haec verba: *si turpitudinem — statuemus* tollenda esse, quod eadem sententia contineretur iis, quae sequuntur: *nisi eos — deterreat*. Repetitur et propius ad rem accommodatur condicio eo modo, de quo ad I, 7 dictum est; cfr. Wopk. Lectt. Tull. p. 55.

39. *quod honestum esset*) Sic etiam Pal. 1 et [B et] quattuor Gzii codd.; Gud. 2 verbum omittebat. Edebatur ante Gzium *sit*. Cicero rettulit ad *diximus* (§ 26 sqq.). Quod sequitur: *media, quae ex eo* (honesto) *comparentur*, eo pertinet, quod honestum est omnia facere, ut prima naturae consequamur; itaque virtus ea comparat seligendo.

Stultitiam autem et timiditatem) Sic Bremius, Guyetum se-

timiditatem et iniustitiam et intemperantiam cum dicimus esse fugienda propter eas res, quae ex ipsis eveniant, non ita dicimus, ut cum illo, quod positum est, solum id esse malum, quod turpe sit, haec pugnare videatur oratio, propterea quod ea non ad corporis incommodum referuntur, sed ad turpes actiones, quae oriuntur e vitiis. Quas enim κακίας Graeci appellant, vitia malo quam malitias nominare.

XII. 40. Ne tu, inquam, Cato, verbis illustribus et id, quod vis, declarantibus! Itaque mihi videris Latine docere philosophiam et ei quasi civitatem dare; quae quidem adhuc

1. *temeritatem* (pro *timiditatem*) omnes, Or. 2. *fugiendum* E *fugiendam* ceteri. *proveniant*, corr. *eveniant* E 3. *illo*, *quo* EOr. 4. *videtur* L 5. *commodum* E 7. [*cacias* A] *Graeci* κακ. LPMCROr. 8. *haec tu* LPMR

quens, vere et necessario scripsit pro eo, quod in codicibus est: *et temeritatem.* Apertum est enim enumerari quattuor vitia, quae quattuor primis virtutibus contraria sint; itaque requiritur, quae fortitudini contraria est, δειλία (vid., si tanti est, Stob. Ecl. Eth. p. 104, Diog. Laërt. VII, 100); ea ignavia appellatur (I, 50) sive timiditas (IV, 53), saepe etiam utroque nomine (I, 49). Temeritas eadem est, quae stultitia (I, 50). Nam quod Gzius fortitudini duo vitia contraria esse vult, unum, quod defectu peccet, ignaviam, alterum, quod excessu, temeritatem, primum ea audacia est, non temeritas, etsi haec saepe audaciae comes est, deinde hoc totum ad Stoicos omnino nihil pertinet et ad hanc quadripertitam vitii divisionem. Stultitiae nomen librario non attendenti alterum simile sub calamum subiecit. (Beierus ad Off. I p. 335, vera et aperta correctione non contentus, temere plura .mutat.) *Fugienda* Manutius, tum Gruterus tacite et recentiores; firmat Spir. [?]; nam ceteri Gziani et Oxx. [B] *fugiendam*; pluralem postulat, quod subicitur, *ex ipsis.*

cum illo, quod positum est) Etiam Spir. [B] *quo*, et recepit Gzius manifestum mendum, ortum ex *illo.* Latine non dicitur: *Hoc* (ablativo casu) *ponitur illud et illud.* Mox κακίας *Graeci* etiam Gud. 1 [B]. De κακίας et vitii et malitiae nominibus eadem, quae hic, exponuntur Tuscul. IV, 34.

Cap. XII, 40. *Ne tu*) Sic Pal. 1, mg. Crat., cod. Mor., Spir. [B], edd. inde a Lambino. Oxx. et Gzii reliqui ut nostri deteriores. Ut *Latine scire* dicitur, sic etiam *docere aliquem Latine* et *discere* et *oblivisci* quoque, pro Caec. 62.

peregrinari Romae videbatur nec offerre sese nostris sermonibus, et ista maxime propter limatam quandam et rerum et verborum tenuitatem. Scio enim esse quosdam, qui quavis lingva philosophari possint; nullis enim partitionibus, nullis definitionibus utuntur, ipsique dicunt, ea se modo probare,

1. [*videbantur* Eh] *efferre* R 2. *istam* LPMCR *quandam limatam* L 3. *esse* om. C *quãuis* [AEh]CR 4. [*nullus enim* A] 5. *ipsi qui* LPMCR *ipsisque* EOr.

et ista maxime) quae a te explicatur, Stoica, quae subtile et spinosum habet disserendi genus; nam Epicurei quavis lingva philosophari possunt. Quid apertius? et quis nescit *istas* appellari res, quae ad eum pertineant, quocum loquare? In deterioribus codd. *m* adhaesit ex *maxime* (in Lambinianis, Pall. praeter 1. Oxx., exceptis Eξ, Davisianis; Gzius *ista* in omnibus suis esse sine dubio falso scribit); correctum est iam apud Mars., Crat. Videat mihi nunc aliquis (ascribam enim admonitionis causa) incredibiles interpretum errores, ex quo semel Lambinus (in posteriore editione) dormitavit. Is planius putat fore, si ita legatur: *et maxime propter istam limatam* cet. Scaliger scribi voluit: *sermonibus est quita propter* cet. (in cod. eius dicitur fuisse: *sermonibus e lista propter*), Davisius: *sermonibus esse ausa, maxime* cet., Bremius: *est ausa, maxime.* Gzius tamen principatum errandi hic quoque stultitia tuetur. „*Ista*“ inquit „neutrum est, et ad praegressa verba: *videris Latine docere philosophiam* cet. referendum.“ Quaeras, quo sensu. „Et ista mihi videris maxime cet.“ (Audiemus *facere* et *ista* pro *istud* accipiemus et hoc pro *id*). Schuetzius, Orellius, Otto *ista* nominativum putant, sed enarrant: *et ea quidem maxime*, id est, *et quidem maxime!* Pudet me philologorum. *Tenuitatem* Cicero dicit τὴν λεπτότητα, quo significatu Acad. II, 43 *tenuem et acutam distinctionem* appellat et ibd. 66 *rationes non ad tenue elimatas.* Epicureorum scripta Latina, Amafinii, Rabirii, Catii saepius Cicero insectatur.

nullis enim partitionibus) Propter *quamvis*, qui error, excepto Aldo, mansit ad Lamb., in ed. Iunt. scriptum est *nullis tamen* (quod in Gud. 1 superscriptum erat), mansitque in edd. plerisque ad Gzium. De re vid. I, 22.

ipsique dicunt, ea se modo) Non ab aliis obicitur, sed ipsi aperte profitentur, se nihil praeter sensuum iudicium sequi; ea est enim natura (vid. I, 30). *Ipsique* restituit Gruterus (et iam ante Marsus) e Pal. 1, cui consentiunt Mead., Eξ, ex eoque apparet deteriorum codicum scripturam ortam esse. Gzius Erlangensis et Spir. [B] mendum arripuit *ipsisque dicunt* cet., in

quibus natura tacita assentiatur; itaque in rebus minime obscuris non multus est apud eos disserendi labor. Quare attendo te studiose et, quaecumque rebus iis, de quibus hic sermo est, nomina imponis, memoriae mando; mihi enim erit iisdem istis fortasse iam utendum. Virtutibus igitur rectissime mihi videris et ad consvetudinem nostrae orationis vitia posuisse contraria. Quod enim vituperabile est per se ipsum, id eo ipso vitium nominatum puto, vel etiam a vitio dictum vituperari. Sin *κακίαν* malitiam dixisses, ad aliud

1. *tacite* L 2. *discernendi* C 3. *te* om. L *his* L 4. *commendo* R 5. [*rectissime igitur* Eh] 8. *ipso* om. L *vitio* [A]R *denominandum* L 9. *si* C [*catiā* AEh] [*dixisset* Eh]

quo, praeter eversionem optimae sententiae, et ordo verborum ineptus est et usus; neque enim de huiusmodi iudicio. cum quaeritur, cui tamquam vero et cognitionis initio assentiamur, dicitur *hoc vel illud nobis se probare*; postremo *ipsis* pro *sibi* contra Ciceronis et huius aetatis consvetudinem ponitur. Nam Cicero in infinita oratione ita demum *ipse* pro reflexivo ponit, si in *ipso* homine vel re notanda et ab aliis separanda momentum orationis est, velut pro Sest. 32: *quis umquam consul senatum* *ipsius* *decretis parere prohibuit?* id est, non *suis*, sed *suis ipsius*, et in Verr. I, 13: *ipsis inspectantibus*; pertinent huc nonnulla ex iis, quae Ramshornius posuit p. 547; multo magis id facit in sententia coniunctiva, ut II, 117 et hic 64: *negant se recusare, quo minus ipsis mortuis* cet., et V, 24: *nec, quid ipsius natura sit, intellegit.* Paulo longius progreditur Liv. XXXV. 46, 13 (*nam ipsis*); plane *ipsos* et *ipsis* pro *se* et *sibi* non raro Seneca ponit et Curtius, ille de Vit. Beat. 26, 7 (*ipsos sequi clamant*), de Ira II, 5, 1, III, 13, 5, de Benef. I, 4, 3 et IV, 16, 1, Ep. 6, 3 et 22. 10 et 82, 7, Quaest. Nat. VI, 5, 1, hic III, 13 (5, 15) et III, 19 (8, 7) et IV, 7 (2, 3). Mox *memoriae commendo* quaedam veteres editiones ex R, velut Crat. (mg. *mando*), codd. Gud. 2, Bas.

ad aliud nos unum cet.) Nullum unum vitii genus praeterea nominavit, ad quod referatur *aliud*; itaque viro perdocto in mentem venit, scribi debere: *ad aliquod nos unum*; sed offendit nimia copia verborum: *aliquod unum certum.* Minus diligenter Cicero generale et speciale (*ad aliud*, id est, *ad aliam rem* et *ad unum certum vitium*) in unum contraxit (*ad aliud unum certum*); non dissimilis illa brevitas, quam § 33 notavi in verbis *paulum oppido.*

nos unum certum vitium consvetudo Latina traduceret; nunc omni virtuti vitium contrario nomine opponitur. 41. Tum ille: His igitur ita positis, inquit, sequitur magna contentio, quam tractatam a Peripateticis mollius (est enim eorum consvetudo dicendi non satis acuta propter ignorationem dialecticae) Carneades tuus egregia quadam exercitatione in dialecticis summaque eloquentia rem in summum discrimen adduxit, propterea quod pugnare non destitit, in omni hac

1. *hoc* (pro *nunc*) LPMCR 3. [*his* om. A] 4. *quae pertractata est* LC [*mollior* Eh] *eorum* om. E 5. *dicendi* om. P 6. *e Grecia quadam* [A]EP 8. [*quid* A]

nunc omni virtuti) Sic Manutii liber vetus, mg. Crat., e Pal. 1 Grut. et recentiores, Spir. [B]. *Hoc* Oxx. et Gzii reliqui.

41. *quam tractatam — Carneades — rem*) Sic Pall. 1, 4, 5, Parr. 1, 3. Mead., Spir. [B], Gud. 2; restituit (post R et Marsum) Gruterus. Reliqui codd. (universe eos appellat Dav., Oxx., Gud. 1 et Bas.): *quae pertractata est*, quod etiamsi meliorem auctoritatem haberet, ferri non posset, quod novam sententiam in verbis *Carneades* cet. Cicero non tam abrupte exorsurus erat nec illo verborum ordine. Alteram scripturam, quae fuit in codice primario, Bremius et recentiores anacoluthi excusatione defendunt; quae tamen an non sufficiat, non immerito dubites. Nam ut omittam, nullam in tam brevi parenthesi mutandae constructionis causam fuisse (referri enim potest, non multo maiorem fuisse § 11, quamquam ibi alia erat causa, ut, ascito verbo *arbitror*, modestius, quam coepta esset, oratio finiretur) — sed ut hoc omittam, oratio non mutatur, sed ita eadem forma continuatur, ut, si sustuleris *rem*, omnia ordine procedant; deinde ipse ordo verborum (*Carneades tuus* cet., subiecto initio posito) minime aptus videtur orationi post parenthesin in aliam formam transeunti, sed periodo recte decurrenti. Tollendi mendi, si mendum est, duplex est via, ut aut cum Guyeto scribatur: *qua tractata*, aut, quo magis inclino, deleatur *rem*; nam, qui subtilius haec exegerit, reperiet, Ciceronem illo ablativo in contrariis coniungendis et mutatione significanda non facile uti (*cum esset tractata mollius, Carneades*). Quod Stoicus Peripateticis dialecticae ignorationem obicit, de iis, qui post Theophrastum fuerunt, non immerito dici videtur, quos Strabo XIII p. 609 Casaub. ait non potuisse φιλοσοφεῖν πραγματικῶς, ἀλλὰ θέσεις ληκυθίζειν, quamquam in perturbationibus animi similibusque rebus non sine causa Stoicorum *spinas partiendi et definiendi praetermittebant* (Tusc. IV. 9).

quaestione, quae de bonis et malis appelletur, non esse rerum Stoicis cum Peripateticis controversiam, sed nominum. Mihi autem nihil tam perspicuum videtur, quam has sententias eorum philosophorum re inter se magis quam verbis dissidere; maiorem multo inter Stoicos et Peripateticos rerum esse aio discrepantiam quam verborum, quippe cum Peripatetici omnia, quae ipsi bona appellant, pertinere dicant ad beate vivendum, nostri non ex omni, quod aestimatione aliqua dignum sit, compleri vitam beatam putent.

2. *cum Stoicis Perip.* P 4. *horum* LC *re interesse magis* E *diffidere* LC 5. *habere* (pro *inter*) LPMCR 6. *animo* (pro *esse aio*) P *omnino* LMCR [*cum* om. Eh] 8. [*nostri non quod ex omni estimatione* A] *nostri noro quod ex omni estimacione* E *nostri non quod aestim.* P (? *nostri vero quod aestimatione* LMCROr Post *aestimatione* add. *omnino* LPMCROr. 9. *complecti* L *putant* E *non putent* Or.

quae de bonis et malis appelletur) Iure Wesenbergius coniunctivum modum miratur, quoniam neque intellegitur, cur hoc de eius partis nomine ex Carneadis persona proferatur, et, si ex eius persona dicitur, *appellaretur* dicendum fuisse videtur. Si vera scriptura est, praesens tempus ortum est ex confusione quadam eius, quod ex ipsius Catonis, et eius, quod ex Carneadis persona dicitur.

maiorem multo cet.) Cum gravitate quadam et asseveratione (*aio*) Cato repetit sententiam ab aliis oppugnatam; ne quis cum Matthiaeo offendatur tautologiae specie. Orationem Gruterus emendavit e Pal. 1, quocum consentiunt [B,] mg. Crat., codd. Mor. et Scalig., Spir., nisi quod in his tribus erat *animo* (*aīo*) pro *aio*. Ceteri ut nostri deteriores (Pall., Oxx., Gzii reliqui; Dav. tacet; E *omnino esse*, Gud. 2 ad *omnino* addit *al' aio*; in Gud. utroque erat: *Stoicos habere*).

nostri non ex omni, quod aestimatione aliqua dignum — beatam putent) Haec est codd. optimorum scriptura, unius vocis transpositione a Davisio adiuta; nam ut Erl., ita Pal. 1 (de ceteris tacent, Gzius etiam de Erl.), nisi quod is perspicue *non* habet. [B fere ut E *novo*, cetera ut illi.] Peripatetici vitam beatam compleri (συμπληροῦσθαι, Stob. Ecl. Eth. p. 56 et p. 70, coll. Clem. Alex. Strom. II p. 179 Sylb.) et eius summam effici (cfr. 43 et IV, 32) putabant ex omnibus iis, quae secundum naturam essent (quae Stoici aestimabilia et selectione digna esse dicebant, vid. § 20), ut, si quid ex iis abesset, posset eius accessione beata vita fieri beatior, aut, si qui ad Stoicos propius accedentes negabant, haec συμπληροῦν τὴν εὐδαιμονίαν, ut negat is, quem Stobaeus sequitur Ecl. Eth. p. 266 et 268 (est autem, ut

XIII. 42. An vero certius quidquam potest esse, quam illorum ratione, qui dolorem in malis ponunt, non posse sa-

1. *annon certius* C 2. [*illo ratione* A] *illa ratione* E *illa ratio est* P *illa ratio eorum* MR *illa ratio* (*oratio* L) *est eorum* (*horum* C) LC

opinor, Antiochus, non verus Peripateticus), tamen ποιητικὰ τῆς εὐδαιμονίας ea dicebant (hoc miror) et συμβάλλεσθαί τι παρόντα. Stoici negabant, quidquam praeter virtutem ad beatam vitam complendam pertinere; cfr. Tusc. V, 47, Gell. XVIII, 1, Stob. Ecl. Eth. 142 Heer. (ἀξίαν ἐκλεκτικὴν ἔχειν, συμβλητικὴν δ' οὐδαμῶς πρὸς τὸν εὐδαίμονα βίον) et 156. Videamus nunc, leve cod. archetypi mendum quas turbas genuerit, accedente interpolatione. Pal. 4, Parr. 1, 2, Gud. 2 retinuerunt *nostri non*; in ceteris codicibus adiecta adversativa particula negationem expulit: *nostri vero*. Deinde pro his: *quod ex omni aestimatione aliqua dignum* scriptum est: *quod aestimatione omnino aliqua dignum* (Pall. cett., sine dubio Dav., Oxx.; Gzius nihil perspicue scripsit). Tum autem, quod, sublato illo *ex omni*, nihil erat, quo referretur *compleri*, scriptum in paucissimis et pessimis codd., ut in nostro L, *complecti*; (*compleri* retinent Pall. omnes, Parr. 1, 3, Mead., El., Oxx. Eξχ, Gziani, ut videntur). Itaque veteres sic edebant: *nostri vero. quod — dignum sit, compleri vitam beatam putent*, recentiores inde a Victorio, excepto Ern., *complecti vitam beatam putent*. Sed contrarium hoc esse sententiae Stoicorum et Catonis, animadverterat iam librarius aliquis, qui in El. 2 (1?) scripsit: *complecti beatam vitam non putent* (*beatam* in eo codice omitti, Gzius somniavit), idque secuti sunt Bremius et Gzius; hic etiam *compleri* revocavit. Facile apparet (quamquam supervacaneum est huiusmodi interpolationem redarguere), negationem in hac scriptura non eo referri, quo debeat, ac potius id omnino omitti; hoc enim dici debet: vita beata non utique ex omni, quodcumque aestimatione aliqua dignum est, completur (sed tantum ex virtute). Illud mirum esse poterat, nisi desissem quidquam in hoc genere mirari, Ciceronis editores putasse dici posse: *vita completur*, *quod aestimatione aliqua dignum est*, pro eo, quod est: *completur eo* sive *ex eo*. Docet nos Gzius demonstrativum saepe omitti. Ablativum huiusmodi ante nominativum relativi non omitti, facile mihi credetur; addendum esse in ea scriptura *eo* Guyetus et Th. Bentleius intellexerant.

Cap. XIII, 42. *quam illorum ratione*) Peripateticos a Stoicis dissidere, cum ex boni notione ostendisset, nunc ex mali ostendit, quod, cum illi dolorem in malis annumerent, ut valetudinem in bonis, illorum ratione, id est, secundum eorum

pientem beatum esse, cum eculeo torqueatur? Eorum autem, qui dolorem in malis non habent, ratio certe cogit, ut in omnibus tormentis conservetur beata vita sapienti. Etenim si dolores eosdem tolerabilius patiuntur, qui excipiunt eos pro patria, quam qui leviore de causa, opinio facit, non natura, vim doloris aut maiorem aut minorem. 43. Ne illud quidem est consentaneum, ut, si, cum tria genera bonorum sint, quae sententia est Peripateticorum, eo beatior quisque sit, quo sit corporis aut externis bonis plenior, ut hoc idem

1. *esse* om. P *cum in eculeo* L 2. *uti in* (LP)ROr. *uti nominibus* [A]E 3. *vita beata* E 4. *eosdem* om. L *patiantur* LPMCR 5. *leviori* ELPMR *opinio* om., relicto spatio, E *non naturarum doloris* E 9. *quod sit* C [*exterius* Eh]

doctrinam (vid. 48, Acad. II, 27, Tusc. V, 87) sapiens semper beatus esse non possit. Gzius putat, „non esse, ut moneatur, his Epicureos innui.“ Verba correxit Lambinus; nam optimi codd., Pal. 1 et Spir. *illo ratione*, Erl. [B] *illa ratione*, eodem errore ex compendio aliquo orto, quo § 3 *ea rerum* pro *earum rerum* (sequente littera *r*) scriptum erat. Hinc Pall. 3, 4, EUξ, duo Gzii ut noster P; χψ, plures, ut videntur, Pall. et Dav. ut nostri MR, et sic ante Lambinum ex R alii editores; alii *illa ratio est eorum* ex C, et sic Dav. in codd. aliquot esse ait. Scaligeri vetus (et Lamb. in priore edit.): *ratione eorum, qui.* Mox *patiuntur* Crat., Vict., Lamb., Dav. et post hunc ceteri, sine codicum mentione, ut nunc demum confirmetur; nam superiores (Mars.) et Gruterus, tum Ox. χ *patiantur*, E *potiantur*. *Tolerabiliter ferre* eodem significatu, quo *toleranter*, dixit Cicero etiam Tusc. III, 55, ad Fam. XV, 20, 2. *Amabiliter* pro *amanter* dixit Antonius in ep. ad Cic. post ep. ad Att. XIV, 13; similem permutationem in adiectivis quibusdam accidere, annotatum est (Ruddim. II p. 99), ex quibus apud Ciceronem usitatum est *insatiabilis*. [Dure et nove *laudabilius* pro eo, quod est *honorificentius*, dicitur ad Fam. XV, 6, 1.] Tum *leviori* annotatur etiam ex [B et] Oxx. EU; sed vid. Wesenbergii Observ. Critt. in orat. pro Sest. p. 7 et 8; [*leviore* A].

43. *consentaneum, ut, si — plenior, ut hoc* cet.) *Ut* particulam Cicero, cum plura inter eam et ea, quae ei subicerentur, interposita essent, iteravit, ut multis aliis locis factum esse annotavit iam Manutius ad ep. ad Q. Fr. I, 1 c. 13, 38, Bremius ad libr. de Fato c. 9, Zumptius ad Verr. II, 17 p. 251, alii. Argumentatio ipsa, quae fortasse clarius proponi poterat,

approbandum sit nobis, ut, qui plura habeat ea, quae in corpore magni aestimantur, sit beatior. Illi enim corporis commodis compleri vitam beatam putant, nostri nihil minus. Nam cum ita placeat, ne eorum quidem bonorum, quae nos bona vere appellemus, frequentia beatiorem vitam fieri aut

1. *ea* om. C *eorum* L 2 *existimantur* L 3. [*munus* A] 4. *nec eorum* LPMCR *ut eorum* E 5. *naturae* (pro *vere*) LMROr. *appellamus* L *fieri vitam* P *atque* (pro *aut*) E

non eo spectat, ut nunc defendatur, omnes beatos aeque esse beatos (id enim differtur; vid. § 44: *recte secusne, postea*), sed ut ex hac sententia, quam Peripatetici non probent, ostendatur, quam vim habeat distinctio bonorum a praepositis, malorum a reiectis. Verba *ut*, *qui plura* cet. sic annecti, ut explicetur, quid insit in illo *hoc idem*, dixi ad II, 6.

plura habeat ea) Error edit. C *ea* omittentis propagatus est ad Aldinam et fere reliquas ante Gzium contrá codd. ([AB,] tres Dav., Oxx., Gzii; e tribus Parr. Dav. profert *et ea*). Eodem modo dicitur: *plura habet haec*, id est, haec maiore numero, atque: *mammarum multitudo, quas easdem paucas habent eae bestiae* cet. (N. D. II, 128). Animadvertendum est autem, cum Cato primum *corporis aut externa bona* nominasset, deinde eum tantum *corporis commoda* nominare, ut hoc genere etiam externa comprehendantur omniaque intellegantur, quae Peripatetici praeter virtutem in bonis numerent (*ea, quae in corp.* et deinde: *corporis commodis*).

ne eorum quidem bonorum, quae nos bona vere appellemus, frequentia) Stoicorum sententia ne verorum quidem bonorum frequentia beatior fit vita, cum semel est beata (nam de hoc agitur); neque enim bonae actiones, quae vera bona sunt, sic numerantur, ut, qui saepius recte fecerit, beatior sit; sapiens enim quotiens agit, semper recte agit, et singulae actiones omnes numeros honestatis continent; quot agendi occasiones habeat, nihil ad rem (vid. 46); multo igitur minus illorum commodorum frequentia, quae Stoici bona esse negant, beatior vita fit. Divisit Cato unum bonum (virtutem) in plura (honestas actiones, cfr. ad § 21), ut *frequentiam* eorum cum externorum et corporis commodorum frequentia comparare posset. Sic autem, ut edidi, non solum meliores codices, Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat. (Morelianus mire *nos bona quidem app.*), sed etiam deteriores aliquot (Pal. 4, Parr. 1, 3, CCC, Ox. χ, etiam ed. 1480 et Marsus). Inscitus aliquis emendator, qui non intellegebat, quomodo verorum bonorum, quae ipsi Stoici probarent, frequentia tamen beatior fieri vita negaretur, putavit substituendum aliquid esse, quod a virtute et Stoico bono seiunctum

magis expetendam aut pluris aestimandam, certe minus ad beatam vitam pertinet multitudo corporis commodorum. 44. Etenim, si et sapere expetendum sit et valere, con-

3. *etenim si valere et sapere magis expetendum sit quam* (mediis omissis) LMCR (*etiam sapere* C) *etenim si et sapere expet. sit quam* (mediis omissis) P *sit* om. EOr.

esset; ita scriptum est (in Pall., Dav., Oxx., Gzianis reliquis, dum modo omnes recte inspecti sint): *quae nos bona naturae appellemus*, idque editores inde a Cratandro omnes tenuerunt. Intellegebant *prima naturae*, atque sic etiam scribi volebant Lambinus, Davisius, Bremius, qui quod illo modo negabant usquam dici, obliti erant eius, quod V, 45 a Pisone Peripatetico dicitur. Sed Cato Stoicus bona ea appellare non poterat, in hac praesertim cum Peripateticis controversia; appellaret autem, etiamsi *prima* scriberetur, quoniam maneret *eorum bonorum*. Deinde illa prima naturae putant comparari cum corporis commodis, tamquam praestantiora; atqui in primis naturae vel maxime numerabantur corporis commoda (§ 17, II, 34, V, 18); hic autem etiam latius patère corporis commodorum appellationem, superiore annotatione dixi. Longe denique aliam esse veram Catonis argumentationem, initio declaravi. Coniunctivus *appellemus* eandem habet causam, quam ad § 17 attigi. Poterat Cato dicere ex sua persona *appellamus* (ut erat in Mead. et El. 2 (?) probaveruntque Davisius et Bremius), sed partem hanc fecit sententiae a *placet* pendentis, qua Stoicorum dogma continetur.

44. *si et sapere expetendum sit et valere* cet.) ut Peripatetici censent; nam Stoici valere non expetendum, sed sumendum et eligendum dicunt; et quamquam et sapere, quod virtus est, aestimationem habet (ἀξίαν) et valere, tamen illa sapientiae aestimatio non augetur addita valetudinis aestimatione, quia illa ex alio genere est nec gradu tantum et magnitudine a valetudinis aestimatione differt (§ 34). Locum eodem modo, quo nostri codices deteriores, mutilatum habent ceteri eiusdem generis (Davisii et Oxx.; Gruterus tacet, Gzius confuse tradit) et veteres editiones (Mars., Crat., Vict.). Aberrarat oculus librarii in voce *expetendum*, deinde *valere* retractum est, sed pravo loco. Aldum Manutium credo primum tacite e bono codice locum explevisse. Accedunt Spir. et cod. Mor. (In hoc cod. contra propter repetitum *sapere* exciderant haec: *solum, neque tamen — quam sapere.*) Sed Spir. ut Erl. omittit *sit* in utraque protasi (*si et sapere expetendum* et: *si utrumque*), quos,

iunctum utrumque magis expetendum sit quam sapere solum, neque tamen, si utrumque sit aestimatione dignum, pluris sit coniunctum quam sapere ipsum separatum. Nam, qui valetudinem aestimatione aliqua dignam iudicamus neque eam tamen in bonis ponimus, iidem censemus, nullam esse tantam aestimationem, ut ea virtuti anteponatur; quod idem Peripatetici non tenent, quibus dicendum est, quae et honesta actio sit et sine dolore, eam magis esse expetendam, quam si esset eadem actio cum dolore. Nobis aliter videtur; recte secusne, postea; sed potestne rerum maior esse dissensio?

XIV. 45. Ut enim obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernae, et ut interit *in* magnitudine maris Aegaei stilla mellis et ut in divitiis Croesi teruncii accessio et gradus unus in ea via, quae est hinc in Indiam, sic, cum sit is bonorum

2. *sit* om. ELOr. 3. *coniunctum* om. P *separatim* [A]PM 4. *videamus* PMCR 5. *tamen eam* LPMCR [*idem* A] *id est* E [*esse* om A] 10. *postne* [A]E 12. *effunditur* CR 13. *ut* om. L *in* om. omnes, Or. 14. *maris* (pro *mellis*) PC *maris Ionii* L *muriae* MROr. [*cro essu er runtii* A] *croessit eruntii* E 15. [*ea vita* Eh *hinc inuidiam* Eh] *is* om. P

repugnantibus praesertim priore loco [AB et] Moreliano et eo codice, e quo haec restituta sunt, non secutus sum, quia in huiusmodi hypothesi verbum non recte omittitur. Tum *separatim* etiam [B et] ψ et veteres quaedam editiones; sed melius *coniunctum* et *separatum* inter se respondent. Mox *iudicamus* restituit Gruterus e Pal. 1 (assentientibus mg. Crat., Spir. [B], Gud. 1, Moreliano, de quo errat Orellius, ed. a. 1480), *eam tamen* (pro *tamen eam*) Gzius e tribus optimis suis codd.

Cap. XIV. 45. *stilla mellis*) ita ut eius dulcedo non appareat. Sic legitur in codd. incorruptis, etiam Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor. (si Gzio credimus, etiam Bas. et Gud. 1). In duobus iis, quae sequuntur, similibus Cato utitur exemplo particulae minimae eiusdem generis adiectae; in hoc simili minimum, quod adicitur, ex alio est genere (mel) quam id, cui adicitur. Id librarios offendit: itaque scriptum est *stilla maris* (Oxx. EUξχ. Gud. 2. Vindob.); sed stilla aquae marinae dicenda erat. Deinde factum *muriae*, quod, exceptis antiquissimis aliquot, editiones tenent (Grut. et Dav. tacite): fortasse sic Ox. ψ. Sed *muria* etiam ab aqua marina differt. [*In* omissum ante litteram *m* in primo exemplo recte restituit Halmius.]

finis, quem Stoici dicunt, omnis ista rerum corporearum aestimatio splendore virtutis et magnitudine obscuretur et obruatur atque intereat, necesse est. Et quemadmodum opportunitas (sic enim appellemus *εὐκαιρίαν*) non fit maior productione temporis (habent enim suum modum, quae opportuna dicuntur), sic recta effectio (*κατόρθωσιν* enim ita

1. *rerum in corpore harum* [A]EMCR *rerum incorporearum* LP *rerum in corpore sitarum* Or. 2. [*aestimatione* A] [*obscuratur* Eh] 3. *est* om. P 4. [*oportunitas* A ubique] [*eucerian* A] *sit* E 5. *quaeque* M *queque* PR *quaecumque* LC *quaequae* Or. 6 [*catordiosin* A]

rerum corporearum) Codd. meliores et deteriorum plurimi (mg. Crat., Pall. quattuor, Mead., Oxx. EξχΨ, Spir. [B]) *rerum in corpore harum*, alii deteriores (Pall. 2, 3, Gzii reliqui) *incorporearum*. Hoc, quod edidi, Davisius in Parr. tribus (?) ait esse et in El. 1, probavitque ipse et Bremius. Puto recte emendatum codicis archetypi mendum esse, in eo autem *in* ortum e littera *m*, tum propter *in* distractum *corporearum*. Nam quod Cicero alibi (duobus omnino locis in interpretatione Timaei) *corporeum* dixit. quod corpore constaret, quam significationem etiam Lucretius tenet, aperte tamen II N. D. 41 *ignem corporeum* dixit eum, *qui corporibus animantium contineretur*, quemadmodum hic intelleguntur res, quae in corpore sint, non solum circa id. Marsus, tum e Maffei codice, quem ipsum emendatum fuisse manifestum est, Manutius et deinde, Bremio excepto, omnes ediderunt: *in corpore sitarum*. Sic dicitur, quod a corpore pendet et in eius potestate est, non quod ad corpus pertinet.

Et quemadmodum opportunitas) Transit occulte ab eo, quod disputaverat, vitam non beatiorem fieri accessione commodorum corporis aut externorum. ad id, quod attigit § 34, ne in suo quidem genere temporis diuturnitate crescere posse bonum nec beatam vitam eo nixam.

quae opportuna dicuntur) Sic etiam [A,] Spir. [B], cod. Mor. (*e* pro *ae* in Erl. semper scribi solet); codices deteriores aut *quaeque* (*queque*), ut Ox. E, Gud. uterque, quod secuti sunt Marsus et Victorius, aut *quaecumque*, quod ceteri ante Gzium ediderunt; nam hic *quaequae* scripsit. Pronominis *quisquis* et *quidquid* extra has formas et ablativum *quoquo* et genetivum eum, qui pronuntiando corruptus inest in *cuicuimodi*, comici veteres etiam accusativum *quemquem* posuerunt (Plaut. Men. V, 1, 17, Poen. II, 1, 37, Terent. Hec. I, 1, 8), plurali numero Livius (XLI, 8, 10) *quibusquibus*, fortasse veteris scriptoris

appello, quoniam rectum factum κατόρθωμα), recta igitur effectio, item convenientia, denique ipsum bonum, quod in eo positum est, ut naturae consentiat, crescendi accessionem nullam habet. 46. Ut enim opportunitas illa, sic haec, de quibus dixi, non fiunt temporis productione maiora, ob eamque causam Stoicis non videtur optabilior nec magis

1 *quod* (pro *quoniam*) E [*catorthoma* A] *ita convenientia recta igitur eff.* C 4. *enim* om. C 6. *eam* (om. *que*) C *eamque rem* I.

verbum retinens; Cicero ad Att. XVI, 8, 1 dubito an non scripserit *quiqui*; neque enim apta est significatio, Octavium sine discrimine omnes, quicumque Calatiae fuerint, perduxisse ad suam sententiam, et Mediceus codex, in quo ita scribitur, mendose omittit *sunt* prorsus contra Ciceronis consvetudinem. (Pro Sest. 97 mendum hoc erat editionum non multarum.) [Philipp. II, 100 nemo probavit: *non ea*, *quaequae* post: *quae quidem*; nec apud Livium XXVII, 28, 2 Puteanei mendum *quosquos proximos* defensorem, quod sciam, habuit.] Quam non usitatus fuerit pluralis numerus, ostendit illud poëtae: *Quisquis ubique, viri, dociles advertite mentes* et similia. Feminino autem genere nemo omnino usus est antiquiorum ullo numero aut casu; itaque vetustissimi, cum eo carerent, ausi sunt dicere: *mulier, quisquis es* et similia. Tacitus, qui primus *nemine* dixit, etiam primus, cum *quoquo* esset, finxit *quaqua de re*. Nam ex adverbio *quaqua* nihilo plus efficitur, quam ex *quaquam*, *haudquaquam*, *nequaquam* dictum etiam esse: *femina quaquam*. Aliam enim illa adverbia rationem habent. *Quaeque* pro *quaecumque* Ciceronem non posuisse videri, dicetur ad § 51. Restabat ipsum *quaecumque*, nisi meliores codices sequi eo magis praestaret, quod hic simpliciter genus definitur; omnia opportuna eiusmodi esse, adici opus non erat. Mox *rectum factum* potius quam, ut alibi semper (24 et 59, cet.), *recte factum* Cicero dixisse videtur, quod contraria erat *recta effectio*. De ipsa sententia vid. ad § 48.

ut naturae consentiat) Grammatice hoc refertur ad *bonum*; nec tamen bonum ipsum consentit naturae, sed consentire naturae bonum est. Itaque Cicero brevitatis causa minus proprie dixit. Mox *crescendi accessio* ea dicitur, quae crescendo fit, noto genetivi usu, maximeque gerundii, de quo in epistula ad Orell. p. 79 exposui; alia collegit Henrichsenius ad Cic. de Orat. II, 118; simili modo *cautio defendendi*, id est, quae ad defensionem pertinet, dicitur pro Flacco 31.

46. *Stoicis non videtur optabilior*) Plutarchus adv. Stoicos

expetenda beata vita, si sit longa, quam si brevis; utunturque simili: Ut, si cothurni laus illa esset, ad pedem apte convenire, neque multi cothurni paucis anteponerentur nec maiores minoribus, sic, quorum omne bonum convenientia atque opportunitate finitur, nec plura paucioribus nec longinquiora brevioribus anteponent. 47. Nec vero satis acute

1. *si sit brevis* EL 2 [*si* om. Eh] *esset illa* L 5. [*finiture* A] 6. *anteponerent* C [*anteponerentur* Eh] *anteponentur* ceteri (etiam Em), Or.

8 p. 1061 F ex Stoicorum sententia: *Ἀγαθὸν ὁ χρόνος οὐκ αὔξει προσγινόμενος, ἀλλὰ κἂν ἀκαρές τις ὥρας γένηται φρόνιμος, οὐδενὶ πρὸς εὐδαιμονίαν ἀπολειφθήσεται τοῦ τὸν αἰῶνα χρωμένου τῇ ἀρετῇ καὶ μακαρίως ἐν αὐτῇ καταβιοῦντος.* Idem de Stoic. repugn. 26 p. 1046 C: *Ἐν πολλοῖς εἴρηκεν ὁ Χρύσιππος, ὅτι παρὰ τὸν πλεῖστον χρόνον οὐδὲν μᾶλλον εὐδαιμονοῦσιν, ἀλλ' ὁμοίως καὶ ἐπ' ἴσης τοῖς τὸν ἀμερῆ χρόνον εὐδαιμονίας μετασχοῦσιν.* (Etiam apud Stob. Ecl. Eth. p. 198 H., ubi nunc Chrysippus dicitur *τὴν ἀμεριμνίαν*, quae nusquam laudatur et in qua definienda desideratur genetivus *τῶν σοφῶν ἀνδρῶν*. aequiperasse *τῇ τοῦ Διὸς εὐδαιμονίᾳ*, scribendum est *τὴν ἀμεριαίαν*, sed simul verba quaedam tollenda, quae propter id mendum male repetita sunt.) Easdem sententias Seneca persequitur Epist. 74, 26 sqq. Incidebat tamen Chrysippus necessario in repugnantiam, quae a Plutarcho notatur; nam cum alio tempore animadverteret, convenientiam illam, quam plenam esse dicebat in sapientis vita, etiamsi brevissima esset, tamen in continuatione quadam agendi et status, qua vitae notio continetur, perspici debere, sapientem autem ex insipiente fieri posse doceret, negabat quidquam prodesse, si quis, morte iamiam instante, ad brevissimum tempus sapiens factus esset. Simile, quod Cato ponit, apud Graecos, quorum libri nunc extant, non reperio. [*Si brevis* tenet B.]

sic, quorum. — nec plura — anteponent) Qui ita, ut Stoici, de fine boni sentiant, hoc facturos Cato negat. In codd. et editt. scribitur *anteponentur*. Ita, si *quorum* masculini generis esse, ut est, putabitur, intellegetur: *ab iis — anteponentur*; verum ne illos quidem, qui paulo ante (41) defensuri fuerint, dicere Ciceronem potuisse: *vita completur, quod aestimatione dignum est* pro hoc: *completur eo, quod*, defensuros puto, dixisse eum etiam: *quorum bonum convenientia finitur, plura paucioribus non anteponentur*, ut sit: *ab iis*. Poterat hoc aliquo modo audiri, si in relativa sententia eadem esset praepositio, idem verbum (*a quibus anteponitur*). Sin autem

dicunt: Si bona valetudo pluris aestimanda sit longa quam brevis, sapientiae quoque usus longissimus quisque sit plurimi. Non intellegunt, valetudinis aestimationem spatio iudicari, virtutis opportunitate; ut videantur, qui illud dicant, iidem hoc esse dicturi, bonam mortem et bonum partum meliorem longum esse quam brevem. Non vident, alia brevitate pluris aestimari, alia diuturnitate. 48. Itaque consentaneum est his, quae dicta sunt, ratione illorum, qui illum bonorum finem, quod appellamus extremum, quod ultimum, crescere putent posse, iisdem placere, esse alium

1. *sed bona* E 4. [*qui illud dicant* om. A] 5. [*idem* A] *id est* E *hic* L 6. *esse longum* E 8. *iis* R 9. *appellemus* R 10. *putent crescere* R

erit etiam, qui sic accipi haec velit: *sic ea, quorum* cet., intellegique honestas actiones quasi quaedam plura Stoicorum bona, ut § 43 interpretatus sum, is frustra laborabit, ut *bonum* rei alicuius pro eius aestimatione, qua ea in bonis censeatur, dici posse ostendat. Sed et *omne bonum* et verbum *finitur* satis declarant significari eos philosophos, qui nihil in bonis habeant praeter ipsam convenientiam et opportunitatem. *Anteponentur* ortum est ex superiore *anteponerentur*, cum orationis a re (cothurno) ad homines conversio animadversa non esset. [*Anteponent* Th. Bentleio in mentem venerat.]

47. *meliorem longum esse*) *Esse longum* etiam Spir. [B]; et possit videri aptior is ordo, quemadmodum paulo ante: *pluris aestimanda sit longa*, id est: *si* (*cum*) *longa sit*. [Paucis verbis ante non recte Baiterus e cod. Glog. scripsit *dicunt*. Sequitur paulo post *ratione illorum, qui putent*.] Nimis vero aperte cavillantur Stoici, partus et mortis perfunctionem cum beatae vitae habitu et possessione comparantes. [Haec: *non vident — diuturnitate* Baiterus in edit. min. notavit tamquam delenda. Non video causam necessariam.]

48. *ratione illorum — iisdem placere, esse alium* cet.) Instituerat sic dicere: *ratione illorum, qui — crescere putent posse, esse alium alio etiam sapientiorem* (cfr. § 42); sed post sententiam interiectam mutavit orationem subiecitque: *iisdem placere*, tamquam si illud *ratione illorum* omnino non posuisset. (Gzius coniungit: *dicta sunt ratione illorum*, et enarrat: *was in Bezug auf jene gesagt ist!*) *Etiam* (ante *sapientiorem*) omittebant Gud. 1 et Bas. delevitque Gzius, quod non haberet, quo referretur. Dixerat Cato, Peripateticis alium alio beatiorem esse; addit,

alio etiam sapientiorem, itemque alium magis alio vel peccare vel recte facere, quod nobis non licet dicere, qui crèscere bonorum finem non putamus. Ut enim, qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si non longe absunt a summo, ut iam iamque possint emergere, quam si etiam tum essent in profundo, nec catulus ille, qui iam

1. *et* [A]E om. L *item* (om. *que*) E 4. *longe non* L *non* om. MCR
5. *sunt* (pro *absunt*) C 6. *cum* LMCR [*iam ut propinquat* AEh]

etiam sapientiorem alium alio iis videri. Attinguntur hic notissima Stoicorum dogmata, omnia recte facta et peccata aequalia esse (*ἴσα εἶναι τὰ κατορθώματα καὶ τὰ ἁμαρτήματα*), et omnes sapientes aeque esse sapientes, et, qui non sapientes sint, omnes et stultos et aeque miseros esse, de quibus testimonia a multis in libris pervagatis collecta (inde a Lipsio, Manuduct. ad philos. Stoic. lib. III, dissert. 3, 4, 20, 21) hic ascribere inutile est. Stoici enim cum notionem honesti et boni sic posuissent in convenientia cum norma quadam quasi extrinsecus adhibita, ut non satis considerarent omnes, ut ita dicam, nisus humanae naturae et universalis rationis in ea ad sui perfectionem elaborantis, quorum vi et momentis hominum singulorum vitae constituuntur, primum, quidquid normae legis conveniret, communem hanc habere dicebant convenientiae notam, quae genere, non gradu valeret, ut omne aequale esset, contraque, quod a lege discreparet. Deinde, qui recte faceret, ita facere docebant propter absolutam intellegentiam recti et perfectam voluntatis cum lege convenientiam; alioquin enim nihil eum recte facere posse; ita esse perfecte sapientem; contra, qui ulla in re peccaret, peccare propter intellectus et voluntatis a lege discrepantiam; quae quoniam usquequaque adesset, stultum talem hominem esse et omnibus vitiis obnoxium. Ita cum virtutem et sapientiam reapse extra hominum vitam removissent (ambigebant enim, umquamne sapiens quisquam fuisset), in angustiis haerebant, cum ad vera hominum discrimina ventum erat et ad eam, quae hic attingitur, progressionem ad virtutem (*τὴν εἰς ἀρετὴν προκοπήν*), quam totam in stultitia et miseria relinquebant (Diog. Laërt. VII, 127, Plutarch. de profectibus in virt. 2 p. 76 A); et tamen mitigare eam sententiam interpretando conabantur (vid. IV, 56).

Ut enim, qui demersi sunt in aqua) Plutarch. adv. Stoic. 10 p. 1063 A: *Ὥσπερ ὁ πῆχυν ἀπέχων ἐν θαλάττῃ τῆς ἐπιφανείας οὐδὲν ἧττον πνίγεται τοῦ καταδεδυκότος ὀργυιὰς πεντακοσίας, οὕτως οὐδὲ οἱ πελάζοντες ἀρετῇ τῶν μακρὰν ὄντων*

appropinquat, ut videat, plus cernit quam is, qui modo est natus, item, qui processit aliquantum ad virtutis habitum, nihilo minus in miseria est quam ille, qui nihil processit.

XV. Haec mirabilia videri intellego; sed cum certe superiora firma ac vera sint, his autem ea consentanea et consequentia, ne de horum quidem est veritate dubitandum.

2. *ita* L *aliquantulum* R *aditum* [A]EPMCROr. 3. *in miseria est* om. E *qui* om. E [*nihil* om. A] 4. *nec mirabilia* E *et mir.* C [*tam* pro *cum* Eh] *recte* L 6. *eorum* LMCR

ἧττόν εἰσιν ἐν κακίᾳ· καὶ καθάπερ οἱ τυφλοὶ τυφλοί εἰσι, κἂν ὀλίγον ὕστερον ἀναβλέπειν μέλλωσιν, οὕτως οἱ προκόπτοντες, ἄχρις οὗ τὴν ἀρετὴν ἀναλάβωσιν, ἀνόητοι καὶ μοχθηροὶ διαμένουσιν.

item, qui processit) Ed. a. 1480, Vict., Grut. (ex aliquot Pall.), ceteri ante Gzium: *ita qui*; is *item* restituit ex suis tribus optimis codicibus, Oxx. EUξχ. Vid. Handius Turs. III p. 512, Heusinger et Beierus ad Cic. Off. II c. 14, 51. Add. hic IV, 76, de Invent. I, 7, N. D. III, 45; *non, quemadmodum — item* (Acad. II, 110) restituit Orellius e codd. in Topicis 46; *sicut — item* e codd. restitui debet N. D. I, 3. In rhetor. ad Herenn. III, 28 sic scribendum est: *Sed quomodo* (vulgo *quia*) *in ceteris rebus ingenii bonitas imitatur saepe doctrinam, ars porro naturae commoda confirmat et auget, item* (sic codd.) *fit in hoc* cet. [Caes. B. G. I, 44: *ut — sic item.*]

ad virtutis habitum) *πρὸς ἕξιν ἀρετῆς*, ad virtutem habendam et ad eum statum affectumque, in quo virtus est; infra IV, 37: *cum hominem ad rationis habitum perduxerit*; Acad. I, 38 *virtutis usus* et *ipse habitus* distingvuntur. Secutus sum emendationem veterem, quae praeter L nostrum in Pal. 2 erat. In cod. archetypo fuit, ut editum a ceteris est, *ad virtutis aditum*; sed neque *aditus virtutis* commode dicitur, quasi saepta sit, et prorsus perverse *procedere ad aditum*, quasi salutanda sit, non habenda. (Henr. Stephanus *adeptum* scribi volebat, barbare; sed mendum deprehenderat.)

in miseria est) Haec verba et mox *qui* etiam in Spir. [B] exciderant; interpolationis nulla suspicio est. Plutarchus *ἀνοήτους καὶ μοχθηροὺς διαμένειν* dicit. A vitio non seiungitur miseria apud Stoicos; cfr. IV, 64.

Cap. XV. *ne de horum quidem*) Sic Gzius „cum omnibus suis et Marso“; de Marso fallitur.

Sed quamquam negant nec virtutes nec vitia crescere, tamen utrumque eorum fundi quodam modo et quasi dilatari putant. 49. Divitias autem Diogenes censet non eam modo vim

1. *negent* LPMCR *et tamen* [A]ELPMROr. *et inde* C 2. [*fundi* om. A] 3. *censeat* PMCR *non* om. [A]EPMR transp. post *eam* C

Sed quamquam — tamen) Postquam de dogmate Stoico asseveravit, adiungit cautionem et exceptionem. *Negant* pro *negent* etiam [A,] Spir. [B] et ed. Marsi, restituitque Gzius. Tum in codd. ([B,] mg. Crat., Eξ, Gzii omnibus) et edd. antiquis (Iunt., Mars., Vict.) erat: *crescere et tamen* (χ *crescere sed tamen*), litteris *e* et *t* ea ratione geminatis, de qua ad II, 84 dixi. Hinc nescio quis editor fecit *at tamen*, quod Ascens. et Crat. et a Manutio omnes ante Orellium habent. (Ed. a. 1480 recte *tamen*. De Orellio mox dicam.) Sed *at* (*at — tamen*) tum infertur, cum oratio ad minus descendit, si maius aliquid effici non potest; ubi, ut hic, tantum admonitio quaedam e contrario genere adiungitur, ei particulae loco omnino nullus est. Opponetur Orat. 113: *Quamquam aliud videtur oratio esse, aliud disputatio, nec idem loqui esse, quod dicere, at tamen utrumque in disserendo est.* Sed si haec recte ita scripta essent, abesse non poterat, ut Lambinus sensit, huius sententiae cum superiore coniunctio: *Quamquam enim aliud* cet. Cicero primum per *quamquam* particulam annectit, quod superiori contrarium esse videatur et correctionem habere: *Quamquam — dicere*; deinde hoc removet alia sententia: *Ac tamen* cet. Fusionem virtutum et vitiorum Cato eam videtur dicere, quae fiat, cum latior iis campus et uberior materia detur, ut Seneca Epist. 74, 28: *Modo latius virtus funditur, regna, urbes, provincias temperat, fert leges, colit amicitias, inter propinquos liberosque dispensat officia, modo arto fine circumdatur paupertatis, exilii, orbitatis* cet.

49. *Divitias autem*) Transit Cato ad aliam rem explicandam eodem modo, quo § 33 (*Bonum autem*) et § 36 (*Omne autem*). Neque enim hoc, quod de divitiarum vi et aestimatione interponitur, cum superiore disputatione de virtutibus et beata vita gradus non habentibus cohaeret. Alio quodam modo cum ea controversia, quae inter Stoicos et Peripateticos erat et quam Cato in rebus ipsis positam contendit, haec Diogenis Babylonii de divitiis sententia coniuncta esse videtur, ut quaeratur, num forte ea de causa externa commoda in bonis habenda sint, maxime divitiae, quod bona contineant. Sed parum perspicua est tota disputatio, non solum quod ignoratur, ecquis umquam illa ratione usus sit ad divitias in bonis po-

habere, ut quasi duces sint ad voluptatem et ad valetudinem bonam, sed etiam uti ea contineant, non idem facere

1. *ne quasi* PMR [*sit* A] 2. *ut in ea* [A]PMCR [*ut mea* Eh] *ut ea* (L)Or.

nendas, sed quod ipsa Diogenis argumentatio non satis certa via et ratione procedit. Primum enim tamquam concessum ponitur, divitiis valetudinem et voluptatem contineri, virtutem et artes non contineri, recteque concludi dicitur, si valetudo et voluptas bona sint, etiam divitias, quae illas contineant, bona esse. (Quod de sapientia additur, omnino ad rem non pertinet, nisi Diogenes pecuniam ad sapientiam ducem esse posse dixit.) Deinde autem illud ipsum, sine quo illa conclusio effici non poterat, tamquam novum inducitur: *neque ab ulla re* cet.; postremo ex eo, quod divitiae non sint in bonis, efficitur, artes aut saltem virtutem divitiis non contineri; at ab hoc tamquam certo initio iam supra profecti eramus. Nec valde firmum est, valetudinem divitiis contineri. Nec tamen dubito, quin Cicero, etiamsi disputationem Diogenis minus fortasse diligenter in brevius contraxerit, summam tamen recte reddiderit. Nam multas huiusmodi argutias parum subtiles Stoici post Zenonem, cum a ceteris philosophis oppugnarentur, excogitarunt. Pro *censet* etiam aliorum deteriores codices (Oxx. Eξχψ, Gud. 1) *censeat*, ex editoribus postremus Victorius; *censet* iam Marsus et Crat. (Gruterus et Davisius tacent.) [Constat nunc de ABErl.] Mox *ut in ea contineant* etiam Eξχψ, edd. Crat., Vict. [Etiam, ut nunc scimus, codd. meliores; itaque Baiterus *uti* fecit. Paulo ante *non* ante *eam* in archetypo exciderat; om. etiam B. Sed satis certa scriptura ob *sed etiam* et *non idem* et totam sententiam.]

non idem facere eas) Altera pars Diogenis iudicii, quae priori ex adverso respondet, sine particula adiungitur (*sed non idem*); in sententia relativa (*ad quas esse dux pecunia potest*) Cato indicativo modo utitur, quod suum iudicium a Diogenis non separat. Apertissimas res attingo; sed commemorandum est, quamquam invitus facio, quemadmodum Godofredus Hermannus totum hunc locum ab initio huius capitis tractarit (in dissert. de R. Bentleio, Opusc. II p. 270), ut levissimum codicum mendum, de quo supra dictum est (*crescere et tamen*), tueretur. Sic enim haec continuat: — *ne de horum quidem est veritate dubitandum, sed, quamquam negant nec virtutes nec vitia crescere et tamen utrumque eorum fundi putant, divitias autem Diogenes censet non eam modo vim habere, ut quasi duces*

eas in virtute neque in ceteris artibus, ad quas esse dux pecunia potest, continere autem non potest; itaque si voluptas aut si bona valetudo sit in bonis, divitias quoque in

1. *eas etiam in* R *nec ceteris* E 2. *voluptates* LC 3. *aut bona* [Eh]L

sint ad voluptatem et valetudinem bonam, sed etiam ut ea contineant, non idem facere eas (*censendum est*) cet. Nam apodosin incipere vult a verbis *non idem*, illud autem *non censendum* sumi ex illis: *ne de horum quidem est veritate dubitandum.* Dicam simpliciter: nimis supine et neglegenter vir clarissimus interpungendi et interpretandi artificio abusus est, nec orationem curans et sententiae, ad quam omnino non videtur attendisse, ne umbram quidem relinquens. Ex *nego* verbo negativo in altero membro post *sed* audiri solet *aio*; Hermannus ex hac coniunctione: *ne de his quidem est dubitandum*, ubi verbo additur negatio eaque ipsa ad alias voces proxime pertinet, affirmativam significationem sumi vult. Deinde non animadvertit, affirmationem hanc esse: *sed dubitandum est*; substituit: *dubitandum non est*, idque, quia huic verbo infinita sententia a Cicerone non subicitur, mutat, ut sit: *censendum est.* Tum, quod profecto apertissimum est, ea, quae de divitiarum vi dicantur, sic coniuncta esse, ut ex utroque membro unum efficiatur Diogenis iudicium, omniaque haec ad verbum *censet* referri, id Hermannus neglegit et perturbat. Ipse autem sententiam efficit ita permixtam ex separatarum disputationum particulis in unam verborum periodum confusis, ut paene ioci causa ficta videri possit. Quid enim minus cohaeret quam hoc: „Non est dubitandum, quin omnes sapientes aeque sapientes et omnes insipientes aeque miseri sint, sed censendum divitias virtutem non continere“? Et qualis adiungitur concessio? „quamquam virtutes et vitia crescere negant.“ Quid id ad divitiarum vim? At quomodo hoc continuatur in illis: *Divitias autem Diogenes* cet.? Et tamen hunc locum Beierus (ad Off. III, 9 p. 197) ab Hermanno „facillime expeditum“ iudicat; sequuntur Orellius et Otto. Iam non miror eum paulo interdum licentius ludere, qui videat, tam facile sibi credi. [Et infinita huiusmodi ille lusit, alii serviliter secuti sunt; itaque totius perversitatis in claro exemplo demonstrationem ne nunc quidem omitto.]

aut si bona valetudo) *Si* om. etiam Spir. [B], ex editoribus Lambinus. Mox pro *at si* etiam [B,] Eξχ, Gzii codd., excepto Gud. 1, omnes *aut si*, etiam edd. Crat. et Vict. (edit. a. 1480 recte); deinde *sequitur* pro *sequi* cod. Urs., Eξχ, tres Gzii.

bonis esse ponendas; at, si sapientia bonum sit, non sequi, ut etiam divitias bonum esse dicamus. Neque ab ulla re, quae non sit in bonis, id, quod sit in bonis, contineri potest; ob eamque causam, quia cognitiones comprensionesque rerum, e quibus efficiuntur artes, appetitionem movent, cum

1. *aut si* [AEh]LPMR *sequitur* LC 2. *aut etiam* E *nec* (P)C 3. [*in nobis* A] *id qua sit* E [Pro *id q. s. in bonis* A *nulla ars diuitiis*] 4. *cogitationes* LMCR *comprensiones* om. E (non *que*) 5. *ad petitionem* P *ad appetitiones* LMCR *appetitiones* Or.

Tum *neque ab* (pro *nec ab*) Dav. tacite, Eξ, Gzius ex omnibus suis. *Contineri potest* Cato mire subito ex sua persona dicit, cum in sententia relativa (*id, quod sit in bonis*) sic coniunctivo usus esset, tamquam ex aliena loquens (*posse*); cfr. 17. E contrario genere ante paucos versus erat indicativus pro coniunctivo in secundaria sententia servatus (*potest* et *non potest*).

cognitiones comprensionesque) Sic Pal. 1 restitueratque Lambinus suis libris reclamantibus; confirmant El., tres optimi Gzii [B]; vid. § 17; etiam Uχψ *cogitationes*; in Eξ haec omnia: *ob eamque causam — contineri potest* exciderant propter easdem voces bis positas. In mg. Crat. annotatur [ut ex A]: *nulla ars divitiis*. Aberraverat scriba ad verba tribus versibus infra posita.

appetitionem movent) *Ad appetitiones* etiam El. uterque, Mead., tum ψ, edd. veteres pleraeque (Vict.). Praepositionem Crat. et Manutius deleverunt. (Gzius de praepositione addita omissave nihil dicit.) Singularem numerum Gruterus tacite posuit [ex A]; eum confirmant etiam Spir. [B] et Bas. Marsus *ad appetitionem*. Non significatur, suam quamque comprehensionem appetitionem movere, sed universe hanc vim habere, ut appetendi motum (τὴν ὁρμήν) cieant; cfr. IV, 48, Acad. II, 24. Argumentum sic concluditur, quia cognitiones comprehensionesque appetitionem moveant, ut in bonis sint, ideo non posse contineri divitiis. Atqui, quae appetitionem naturalem movent, ea non continuo bona sunt, sed tantum in primis naturae, in quibus § 17 καταλήψεις ponebantur (cfr. Stob. Ecl. Eth. p. 148 H.). Itaque conclusio valde infirma est; nec ipse Diogenes confisus ea esse videtur (*quod si de artibus concedamus*, eas divitiis contineri). Nam etsi, cum discrimen sapientis et insipientis Stoici rhetorice exaggerarent, πάντα ἀγνοεῖν τὸν φαῦλον docuisse narrantur (Sext. Emp. adv. Math. VII, 434) et artes ipsasque καταλήψεις in sapiente etiam bona esse voluisse (Plut. adv. Stoicos 7 p. 1061 C),

divitiae non sint in bonis, nulla ars divitiis contineri potest. 50. Quod si de artibus concedamus, virtutis tamen non sit eadem ratio, propterea quod haec plurimae commentationis et exercitationis indigeat, quod idem in artibus non sit, et quod virtus stabilitatem, firmitatem, constantiam totius vitae complectatur nec haec eadem in artibus esse videamus.

Deinceps explicatur differentia rerum; quam si non

3. *propterea quod* om. C *commendationis* [A]LPMCR 6. [*ne haec* Eh] 7. [*non ulla* Eh] *nonnullam* L(Em)

tamen non ita haec alibi persequebantur, ut κατάληψιν simpliciter bonum appellarent et negarent in ullo nisi sapiente esse. Nimis enim aperte in id incidissent, in quod tamen incidebant occultius, ut, cum ipsi se sapientes esse non profiterentur, omnis eorum et doctrina et vita insipientiae nota inusta esset. Illud prorsus mirum, si Cicero nihil perturbavit, quod Diogenes huiusmodi, qualia hic ponuntur, argumentis probandum crediderit, virtutem divitiis non contineri.

50. *virtutis tamen non sit eadem ratio*) Redire Catonem ad Diogenis orationem reddendam, apparet ex eo, quod ter coniunctivum modum ponit (*indigeat*, *sit*, *complectatur*), cuius nulla esset causa, si haec Cato e sua persona loquens in primaria sententia *sit* tantum propter hypotheticam formam orationis diceret. Ergo infinitivo utendum fuisse videtur: *virtutis tamen non eandem esse rationem*. Et profecto usitatius sic Cicero scripsisset; sed etiam alibi uno et altero loco in huiusmodi oratione obliqua finitum verbi modum retinuit, ut magis appareret condicionalis significatio, velut I Off. 158: *quod si omnia nobis, quae ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut aiunt, suppeditarentur, tum optimo quisque ingenio, negotiis omnibus omissis, totum se in cognitione et scientia collocaret.* Debuit dici: *tum optimo quemque ingenio — se collocaturum esse*; refertur enim ad illud: *Nec verum est, quod dicitur a quibusdam.* Nat. Deor. I, 123, ubi est: *neque enim tam desipiens fuisset*, rectius futurum erat: *neque enim tam desipientem futurum fuisse* (nisi ita esset), *ut* cet. Nam ex Posidonii persona ratio redditur iudicii ante positi.

Deinceps explicatur differentia rerum) id est, eorum, quae, cum ad beate misereve vivendum nihil valerent, ἀδιάφορα dicebantur, latius patente huius vocabuli significatione, apud Ciceronem etiam *media* (53, 58, 59), quo vocabulo Graeci tum maxime usi videntur, cum de actionibus, quae in his re-

ullam esse diceremus, confunderetur omnis vita, ut ab Aristone, neque ullum sapientiae munus aut opus inveniretur, cum inter res eas, quae ad vitam degendam pertinerent, nihil omnino interesset neque ullum dilectum adhiberi oporteret. Itaque cum esset satis constitutum, id solum esse

1. *et confunderetur* Or. 3. *pertinent* L 4. *non ullum* C

bus versarentur, explicarent (Stob. Ecl. Eth. p. 190, 218, 236 H., cfr. Cic. Acad. I, 37). Totam differentiam e Stobaeo (p. 142 sqq.), Diogene Laërtio (VII, 102 sqq.), Sexto Empirico (adv. Mathem. XI, 59 sqq.) exposuerunt Lipsius Manud. ad philos. Stoic. II, 23, Tennemannus in Hist. Philos. IV p. 86 sqq., Beierus excursu VI ad Cic. de Off. lib. I, tom. I p. 319 sqq., e quibus hic etiam Gzii errores sustulit, quos ille gravissimos commisit in exc. I ad Acad. lib. I, dum ipsius Ciceronis errorem defendere conatur. Nam is Acad. I, 37, dum festinat, *reiecta* (*τὰ ἀποπροηγμένα*) in aestimabilium genere posuit, deceptus fortasse a Graeco scriptore, qui minus accurate locutus esset, ut facit Sext. Emp. Pyrrh. Hypotyp. III, 191. Nam cur Ciceronis locum mutilum esse cum Beiero suspicemur, causa nulla est.

non ullam esse diceremus) id est prorsus, *nullam esse*, ne tali quidem relicto discrimine, quale Zumptius ad Div. in Caecil. 60 subesse putat, qui ipsum usum exemplis poëtarum defendit, idemque e codicibus restituit Verr. III, 124. Accedit Brut. 312: *ut non ulla esset*; nam in Parad. 16 (*non gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus*) et pro Cluent. 39 (*non ille honorem a pueritia, non studia virtutis, non ullum existimationis bonae fructum umquam cogitarat*) [et pro Rosc. Am. 128] singularem, cur ita dicatur, causam habet anaphorae figura. Ad Fam. VI, 9, 1 aliter et rectius scribitur in codice palimpsesto Taurinensi; in Tusc. etiam I. 94 et longe plurimi et optimi codices habent *nullis*. L. Plancus scripsit (epist. ad Fam. X, 18, 2): *non ullam rem aliam extimescens quam eandem* cet. Quod Gzius *non* ad *diceremus* pertinere vult, Latinum non est: *non dico quemquam esse* pro eo, quod est: *nego quemquam esse*.

confunderetur omnis vita) *Et confunderetur* Gzius e Gud. 2 et Bas., quod in eo est vitio, de quo dixi ad II, 63. Neque enim duo aequalia haec sunt (*et* — *nec*), sed prius explicatur altero adiecto.

bonum, quod esset honestum, et id malum solum, quod turpe, tum inter illa, quae nihil valerent ad beate misereve vivendum, aliquid tamen, quod differret, esse voluerunt, ut essent eorum alia aestimabilia, alia contra, alia neutrum.

1. [*esset* om. A] 2. *tum haec ut illa* MCR *tum haec inter illa* L *tum inter haec ut illa* P 3. *quo differet* P *quod differrent* LMCR *quo differrent* Or. *a se esse* C *voluerint* E 4. *eorum aliqua aestimabilia* LC [*aliane uerum* A]

tum inter illa) Sic etiam Pal. 1 et Spir. [B] (Bas. *tamen inter illa*, Gud. 2 *et tamen inter illa*); restituit Lallemandus. Dav. ex El. 1 scribi volebat *inter illa*, deleto *tum*. Offendebat eum, ut alios, coniuncta progressionis et oppositionis (*tamen*) significatio: Primum bonum ita constituerunt; deinde tamen cet. Deteriores ceterorum ut nostri: *tum haec ut illa* Pall. 3, 4, 5, Par. 3, χ, *tum inter haec ut illa* Ox. U (ut videtur), *tum haec inter illa* Pall. 2, 6, Ball. et Mead. Hinc nescio quis editor effecit: *tum inter haec et illa* (iam Crat.), quasi agatur de differentia rerum bonarum malarumve, ac non de harum inter se.

aliquid tamen, quod differret) id est, aliquod discrimen. Sic enim Latine dicitur: *aliquid differt inter has res* sive: *est aliquid, quod differat* (Off. I, 99); vid. Schellerus p. 2931. [Sic etiam AB;] sed quod Gzius „omnes, quos viderit, et scriptos et editos veteres“ *quod differret* habere dicit, erravit, ut solet; in deterioribus codd. viderat, ut in nostris et Oxx. Eξχψ, *quod differrent*, quod Aldus aliique habent; apud Crat. iam est *quo differrent*, quod omnes tenuerunt. Una ed. a. 1480 recte *quod differret*. In eadem locutione offensum est Tusc. II, 35, nunc tamen ad veritatem reditum [et iterum aberratum].

alia aestimabilia, alia contra) *ἀξίαν ἢ ἀπαξίαν ἔχοντα* (*ἐκλεκτικὴν ἢ ἀπεκλεκτικήν, συμβλητικὴν δὲ πρὸς τὸν εὐδαίμονα βίον οὐδαμῶς*, Stob. p. 142, cfr. Diog. VII, 105) et ideo *ὁρμῆς ἢ ἀφορμῆς κινητικά, ληπτὰ ἢ ἄληπτα.* Cfr. § 20 et qui paulo ante testes citati sunt.

alia neutrum) quae nec secundum naturam essent nec contra, ut digitum hoc aut illo modo protendere, capillos pari aut impari numero habere (Stob. p. 142, 148 cet.), quae interdum sola *ἀδιάφορα* appellabantur (*καθάπαξ ἀδιάφορα*, Stob. p. 142, cfr. Diog. VII, 104, Sext. XI, 59). Haec sola Cicero Acad. I, 36 *media* nominat, errans in huius appellationis usu: *His ipsis* (iis, quae secundum naturam essent aut contra) *alia interiecta et media appellabat* (Zeno), et mox: *neutra in mediis relinquebat*; paulo tamen post (37) de officiis loquens *media* aliter dicit. [Oxx. Eξ *neutra*; v. ad 66.]

51. Quae autem aestimanda essent, eorum in aliis satis esse causae, quamobrem quibusdam anteponerentur, ut in valetudine, ut in integritate sensuum, ut in doloris vacuitate, ut

1. *que quae* E *quaeque* (*queque*) LPMCOr. 3. *aut in integritate sensuum aut in* E

51. *Quae autem aestimanda essent*) Sic iam Crat. et inde a Manutio omnes tacite, donec Gzius restituit *quaeque*. [quod cum fuerit in Oxx. et Gzii omnibus, in archetypo fuisse credideram; nunc de A contra affirmatur]. Sed neque Cicero eiusve aequales *quisque* pro *quicumque* posuerunt (de quo exposui in excursu ad hunc locum), nec, si id alibi poneret, in hac simplici generis comprehensione novae divisionis causa ullus esset locus relativo indefinito. Nec Acad. I, 36 et 37 dixit: *quaecunque autem secundum naturam* aut: *sed quaecumque essent sumenda*, sed bis *quae*.

eorum in aliis satis esse causae) Itaque non omnia, quae aliquam omnino ἀξίαν habebant vel minimam, προηγμένα erant, aut, quae ἀπαξίαν, ἀποπροηγμένα. Eodem pertinet, quod Sext. Emp. προηγμένα appellata dicit, quae ἱκανὴν ἀξίαν haberent (adv. Mathem. XI, 62), et Stobaeus προηγμένα definit, quae πολλὴν ἀξίαν habeant, ἀποπροηγμένα, quae πολλὴν ἀπαξίαν (p. 144 et 156). Verum quae non tantam aestimationem aut non-aestimationem (ut hoc fingam) habebant, ut in praepositis aut reiectis numerari possent, eorum aestimatio aut non-aestimatio nullum prorsus momentum faciebat, recidebantque ex aestimabilium et inaestimabilium genere in genus τῶν καθάπαξ ἀδιαφόρων. Itaque neque Cicero neque alius quisquam huius speciei (aestimabilium nec tamen praepositorum et contra) ullum exemplum ponit aut appetitum eo commoveri dicit, Diogenes autem Laërtius (VII, 105) simpliciter omnia τὰ ἀξίαν ἔχοντα facit προηγμένα, qui vix reprehensionem meretur Tennemanni IV p. 87 not., saltem non eandem, quam Ciceronis in Academicis error. Stobaeus quoque extra illam definitionem tria tantum genera facit (προηγμένα, ἀποπροηγμένα, οὔτε προηγμένα οὔτε ἀποπροηγμένα, p. 146) similiterque Sext. Emp. (XI. 62).

ut in integritate sensuum) Gzius: *valetudine et integritate sensuum* e Spir., Bas., Gud. 1, quemadmodum est in edd. Iunt. et Crat. De codicibus miror in tanto meorum et Oxoniensium consensu. [B ut Erl.] Distingvuntur haec etiam § 56 et II, 34. Valetudo ad totum corpus pertinet, alterum ad partes; Acad. I, 19.

gloriae, divitiarum, similium rerum, alia autem non esse

1. [*alii autem eiusmodi*, om. *non esse*, A]

ut gloriae, divitiarum, similium rerum) Apertum est, haec exempla (quae sunt externorum commodorum, cum priora corporis sint) eodem modo adiungenda fuisse ac priora: *ut in gloria* cet., nec genetivum ullam rationem grammaticam habere, neque hic orationem interruptam sensim in aliam formam transire. Nam Gzii conatum rideas an miserere, nescias, qui „Ex *anteponerentur*“ inquit „facile (!) cogitabis *anteponendarum ratione*“; hac nimirum oratione: *in nonnullis rebus est causa, cur aliis anteponantur, ut divitiarum anteponendarum ratione*; quis interpretationem interpretabitur? Aeque absurda Otto. Nec ferenda, quae Beierus ad Off. II, 16 p. 35 tentat, haec confundens cum forma non ignota, qua *causa rei* dicitur pro *causa*, *quae in re aliqua posita sit*. Neque *causa* cum illis genetivis coniungi potest, neque sic dicitur: *causa est huius rei*, nedum: *satis est causae huius rei*; deinde nullius rei causa ex gloria orta quaeritur. Et tamen nec vestigium est scripturae depravatae nec causa, cur, aut ratio, quomodo depravatà sit, excogitari potest, nec ulla est orationis perturbatio praeter unam illam subitam casus in enumerando mutationem. Manifesto igitur tenetur ipsius Ciceronis in scribendo lapsus, nec orationis voluntaria declinatio, sed oblivio non voluntaria; nam cum ad alteram partem exemplorum pervenisset, in hoc ipso, ut ita dicam, cogitandi intervallo et quasi interpunctione, animo alias imagines complectente, memoria eum fefellit obiecitque obscuram speciem orationis aliter structae, velut (nam fingi multa possunt): *aliorum tantam esse dignitatem*, *ut quibusdam anteponantur*, *ut valetudinis* cet. (Lambinus, ut solebat, audacter: *ut in gloria*, *divitiis*, *similibus rebus*, male ut criticus, quis negat? et tamen, si de prudentia hominis quaeras, quanto hoc praestat stupori illorum, qui haec non ut scripta, sed ut recte scripta interpretantur?) [Prorsus similiter aberravit et casum commutavit Cicero II Off. 88: *Ipsa inter se corporis* (commoda) *sic* (comparantur), *ut bona valetudo voluptati anteponatur*, *vires celeritati*, *externorum autem* (obversatum est: *comparatio fit*), *ut gloria divitiis*, *vectigalia urbana rusticis*. Ibi recte Beierus, male Heusinger. Quod O. Heinius (Annal. Philolog. XCIII p. 246) scribendum putat: *similium rerum in usu*, advocata ea divisione primorum naturae, quae apud Stobaeum Ecl. Eth. p. 150 Heer. ponitur, neque ordo verborum Ciceronianus est neque in usu gloriae et divitiarum erat causa, quamobrem is anteponeretur (nam ea sententia efficeretur), sed in gloria et

eiusmodi; itemque eorum, quae nulla aestimatione digna essent, partim satis habere causae, quamobrem reicerentur, ut dolorem, morbum, sensuum amissionem, paupertatem, ignominiam, similia horum, partim non item. Hinc est illud exortum, quod Zeno *προηγμένον*, contraque quod *ἀποπροηγμένον* nominavit, cum uteretur in lingva copiosa factis tamen nominibus ac novis, quod nobis in hac inopi lingva non conceditur; quamquam tu hanc copiosiorem etiam soles dicere.

4. *et similia* L *itemque hinc esse illud* (*illud esse* R) LPMCROr. *item hinc est id quod est Zeno* E 5. [*proegmenon* A *peregemon* Eh] *contraque* — *ἀποπροηγμένον* om. R [*apoproegmenon* AEh] 8. *etiam* om. LP *dicere soles* LPMCR

divitiis propter usum; omnino igitur ad haec ipsa illud *in aliis* adiungi debet.]

partim non item. Hinc est) Priori illi *partim satis habere causae* in divisionis contrariis partibus notandis respondet: *partim non item*; vid. Handius Tursell. III p. 520. Si *item* Cicero non addidisset, paene necessario ad Latinorum sensum scripsisset: *partim non habere*, tot praesertim interpositis post id verbum. Deinde Cato, exposita ipsa differentia, transit ad nomen a Zenone impositum. Vulgo haec sic edebantur, ut est apud Orellium, valde vitiose. Primum enim *itemque hinc* sic dicitur, tamquam alia quaepiam res hinc orta commemorata sit; deinde sic infinitivus ponitur, quasi Stoici disputarint, hinc *exortum esse* (praeterito tempore) *προηγμένον*. Videat mihi nunc aliquis, quam moleste propter neglegentiam hominum veritas eruenda sit aut saltem testimonia; nam scribendum esse *non item. Hinc est* (quod ego ex Erl. sciebam), Wesenbergius meus intellexit, cum in codd. esse ignoraret. *Item*, non *itemque*, etiam Spir. habuisse, id est, optimos, perspicitur ex eo, quod Gzius paulo ante (*itemque eorum*) Erl. et Spir. *item* habere narrat; ex Erl. apparet, de hoc loco hominem dicere debuisse; *est*, non *esse*, praeter Spir. etiam Eξ. [Accedunt nunc AB.] (Cum in Gud. 2 esset *illud esse huic*, Gzius *esse* delevit.) [Tum *est illud* AB, non *id*, quod etiam in Spir. fuisse dicitur; sed *exortum* etiam B omittit. Credo vestigia veri maxime in Erl. et Spir. servata esse; Ciceronem enim scripsisse: *Hinc extitit*, *quod Zeno* cet.] Paulo post *soles dicere* Gzius ex Erl. et Spir. [B]. Eosdem solos e suis codd. *etiam* habere ait. [*Verbi* altero loco si Cicero omisisset, scripsisset *eius*; sed ne sic quidem posuisset *eius faciendi Zenonis*. Dico propter Baiterum.]

Sed non alienum est, quo facilius vis verbi intellegatur, rationem huius verbi faciendi Zenonis exponere.

XVI. 52. Ut enim, inquit, nemo dicit, in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem (id est enim *προηγμένον*), sed eos, qui in aliquo honore sunt, quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit, ad regium principatum, sic in vita non ea, quae † primario loco sunt, sed ea,

2. [*verbi* hoc loco om. A] *Zenonem* L 3. *dicit ut in regia* E 4. *idem enim est* omnes *id enim est* Or. 5. *sint* omnes, Or. 6. *regnum* E 7. *sit ea in vita* E *ea, quae* om. E *primario* sine nota Or. *primorie* [A]E

Cap. XIV, 52. *Ut enim, inquit*) Stobaeus Ecl. Eth. p. 156: *Οὐδὲν δὲ τῶν ἀγαθῶν εἶναι προηγμένον, διὰ τὸ τὴν μεγίστην ἀξίαν αὐτὰ ἔχειν, τὸ δὲ προηγμένον, τὴν δευτέραν χώραν καὶ ἀξίαν ἔχον, συνεγγίζειν πως τῇ τῶν ἀγαθῶν φύσει. Οὐδὲ γὰρ ἐν αὐλῇ τῶν προηγουμένων εἶναι τὸν βασιλέα, ἀλλὰ τοὺς μετ' αὐτὸν τεταγμένους.* (Sic scribendum: ne in aula quidem regem inter praestantes dignitate numerari, sed eos, qui cet., vel potius *τῶν προηγμένων*. In Heerenii scriptura *τὸν προηγούμενον εἶναι* vitiosus est articulus; codd. *αὐλητων προηγουμενον*. Deinde pluralem, *τοὺς μετ' αὐτὸν τεταγμένους*, Davisius restituit; codd. *τοῦ — τεταγμένου.*)

id est enim) Cum ex *id est*, ut saepe, factum esset *idem* (Oxx. Eξχ, edd. ante Manutium; Grut. et Dav. tacent; Gzius in „multis scriptis“ ait esse *idem*), additum est verbum: *idem enim est.* Correxi mendum manifestum.

in aliquo honore sunt) Sic recte edd. Crat. et Vict., et ob *accedit*, quod scribarum arbitrio minus obnoxium fuit, et quod simpliciter genus notum describitur. *Secundus ad regium principatum* etsi videri potest ita dictum esse, ut praepositio comparationem significet, tamen, quoniam *ad* sic poni non solet nisi in significanda dissimilitudine et differentia (ut cum dicitur: *nihil ad aliquem*, *quid ad utilitatem tantae pecuniae?* (II, 85) et apud Livium: *non ad cetera ingenia Punica callidus*, et apud Plautum, Capt. II, 2, 25: *ad sapientiam huius nimius nugator fuit*; vid. lex.), et quoniam *secundus*, quod ipsum ordinem indicat, ad eam significationem minus aptum est, puto Ciceronem *ad* praepositionem rettulisse ad verbum *accedit*. Itaque comma interposui, quod in mentem iam venerat Bremio.

primario loco) Aliter Cicero scripsit; nam nec *primarius* locus (id est, qui ad primum pertinet, primi generis est) recte dicitur pro *primo*, et aliud codices ostendunt; nam etiam Pal. 1,

quae secundum locum obtinent, προηγμένα, id est, producta nominentur; quae vel ita appellemus (id erit verbum e verbo) vel promota et remota vel, ut dudum diximus, praeposita vel praecipua et illa reiecta. Re enim intellecta, in verborum usu faciles esse debemus. 53. Quoniam autem omne, quod est bonum, primum locum tenere dicimus, necesse est, nec bonum esse nec malum hoc, quod praepositum vel praecipuum nominamus; idque ita definimus, quod sit in-

2. *appellentur* L Post *e verbo* add. *exprimere* L 3. *proposita* R 4. [*reiecto* A] 7. *propositum* [A]ELMCR *ut* (pro *vel*) E 8. *praecipua* MC *Itaque id definimus* LPMCROr.

Spir. [B], mg. Crat., El. unus *primorie* (*primori e*), cod. Scal., El. alter, Mead., Ball. (ψ), Gud. 1 *primiore*, Pal. 2 *primore*, quod edidit Gzius. (Davisius probabat *primore in loco*.) Sed adiectivum illud, quod antiquarii quidam, ut Varro, Gellius, pro eo, quod est *primus*, posuerunt paucis locis, apud ceteros, si pluralem *primores* excipias, dicitur tantum de priore parte rei alicuius aut rerum coniunctarum (ut dentium); itaque *primore loco*, si diceretur (sed nemo dixit, quod ineptum erat), significaret: *in prima parte loci*. (Nec Livius XXIV, 20, 13 scribere potuit, quod e Gronovii coniectura edebatur: *primori iuventute conscripta*.) Cicero *primo* posuit; [comparativus *priore*, quem Klotzius et Baiterus posuerunt, ferri nullo modo potest;] quid in litteris *rie* lateat, nescio. [Cicero scripsisse videtur *primo ordine*; ex *primordine* factum *primorie* et additum *loco*.] Mox in multis codd. et vett. edd. esse *idem erit verbum*, Gzius ait, nemo alius vidit.

vel promota et remota) Cum proprie tantum *promota* nominare deberet, addidit e contrario *et remota*, quasi de utrorumque nomine proxime egisset; simile est, quod V, 90 legitur, *et reducta*; vid. ad I, 41.

53. *Idque ita definimus, quod*) Hoc etiam e cod. Mor. [AB], id est, e meliore familia et ex ed. Crat. restitui; eodem modo *ita* praeponitur definitioni sententia relativa comprehensae, quo II, 29: *eam autem ita persequitur, quae palato percipiatur* cet. Figura mixta est ex abundantia ea, qua demonstrativa particula ipsius rei appellationi praeponitur, de qua dixi ad II, 13, et ex brevitate; nam *ita* hanc modi explicationem postulare videtur: *ita definimus, ut id esse dicamus, quod sit* cet. Editionum scriptura et deteriorum codd. *id* ita positum habet, ut videatur cum *quod* proxime coniungi, quemadmodum § 33 et alibi.

differens cum aestimatione mediocri; quod enim illi ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita occurrit ut indifferens dicerem. Neque enim illud fieri poterat ullo modo, ut nihil relinqueretur in mediis, quod aut secundum naturam esset aut contra, nec, cum id relinqueretur, nihil in his poni, quod satis aestimabile esset, nec, hoc posito, non aliqua esse praeposita. 54. Recte igitur haec facta distinctio est; atque etiam ab iis, quo facilius res perspici possit, hoc simile ponitur: Ut enim, inquiunt, si hoc fingamus esse quasi finem et ultimum, ita iacere talum, ut rectus assistat, qui ita talus erit

1. *ille — dicit* C 2. [*ait* pro *ut* A] *dividitur* (pro *dicerem*) C 3. *relinqueretur in medium nihil* L 5. *nihil hiis* C [*satis* om. A] 6. *haec posita* LPMCR *esset* [A]E *essent* LPMCROr. 7. *hic* E 8. *his* LC *respici* (pro *res perspici*) C 10. *recte assistat* LMC

nec, hoc posito, non aliqua esse) *Hoc posito* Pal. 1, mg. Crat., Mor., [B,] liber Maffei apud Man., ed. a. 1480. Restituit Manut. Gzius affirmat in Erl. et Spir. esse *haec posita*, eadem fide, qua II, 77. Deinde autem edebatur *essent*, perversissime, non solum in orationis coniunctione: *nec — nihil in his poni — nec — non aliqua essent* (quam ipsam frustra Bremius defendere conatur; nemo enim in tali membrorum coniunctione et progressu verbi formam mutavit), sed multo magis in sententia; sic enim condicionaliter Catoni dicendum erat de ea re, quam cum non probaret, necessario tamen ex alio falso initio sequi ostenderet; nunc ostendit, vera et necessaria consecutione haec omnia ita connecti, ut non possint non esse aliqua praeposita. Itaque *esse* scribi debere, viderant Manutius et Morelius, secutique Davisius et Ernestius erant, ille in El. 1 ita scribi addens. Gravior est Erl. et Mor. [AB] auctoritas, in quibus scribitur *esset*, significatur *esse*. [Quod A *satis* omittit, nec magnum in omittendo unus momentum facit, nec quisquam addidisset, et recte significatur aestimatio non prorsus contemnenda et neglegenda.] Mox (54) cod. Mor. *facta definitio est.*

54. *ut rectus assistat*) Vere Thorupius nostras (in commentat. de locis aliquot horum librorum, Ripis Cimbricis 1836 edita, p. 53 sqq.), reprehensa Gzii et aliorum incuria, qui nos ad Senftlebium et Pitiscum (v. *Talus*) ablegent, ubi nihil omnino dicitur de discrimine tali, qui rectus assistat et qui rectus cadat, ostendit, eum talum rectum assistere dici, qui cum ita in mensam ceciderit, etiam in eo statu maneat, id latus, quod postulatum fuerit, sursum habens, rectum autem cadere

iactus, ut cadat rectus, praepositum quiddam habebit ad finem, qui aliter, contra, neque tamen illa praepositio tali ad eum, quem dixi, finem pertinebit, sic ea, quae sunt praeposita, referuntur illa quidem ad finem, sed ad eius vim naturamque nihil pertinent. 55. Sequitur illa divisio, ut bonorum alia sint ad illud ultimum pertinentia (sic

1. *habet* E 2. [*qualiter qui contra* A] *qui aliter qui contra* EPMR 4. *referunt illa quid est* E

eum, qui tantummodo sic in mensam inciderit, postea aliud latus summum ostendat. Hic talus ideo ceteris ipso casu praeponetur, quod ad recte assistendum videtur accessisse; itaque eius praepositio refertur ad finem; et tamen, nisi etiam steterit rectus, nihilo magis finem assecutus erit quam ceteri, eritque illa praepositio extra finem nec ullam eius partem continebit.

qui aliter, contra) Non intellecta brevitate orationis, in qua *contra*, ut saepe, totius apodosis priori contrariae locum tenet (*qui autem aliter ceciderit, nihil praepositum habebit atque etiam in contrariam partem inclinabit, ut reiectus sit*), librarii *qui* etiam ante *contra* posuerunt (in sex codd. Dav., Gzii omnibus, [B]).

55. *Sequitur illa divisio*) quae exponitur apud Stob. Ecl. Eth. p. 100 et uberius exemplis declaratur apud Diog. Laërt. VII, 96: *Ἔτι τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν εἶναι τελικά, τὰ δὲ ποιητικά· τὸν μὲν οὖν φίλον καὶ τὰς ἀπ' αὐτοῦ γινομένας ὠφελείας ποιητικὰ εἶναι ἀγαθά· θάρσος δὲ καὶ φρόνημα καὶ ἐλευθερίαν καὶ τέρψιν καὶ εὐφροσύνην καὶ ἀλυπίαν καὶ πᾶσαν τὴν κατ' ἀρετὴν πρᾶξιν τελικά· ποιητικὰ δὲ καὶ τελικὰ εἶναι ἀγαθὰ τὰς ἀρετάς· καθὸ μὲν γὰρ ἀποτελοῦσι τὴν εὐδαιμονίαν, ποιητικά ἐστιν ἀγαθά, καθὸ δὲ συμπληροῦσιν αὐτήν, ὥστε μέρη αὐτῆς γίνεσθαι, τελικά.* (Recte Lipsius Manud. ad phil. Stoic. II, 22 addidit *τὰς ἀρετάς*, etsi mirum est et hic id nomen excidisse et paulo post (97 post *ἀμφοτέρως δὲ ἔχοντα*) *τὰς κακίας*. Esse talia bona, Diogenes satis iam dixerat; nunc huius generis, ut superiorum duorum, nomen repetit, ut exemplum adiungat aut potius ipsam rem; neque enim plura erant; et ad *τὰς ἀρετὰς* referuntur verba pluralia *ἀποτελοῦσι, συμπληροῦσι.*) Omnes virtutes et pertinentia et efficientia esse bona, Stobaeus etiam p. 102 ait. Cato unam sapientiam nominat, sed in ea sunt omnes virtutes. Ceterum Stoici notabiliter a disciplinae constantia desciscebant, communi opinioni cedentes, cum amicum in bonis

enim appello, quae τελικά dicuntur; nam hoc ipsum instituamus, ut placuit, pluribus verbis dicere, quod uno non poterimus, ut res intellegatur), alia autem efficientia, quae Graeci ποιητικά, alia utrumque. De pertinentibus nihil est bonum praeter actiones honestas, de efficientibus nihil praeter amicum, sed et pertinentem et efficientem sapientiam volunt esse. Nam quia sapientia est conveniens actio, est in illo pertinenti genere, quod dixi; quod autem honestas actiones affert et efficit, [id] efficiens dici potest.

1. *celica* [A]C *iam* PMR 2. *uno* om. [A]EMCR 3. *nunc* (pro *autem*) E 4. [*poetica* A] 5. *deficientibus* (pro *de efficientibus*) [A]L *ad* (pro *praeter*) L 6. *sapientem* [A]EP 7. *est illo* [A]EPOr. *est cum illo* LMR *erit cum illo* C 9. *id* sine uncis Or.

numerabant; nam amicus, quamvis sit sapiens, numquam tamen pars alienae virtutis, id est, boni fieri potest.

nam hoc ipsum) Vid. § 15. In editiones post primam venerat *iam hoc*; correxit Davisius e Pall. 1, 2, 4, 6, suis tribus (Mead. *namque hoc*). Mox *uno* ante *non* propter similitudinem ductuum exciderat in cod. archetypo (Mead., Oxx. et Gzii omnibus, [B]; idem annotare debuit Gruterus, sed scripsit *non* ab omnibus Pall. abesse; Gzii praeter tres meliores, id est, Bas. et Gud. 1 *uno* dicuntur addere post *poterimus*). *De* (id est, *ex*) *pertinentibus* minus accurate sic dicitur, tamquam ex maiore numero rerum pertinentium (et bonarum et non bonarum) seligatur una, quae bona sit.

sapientiam esse volunt) In cod. archetypo propter duo, quae praecedunt, participia scriptum erat *sapientem*, ut est in Pall. 1, 3, 4, 6, Parr. tribus, CCC, χ, Gzii omnibus, [B]. Tum in eodem codice exciderat *in*, quod Dav. addidit ante *illo* (Pal. 1, Spir. [B], Gud. 2); cfr. II, 98; in deterioribus suppletum est *cum* (Pall. quinque, Dav. duobus, Oxx. omnibus, Gzii ceteris), quod Gzius defendit, quia dicatur *esse cum aliquo*, qui alicuius partes sequatur! Qui defenderet dici *esse aliquo genere* (quasi genus qualitas sit), non repertus est, etsi sic nonnulli ediderunt. Lambinus: *est ex illo*. Sed significatur hic: *locum habet in illo genere*; cfr. 69.

[*id*] *efficiens dici potest*) Si *id* retinetur, *quod* pronomen est et sententia generalis, eaque sententia sic (per *autem*) adiungitur, quasi absolvat conclusionem ante coeptam. Sed apertum est, hoc membrum prorsus respondere superiori (*quia est* — *est in illo* cet.). Itaque non dubito, quin *id* ex ultima syllaba verbi praecedentis ortum sit. Lambino Davisioque

XVII. 56. Haec, quae praeposita dicimus, partim sunt per se ipsa praeposita, partim quod aliquid efficiunt, partim utrumque: per se, ut quidam habitus oris et vultus, ut status, ut motus, in quibus sunt et praeponenda quaedam et reicienda; alia ob eam rem praeposita dicentur, quod ex se aliquid efficiant, ut pecunia, alia autem ob utramque rem, ut integri sensus, ut bona valetudo. 57. De bona autem fama (quam enim appellant εὐδοξίαν, aptius est bonam famam

1. *haec enim quae* L 3. *quia* (pro *quidam*) E *et voltus status et motus* E 4. [*ponenda* A] Post *praeponenda* add. *sunt* E *quaedam etiam* C 6. [*obrutamque* A] 7. *et bona* E *enim* (pro *autem*) E 8. *hoc loco bonam famam* PMCROr. *hoc bon. fam.* (om. *loco*) L

et iam ante ei, qui cod. El. 1 scripsit, *id* ex *ideo* ortum esse visum est.

Cap. XVII, 56. *Haec, quae praeposita dicimus*) Eadem divisio, a bonis ad praeposita translata, exponitur apud Diog. Laërt. VII, 107 (*Ἔτι τῶν προηγμένων τὰ μὲν δι᾽ αὑτὰ προῆκται, τὰ δὲ δι᾽ ἕτερα, τὰ δὲ καὶ δι᾽ αὑτὰ καὶ δι᾽ ἕτερα*) et apud Stobaeum minus plene, omisso tertio genere, p. 144 et 150.

partim utrumque) Neque *ob utrumque* cum Lambino scribendum est neque cum Gzio barbare audiendum *quoad* neque abutendum cum Ottone iis, quae Ramshornius p. 393 sqq. ex aliis generibus collegit (*magnam partem* cet.), sed intellegendum, *utrumque* nominativo casu sic dici, ut ea comprehendat, quae ante Cato posuit: *partim et per se praeposita et quod aliquid efficiant*, quomodo § 50 et Tusc. V, 93 dicitur *neutrum*, et § 55 ipsum *utrumque*, apud Graecos *ἀμφότερον*, *ἀμφότερα*, *οὐδέτερον*. (Cfr. ad IV, 65: *quod sum*). Contra paulo post, praecedente *ob eam rem*, dixit *ob utramque rem*. Tum Gzius tres suos optimos *et status* habere ait; quid habuerint, ostendit Erl. [et B]. Si certum esset, *motui et statui* tribui *habitum* posse, probarem, ut *ἀσυνδέτως* duo genetivorum ordines iungerentur, *oris et vultus*, *status et motus*; neque enim status et motus omnino praeponuntur, sed certi quidam; cfr. V, 35. Sed etiam II, 34 *membra et sensus* pro eorum integritate nominabantur. Paulo post *dicentur* eodem fere modo positum est, quo § 28 *dicetur*, ut sit: cum dicentur, ob eam causam dicentur. Lambinus et ceteri ante Gzium *dicuntur*, contra Pall. omnes, Eξχ, Gzianos, [B], id est, contra omnes omnino. Deinde cod. Mor. *integra valetudo*.

57. *De bona autem fama*) Praepositio *de* absolute ponitur

hoc loco appellare quam gloriam), Chrysippus quidem et Diogenes, detracta utilitate, ne digitum quidem eius causa porrigendum esse dicebant, quibus ego vehementer assentior. Qui autem post eos fuerunt, cum Carneadem sustinere non possent, hanc, quam dixi, bonam famam ipsam propter se praepositam et sumendam esse dixerunt, esseque hominis ingenui et liberaliter educati velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris, idque propter rem ipsam, non propter usum; dicuntque, ut liberis consultum velimus, etiamsi postumi futuri sint, propter ipsos, sic futurae post mortem famae tamen esse propter rem, etiam detracto usu, consulendum. 58. Sed cum, quod honestum sit, id solum bonum esse dicamus, consentaneum tamen est fungi officio, cum id officium nec in bonis ponamus nec in malis. Est enim

2. *detractate quidem util.* E *eius tam* (pro *eius causa*) E *in causa* P *in eius causa* L *in eam* C om. MR 5. *ipsam propter ipsam propter se* M 6. [*esse hominis*, om. *que*, A] 9. *non dicuntque propter usumque* E 11. *rem* om. E 12. *sed quod cum* PMR *sed quando quod* C

in significanda re, de qua agetur, ut semel et iterum in epistulis (II ad Fam. 17, 2 et III, 12, 2, X ad Att. 11, 3). De ipsa controversia nihil alibi legi puto. Carneadi cessisse Antipater videtur aut Panaetius.

eius causa porrigendum) Sic [A,] mg. Crat., cod. Mor., nec aliud significat Erl. [B], in quo ex *cā* factum *cam*, *tam* (cfr. 66). Editur sic inde a Manutio (praeeunte iam Aldo), Grutero et Davisio tacentibus. Deteriores etiam aliorum codd. aberrant; Oxx. Eχψ et, si Gzio credas, omnes eius *in causa* (sed ex Erl. apparet, quid de Spir. et fortasse Gud. 2 iudicandum sit). Marsus, ut MR, has voces omittit; veteres edd. reliquae habent *in eam*, quod corrigendo natum est. Digitum porrigere de actione et opera minima ab ipsis Stoicis dici solebat; vid. Plut. de Stoic. repugn. 26 p. 1046 C, adv. Stoic. 8 p. 1061 F. Aliquot versibus post in verbis *futurae post mortem famae tamen* particula *tamen* (video enim errari) ad id ipsum refertur, quod huius famae nullus ad nos fructus perveniat. Recte Bremius.

58. *fungi officio*, *cum id officium nec in bonis ponamus nec in malis*) [id est, quamquam — ponimus.] Officium, τὸ καθῆκον, Stoici sic definiunt et describunt, ut primum rei, quam facere debeamus, et huius ipsius debitionis notionem, quam nos praecipue tenemus, a re facta non admodum distingvant. Definiunt igitur officium τὸ ἀκόλουθον ἐν τῇ ζωῇ, ὃ πραχθὲν εὔ-

aliquid in his rebus probabile, et quidem ita, ut eius ratio

1. *quidem est ita* C

λογον ἀπολογίαν (ἀπολογισμὸν) ἔχει (Stob. Ecl. Eth. p. 158, Diog. Laërt. VII, 107). Id quoniam, cum sic communiter dicebatur, in singulis rebus perfici poterat, sine summa illa convenientia (ὁμολογίᾳ), in qua virtus erat, quod sic factum erat, neque bonum neque malum erat. Tum demum, si actio ab illa convenientia profecta esset eamque contineret, bonum fieri iudicabatur appellabaturque κατόρθωμα sive καθῆκον τέλειον, officium perfectum (Stob. p. 158 et 184), illud autem superius καθῆκον μέσον (Stob. p. 158, infra IV, 15); saepe tamen hoc, quod medium dixi, solum officii nomen tenet, ut hoc toto loco et § 20 et 22, Acad. I, 37, maximeque Off. I, 7. (Cfr. de hac divisione Tiedemanni Systema Phil. Stoic. III p. 299 sqq., Tennemanni Hist. Phil. IV p. 107 sqq., Beieri exc. III et IV ad lib. I Off.) Estque id nomen eius proprium. Nam in hoc maxime haeret haec omnis Stoicae disciplinae pars, quod eorum officia non a summa lege tamquam initio oriuntur et derivantur, quae certam quandam vivendi voluntatem postulet eamque, cum ad multiplices vitae rationes tamquam materiam accesserit, in certis quibusdam actionibus perspici iubeat, quamvis eae materiae diversitate varientur. Huiusmodi officiorum originem cum illi ex sua illa ὁμολογίᾳ elicere non potuissent, aliud officii initium sumebant a primis naturae (§ 22, 23, 59, IV, 47), ita ut his officiis ex inferiore loco, ut ita dicam, surgentibus de summo descendens occurreret honesti notio; nec plene haec consociabantur. Itaque primum deerat certa norma probabilis illius rationis, quo officium censeri debebat; quo fiebat, ut interdum foedissima quaeque sapienti suo Stoici concedere viderentur (velut illa, quae Sext. Emp. adv. Math. XI, 190 sqq. commemorat); deinde difficillimum erat ex illo primo naturae appetitu initium officiorum, quae aliis deberentur, velut eius, quod § 59 ponitur, depositi reddendi, reperire; (itaque alio loco omnem iustitiae notionem actionesque, quae inde orirentur, longe melius sic constituebant, explicata naturae vi, ut a primis naturae non repeterentur actionum initia, § 62 sqq.); postremo propter illam causam cogebantur eam, quae hic exponitur, disputationem contra Aristonem, qui ab ipsis ortus erat et desciverat, suscipere, ut officium aliquod in rebus mediis, id est, in earum electione et reiectione esse defenderent. Ea autem disputatio neque perspicua admodum neque firma est, quod tota ponitur in definitione illa officii, quae ipsa non confirmatur, et praeterea parum

reddi possit; ergo ut etiam probabiliter acti ratio reddi possit; est autem officium, quod ita factum est, ut eius facti probabilis ratio reddi possit; ex quo intellegitur, officium medium quiddam esse, quod neque in bonis ponatur

1. *ergo — ratio reddi possit* (v. 2) om. MC 4. *quoddam* omnes, Or.

distingvuntur res mediae in corpore et extra sitae (ut valetudo, ut pecunia) et actio ad ea spectans, ut in illis: *est quiddam, quod usui esse possit* (quod videtur pertinere ad res commodas) et: *agere aliquid et facere* *eorum* (quae res commodae intellegi nequeunt, quae non aguntur). Ipsa summa argumentationis varie concipitur, tum, in rebus mediis *esse* omnino officium (de *existentia* officii), quod initio propositum est et § 59 primis duabus conclusionibus efficitur, tum, versari id in rebus mediis (de *materia* et loco officii), tum, ipsum esse medium (de *qualitate*), quorum duo postrema omnino non distingvuntur; et tamen differunt. Nonnulla in hac re fortasse Ciceronis culpa est. [Quod Iacobus in Philol. VI p. 492 omnia haec: *Quoniamque in iis rebus — nec in contrariis* damnat, sine ulla probabilitate partem ceteris innexam nec scholii additamentive ne minimam quidem similitudinem habentem detruncat nec tamen quidquam assequitur. Assentitur tamen Baiterus in ed. min.]

ergo ut etiam probabiliter acti ratio reddi possit) Exciderunt haec verba propter similem sententiarum exitum etiam in Eξ, El. 2, Gud. 1. Haerent interpretes et in adverbio et in *acti* nomine, quod Gzius delet; Lambinus et alii *probabilis facti* substituunt; (et in *facti* Lambinus codices testatur). Sed recte verba habere videntur. Primum in ipsis rebus, quatenus nondum de nobis agentibus cogitatur, probabile aliquid esse dicitur, cuius ratio reddi possit; deinde eadem probabilitas transfertur ad nostram in his rebus actionem (cfr. paulo post: *est autem eius generis actio quoque quaedam*); itaque *actum* dicitur, non *factum*, et ei additur adverbium; et tota haec pars, de quo minus interpretes laborarunt, confert aliquid ad conclusionem.

officium medium quiddam esse, quod) τὸ καθῆκον εἶναι μέσον τι. Hanc enim sententiam esse, non illam: εἶναι καθῆκόν τι μέσον, cum verborum ordo ostendit (debebat enim altero modo dici: *medium quoddam officium esse*), tum id certissime, quod *officii medii* appellatione Cato neque usus est ante neque in toto hoc loco utitur. Itaque *medium quiddam* necessario scripsi (id est, *rem quandam mediam*); ceteri omnes *quoddam*. Vid. ad I, 18.

neque in contrariis. Quoniamque in iis rebus, quae neque in virtutibus sunt neque in vitiis, est tamen quiddam, quod usui possit esse, tollendum id non est. Est autem eius generis actio quoque quaedam, et quidem talis, ut ratio postulet agere aliquid et facere eorum; quod autem ratione actum est, id officium appellamus; est igitur officium eius generis, quod nec in bonis ponatur nec in contrariis.

1. *nee* R [*in* priore loco om. A] *quoniam est in* C *his* [A]LMCOr. *rebus* om. E *quae* om. R *nec* C 2. *nec* C 3. *posset* C 6. *actum sit* omnes, Or. 7. *neque in bonis* LPMR *non in bonis* C *neque in contr.* M

Quod autem ratione actum est, id — appellamus) Indicativum, quem restitui, manifesto flagitabat sermonis ratio, cum simpliciter genus definiatur (*quod — id*), eiusque notum nomen conclusionis causa ponatur, ut nulla talis excusatio coniunctivi sit, quali § 17 et 49 usi sumus. [*Est* iam ed. Crat.] Saepissime autem librarii etiam in antiquis codd. ex *st* (*actumst*, *actast*) effecerunt *sit*, cuius generis menda etiam nunc non pauca tollenda sunt ex Ciceronis scriptis certissima orationis regula, velut pro Caec. 74 (*quid refert — habere bene partum, si incertum* s i t *— si parum* s i t *communitum ius, si —* p o t e s t *?*), Philipp. VI, 15 (*in L. Antonii clientela sit?* verum habet Gellius; de facto admirabundus Cicero quaerit, non, fierine debeat), ad Att. VII, 3, 1 (*etsi cupidissime expetitum a me sit*), ad Fam. I, 6, 2 (*etsi minore in re violatur tua dignitas quam mea afflicta sit*; comparat duas res factas), Acad. II, 48 (*non, inquiunt, veri simile sit?* codd. *non inquam*; scribendum est: *nonnumquam, veri simile est, sic etiam moveri*), Tusc. I, 41 (*si vero aut numerus quidam* s i t *animus —, multo etiam integriora ac puriora sunt*; commemorat sententias supra positas), Parad. 39 (*quidquid denuntiatum* s i t, *facit*; cfr. ad I, 10), de R. P. I, 53 (*ipsa aequitas iniquissima sit*; nunc edunt *fit*), ibd. III, 6 (*sin alterutra sit via prudentiae deligenda*; non hypothesis est, sed condicio; codex: *sin aliter sit utra*; puto Ciceronem scripsisse: *sin altera est utra*), N. D. I, 48 (*ea figura profecto est, quae pulcherrima* s i t *omnium*; non dixit: *tali, ut sit pulcherrima*, sed: *habet eam, quam pulcherrimam esse posui, humanam*; eodem libro § 93 *ausa sit*, ex quo alii *ausit* fecerant, iam correctum est), ibd. 68 (*quod enim ex atomis, id natum aliquando* s i t), de Fato 30 (*at si ita fatum* s i t *—, non poterit dici*), Offic. I, 66 (*quarum una in rerum externarum despicientia ponitur, cum persuasum* s i t; non causa affertur, sed describitur virtus: *et tum apparet, cum persuasum est* cet.). Alia emendavi in Opusculis Acad. I p. 184, [Opusc.

XVIII. 59. Atque perspicuum etiam illud est, in istis rebus mediis aliquid agere sapientem. Iudicat igitur, cum agit, officium illud esse. Quod quoniam numquam fallitur in iudicando, erit in mediis rebus officium; quod efficitur hac etiam conclusione rationis: Quoniam enim videmus esse quiddam, quod recte factum appellemus, id autem est perfectum officium, erit etiam inchoatum; ut, si iuste depositum reddere in recte factis sit, in officiis ponatur depositum reddere; illo enim addito, iuste, fit recte factum, per se autem hoc ipsum reddere in officio ponitur. Quoniamque

1. *atqui* [A]EL 2. *agetur sapienter* C 3. *nihil* (pro *numquam*) C 5 *etiam hac* LMCR 6. *quoddam* R *appellamus* L *esse perf.* C 7. *erit autem etiam* omnes, Or. cum uncis 8. *reddam in r. f. sic* C 9. *facit* (pro *fit*) omnes

Acad. II p. 222, Emendd. Liv. p. 585]. In rhet. ad Herenn. IV, 65 ex *est* factum *sit*, tum *fit* (*quin mihi praesto fit? Praesto fieri* pro eo, quod est *praesto esse*, Latini non dixerunt). [Nunc prave editur *qui non — fuit.*]

Cap. XVIII, 59. *Atque perspicuum*) *Atqui* etiam Pal. 1 et mg. Crat. [et B], nec tamen id in hac adiunctione novi argumenti locum habere videtur. Mox *quod quoniam* ex notissimo illo genere est, quod ad I, 67 attigi. *Hac etiam* Gzius etiam e Spir. [B] et Bas.

erit etiam inchoatum) Quod in codicibus additur *autem*, in apodosi et conclusione nullo modo ferri posse, Lambinus et alii senserant; et quis dubitare praeter Gzium potest? Ortum est ex superiore membro, cui non recte parenthesis notas post Bremium addiderunt; nam illud de perfecto officio ipsam progressionem conclusionis continet. Quod Fr. Schleiermacherus in noto opere, quod inscripsit *Grundlinien zur Critik der bisherigen Sittenlehre*, p. 162, quam inscite Cicero Graecorum philosophorum dogmata reddiderit, ex eo intellegi putat, quod *medium officium* Cicero *die angefangene Pflicht* interpretatus sit, hic quidem iniuriam Ciceroni fecit nec perspexit vim vocis, in qua nihil est nisi contrarium τοῦ τελείου; ipsa autem conclusio ex hac copulatione καθήκοντος τελείου et οὐ τελείου a Graecis, ut ceterae, traducta est.

fit recte factum) Lambini haec emendatio est, fere ab omnibus probata; *facit* neque subiectum habet neque id hic intellegi aliunde potest, neque *facere recte factum* dici a Cicerone potuit.

non dubium est, quin in iis, quae media dicamus, sit aliud sumendum, aliud reiciendum, quidquid ita fit aut dicitur, omne officio continetur. Ex quo intellegitur, quoniam se ipsi omnes natura diligant, tam insipientem quam sapientem

1. [*in* om. Eh] *his* [A]LMCOr. *dicimus* ELPMCROr. 2. [*ad illud* pro *aliud* A] 3. *omni* omnes *communi* Or. 4. *ipsos* [A]LPMCR *diligunt* C

omne officio continetur) In unaquaque tali actione adest id, quod quaerimus et esse demonstramus, officium. Codd. etiam ceterorum *omni*, quod ortum esse ex substantivo sequenti apparet (Pal. 2 omittit *omne*, Pal. 3 pro eo habet *in*, Mor. *omnium*). In verum incidit Gruterus. Ceteri tamen praetulerunt, quod Manutius primus non feliciter edidit, *communi officio*. Primum, in quo omnes etiam librorum de officiis enarratores errant, *commune officium* numquam in arte pro *medio* dictum est tamquam proprium nomen, quomodo hic poneretur, neque Graece *κοινὸν καθῆκον* umquam auditum est. In libro I de Off. 8 in divisione Cicero ponit *medium*, non *commune*, sed quod ante dixerat, huiusmodi officia ad institutionem vitae communis spectare et de iis se acturum (7), pro propria appellatione substituit *hoc commune*, ad superiora illa respiciens. Quod autem hoc ipso loco dicitur, *commune aliquod officium esse sapientis et insipientis*, id nihil habere propriae appellationis, manifestum est. Deinde hic ne *medii* quidem nomini locus est, quia Cicero, ut dixi, hic semper officium, nulla adiecta nota, medium intellegit, quasi unum sit, ut in ipsa superiore periodo, cum perfectum officium nominasset, tamen subiecit: *in officiis ponatur* (non *in mediis officiis*) et: *in officio ponitur*. [Paulo ante *dicamus* cum Baitero ex A posui, ut paucis versibus post scribitur: *quae media dicamus*. Sed § 61 *earum rerum, quas — dicimus*.]

Ex quo intellegitur) Hoc quidem non hinc intellegitur, sed inest in eo, quod initio positum erat, aliud, communi natura iubente, sumendum, aliud reiciendum esse. Nimis etiam exitus huius argumenti (*ex quo efficitur, versari in iis, quae media dicamus*) incurrit in idem, a quo orsus Cato erat (*Quoniamque non dubium est, quin in iis, quae media dicamus* cet.). Ut dixi iam, non satis distingvitur, utrum id demonstrandum sit, officium (quod, si sit, sua natura in mediis esse constet) esse, an hoc, officium, quod esse concedatur, in mediis versari; nec dubito, quin haec quidem nimis aperta initii et finis conclusionis confusio e festinatione Ciceronis et incuria orta sit; cfr. ad 28, ad I, 19, II, 35.

quoniam se ipsi) *Ipsi* etiam e Spir. [B] restituit Gzius;

sumpturum, quae secundum naturam sint, reiecturumque contraria. Ita est quoddam commune officium sapientis et insipientis; ex quo efficitur, versari in iis, quae media dicamus. 60. Sed cum ab his omnia proficiscantur officia, non sine causa dicitur, ad ea referri omnes nostras cogitationes, in his et excessum e vita et in vita mansionem. In quo enim plura sunt, quae secundum naturam sunt, huius officium est in vita manere; in quo autem aut sunt plura contraria

3. *his* [A]LMCOr. *dicimus* L 4. *ab iis* R 8. [*autem* om. Rh]

superiores tacite *ipsos*. Tum *diligunt* ex ed. pr. ad Man. et deinceps ad ceteros ante Gzium propagatum est (contra EUξχ, Gzii omnes).

60. *ab his omnia proficiscantur officia*) Vid. § 22. Stob. Ecl. Eth. p. 160: *Παραμετρεῖσθαι δὲ τὸ μέσον καθῆκον ἀδιαφόροις τισί, καλουμένοις δὲ* (male Heerenius *γε*) *παρὰ φύσιν καὶ κατὰ φύσιν, τοιαυτην δὲ εὐφυΐαν προσφερομένοις, ὥστ', εἰ μὴ λαμβάνοιμεν αὐτὰ ἢ διωθοίμεθα ἀπερισπάστως, μὴ ἂν εὐδαιμονεῖν*. (Sic emendanda, quae in codicibus leguntur: *ὥστε μὴ λαμβάνοιμεν — ἀπερισπάστως μὴ ἀνευδαιμονεῖν*: Nisi ea sumpserimus et reiecerimus sine ulla perturbatione aut cupiditatis aestu, non poterimus beati esse; est enim haec selectio illorum materia virtuti necessaria.)

in his et excessum e vita cet.) Paulo brevius Cicero dixit hac sententia: et inter ceteras cogitationes etiam excedendi e vita et manendi deliberationem. Gzius scripsit *in his esse*, ut esset: *mediis illis contineri*; debebat (post *ea*) scribi *iis*; sed quod librarios putat non intellexisse, illo modo dici *in aliquo esse*, Latinus nemo intellexit. Paulo post Gzius ait in Spir. et Erl. esse, ut est in Mor. [et AB], *officium est de vita excedere*; de Erl. mihi nihil notatur [nec Baitero]. Sed praecessit *excessum e vita* et sequitur idem post duos versus et extrema § 61. Potuisse dici *excedere de vita*, non nego; tot sunt loci, ubi et iis verbis, quae ab *ex* praepositione incipiunt, *de* nullo, quod sentiatur, discrimine subicitur, et iis, quae a *de* incipiunt, *ex*; nam et *exire de triclinio* (de Orat. II, 263 et 228) dicitur et *exterminare de civitate* (pro Balbo 51) et *emittere de carcere* (Verr. V, 22) et *eicere de navi* (Off. III, 89), *de collegio* (ad Q. Fr. II, 5, 2), *de civitate* (pro Arch. 22), ut perspicuum sit, non necessario exprimi id, quod in praepositione *ex* simul significatur, rem alteram altera comprehensam fuisse et intra eam fuisse. *E quo* primus Gruterus tacite [ex A]; *ex* superiores. Davisius et Oxx. tacite, Gud. uterque. Vid. ad II, 15.

aut fore videntur, huius officium est e vita excedere. E quo apparet, et sapientis esse aliquando officium excedere e vita, cum beatus sit, et stulti manere in vita, cum sit miser. 61. Nam bonum illud et malum, quod saepe iam dictum est, postea consequitur; prima autem illa naturae, sive secunda sive contraria, sub iudicium sapientis et dilectum cadunt, estque illa subiecta quasi materia sapientiae. Itaque et manendi in vita et migrandi ratio omnis iis rebus, quas supra

1. [*de uita* A] *ex quo* LPMCR 2. [*appareret* Eh] *sapientie* E 3. *de vita* C 5. *naturae* om. L 7. *materie* E 8. *omnibus* ELPMCOr. *in omnibus* R

61. *quod saepe iam dictum est*) saltem bis, § 21 et 22. Paulo post *materie sapientiae* etiam Spir. [B], in qua scriptura significari *materies*, sensit Gzius; cfr. Zumptius ad Verr. II, 7, qui ad nominativum accusativum adiungere debebat, quod fecit edendo II, 9, non cum genetivo, dativo, ablativo coniungere, ut facit ad V, 80. Sed nocuit praecepti veritati consvetudo prava accusativum inter casus obliquos ponendi. *Materiem* scribitur ad Fam. III, 6, 4 in cod. Med., et pro Mil. 35 codicum Erf. et Bav. auctoritas cum codicibus Quintilianeis coniuncta praestat cod. palimpsesto; [§ 74 palimpsestus ipse *materiem* habet. Pro Rosc. Am. ut *materies* § 89, sic 39 et 75 bis *luxuries* recto casu, *luxuria* ablativo ponitur; sed *barbaria* nominativo casu Catil. III, 25, pro Arch. 19, Philipp. II, 108. Itaque nunc Erl. et Spir. contra A sequi nolui. *Prima naturae* hoc loco, quasi ancipitia, *secunda et contraria* dicuntur; alibi semper tantum in meliorem partem, ut potius dicendum fuerit: *prima naturae iisque contraria.*]

Itaque et manendi in vita et migrandi ratio cet.) Haec Stoicorum sententia exponitur apud Stobaeum Ecl. Eth. p. 226: *Φασὶ δέ ποτε καὶ τὴν ἐξαγωγὴν ἐκ τοῦ βίου τοῖς σπουδαίοις καθηκόντως* (addendum *γίγνεσθαι*) *κατὰ πολλοὺς τρόπους, τοῖς δὲ φαύλοις τὴν μονὴν ἐν τῷ ζῆν, καὶ εἰ μὴ μέλλοιεν ἔσεσθαι σοφοί* (imperitissime Heerenius *τοῖς δὲ φαυλοις μηδὲ τὴν μονὴν ἐν τῷ ζῆν*, quasi Stoici genus humanum tollant)· *οὔτε γὰρ τὴν ἀρετὴν κατέχειν ἐν τῷ ζῆν οὔτε τὴν κακίαν ἐκβάλλειν* (nam neque virtutem retinere in vita eos, qui eam habeant, neque insipientiam et turpitudinem eicere necessario eos, qui in ea sint; mire haec apud Heerenium vertuntur, qui veteris philosophiae plane ignarus ad Stobaeum accessit), *τοῖς δὲ καθήκουσι καὶ τοῖς παρὰ τὸ καθῆκον μετρεῖσθαι τήν τε ζωὴν καὶ τὸν θάνατον.* Plutarchus de Stoic. repugn. 14 p. 1039 E Chrysippi verba

dixi, metienda. Nam neque *** virtute retinetur in vita, nec

1. *neque iis qui virtute retinentur* LMCROr. Lacunae nota carent omnes. *neque* (ELPM)CROr.

ex libro *περὶ τοῦ προτρέπεσθαι* ponit: *Πρῶτον γὰρ ἡ ἀρετὴ ψιλῶς οὐδέν ἐστι πρὸς τὸ ζῆν ἡμᾶς, οὕτω δ' οὐδ' ἡ κακία οὐδέν ἐστι πρὸς τὸ δεῖν ἡμᾶς ἀπιέναι.* idemque eandem sententiam attingit c. 18 p. 1042 D (ubi inter alia haec leguntur: *Διὸ καὶ τοῖς εὐδαιμονοῦσι γίνεταί ποτε καθῆκον ἐξάγειν ἑαυτοὺς καὶ μένειν αὖθις ἐν τῷ ζῆν τοῖς κακοδαιμονοῦσιν*) et adv. Stoic. 11 et 12 p. 1063 C et 1064 E. Datur igitur sapienti illa, quae dicitur *εὔλογος ἐξαγωγή*, cum, subducta recte ratione, plures et graviores reppererit causas moriendi, non solum pro patria et amicis, sed etiam si fuerit *ἐν σκληροτέρᾳ ἀλγηδόνι ἢ πηρώσεσιν ἢ νόσοις ἀνιάτοις.* Cetera de hac *ἐξαγωγῇ* collegit Lipsius Manud. ad phil. Stoic. III, 22 et post eum multi, nuper Beierus exc. XV ad lib. I de Off. [*Omnis* recte Baiterus ex A et B. Non omnibus illis rebus haec ratio metienda est, sed tota hoc genere rerum.]

*Nam neque *** virtute retinetur in vita*) Sic Pal. 1 et Erl. [et B], id est, meliores (Gzius omnino de suis tacuit), Pal. 4 et Par. meus, id est, etiam deteriorum minime mali, nisi quod lacuna non indicatur. Ea indicio non eget. Nam si quis ex iis, qui omnia expediunt, subiectum verbi *retinetur* esse velit *rationem*, ut deliberatio in vita retineri dicatur, cum homo deliberans retineatur, redarguat tamen eum orationis forma et manifesta oppositio. Nam ut in altero membro dicitur, non utique ei, qui virtute careat, moriendum esse, sic in priore dici debet, non utique ei, qui eam habeat, vivendum esse, quod deinde proxima sententia in affirmationem convertitur: *Et saepe* cet. Illis autem verbis: *neque mors est oppetenda* (*οὐκ ἐκβάλλονται*, ut Stoici apud Stobaeum loquuntur) prorsus hoc contrarium ponitur: *neque retinetur in vita* (*οὐ κατέχεται ἐν τῷ ζῆν τῇ ἀρετῇ*), nec dubium est, quin hoc ipsum *κατέχειν* Cicero reddiderit. Deest igitur, quod contrarium sit his verbis: *iis, qui sine virtute sunt.* Scripserat igitur Cicero: *Nam neque is, qui virtute utitur, retinetur in vita neque* cet., aut similibus verbis, sed hac orationis forma. Quid res et sententia postularet, vidit Lambinus, sed verbum *retinetur* iniuria mutavit: *neque iis, qui virtute fruuntur, manendum in vita.* Propius accessit Nissenius: *neque ii, qui virtutem tenent, retinentur in vita*; codices incorruptos singularem habere ignorabat; is aptissimus est, quod de uno sapiente cogitatur. Davisius e Pal. 3, in quo erat: *nam neque is qui virtute retinetur* (in Parr. 1

iis, qui sine virtute sunt, mors est oppetenda. Et saepe officium est sapientis desciscere a vita, cum sit beatissimus, si id opportune facere possit, † quod est convenienter naturae vivere. Sic enim censent, opportunitatis esse beate

1. [*his* A] [*que* Eh] *appetenda* CR *ut saepe* omnes *At saepe* Or. 2. *deficere* C 3. Sine mendi nota Or. 4. *censet* L

et 3 ait esse: *nam neque qui virt. ret.*) efficiebat: *Nam neque is quidem*, id est, *sapiens*; barbarum est: *neque* — *quidem* — *neque* (vid. ad II, 87), nec *is* habet, quo referatur, cùm, quae proxime praecedit, manendi et migrandi ratio etiam ad insipientes pertineat. Iam non opus est vulgarium codicum perversissimam interpolationem coarguere (Oxx. omnium, nisi quod Eξ omittunt *in vita*; de Dav. ceteris et Gzii tacetur). Tautologia quidem et sententiae absurditas apparet: *iis, qui virtute retinentur in vita, mors non est oppetenda.* Quod Bremius sic sententiam enarrat: „Neque sapiens neque insipiens per se habet causam, cur e vita excedat", tautologiam occultat sapientem substituendo pro *iis*, *qui retineantur*, alterum vitium non potest; cui enim in mentem venire poterat, sapientem per se (id est, in sapientia) causam moriendi habere? Illud addo, cum praecesserit: *et manendi in vita et migrandi ratio*, in causa reddenda in huiusmodi diiunctione: *nam neque* — *neque* utrumque significari debere, ut fit ea forma loci, quam restitui (*neque* — *in vita retinetur*, *neque* — *mors est oppetenda*).

Et saepe officium est sapientis) Codd. aliorum ut mei: *ut saepe*, mendose. Correxit Ursinus (e codice illo suo), tum Lambinus. Transit Cato a negando (*sapiens non retinetur in vita*) ad aientem sententiam et explicationem. Minus recte Davisius e CCC scripsit *At saepe.* Mox pro *desciscere* cod. Mor. *desistere*, χ, ed. 1480 et aliae quaedam, ut Crat., *deficere.* „Firmant vulgatam Spir., Erl., Gud. 1"; etiam mg. Crat. [AB].

quod est convenienter naturae vivere) Si ita Cicero scripsit, non, ut alibi, minus distincte sententiam obscuram aut argumentationem difficilem exposuit, sed recta, ut ita dicam, via communes notiones eloquendo pervertit. Quid est enim, quaeso, hoc, opportune *a vita desciscere* esse naturae convenienter *vivere?* Qui mortuus esset, eum demum vere vivere, fuerunt etiam inter antiquos, qui vaticinarentur; Stoici ab ea sententia longissime aberant, qui immortales esse animos non docebant; ipsum excessum e vita esse vitam, nemo dixit. Quod autem beatae vitae hoc est proprium, ut etiam opportune finiatur, id vero longe aliam habet sententiam, non hanc, ut in morte opportuna vitae

vivere. Itaque a sapientia praecipitur, se ipsam, si usus sit, sapiens ut relinquat. Quamobrem cum vitiorum ista vis non sit, ut causam afferant mortis voluntariae, perspicuum est, etiam stultorum, qui iidem miseri sint, officium

1. *ipsam suis sit* E *ipsam si iusserit* PMC *ipsam si vixerit* L *ipsam usserit* R 3. *casum* C 4. [*idem* A] *sint* post *miseri* om. C

summa et cum natura convenientia ponatur. Deinde oratio perverse progreditur. Primum enim opportune mori dicitur esse naturae convenienter vivere; deinde hoc ita esse, demonstratur ex eo, quod opportunitatis sit beate vivere (*Sic enim censent* cet.), quasi ab opportunitate primum ad universam beatae vitae notionem et deinde ad naturae convenientiam veniatur, ac non contra. Tolletur haec absurditas, in quam Cicero, repugnante natura, incidere potuisse non videtur, si statuerimus idem hic in codice archetypo accidisse, quod lib. V, 86 accidisse certissimum est, ut, membro orationis omisso et deinde retracto, permutatio loci duarum sententiarum vel potius duorum membrorum fieret; sic enim scripsisse Ciceronem puto: *si id opportune facere possit. Sic enim censent, opportunitatis esse beate vivere, quod est convenienter naturae vivere. Itaque* cet. Cum dixisset Cato: *si id opportune facere possit*, explicat, quanta vis sit opportunitatis (τῆς εὐκαιρίας); eam enim in ipsa beatae vitae notione inhaerere, quoniam beate vivere sit convenienter naturae vivere; (nam haec convenientia etiam opportunitatem comprehendit; qui enim vivit scientiam adhibens earum rerum, quae natura eveniant, is se ad eas accommodat, etiam in fine vitae imponendo, ne ultra opportunitatem ea protrahatur). Cohaerent iam omnia. Vitium orationis etiam Kernius, interpres Germanus, vidit et *vivere* post *naturae* delendum putavit. Verum tum non *quod est* scribi debuit, sed, ut in unius verbi interpretatione, *id est*. [Nec *convenienter naturae* a vita desciscere iubebantur.]

se ipsam, si usus sit) Ipsa sapientia sapientem a se dimittit nec retinet; et is ab ea, id est, eius usu et habitu discedit; neque enim mortuus eam habebit, Stoicorum sententia. Frustra Ernestius *se ipsum* malebat (debuit *se ipse*), neque recte a Bremio et Gzio refellitur. *Si usus sit* (in quo opportunitatis significatio est) Gruterus e Pal. 1, et prope accedit Erl. [B]. *Si vixerit* Gud. 1, *si iusserit* Oxx. omnes, duo Gzii. Aliquot versibus post *ei magis* Gzius e quattuor suis [B. Idem *possunt*].

esse manere in vita, si sint in maiore parte earum rerum, quas secundum naturam esse dicimus. Et quoniam excedens e vita et manens aeque miser est, nec diuturnitas magis ei vitam fugiendam facit, non sine causa dicitur, iis, qui pluribus naturalibus frui possint, esse in vita manendum.

XIX. 62. Pertinere autem ad rem arbitrantur intellegi, natura fieri, ut liberi a parentibus amentur; a quo initio profectam communem humani generis societatem persequimur. Quod primum intellegi debet figura membrisque corporum, quae ipsa declarant, procreandi a natura habitam esse rationem. Neque vero haec inter se congruere possent, ut natura et procreari vellet et diligi procreatos non curaret.

1. [*rerum earum* A] 3. *et magis* E *ei magis* Or. 4. *dicit* E [*hiis* Eb] *his* L 5. *possunt* EL 8. *omnem* (pro *communem*) C *persequuntur* R 10. *procreandi* om. P *rationem esse* P 11. *possint* [A]E(P)

Cap. XIX, 62. *Pertinere autem ad rem arbitrantur* cet.) Quae hic de communitate et societate humana exponuntur, ea apud Graecos, qui supersunt, in Stoicorum decretis explicandis fere breviter attinguntur, quia non magnam habent proprietatem; apud Ciceronem saepius ornate explicantur, ut libro I de legibus pluribus locis (pertinebant enim haec ad eam disputationem, qua Stoici confirmabant, *τὸ δίκαιον φύσει εἶναι καὶ μὴ θέσει*, vid. ad § 71) et de Off. I, 50 sqq., ubi Beierus plura ascripsit. Similia Peripatetici disserebant, cum *ζῷον πολιτικόν* hominem esse docebant; vid. V, 65 sqq. Apud Stobaeum Ecl. Eth. p. 250 sqq. multa eorum, quae hic et proximo capite exponuntur, simillima leguntur tamquam Peripatetica (velut hoc ipsum: *Ὅτι γὰρ οὐ μόνον αἱρετὰ τὰ τέκνα τοῖς γειναμένοις ἐστὶ διὰ τὰς χρείας, ἀλλὰ καὶ δι' ἑαυτά, γνώριμον ἐκ τῆς ἐνεργείας*). Verum omnia illa Antiochia esse iudico, id est, magnam partem Stoica. Propria maxime Zenonis erat imago civitatis mundanae (*ἡ πολὺ θαυμαζομένη πολιτεία τοῦ τὴν Στωϊκὴν αἵρεσιν καταβαλομένου Ζήνωνος* appellatur a Plutarcho de fort. Alexandri I, 6 p. 329 A), qua continebantur etiam di; vid. § 64. Mox Ernestius *profecti* scribi vult, quasi non aeque bene ipsa societas ab hoc initio proficisci et serpere dicatur. In *persequimur* (videndo et explicando) se Cato comprehendit, cum in *arbitrantur* scholam significasset; vid. ad 18; Dav. ex El. 2 (?) *persequuntur* (E§ *persequitur*). Tum Lamb. *ex figura*; vid. ad II, 90. [*Congruere possint* etiam B.]

Atque etiam in bestiis vis naturae perspici potest; quarum in fetu et in educatione laborem cum cernimus, naturae ipsius vocem videmur audire. Quare *ut* perspicuum est, natura nos a dolore abhorrere, sic apparet, a natura ipsa, ut eos, quos genuerimus, amemus, impelli. 63. Ex hoc nascitur, ut etiam communis hominum inter homines naturalis sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum, quod homo sit, non alienum videri. Ut enim in membris alia sunt tamquam sibi nata, ut oculi, ut aures, alia etiam ceterorum membrorum usum adiuvant, ut crura,

1. *inspici* LPMCR *potest* om. P 2. [*fetu etiam in* Eh] *in fetu et educatione* LC 3. *videmus* L *audire* om. LP. *audimus*, om. *videmur*, MR *quasi perspicuum* C *ut* (post *quare*) om. omnes 4. [*abhorrore* A] 5. *impelli* transp. inter *ipsa* et *ut* C 6. *etiam ut* EOr. *hominum* om. L 9 *sint* [A]E *aut aures* M 10. [*aliaque* Eh] *aliqua* [A]LPMCROr. *ut crura ut manus* om. E

vis naturae perspici potest) Sic etiam mg. Crat., Spir. [B], El. (uter?) restituitque post Man. Gzius; antea erat *inspici*; Eξ *respici*. Verba haec in memoriam revocant Ciceronis locum in Tusc. III, 3, ubi optimi codd. habent: *ut nobis optime naturam invidisse videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus, imperiis, populari gloria iudicaverunt.* Et adest, qui nos doceat, quid sit *optime alicui naturam invidere*; ceteri interpolatos codices sequuntur longeque a cohaerentia sententiae aberrant. Cicero, indicata opinionum et errorum origine, dicit, ad quam pravitatem iudicandi sensim deducamur: *a naturaque desciscimus, ut nobis optime n a t u r a e v i m v i d i s s e videantur, qui* cet. Eo pervenimus, ut hi nobis recte iudicasse videantur et, quid natura velit, intellexisse. (*Naturarum* pro *natura vim* Erl. [et B] § 42.)

Quare ut perspicuum est) Particulam *ut* aut Marsus (si recte Hertelius tacet) aut Manutius primus addidit. Abest a codd. omnibus (Pall., EUξχ, [B]) et edd. antiquioribus.

63. *nascitur, ut etiam*) [Spir. (B) ut Erl., *etiam ut*, quos deserui propter A.] Concursus adiectivorum *communis* et *naturalis* nihil habet offensionis, cum non eodem ordine et dignitate sint: *Est communis hominum inter homines commendatio, a natura profecta* (non: *et a natura profecta*).

aliqua etiam ceterorum membrorum usum adiuvant) [Sic edideram.] Recte, opinor, Marsus, Manutii, Lambinus scripserunt: *alia etiam.* In vera et aperta partitione nec Cicero nec alius quisquam *aliquis* — *alius* dixit, multo minus *alius* (in quo iam

ut manus, sic immanes quaedam bestiae sibi solum natae sunt, at illa, quae in concha patula pina dicitur, isque, qui enat e concha, qui, quod eam custodit, pinoteres vocatur, in eandemque cum se recepit, includitur, ut videatur monuisse, ut caveret,

1. [*bestie quedam sibi solum sibi nata* Eh] 2. *quem* (pro *quae in*) E [*incencha* v. *incendia* A] *nat* C 3. *quique eam* MR *quidem quod eam* L *quod eam*, om. *qui*, C *custodiat* C [*pinotheres* A] *vocatur* om. L *eamque* [A]LPMCROr. 4. *recipit* [A]ELPMR

notatur partitio et alterum membrum praecipitur expectatione) — *aliquis*. In Tusc. IV, 60 perspicuum erit inspicienti, non distribui genus in suas partes, sed exemplum unum e multis poni (*Putat aliquis, esse voluptatem bonum*), deinde aliud adiungi; et poterant multo plura. De Off. I, 112 quidquid est codicum non solum bonorum, sed satis bonorum, ac fere omnes retinent *alius debeat*; Gzius Beiero persvasit, ut ex duobus Gzii codicibus, quibus accedit Orellianorum pessimus, ederet *aliquis*, cuius mendi originem Orellius indicavit. In Acad. denique II, 30, ubi editur: *alia visa sic arripit, ut iis statim utatur, aliqua recondit, e quibus memoria oritur*, codices habent *aliqua sic recondit*, e quo verissime P. Faber effecit: *alia quasi recondit*. [Recepi nunc *alia* cum Baitero.] Mox de *solum* (*sibi solum natae*) v. ad I, 44.

quae in concha patula pina dicitur) Hanc societatem, quam pina et pinoteres (squillae genus est) inire putabantur, non tam, ut hic dicitur, ad cavendum quam ad praedam captandam (de N. D. II, 123, Plin. H. N. IX, 142), multi commemoraverunt, cum sollertiam naturae in rebus fingendis laudarent, quos Davisius enumerat ad II N. D. c. 48. In scholas exemplum induxerat Chrysippus (cfr. ad § 18), cuius verba ex opere περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς servavit Athenaeus III p. 89 D. Rem non ita se habere et squillam illam errabundam in pinae barbam incidere et ea implicari, historiae naturalis periti nunc docent. In Gzii etiam codicibus omnibus scriptum erat *pina* et *pinoteres* (*pinotheres*), ut editur de N. D. [Nam hic duplex *n* antea erat contra codd.] In Graecorum scriptorum editionibus fere scribitur πίννη. Oratio brevitatem aliquam habet, conflata nominis notatione et habitationis significatione, eadem sententia ac si dicas: *quae in concha patula habitat et pina dicitur*; *in concha* autem e contrario respondet ei, quod sequitur: *e concha*; [cfr. Emm. Livv. p. 367]. Mox *custodiat* ex edit. pr. (et Ven. 1480) Manutii et, excepto Davisio, ceteri ante Gzium, qui *custodit* ex omnibus suis restituit. Oxx. id ex uno E annotant.

in eandemque cum se recepit, includitur) *In eandemque* (con-

itemque formicae, apes, ciconiae aliorum etiam causa quaedam faciunt. Multo haec coniunctius homines. Itaque natura sumus apti ad coetus, concilia, civitates. 64. Mundum autem censent regi numine deorum eumque esse quasi

2. *Multo magis haec* LPMCROr. *coniunctio est hominis* omnes, Or. *Itaque* — *civitatis* (sic) Nonius p. 234. 3. *caetum* L. *concilia mundum civitates aut* C 4. *quasi* om. L

cham, e qua enavit) etiam Spir. [B]; illa verba: *qui*, *quod* — *vocatur* interposita sunt nominis declarandi causa, in quibus *eam* ad pinam refertur. Tum in cod. archetypo fuit *recipit* (ut erat in plerisque Pall., Oxx., Gzii omnibus, [B]) et restitutum est a Grutero, Davisio, aliis. Tum demum pinoteres includitur, postquam se recepit, non, dum se recipit, estque legitima haec perfecti particulae *cum* subiecti cum praesenti coniunctio; vid. ad V, 41. Scriba una littera mutata hoc accommodavit ad *includitur*. [Cfr. Emm. Livv. p. 354.]

Multo haec — *homines*) [Edebatur: *Multo magis haec coniunctio est hominis*, non optima alioquin oratione (ut significaretur: *homini convenit*; sed potius dicendum erat, in hominibus eam apparere); in eo prorsus vitiose, quod *homo* in commemoranda hominum inter se coniunctione et eorum cum bestiis comparatione singulari numero ponebatur. Sed quod antea in uno Erl. omitti *magis* annotabatur, nunc ex A et B constat, eius vocis in melioribus codd. nullum esse vestigium, in deterioribus eam interpolando additam esse. Itaque Baiterus edidit: *Multo* ** *haec coniunctio est hominis*. Sed cum manifestum vitium teneretur in *hominis*, illo emendato facile ad reliquorum emendationem perveni. Ex *haec* natum *coniunctio*, non intellecta praesertim oratione elliptica.]

64. *Mundum* — *regi numine deorum*) Qui locus de providentia (προνοίᾳ) copiose explicatur II N. D. inde a § 75; quomodo autem subtilius tractatus fuerit et cum reliqua summa disciplina consociatus, hic non quaeritur. Quod autem additur de communi deorum et hominum civitate (cfr. Legg. I, 23, N. D. II, 154), de eo testimonia aliquot etiam Graecorum collegit Lipsius Physiolog. Stoic. II, 7, et est res nota. Mox *consequitur* ex C habent editt. quaedam aliae, postrema Lambini, et codd. Oxx.; *consequi* Pall. 1, 4, 5, Gzii omnes, excepto Gud. 2. Tum *hominum* pro *omnium* Oxx. Eξχ, Bas., Gud. 1; correctum est in ed. Crat. *Est vituperandus* etiam Spir. [B], *is sit* (pro *sit is*) non notatur; [sed ita B].

communem urbem et civitatem hominum et deorum, et unumquemque nostrum eius mundi esse partem, ex quo illud natura consequi, ut communem utilitatem nostrae anteponamus. Ut enim leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt, sic vir bonus et sapiens et legibus parens et civilis officii non ignarus utilitati omnium plus quam unius alicuius aut suae consulit. Nec magis est vituperandus proditor patriae quam communis utilitatis aut salutis desertor propter suam utilitatem aut salutem. Ex quo fit, ut laudandus is sit, qui mortem oppetat pro re publica, quod deceat cariorem nobis esse patriam quam nosmet ipsos. Quoniamque illa vox inhumana et scelerata ducitur eorum, qui negant se recusare, quo minus, ipsis mortuis, terrarum omnium deflagratio consequatur (quod vulgari quodam versu Graeco pronuntiari solet), certe verum est, etiam iis, qui aliquando futuri sint, esse propter ipsos con-

1. *etiam* (pro *et*) C ter [*et de eorum* A] 3. *consequitur* C 6. *ignorans* C *hominum* LMCR 7. *vituperandus est* LPMCROr. 10. [*his sit* A] *sit is* LPMCROr. [*oppetant* Eh] *appetat* CR 11. [*diceat* A, corr. ead. manu *doceat*] *doceat* [Eh]LPM *docet* R *esse patriam nobis* LPMCROr. 12. *dicitur* R 14. *terret omnium* E 15. [*Grecia* A]

quod deceat) Hoc ex ed. pr. restituit Ernestius; Gzius a Bas. et Gud. 2 firmari dicit; *doceat* pleraeque edd. vett. Manutius et Lambinus: *qui doceat.* (Sibi, non continuo etiam ceteris, patriam cariorem esse, talis vir declarat, non docet.) *Nobis esse patriam* iam edd. Crat. et Man., nescio unde; confirmat Erl. [B].

illa vox — eorum, qui) Cum ita posuisset *illa*, quasi relativum pronomen huic demonstrativo adiuncturus esset, addidit *eorum* et hoc definivit relativi adiectione, quia ad hanc hominum significationem facilius accommodari poterant, quae subicienda erant (*se recusare — ipsis mortuis*). Ita abundat *illa*, nisi quod notam vocem demonstrat. Eiusdemmodi exempla posui in epistula ad Orell. p. 79 (ex hoc opere IV, 36, de Off. I, 119, Verr. V, 156, Quintil. XII, 8, 4, Senec. de Const. Sap. 9, 5). [Q. Nat. II, 35, 1.] *Omnium* post *terrarum* excidit in Bas., Gud. 1. Versiculum Graecum (*'Εμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί*) nobilitavit Tiberii usus et Neronis mutatio (vid. Dio Cass. LVIII, 23, Svet. Ner. 38). Alterum addit Stobaeus Ecl. Eth. p. 254 Heer. *Οὐδὲν μέλει μοι, τὰ 'μὰ γὰρ καλῶς ἔχει.*

sulendum. XX. 65. Ex hac animorum affectione testamenta commendationesque morientium natae sunt. Quodque nemo in summa solitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia, facile intellegitur, nos ad coniunctionem congregationemque hominum et ad naturalem communitatem esse natos. Impellimur autem natura, ut prodesse velimus quam plurimis in primisque docendo rationibusque prudentiae tradendis. 66. Itaque non facile est invenire, qui, quod sciat ipse, non tradat alteri; ita non solum ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum. Atque ut tauris natura datum est, ut pro vitulis contra leones summa vi impetuque contendant, sic ii, qui valent opibus atque id facere possunt, ut de Hercule et de Libero accepimus, ad servandum genus hominum natura incitantur. Atque etiam Iovem cum Optimum et Maximum dicimus, cumque eundem Salutarem, Hospitalem,

3. *summa* om. C [*nec cum* Eh] 5. *et congregationem* R *omnium* C 6. *communicationem* C 8. *tradendo* P *ut* (pro *non*) R 9. *non* ante *tradat* om. R [*alter* Eh] [*tamen* pro *ita non* A] 11. *atque* om. E *datum* — *contra* om. L 12. [*hi* A] 14. *et Libero* C 16. *dicimus* om. P

Cap. XX, 65. *Ex hac animorum affectione*) Capitis novi initium incommodo loco factum est. Stobaeus illo, quem ad 62 citavi, loco p. 250, postquam de liberorum caritate dixit: *Ἀπὸ ταύτης γοῦν τῆς φιλοστοργίας καὶ διαθήκας τελευτᾶν μέλλοντας διατίθεσθαι καὶ τῶν ἔτι κυοφορουμένων φροντίζειν, ἐπιτρόπους ἀπολιπόντας καὶ κηδεμόνας καὶ τοῖς φιλτάτοις παρατιθεμένους καὶ παρακαλοῦντας ἐπικουρεῖν αὐτοῖς.*

Quodque nemo — velit) [*Velit* potentiali modo per se dicitur (*niemand möchte*), quemadmodum apud Livium XXXI, 1, 2 *etsi — conveniat.* Id cum non animadvertisset Bremius, *cumque* pro *quodque* scribi volebat, quod olim probavi. Non recte contra dixerat Gzius.] Mox *summa*, quod exciderat in ed. pr. (et a. 1480), omittebatur apud Man. et ceteros deinceps, donec Dav. restituit ex sex suis codd. (quinque Gzii; Oxx. tantum ξ appellant). *Nec cum* etiam Spir. [B]; Gud. uterque omittebat *quidem.* Deinde quod ad *naturalem communitatem nati* dicimur, tautologiam habet, quam in his libris, ut alia multa, ferre debemus; Davisius *civilem communitatem* substituebat habuitque imitatores.

Salutarem) Iovem *Σωτῆρα* dicit, Graecum nomen reddens,

Statorem, hoc intellegi volumus, salutem hominum in eius esse tutela. Minime autem convenit, cum ipsi inter nos viles neglectique simus, postulare, ut dis immortalibus cari simus et ab iis diligamur. Quemadmodum igitur membris utimur prius, quam didicimus, cuius ea utilitatis causa habeamus, sic inter nos natura ad civilem communitatem coniuncti et consociati sumus. Quod ni ita se haberet, nec iustitiae ullus esset nec bonitati locus. 67. Sed quomodo hominum inter homines iuris esse vincula putant, sic homini nihil iuris esse cum bestiis. Praeclare enim Chrysippus,

1. *non eius* L 3. [*cules* pro *viles* A] *civiles* E *abiecti* ceteri, Or. *neglecti* (om. *que*) E *sumus* LR *ut* om. L [*diis* A] 4. *sumus* L 5. *quam* om. E [*ea causa utilitatis* A] *ea tam utilitatis* E 7. *sociati* L *nisi* R 8. *nec humanitati* C *Et* (pro *sed*) omnes, Or. *quoniam modo* E *quod* PMR *quo* C 9. *esse* om. L *esse vincula* — *nihil iuris* om. PMR 10. *esset* PMCR

Hospitalem Ξένιον. Paulo ante *et Libero* etiam Eξ, Bas., *atque Libero* Gud. uterque.

viles neglectique sumus) Spir. [B] ut Erl. Veram scripturam coniectura e Pal. 1 assecutus erat Gruterus, quae in Pal. 3 et ed. Marsi nescio unde cum interpolata conflata est: *viles abiecti neglectique*, sed nec ipse nec quisquam secutus est. *Civiles* aut, si in hoc *viles* significari conceditur, *viles* nemo pro *abiecti* substituturus erat; sed cum leviter depravatum esset *viles*, suppositum est participium, ut simile esset alteri. *Abiectus* est, qui animum despondit, cui deest libera et generosa vis; qui neglegitur. ut cura nulla eius agatur, quod contrarium est benevolo studio et amori, is *vilis* est ei, a quo neglegitur, non abiectus. Paulo post etiam Spir. [B] *causa utilitatis*. In Erl. *tā* ex *cā* ortum est. [Vereor, ne in archetypo *causa* propter *ea* transpositum fuerit.] *Sociati*, ut L, Oxx. Eξ; v. ad 71.

67. *Et quomodo*) Non tam pergit Cató quam cursum et progressum inhibet, ne bestias etiam societas illa iuris comprehendere videatur. Itaque scribendum videtur: *Sed* (*set*) *quomodo*; et praecedit *s*. [Sic nunc posui.] Diog. Laërt. VII, 129: *Ἔτι ἀρέσκει αὐτοῖς (τοῖς Στωϊκοῖς) μηδὲν εἶναι ἡμῖν δίκαιον πρὸς τὰ ἀλλὰ ζῶα διὰ τὴν ἀνομοιότητα, καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ δικαιοσύνης καὶ Ποσειδώνιος ἐν πρώτῳ περὶ καθήκοντος.*

Praeclare enim Chrysippus cet.) N. D. II, 154: *Ipse mundus deorum hominumque causa factus est, quaeque in eo sunt, ea parata ad fructum hominum et inventa sunt.* Ex Seneca et Lactantio quaedam Lipsius Phys. Stoic. II, 8, alia Beierus ad Off.

cetera nata esse hominum causa et deorum, eos autem communitatis et societatis suae, ut bestiis homines uti ad utilitatem suam possint sine iniuria. Quoniamque ea natura esset hominis, ut ei cum genere humano quasi civile ius intercederet, qui id conservaret, eum iustum, qui migraret, iniustum fore. Sed quemadmodum, theatrum cum commune sit, recte tamen dici potest, eius esse eum locum, quem

1. *cetera natura* P *extera natura* L 2. *homines* om. C [*ut ad* Eh] 3. [*possint suam* Eh] 4. *ut et cum* [A]EP *ut cum* LMCR *ius ei intercederet* L 5. [*qui negaret* A] 6. *ut* (pro *cum*) EOr. *cum omne comm.* L

I, 22 p. 50. *Et deorum* omittebatur in uno cod. Par. Davisii, qui probabat, quia, quae sequuntur, ad solos homines pertinent (itaque etiam Lambino in mentem venerat pro *eos autem* scribere *homines autem*); sed Cicero ipsum dogma plene ponit; deinde devertit ad hominum communitatem, quae hic agitur.

Quoniamque ea natura esset hominis, ut ei) Codd. meliores (Pall. 1, 4, Spir. [B], etiam Gud. 1, Bas.) *ut et*, e quo recte Lambinus pronomen necessarium restituit; deteriores codices corruptam vocem omittunt (EUξχ, Gud. 2). Supra Cicero praesenti tempore usus est (*possint*), hic sic loquitur (*esset*, *intercederet* cet.), quasi ante praeterito tempore verbum primariae sententiae extulerit (*Chrysippus dixit*), in quam inconstantiam saepissime incidit aut in illo verbo, quod proxime primario subicitur, aut in orationis progressu, cum philosophorum veterum decreta reddit, nec solum ubi ea ad unum aliquem auctorem refert, sed etiam ubi communiter de scholis loquitur; ne in iis quidem locis eam semper vitat, ubi ipse superiorum sententiam initio prorsus suam facit et e sua persona profert (ut in Cat. 78); interdum durissime in uno et altero orationis membro praeterito tempore utitur, deinde ad praesens redit (e quo genere est illud, quod a Klotzio et me in Lael. 46 restitutum est, sed a Klotzio non recte intellectum, *haberet*). Totum genus, quod alii sparsim attigerant, comprehendit et exemplis scite declaravit Dietrichius in Quaestionibus gramm. et crit. de locis aliquot Cic. Lips. 1835. In hoc opere eiusmodi loci leguntur II, 21 (ubi tantum interrogatur de sententia Epicuri) et 34, III, 71, IV, 14 et 20 et 56 et 59. Pro *migraret* (quod cod. Mor. [et B] firmat) etiam mg. Crat. *negaret*.

cum commune sit) *Ut* etiam Spir., quod in concedendo positum librario deberi non facile videatur; restituitque Gzius. [Sed obstant A et B ab Erl. discedens.]

eius esse eum locum, *quem quisque occuparit*) Insolenter Cicero

quisque occuparit, sic in urbe mundove communi non adversatur ius, quo minus suum quidque cuiusque sit. 68. Cum autem ad tuendos conservandosque homines hominem natum esse videamus, consentaneum est huic naturae, ut sapiens velit gerere et administrare rem publicam atque, ut e natura vivat, uxorem adiungere et velle ex ea liberos. Ne amores

2. *quidque* om. R *quodque* ELOr. 6. *velleque* R Post *liberos* add. *procreare* MCR

propter rhetoricam formam orationis, quia contraria sunt *commune sit* et *eius esse*, hoc *eius* sic posuit, ut referretur ad *quisque*, quod in relativa sententia sequeretur (*quem quisque occuparit locum*, *eum eius esse*); simile est, cum demonstrativae sententiae verbum, cuius subiectum e *quisque* (*quis*) sumitur, ante relativam sententiam ponitur, ut IV Tusc. 7: *sed defendat*, *quod quisque sentit.* [Lael. 29: *ut sit*, *per quem assequatur*, *quod quisque desideret*; Off. I, 65, Horat. Ep. II, 1, 262.]

suum quidque cuiusque sit) id est, *unaquaeque res sit sua cuiusque.* Apparet, *quidque* substantivum esse. Non recte igitur etiam Spir. [B] *quodque*; vid. ad I, 18.

68. *ut sapiens velit gerere — rem publicam* cet.) Diog. Laërt. VII, 121: *Πολιτεύσεσθαί φασι τὸν σοφόν, ἂν μή τι κωλύῃ, ὥς φησι Χρύσιππος ἐν πρώτῳ περὶ βίων· καὶ γὰρ κακίαν ἐφέξειν καὶ ἐπ᾽ ἀρετὴν παρορμήσειν· καὶ γαμήσειν, ὡς ὁ Ζήνων φησὶν ἐν πολιτείᾳ, καὶ παιδοποιήσεσθαι.* De rei publicae administratione cfr. Stob. Ecl. Eth. p. 184 Heer., Senec. de Tranqu. An. 1, 10: *Placet viam* (editur *vim*) *praeceptorum sequi et in mediam ire rem p.* et paulo post: *Promptus compositusque* (sic e cod. Colon. scribendum est) *sequor Zenona*, *Cleanthen*, *Chrysippum*, *quorum tamen nemo ad rem p. accessit*, *nemo non misit.*

et velle ex ea liberos) id est, cupere liberos habere et, quae ad id pertineant, facere; honeste elocutus est, quod alibi dicitur *liberos quaerere*, *παιδοποιεῖσθαι.* Terentius Hec. IV, 4, 33: *si ex me illa liberos vellet sibi.* (*Velle sibi aliquid* dixit Cicero II R. P. 48.) Sic autem, ut nunc editur, scriptum est in Pall. 1 et 4, Gzii, excepto Gud. 2, omnibus, editum a Grutero, Davisio, Gzio. Explent orationem ceteri codices (Grut., Dav., Oxx.), addito *procreare.* Editores cum offenderentur hac coniunctione *velit — velle*, alii, ut Manutius, *velle* tolli iusserunt, retento *procreare*, alii, hoc eiecto, pro *velle* scribi aut *quaerere* (Dav.) aut *tollere* (Gzius). Mihi Cicero cum *velle* singulari significatione poneret, oblitus videtur, hos infinitivos pendere a *velit*, quod iam paulo remotius est. Nec in hanc neglegentiam

quidem sanctos a sapiente alienos esse arbitrantur. Cynicorum autem rationem atque vitam alii cadere in sapientem dicunt, si qui eiusmodi forte casus inciderit, ut id faciendum sit, alii nullo modo.

XXI. 69. Ut vero conservetur omnis homini erga hominem societas, coniunctio, caritas, et emolumenta et

1. *quam* (pro *quidem*) E [*arbitramur* Eh] *cunctorum* E 2. *alii eadem in* E 3. *si quis* ELPMCROr. 5. *ut ergo* C

incidere non potuit, qui illud scripsit II, 33: *ferarum natura — natura sua*, aut I Off. 8: *sic definiunt, ut — definiant* (quod Gzius „Graeca structura“ dictum vult; qua, non dicit nugator). [Nec omittendum, dici *noli velle.*]

Ne amores quidem sanctos cet.) Diog. VII, 129: *Καὶ ἐρασθήσεσθαι δὲ τὸν σοφὸν τῶν νέων τῶν ἐμφαινόντων διὰ τοῦ εἴδους τὴν πρὸς ἀρετὴν εὐφυΐαν, ὥς φησι Ζήνων ἐν τῇ πολιτείᾳ καὶ Χρύσιππος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ βίων καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τῇ ἠθικῇ, εἶναι δὲ τὸν ἔρωτα ἐπιβολὴν φιλοποιΐας διὰ κάλλος ἐμφαινόμενον, καὶ μὴ εἶναι συνουσίας, ἀλλὰ φιλίας.* Cfr. Stob. Ecl. Eth. p. 118 et p. 238, Tusc. IV, 70 sqq. et ibi Davisius. Ab Academicis hoc ad Stoicos translatum erat (N. D. I, 79 cet.). *Arbitramur* etiam Spir. [B].

Cynicorum autem rationem) Diog. VII, 121: *Κυνιεῖν τε τὸν σοφόν (φασιν)· εἶναι γὰρ τὸν κυνισμὸν σύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδόν, ὡς Ἀπολλόδωρος ἐν τῇ ἠθικῇ.* Condicio additur apud Stobaeum Ecl. Eth. p. 238: *Κυνιεῖν τε τὸν σοφὸν λέγουσιν, ἴσον τῷ ἐπιμένειν τῷ κυνισμῷ* (scr. *ὅσον ἐπιμένειν*, hactenus, ut maneat in Cynica ratione, si antea in ea fuerit), *οὐ μὴν σοφὸν ὄντα ἐνάρξασθαι* (*ἂν ἄρξασθαι*) *τοῦ κυνισμοῦ.* [*Si qui* pro *si quis* ex A.]

Cap. XXI, 69. *et emolumenta et detrimenta* cet.) Hunc totum locum non solum editores omnes, excepto Morelio, ita tacite praetermittunt, ut nihil omnino eos habuisse appareat, quod de hac communitate dicerent, nec, quae esset, suspicari ausos esse, sed ne ii quidem, qui veterem philosophiam enarrarunt, hoc dogma ulla ex parte attigerunt. *Ὠφελήματα*, id est, *κατ' ἀρετὴν κινήσεις* erant honestae actiones, *βλάμματα* inhonestae, quatenus effectus spectatur; vid. ad § 33 et de *τῷ βλάμματι* Plut. de Stoic. repugnant. 16 p. 1041 D. Atque primum eae prosunt ipsi ei, qui recte agit; nam utitur virtute eamque tenet agendo, in qua summum bonum est; deinde autem, quia pars est homo mundi et societatis humanae, interest eius, omnia ab omnibus recte et e virtute fieri; ita, quidquid quisquam usquam recte fecit, id illum suae bonitatis fructum

detrimenta (quae ὠφελήματα et βλάμματα appellant) com-

ad omnes bonos propagat, prodestque mihi, si bonus sum, quod bonus aliquis longissime a me remotus recte fecit. Hoc apertissime dicit Plutarchus, ipsum decretum ridens, adv. Stoic. 22 p. 1068 F, quo loco Morelius usus est: Ἂν εἷς σοφὸς ὁπηδήποτε προτείνῃ τὸν δάκτυλον φρονίμως, οἱ κατὰ τὴν οἰκουμένην σοφοὶ πάντες ὠφελοῦνται, et paulo post τὴν θαυμαστὴν commemorat ὠφέλειαν, ἣν οἱ σοφοὶ κινουμένων κατ' ἀρετὴν ἀλλήλων ὠφελοῦνται, κἂν μὴ συνῶσι μηδὲ γινώσκοντες τυγχάνωσιν. Idem significat c. 33 p. 1076 A, ubi dicit, Stoicorum ratione ἀρετῇ τε οὐχ ὑπερέχειν τὸν Δία τοῦ Δίωνος, ὠφελεῖσθαί τε ὁμοίως ὑπ' ἀλλήλων τὸν Δία καὶ τὸν Δίωνα, σοφοὺς ὄντας, ὅταν ἕτερος θατέρου τυγχάνῃ κινουμένου· τοῦτο γὰρ ἐστιν, ὃ καὶ παρὰ θεῶν ἀγαθὸν ἀνθρώποις ὑπάρχει καὶ θεοῖς παρ' ἀνθρώπων, σοφῶν γενομένων, ἄλλο δὲ οὔ. Paria autem esse ὠφελήματα, sequitur necessario, quoniam recte facta (τὰ κατορθώματα), quae illa ipsa sunt, paria esse vidimus. Quae sit in hoc decreto fallacia, manifestum est; nam cum mihi mea virtus prosit, quod eius particeps summum bonum teneo, ceteri, qui recte agunt, meam virtutis et boni possessionem non adiuvant. Deinde (ut rem ab omnibus relictam persequar plenius) apparet, proprie Stoicorum ratione neminem uni singulatim prodesse nisi sibi, ceteris autem communiter, non alii magis, alii minus. Et tamen non raro Stoici consvetudinem verborum et communes notiones sequentes sic loquuntur, tamquam unus alteri actione aliqua eius causa suscepta seorsum prosit, velut cum disputant, qui alteri noceat, sibi nocere (Stob. Ecl. Eth. p. 184, 188, 204, Plut. de Stoic. rep. 16 p. 1041 C). Sed quamquam non solum sapientes, sed omnes continentur illa mundi societate, tamen, quoniam Stoici ex omni parte sapientem ab insipiente separare student et τῆς ὠφελείας notionem cum virtute coniungunt, negant ex aliorum recte factis ullum emolumentum ad insipientem et malum pervenire, quem numquam omnino ὠφελεῖσθαι docent (μηδένα δὲ φαῦλον μήτε ὠφελεῖσθαι μήτε ὠφελεῖν, Stob. p. 188). Contra inter malos eandem malè factorum societatem esse statuebant, nec sapienti sua virtute semper beato quidquam ea obesse. Admiscebant enim summae illi et primae rationi alia tantum ad speciem cum illa connexa, cum populariter disserebant, omnes sapientes inter se bene velle, malos inter se dissidere et odio inflammatos esse (τοὺς δὲ φαύλους διαφωνοῦντας πρὸς ἀλλήλους ἐχθροὺς εἶναι καὶ κακοποιητικοὺς ἀλλήλων καὶ πολεμίους, Stob. p. 184). [Hanc sapientium et insipientium in hac communione separationem Cicero non attingit.] Atque ex hac sententia de sapien-

munia esse voluerunt, quorum altera prosunt, nocent altera; neque solum ea communia, verum etiam paria esse dixerunt. Incommoda autem et commoda (ita enim *εὐχρηστήματα* et

3. *et* (ante *commoda*) om. E *aut* C

tium et bonorum virorum concordia et benevolentia, qua fit, ut inter se semper bene cupiant, numquam invideant; oritur etiam nimis aperta fallacia vel lusu illud decretum, communia esse *τὰ εὐχρηστήματα* et *δυσχρηστήματα*, id est, prosperos et adversos eventus, qui ad praeposita et reiecta pertineant, ut, quod alteri bene aut secus evenerit, id alter suum quoque aut commodum aut incommodum putet; nam *εὔχρηστα* erant *τὰ προηγμένα*, *δύσχρηστα τὰ ἀποπροηγμένα* (Plutarch. adv. Stoic. 20 p. 1068 A). Quoniam autem commoda et incommoda non ita, ut emolumenta et detrimenta, inter sapientes et insipientes divisa et quasi dirempta erant, sed et sapienti incommoda accidere et insipienti commoda poterant, quaerendum videtur fuisse, seorsumne sapientibus et insipientibus haec communia essent an omnibus. Verum Stoici splendidas has sententias ad rerum et vitae veritatem accommodare parum conati esse videntur, et in commendanda graviter mutua hominum caritate nonnihil obliti esse discriminis illius inter sapientem, qui an nullus esset dubitaretur, et insipientes. Non magni momenti ad summam disciplinam haec fuisse, etiam inde facile aliquis sibi persvadeat, quod neque *εὐχρηστήματος* neque *δυσχρηστήματος* nomen quisquam praeter Ciceronem, quod sciam, commemoravit. (Initio capitis *ut vero* annotatur et in mg. Crat. et e cod. Mor., quod edebatur *ut ergo*.)

quorum altera — altera) Cum *emolumenta* et *detrimenta* dicere coactus esset inopia lingvae, in qua nulla essent substantiva, quae a verbis *prodesse* et *nocere* descenderent, ut *ὠφέλημα* et *βλάμμα ἀπὸ τοῖ ὠφελεῖν καὶ τοῦ βλάπτειν*, haec addidit, ut propius ad Graecorum nominum vim accederet.

Incommoda autem et commoda) Davisius inverti malebat: *commoda autem et incommoda* (et sic in Bas. esse Gzius ait), nec suspicionem improbo, non solum quod eo ordine Graeca verba ponuntur, et paulo ante *emolumenta et detrimenta* et paulo post haec ipsa, non contra, sed quod cogitationi necessario prius occurrunt commoda, deinde ex his nascitur negativa notio. *Enim* post *ita* excidit in ed. Man. et deinceps ceteris ante Dav. Paulo post *autem aut* ex ed. pr. propagatum est ad Manutios, Lambinum, Gruterum, Gzium; *et* Davisius ex tribus suis (Eξχ. Bas., Gud. utroque); Spir. [B] ut Erl.

δυσχρηστήματα appello) communia esse voluerunt, paria noluerunt. Illa enim, quae prosunt aut quae nocent, aut bona sunt aut mala, quae sint paria necesse est; commoda autem et incommoda in eo genere sunt, quae praeposita et reiecta dicimus; ea possunt paria non esse. Sed emolumenta communia esse dicuntur, recte autem facta et peccata non habentur communia. 70. Amicitiam autem adhibendam esse

1. *paria esse voluerunt* E *paria nol.* om. C 4. *et* om. E *aut* C
5. [*diximus* A] 7. *quia* (pro *communia*) E *esse adhibendam* R

Sed emolumenta communia esse dicuntur, recte autem facta cet.) Cavetur, ne, quod de honestis inhonestisve actionibus statuatur, quatenus effectum habeant et qualitate sua agentem iuvent aut ei noceant, id etiam ad ipsam actionum susceptionem pertinere putetur, quod si iudicatum fuerit, nulla sit cuiusquam propria actio, cuius in eum aut laus aut culpa cadat. Hoc est enim ὠφελήματος et κατορθώματος discrimen, itemque βλάμματος et ἁμαρτήματος, tenue sane. Apparet, necessario, ut haec cautio adiungeretur, repetenda illa fuisse: *Sed emolumenta — dicuntur* (id est: sed, quamquam — dicuntur, recte facta tamen cet.), quae Davisius deleta volebat. Sed videtur is in eodem errore fuisse, quo Gzius et Orellius, qui sic haec pessumdant interpungendo: — *dicimus. Ea possunt paria non esse; sed emolumenta* cet. Illa verba: *ea possunt paria non esse* proxime cum antecedentibus cohaerent respondentque e contrario his: *quae sint paria necesse est.* Ostenditur, in commodis et incommodis non eandem esse necessitatem. Unum restat; nam quoniam sequitur *recte facta et peccata*, videtur praecedere debere *emolumenta et detrimenta*: id senserat Lambinus in prima editione; postea alio aberravit. Hic tamen facilius multo quam supra § 11 in diiunctione (*aut in bonis aut in malis*) priore loco tantum praecipua notio poni potuit, altero etiam contraria adici. [Opportune Ussingius comparat in Platonis loco II de R.P. 367 D haec addita: *καὶ ἀδικία βλάπτει.*]

70. *Amicitiam adhibendam esse censent* cet.) Diog. Laërt. VII, 124: *Δι' αὑτόν τε αἱρετὸν τὸν φίλον ἀποφαίνονται κα τὴν πολυφιλίαν ἀγαθόν.* Distinctius Stobaeus Ecl. Eth. p. 186 sq. exponit, a Stoicis amicitiam prodesse putari non propter mutuas utilitates, quod nullum ex hominibus duobus diiunctis in ipsis bonum effici possit (διὰ τὸ μηδὲν ἐκ διεστηκότων ἀγαθὸν εἶναι κατ' αὐτούς), sed partim propterea, quod ab amicis amore comprehendamur (φιλίαν — κατάσχεσιν οὖσαν φιλικὴν πρὸς τῶν

censent, quia sit ex eo genere, quae prosunt. Quamquam autem in amicitia alii dicant aeque caram esse sapienti rationem amici ac suam, alii autem sibi cuique cariorem suam, tamen hi quoque posteriores fatentur, alienum esse

2. *amicitiam* C 4. *id quoque* C *in quoque* PM *unumquodque* R

πέλας, non, ut editur, κατὰ σχέσιν), et tum in externis bonis esse, partim propter eum amorem, quo nos ipsi amicos complectamur, et tum in animi bonis numerari.

ex eo genere, quae prosunt) Naturali quadam orationis libertate primum demonstrativum sic substantivo additur, ut eidem relativum adiectum iri videatur, deinde, cum occurrat, id ad sententiam minus rectum fore (neque enim genus prodest, sed eius generis res), relativum ad singula refertur, quasi dictum sit *ex eorum genere* (ut Lambinus scribi volebat, nec tamen paucis versibus ante: *in eorum genere, quae*) aut *ex iis*; cfr. pro Font. 12: *constat ex iis generibus hominum et civitatum, qui* cet. (rettulit ad *homines*, non ad *genera*). Sic Ciceronem fere semper dicere *ex eo numero, qui* (non *ex eorum numero*), copiose exposuit Stuerenburgius ad orat. pro Arch. 31 p. 185 sq. ed. 1. In definiti generis significatione Cicero indicativum modum (*prosunt*) retinuit in sententia orationi obliquae (*sit*) interposita.

Quamquam autem — dicant) Non dubito, quin Cicero numquam in recta oratione particulae *quamquam* in protasi coniunctivum subiecerit, nisi ubi aliqua lateret potentialis condicionalisve aut similis significatio, quae hic nulla est. Sed quoniam codd. boni, qui eiusdemmodi mendum § 48 sustulerunt, hic nihil nos iuvant, nihil mutavi; fieri enim potest, ut Cicero scripserit: *Cum autem — dicant* cet. (Otto mendum vidit scripsitque *dicunt*; in re praeceptis comprehendenda labitur.)

sibi cuique cariorem suam) Qui attendet, reperiet consvetudinem postulare: *suam cuique cariorem*; verum sic non satis sentiebatur pondus orationis neque in *suam* neque in oppositione *sui* (*eines selbst*, vid. ad I, 67) et *amici*. Itaque Cicero et *suam* in ultimum locum reiecit et ante *cuique*, quod ne poterat quidem primum locum tenere, addidit *sibi*, quod illam oppositionem significaret, vix ipse ratione huius pronominum coniunctionis, cuius nullum aliud habeo exemplum, subtiliter exquisita. [*Ratio amici* est, quae amici habetur, hoc est. utilitas.]

hi quoque posteriores) Moserus (Symbol. Crit. ad Cic. de Fin. et Tusc. Ulmae 1825) tolli postremam vocem vult, opinor (neque enim libellum vidi), quod putat Latinos non sic loqui de iis, quos propiore loco nominarint. At iam IV, 10 legitur:

a iustitia, ad quam nati esse videamur, detrahere quid de aliquo, quod sibi assumat. Minime vero probatur huic disciplinae, de qua loquor, aut iustitiam aut amicitiam propter utilitates ascisci aut probari. Eaedem enim utilitates poterunt eas labefactare atque pervertere. Etenim

1. *ab iustitia* Or. 3. [*iusticiam aut amiciciam* A] *amicitiam aut iustitiam* LPMCROr. 4. [*eadem* A] *enim voluptates* PMCR

hanc posteriorem eodem modo. [*Ab iustitia* annotatur e Spir., *ad iustitiam* Gud. 1 et Bas. Sed ABErl. *a iust.*]

detrahere quid de aliquo) *Quid* Davisius in Parr. 1 et 3 non esse tradit et abesse vult, Beierus ad Off. III, 22 p. 219 etiam sine libris eiciendum fuisse putat, nescio cur, nisi forte *quid* pro *quidpiam* sic infinitivo iunctum non tulerunt aut (quod de Beiero suspicor) in generali huiusmodi iudicio, quo aliquid improbetur (*alienum est a iust.*), *detrahere quidquam* dicendum putarunt, quemadmodum paulo post (71), ubi est: *alienum est a sapiente non modo iniuriam cui facere*, Lambinus scripsit *cuiquam*; nam dicimus [Gr. Lat. § 494 b] *iniquum esse*, *summae arrogantiae esse*, *quemquam facere aliquid* (non quod negativi quidquam sit, ut Stuerenburgius ad Off. p. 219 opinatur), in quo genere turpiter Gzius et ceteri recentiores lapsi sunt, qui III Legg. 18 scripserunt: *nihil esse turpius quam quempiam legari nisi rei publicae causa*, cum recte ederetur *quemquam*. Verum hoc pertinet ad subiectum sententiae infinitae, quod generale est; obiectum, quod simplici infinitivo additur, speciale est (*detrahere hoc vel illud* cet.), recteque retinetur *quidpiam* aut *aliquid* aut, quae significatio minime ad sensum eminet, *quid*, ut II de Divin. 125: *nec frustra ac sine causa facere quid dignum deo est.* Itaque recte III Off. 26 Stuerenburgius *facere cuipiam iniuriam* edidit. Omninoque saepius haec forma pronominis sic ponitur, ubi notioni primum affirmative et infinite conceptae adiungitur negatio, ut hoc opere V, 35: *ut nec absit quid eorum nec aegrum debilitatumve sit*; ad Att. V, 11, 5: *nec mehercule habeo, quod adhuc quem accusem meorum*; Off. III, 30: *non magis est contra naturam morbus aut egestas aut quid eiusmodi.* [Svet. Ner. 40: *non rescribere cuiquam, non mandare quid aut praecipere.* Cfr. *aliquid* I de Orat. 14; pro Cluent. 113; pro Sest. 32.] Satis apparet, haec non spectare ad defendendum illud II Legg. 66: *noluit quid statui*, ubi recte Lambinus *quidquam.* Paulo post *eaedem voluptates* non (ut Orellius ait) unus cod. notus et ed. Vict., sed Pall. praeter tres, Oxx. omnes, editiones ante Lambinum; *utilitates* mg. Crat., Pall. tres, Parr. 1, 3, Mead., [B]. [Quae

nec iustitia nec amicitia esse omnino poterunt, nisi ipsae

1. [*iusticiae nec amicicie* A] *iustitiae nec amicitiae* ELPMR *poterunt esse omnino* E *potuerunt* C

Reisigius in scholis de Gramm. Lat. p. 443 scripsit de *aut probari*, quantum habeant errorem, apparebit vel ex Opusc. meis Acad. I p. 456, Gr. L. 458 c not. 2.]

nec iustitia nec amicitia) In codice archetypo erat *nec iustitiae nec amicitiae*, quod tenuerunt Victorius, Gruterus, Gzius, defendere conatus est Bremius (nam Gzium omitto); verum ut fingamus. dici potuisse *iustitias*, *sapientias*, *temperantias*, quod semel Cicero *fortitudines* de vario genere fortitudinis promendae dixit, nihil id omnino ad hunc locum pertinet, ubi de ipsa natura et notione iustitiae et amicitiae agitur. Itaque non magis ferendum est, quod Davisius ex CCC (Gud. 2) edidit: *nec iustitia nec amicitiae*. (Oxx. tantum in ψ *iustitiae* esse, in ξψ *amicitiae* notant.) Ex *amicitia esse* factum est *amicitiae esse*, deinde ad id accommodatum *iustitiae*. Notandum autem verbum plurale nominibus singularibus per *neque* — *neque* coniunctis subiectum (vid. Zumpt. § 374 [Madv. § 213 b not. 1]); nec potuit Cicero aliter dicere, quia necessario subiciendum erat *expetantur*; si *expetatur* diceretur, de una notione agi videretur. Quod in Erl. legitur [et AB, ut in archetypo fuisse videatur], *expetuntur*, rectum esse non videtur. In hac enim coniunctione: *hoc fieri non potest, nisi* —, fere semper coniunctivus subicitur praesentis; futuri [et perfecti] indicativus ponitur. Neque enim simplex condicio est praesentis temporis, ut, nisi nunc ita sit, negetur aliquid esse, sed iudicio generali adiungitur condicio, quae implenda est. De R. P. I, 60: *quod quidem, nisi unum sit, esse nullum potest*; Off. III, 118: *neque enim bonitas nec liberalitas nec comitas esse potest, si haec non per se expetantur*; supra lib. I, 54: *ne ipsarum quidem virtutum laus reperire potest exitum, nisi dirigatur ad voluptatem*; ibd. 67: *neque vero ipsam amicitiam tueri possumus, nisi aeque amicos et nosmet ipsos diligamus*; Caes. B. Civ. III, 44: *neque munitiones Caesaris prohibere poterat, nisi proelio decertare vellet*; paene soloecum futurum erat: *nisi volebat*; cfr. Cic. pro Rab. Post. 28, Liv. XXXIII, 8, 11. Futurum legitur hic I, 64 et II, 78 et IV, 41: *constitui virtus nullo modo potest, nisi* — *tenebit*, ad quam formam § 40 ex Erl. restituam: *introduci enim virtus nullo modo potest, nisi omnia — unam referentur ad summam.* [Tusc. V, 42: *qui autem poterit esse celsus et erectus* —, *nisi omnia sibi in se posita censebit?* de Orat. II, 189, Acad. II, 140, Off. II, 84. Perfecti indicativus est de Orat. II, 29 (*nisi accessit os, nullum potest esse*) et Tusc. IV, 48 (*nisi stomachari coepit*). Duo in praesenti tempore animadverti contraria

per se expetantur. 71. Ius autem, quod ita dici appellarique possit, id esse natura; alienumque esse a sapiente non modo iniuriam cui facere, verum etiam nocere. Nec vero rectum est cum amicis aut bene meritis consociare aut coniungere iniuriam; gravissimeque et verissime defenditur.

1. *expetuntur* [A]E 2. *naturam* [AEh]LPMR *alienamque* [AEh]
3. *cuivis facere* R 4. *sociare* E 5. *gravissime et* E

exempla, alterum hic V, 69 (*si* ... *non continentur*), alterum pro Rosc. Com. 9: *ipse mihi satisfacere non possum, nisi sumo*, ex qua forma nascitur praeteriti temporis haec, pro domo 78: *fieri non poterant Latini, nisi erant auctores facti.* Contra affirmationi futuri temporis recte adiungitur condicio praesentis temporis indicativi modi de eo, quod nunc statim fieri caverive debet; Emendatt. Livv. p. 422; Acad. II, 93, ad Attic. XII, 40, 4, Hor. Sat. II, 3, 154.]

71. *Ius autem — id esse natura*) Pall. omnes, [B,] χψ, Crat., Vict., Grut., Gzius *naturam*, nec altera scriptura (quae ex C est in ed. a. 1480, tum apud Lambinum, Davisium, alios) profertur nisi ex Tertii apud Manutium libro. Fuit igitur in cod. archetypo *naturam*; sed librarius aut casu aut consilio lineola addita infinitivo accusativum accommodavit contra sententiam; docebant enim Stoici, *φύσει εἶναι τὸ δίκαιον καὶ μὴ θέσει* (Diog. Laërt. VII, 128, Stob. Ecl. Eth. p. 184), non *φύσιν*. Et quod Gzius obicit, Chrysippum deum summum appellasse *κανόνα δικαίων καὶ ἀδίκων* (Digest. I, 3, 2), quis nescit, naturam Stoicis esse *τὸν νόμον*, e quo ius oriatur? Sed aliud est hoc ipsum ius, quod *natura diiudicatur* (Legg. I, 44) et *ex natura ortum est* (ibd. 35), aliud natura. Recte igitur et necessario etiam I de Legg. 33 scribetur: *ius quod dicam, natura esse* (et ideo hanc totam parenthesin Cicero addidit, quod dixerat, nos ad ius inter omnes communicandum *natura* esse factos), recte § 36: *natura esse ius*, ubi, quod sequebatur *e*, factum est *naturae*. [In proximis verbis animadvertendum, noceri alicui posse sine iniuria.]

consociare aut coniungere) Etiam Spir. [B] *sociare*; verius tamen in hac copulatione alterum (cfr. 66 *coniuncti et consociati*, al.), et saepius scribae simplicia pro compositis substituunt. Mox Beierus ad Off. II, 10 p. 22 scribi vult *gravissimeque et severissime*, ut II, 24 Laelius *graviter et severe voluptatem a bono secrevisse* dicitur. Severitas tamen magis in illo voluptatis contemptu apparet quam in hac re. Tum *seiungere* etiam Oxx. EUξχ, ed. Vict. In iis, quae sequuntur, verbis vereor ne, Cicerone parum vigilante, stilus aliud scripserit, ac deberet. Neque enim Stoici separatim docebant, ut hoc loco inter sententias eorum

numquam aequitatem ab utilitate posse seiungi, et, quidquid aequum iustumque esset, id etiam honestum, vicissimque, quidquid esset honestum, id iustum etiam atque aequum fore. 72. Ad easque virtutes, de quibus disputatum est, dialecticam etiam adiungunt et physicam easque ambas virtutum nomine appellant, alteram, quod habeat rationem, ne cui falso assentiamur neve umquam captiosa probabilitate fallamur, eaque, quae de bonis et malis didicerimus, ut tenere tuerique possimus; nam sine hac arte quemvis

1. *seiungere* PMC 4. *eas* (om *que*) EC 5. *adiungit* C 8. [*fallamur* om. A] [*aeque quae de* A, *eque quae de* Eh] *ea que de* LC [*didiceremus* A] *diceremus* LPMCR 9. [*teneri* A] *ut ne tuerique* E *ceteri* (pro *tenere*) P, qui deinde om. *tuerique* — *fallique posse* [*quamuis* Eh]

proprias poni posset, quod *aequum et iustum* esset, id esse *honestum* (nec enim ulla controversia erat, quin haec coniuncta essent), nec id cum superiore cohaeret; rectum futurum erat: *et, quidquid aequum iustumque esset, id etiam utile, vicissimque, quidquid esset utile, id iustum etiam atque aequum fore.*

72. *Ad easque virtutes*) Etiam Spir. [B] *eas*; sed facilius excidit *que*, quod aptissime in transitu ponitur (vid. ad 73) nec bene aberit. De dialectica virtute praecipuus est locus Diog. VII, 46: *Αὐτὴν δὲ τὴν διαλεκτικὴν ἀναγκαίαν εἶναι καὶ ἀρετὴν ἐν εἴδει* [*ἑνὶ εἴδει πλείους* aut *τέσσαρας?*] *περιέχουσαν ἀρετάς, τήν τε* [*τὴν μὲν?* an postea ter *τέ* pro *δέ?*] *ἀπροπτωσίαν, ἐπιστήμην τοῦ, πότε δεῖ συγκατατίθεσθαι καὶ μή* (*ne cui falso assentiamur*) · *τὴν δὲ ἀνεικαιότητα, ἰσχυρὸν λόγον πρὸς τὸ εἰκός, ὥστε μὴ ἐνδιδόναι αὐτῷ* (*neve umquam captiosa probabilitate fallamur*) · *τὴν δὲ ἀνελεγξίαν, ἰσχὺν ἐν λόγῳ, ὥστε μὴ ἀπάγεσθαι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἀντικείμενον* (*eaque — ut tenere tuerique possimus*) · *τὴν δὲ ἀματαιότητα, ἕξιν ἀναφέρουσαν τὰς φαντασίας ἐπὶ τὸν ὀρθὸν λόγον.* Alios locos Ciceronis et Quintiliani, in quibus ad rhetoricam et eloquentiam hoc transfertur, collegit Davisius ad Acad. I c. 2. Physicam qui virtutem dixerit, non succurrit praeter Plutarchum, qui appellatur, de plac. philos. I init. [et Strabonem, qui Stoicus fuit, II p. 110: *ἡ δὲ φυσικὴ ἀρετή τις*]. Sed eadem eius ratio est; nam omnis scientia virtus et omnis virtus scientia habetur; vid. Ritterus Hist. Philos. III p. 518. De forma orationis, quae sequitur (*alteram, quod* — tum 73: *Physicae quoque*), dictum est in exc. ad I, 23. *Didicerimus* etiam ex Spir. [B] restituit Gzius; Bas. *dixerimus*; Gud. 2 *disseramus*. *Arbitrantur* Pal. 1, mg. Crat., Spir. [B], El. (uter?) restituitque Manutius; erat *arbitramur*. *Ab vero* Gzius ex Erl. et Spir. [B, contra A].

arbitrantur a vero abduci fallique posse. Recte igitur, si omnibus in rebus temeritas ignoratioque vitiosa est, ars ea, quae tollit haec, virtus nominata est.

XXII. 73. Physicae quoque non sine causa tributus idem est honos, propterea quod, qui convenienter naturae victurus sit, ei proficiscendum est ab omni mundo atque ab eius procuratione. Nec vero potest quisquam de bonis et malis vere iudicare, nisi omni cognita ratione naturae et vitae etiam deorum, et utrum conveniat necne natura hominis cum universa. Quaeque sunt vetera praecepta sapien-

1. *arbitramur* LMCR *ab vero* [Eh]Or. 2. *ab his* (pro *ars*) LPMC *ars ab his* Or. *ars — nominata est* om. R 3 *huius* (pro *haec*) E 4. *physicae quidem non* E 5. *est* om. E 6. *et* (pro *ei*) [A]EP *ei et* MR *ei etiam* C *mundo et ab* LPMCR 7. *et de bonis* MR *etiam de* (pro *et*) C 8. *animi* (pro *omni*) PR *etiam* (pro *et*) C *naturae vitae et* B 9. *et deorum* P *et utrumque* E *etiam utrum* C *nature* C 10. *universo* R

ars ea) Sic [A,] mg. Crat., vetus Manutii liber, codd. Mor. et Scal., El. (2), Spir. [B] restituitque Davisius. Ex deteriorum errore Marsus, tum Gzius conflarunt *ars ab his ea.* [In *huius*, quod etiam B habet, lateatne aliquid, nescio. Poterat a Cicerone scribi: *quae tollit vitium, virtus n. e.*]

Cap. XXII, 73. *propterea quod, qui* cet.) Chrysippus ἐν ταῖς φυσικαῖς θέσεσιν haec scripserat: *Οὐ γάρ ἐστιν ἄλλως οὐδ' οἰκειότερον ἐπελθεῖν ἐπὶ τὸν τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν λόγον οὐδ' ἐπὶ τὰς ἀρετὰς οὐδ' ἐπὶ εὐδαιμονίαν, ἀλλ' ἢ ἀπὸ τῆς κοινῆς φύσεως καὶ ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου διοικήσεως.* Alia in eandem sententiam ab eo scripta idem, qui haec, servavit Plutarchus de Stoic. repugn. 9 p. 1035. Plura ex multis scriptoribus collegit Beierus in excursu VIII ad Cic. libr. I de Off. Pro *victurus sit*, non dubito, quin Cicero scripserit: *victurus est*, qui etiam N. D. I, 103, ubi videatur aliqua causa coniunctivi ponendi fuisse, posuerit: *utatur enim suis bonis oportet, qui beatus futurus est*; [vid. II, 85 et Opusc. Acad. II, 281]. Tum *ei* (L et Bas.) Lamb. in curis secundis, Dav., Gzius; *et profic.* Spir. [B], Gud. 2, ed. 1480; ceterae edd. *ei et*, una et altera e prima *ei etiam*; deinde *atque* (post *mundo*) Gzius etiam e Spir. [B]. Mox *et de malis* editiones quaedam (Crat., Ern.) contra ξχ, Gzii omnes; *et de bonis* etiam Eξχ.

conveniat — natura hominis cum universa) *Μέρη αἱ ἡμέτεραι φύσεις τῆς τοῦ ὅλου*, ut ait Chrysippus apud Diog. VII, 87.

Quaeque sunt —, haec sine physicis cet.) Perverse vulgo haec divellebantur: *cum universa: quaeque — nimis. Haec sine* cet.,

tium, qui iubent tempori parere et sequi deum et se noscere, et nihil nimis, haec sine physicis quam vim habeant (et habent maximam) videre nemo potest. Atque etiam ad iustitiam colendam, ad tuendas amicitias et reliquas caritates quid natura valeat, haec una cognitio potest tradere. Nec vero pietas adversus deos, nec quanta iis gratia debeatur, sine explicatione naturae intellegi potest.

1. [*et sequi et deum* Eh] 2. *nec sine* E 5. *cogitatio* PR 6. *Nec vero — potest* Nonius p. 232 (s v. *advorsum*) *advorsum* Non. *his*[A]E(LPM)COr. 7. *non potest* E

quasi hoc dicatur, de bonis et malis non posse recte iudicari nisi cognito, quid sit *tempori parere*, ac non haec sit sententia, illa ipsa praecepta sine physicis, de quibus agitur, intellegi non posse. Recte Manutii et Davisius. Fefellit editores *que* in transitu ad novam rem et partem argumentationis positum (ut § 67 *Quoniamque*, V, 10: *Disserendique*, N. D. II, 69: *Concinneque* cet.; ibd. 127: *Cervaeque*, Legg. II, 30: *Descriptioque sacerdotum* cet.); nec hoc uno loco id accidit. Velut I N. D. 24 haec verba: *quodque in nostro corpore — in deo* non superiori sententiae adhaerere debent, sed novae in iis initium constitui; transitur enim ad notionem dei calore et frigore vexati. Prave interpunguntur verba in Orat. § 59, ubi in voce *idemque* transitur a vocis ad motus commemorationem, quae divisio posita est § 55. [Attigerat hunc usum Ernestius ad Svet. Ner. 38 alieno loco.] *Vetera* Gzius in *veterum* mutari vult, quomodo scribi apte poterat [cfr. IV, 17 extr.], scribi sic necesse non erat. Pridem haec a sapientibus hominibus praecepta et per multas aetates celebrata Cato significat.

tempori parere) Alibi hoc praeceptum inter huiusmodi effata non commemoratur; et tamen ita communis haec est admonitio (*καιρῷ λατρεύειν μηδ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισιν*, Phocylid. v. 112), ut videatur locum suum tueri nec cedere debere ei, quod Victorius (Varr. Lectt. XI, 19) e Stob. Serm. tit. III, 80 p. 47 Gesn. et Clem. Alexand. Strom. V p. 237 Sylb. substituit, *tempori parcere* (*χρόνου φείδου*). Phrasin ipsam (*tempori parere*) aliquotiens a Cicerone positam esse, notum est. Cetera pervagata sunt, *ἕπου θεῷ*, quod Pythagorae tribuitur (Lips. ad Sen. de Vita Beata 15), *γνῶθι σεαυτόν* et *μηδὲν ἄγαν* (Menag. ad Diog. Laërt. I, 40, 41).

sine explicatione naturae) [Quod Baiterus apud Nonium ait esse *sine explanatione* et sic edidit, Mercerius habet *explicatione*, Gerl. et Rothius mendose *explatione*; ex eo libro, quem ad II,

74. Sed iam sentio me esse longius provectum, quam proposita ratio postularet. Verum admirabilis compositio disciplinae incredibilisque me rerum traxit ordo; quem, per deos immortales, nonne miraris? Quid enim aut in natura, qua nihil est aptius, nihil descriptius, aut in operibus manu factis tam compositum tamque compactum et coagmentatum inveniri potest? quid posterius priori non convenit? quid sequitur, quod non respondeat superiori? quid non sic aliud ex alio nectitur, ut, si ullam litteram moveris, labent omnia? Nec tamen quidquam est, quod moveri possit.

3. *me* om. [A]LPMCROr. *quae per* LPMCR 4. *enim in natura* R *enim aut etiam nat.* C 5. [*quod* pro *qua* Eh] 6. [*cocicmentatum* A] *coaugmentatum* ELPM 8. [*quod non sit* Eh] *alter iudex alio* E *aliud videlicet alio* LPMR 9. *ut non si* omnes, Or. *unam* Or. 10. *quo* [A]LPMR *potest* C

44 commemoravi, et ex exemplo cum cod. Vossiano a L. Langermanno collato, quod item in bibliotheca academiae nostrae est, scio in codd. Nonii esse *sine expiatione.*]

74. *incredibilisque rerum traxit ordo*) [*Me* ante *rerum* nunc addidi, accedente B; facilius excidere poterat; nec librarius illo loco positurus fuisse videtur.] *Quem* Pal. 1, mg. Crat., liber antiquus Man., El. (?), Spir. [B], Gud. 2, restituitque Dav. *Coaugmentatum* aliquot Pall., Uχ, [B].

ut, si ullam litteram moveris, labent omnia) Codd. et edd. *ut non, si* cet. Ita haec erit sententia, si ulla erit: „Omnia sic alia ex aliis nectuntur (*quid non sic nectitur?*), ut, etiamsi unam (*ullam* in hac scriptura ferri nullo modo potest) litteram moveris, non tamen omnia labent.“ Omitto *non* incommode positum; omitto, si sic firmitas laudetur, ut res stare dicatur, etiamsi aliquid moveatur, hoc aliquid non ita extenuari debere (*etiamsi unam litteram*), sed ita dicendum esse: etiamsi unam aliquam partem, hoc vel illud, moveris. Hoc dico, disciplinae firmissime compactae et coagmentatae non hanc propriam esse laudem, sed illam, omnia sic inclusa esse suis quaeque locis et cum proximis coniuncta, nihil ut subtrahi possit, quo fit, ut eo rem audeamus demittere, ut, si unum ereptum nobis sit, omnia cadere fateamur. Nam confidimus, quod Cato subicit, nihil esse, quod moveri et eripi possit. Et hoc Catonem dixisse, apertissimum est ex IV, 53: *Et ais, si una littera commota sit, fore, tota ut labet disciplina.* Si recte hic legeretur *ut non*, ibi dicendum erat, nulla sane sententia: *non fore.* Vere igitur aliquis apud Th. Bentleium et Matthiaeus tolli *non* voluerunt, eisque assensus est

75. Quam gravis vero, quam magnifica, quam constans

Wesenbergius in Observatt. Critt. in orat. pro Sestio p. 29 not. Librario, non perspecta sententia, Cato visus est dicere debere, non labare omnia. Sed praeterea Ernestius scripsit: *si unam*, ut Marklandus (Remarks on the Epistles of Cicero to Brutus p. 49) scribi voluerat; [sic iam ed. 1496 et Ascens.]. *Si ullam* sic ponitur, ut sufficere dicatur, si ulla omnino (vel una) mota fuerit; vid. ad IV, 45; commode Wesenbergius adhibet II Acad. 101, ubi primum ita dicitur: *Hoc autem si ita est, ut unum modo sensibus falsum videatur, praesto est, qui neget rem ullam percipi posse sensibus*, deinde autem sic: *Si ullum sensus visum falsum est, nihil potest percipi.* Et tamen usitatius Cicero *unam* positurus fuisse videtur; nam cum non *sententiam* aut *decretum* dicat, sed, rem extenuando augens, *litteram*, huic extenuationi aptius erat *una*. Niebuhrius (Fragm. Cic. oratt. p. 103) professus est, nullum se emendandi genus peius odisse quam illud, quod contra libros negationem aut adderet aut tolleret. Ego non solum codices in eo mendo ab aliis codicibus argui et consensum codicum interdum aliis auctoritatibus cedere video (ut in Verr. I, 39 Augustini et Asconii), sed aliquotiens conspirationem eorum adeo manifesta ratione falsi convinci, ut multo minus dubitationis haec correctio habeat quam aliorum occultiorum errorum sublatio. Exemplum praeter id, quod hic V, 38 occurret, (quoniam longum est ea, quae nuper in Orat. § 9 perversissime disputata sunt, refutare) ponam e Seneca, in cuius libro III de Ira 2, 2 nunc legitur: *Numquam universus populus feminae amore flagravit, nec in pecuniam aut lucrum tota civitas spem suam misit; ambitio viritim singulos occupat, impotentia non est malum publicum; saepe in iram uno agmine itum est.* Impotentiam, ut possit irae contraria poni, Ruhkopfius cupidinem indomitam dominandi interpretatur. At id numquam vox significat, sed iram vehementem. Et dicendum erat in oppositione: *in iram saepe.* Scripsit Seneca: *Impotentia est malum publicum*; deinde confirmat: *saepe in iram* cet. [Negatio contra codices addenda erit IV, 69; contra optimos addita est II, 24; contra omnes IV, 65 et, ut dixi, V, 38.]

quod moveri) Gruterus ex omnibus Pall. *quo*, et sic etiam CCC, Ball., Mead.; (Oxx. tantum e χ proferunt). *Quod* Eliensis „aliique", Spir. [B], Gud. 1, Bas. Sententiam supra declaravi; de movendi instrumento non agitur. Paulo ante notandus est propter aliorum locorum correctionem librariorum duplex error, qui ex *iud* (in *aliud*) et *ex* effecerunt *iudex* (Erl.), tum, frequentissima permutatione, *videlicet* (Eξχψ, Gud. uterque).

conficitur persona sapientis! qui, cum ratio docuerit, quod honestum esset, id esse solum bonum, semper sit necesse est beatus vereque omnia ista nomina possideat, quae irrideri ab imperitis solent. Rectius enim appellabitur rex quam Tarquinius, qui nec se nec suos regere potuit, rectius magister populi (is enim est dictator) quam Sulla, qui trium pestiferorum vitiorum, luxuriae, avaritiae, crudelitatis magister fuit, rectius dives quam Crassus, qui, nisi eguisset, numquam Euphraten, nulla belli causa, transire voluisset. Recte eius omnia dicentur, qui scit uti solus omnibus; recte etiam pulcher appellabitur; animi enim liniamenta sunt pulchriora quam corporis; recte solus liber, nec dominationi cuiusquam parens nec obediens cupiditati; recte invictus, cuius etiamsi corpus constringatur, animo tamen vincula inici nulla possint. 76. Nec expectet ullum tempus aetatis, ut tum denique iudicetur, beatusne fuerit, cum ex-

2. [*si necesse* A] 3. *vereque — possideat* om. E 5 *nec se suos* L 6. [*his* A] *dictator est* E [*Sylla* A] 9. *Euphratem* (ELPM)COr. 10. *omni adicientur* E 11. [*linimenta* A, *laniamenta* Eh] 12. *corporibus* [A]E 13. *neque obediens* LCOr. 15. *possunt* L *Neque* Or. *expetet* E *nullum* L 16. *virtutum* (pro *ut tum*) [A]EP

75. *persona sapientis*) Hanc quibus coloribus Stoici exornaverint, notius est, quam ut aliorum scriptorum locos hic apponere opus sit, quos collegerunt Lipsius Manud. ad Phil. Stoic. lib. III diss. 11 sqq., Tiedemannus Syst. Philos. Stoic. III p. 270 sqq., Tennemannus IV p. 134 sqq., alii.

is enim est dictator) *Dictator est* etiam Spir. [B] et Bas. De antiqua dictatoris appellatione omnia nota; sed in ea *magister* dicitur, qui regit; Cicero ludendo ambiguae vocis alteram significationem, qua de doctore ponitur, assumit. [*Euphraten* pro *Euphratem* ex AB.] Paulo post Spir. *dicetur* (?).

76. *Nec expectet ullum tempus aetatis*) In ipsius sapientis actione significanda transit ad potentialem orationis formam (*nec, qui sapiens sit, expectet*). *Ullum tempus* sic dicitur, ut iudicium omnino differendum esse negetur in ullum aliud tempus, sed statim fieri debere; deinde magis definite et aperte excluditur, quam plerique expectari iubebant, mors. Inutiliter Th. Bentleius *ullum* in *ultimum* mutavit habuitque assentientes Davisium aliosque, e quibus Gzius longius progressus est, ut omnia haec verba: *cum extremum vitae diem morte confecerit* tolli

tremum vitae diem morte confecerit, quod ille unus e septem sapientibus non sapienter Croesum monuit. Nam si beatus umquam fuisset, beatam vitam usque ad illum a Cyro extructum rogum pertulisset. Quod si ita est, ut neque quisquam nisi bonus vir et omnes boni beati sint, quid philosophia magis colendum aut quid est virtute divinius?

4. *protulisset* LPMCR 5. *iuret* (pro *vir et*) E [*omnis* AEh] 6. [*aut quod* Eh]

vellet, quod post illud *ultimum* abundarent. Ne *morte* quidem erat cur Davisius deleri iuberet, quo addito gravius exprimitur eorum sententia, qui utique mortem expectari volunt; (nec *vitam* dixit, sed extremum vitae *diem*). De sententia et Solonis dicto vid. ad II, 87. Pro *ut tum* etiam Spir. [B] *virtutum*, Gud. 2 *nisi tutum*.

pertulisset) Sic Pal. 1, mg. Crat., cod. Mor., El. (2), Spir. [B] restituitque Davisius. *Beata vita* non *profertur* tamquam ultra suos terminos, sed *perfertur*, id est, retinetur et habetur. Seneca Ep. 50, 8: *Semel traditi nobis boni perpetua possessio est; non dediscitur virtus.*

M. TULLII CICERONIS

DE

FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBER QUARTUS.

ARGUMENTUM.

Initio libri Cicero, ut ostendat, nullam causam fuisse Zenoni, cur a veteribus Academicis et Peripateticis desciscens novam disciplinam conderet, exponit, quomodo illi philosophiam constitutam habuerint, e cuius tribus partibus ethicam primum differt (c. 2), tantum dicens, locum de re publica et rhetoricam a Zenone neglecta esse, quae illi diligentissime excoluerint (c. 3). Nec in dialecticis veteres a Stoicis vinci; quin artem argumentorum inveniendorum ab his prorsus omissam esse (c. 4). Physica illorum Stoicos fere in maximis rebus retinuisse et minus copiose esse persecutos (c. 5). Summum autem bonum, quod contineat philosophiam, veteres, planissime Polemonem, dixisse esse secundum naturam vivere; quod cum varias haberet interpretationes, illis eam placuisse, ut esset omnibus aut maximis rebus iis, quae secundum naturam essent, fruentem vivere, eumque fuisse Xenocratis et Aristotelis finem (c. 6). Cum enim homo ex animo et corpore constaret, et animi et corporis rationem eos habuisse, sed ita, ut animum infinita quadam laude corpori praeponerent;

animi autem bona virtutes esse, quarum semina a natura data essent (c. 7). Itaque Zenonem nihil attulisse novi nisi inania quaedam verborum discrimina (c. 8), quibus in urbem, in forum, in curiam aditus non sit; ibi ipsos Stoicos communi more loqui (c. 9). Iam Cicero propius ad ea, quae a Catone dicta erant, accedere conatur, illis, quae communia Stoicis sunt cum antiquis, quasi concessis utens. Quoniam igitur hanc primam habeamus a natura appetitionem, ut nosmet ipsos conservemus, ex animo autem et corpore constemus, ex his nos oportere ait finem summi boni constituere, ut sit eorum, quae sint secundum naturam, quam plurima et quam maxima adipisci (c. 10). Stoicos ab iisdem initiis profectos corpus et externa commoda deseruisse, cum tamen homo sit animal animo excellens, non solus animus (c. 11). Nec prorsus obscurari illa externa, ut Stoici dicant, etsi non magnum momentum faciant, et, etiamsi obscurentur, esse tamen in summa (c. 12). Nam summam aliquam faciendam esse omnium, quae secundum naturam sint. Praeterea omnium naturarum summum bonum simile esse debere; in ceteris autem animalibus id, quod extremum sit, ex tota eorum constitutione effici; idem igitur in homine fieri debere. Itaque Stoicis, si causam suam obtinere velint, dicendum esse, non omne animal primum se totum diligere et conservare velle, sed id tantum, quod in quoque optimum sit, quod fieri non posse (c. 13). Hominem talem sapientiae perficiendum esse, qualem a natura acceperit; accepisse autem eum totum, ex animo et corpore; neutrum neglegendum esse. Perfectionem hominis maxime laudari in eo, quod in homine optimum sit, id est, in virtute, sed priora, a quibus ad haec venerit, deseri non oportere; Stoicos, cum ad summum bonum pervenire velint, naturalis appetitionis oblivisci (c. 14). Virtus, tantum abesse, ut constitui non possit, si quidquam extra eam ad beate vivendum pertineat, ut introduci omnino non possit virtus, nisi omnia, quae legat quaeque reiciat, ad finem referat. Conservandam esse primam naturae institutionem et totam hominis naturam tuendam (c. 15). Itaque omnes errare, qui in una virtute finem ponant, quaeque Stoici de

virtute dicant, ea iis communia esse cum Pyrrhone et Aristone, quos non probent (c. 16). Male autem Stoicos, cum ad summum bonum ita pervenerint, ut a natura discedant, reverti ad naturam, ut inde agendi principia quaerant; nam omnia, quae appetantur, inesse debere in summo bono; nec officii rationem hominem impellere ad naturalia appetenda, sed ab iis et actionem et appetitionem commoveri (c. 17). Deinde Cicero ostendit, in consectariis Stoicorum, quibus efficere velint, omne bonum, quia laudabile sit, esse honestum, ceterisque ea ad concludendum sumi, quae non concedantur (c. 18). Acutis Stoicorum conclusiunculis verba corrigi, non mores emendari. Quod Stoici constantia totius doctrinae tanto opere glorientur, intellegi debere, cum falsa consequantur, initia illa, e quibus haec consequantur, ipsa falsa esse. Paradoxa initio magnifica visa esse, mox splendorem amisisse (c. 19). Ipsum Zenonem ea sic interpretando mollire, ut aliis verbis idem dicat, quod veteres; sed si sententia eadem sit, non dubitari posse, quin illi verbis commodius utantur; itaque de sententiis videndum esse (c. 20). Ab illis igitur beatam vitam constitui ex omnibus commodis, sed ita, ut longe ceteris virtus antecellat, nec plus corporis et externis bonis ab iis tribuatur quam a Zenone, qui ea bona non appellet (c. 21). Itaque de re nullam esse dissensionem; Zenonem verborum magnificentia esse delectatum; a quo veteres illos Catonem iure reposcere posse (c. 22); neque enim nisi inanium verborum differentiam interesse. Refutat deinde Cicero simile, quo Cato docuerat, omnes insipientes aeque esse miseros; levationem enim vitiorum fieri ostendit (c. 23—24). Et quod virtus crescere non posse dicatur, et ideo omnia vitia aequalia esse, potius ex inaequalitate vitiorum concludi debere, virtutem crescere (c. 24). In has omnes angustias Stoicos incidere propter gloriosam ostentationem. Nam tolli illa ratione officia et vitae actionem, ut ab Aristone; sed Aristonem simplicius agere, Stoicos versute inducere aliis nominibus eandem differentiam, quam veteres tenuerint (c. 25). Proëgmena illa et apoproëgmena eodem loco haberi, quo ab Aristotele et ceteris Platonis alumnis

bona corporis et externa (c. 26). Paradoxa, si quis propius aspexerit, nihil habere admirabile. Similia, quibus omnia peccata paria esse demonstretur, dissimilia esse (c. 27). Omnino Stoicos maxime eo vitio premi, quod duas contrarias sententias obtinere velint (c. 28).

I. 1. Quae cum dixisset, finem ille. Ego autem: Ne tu, inquam, Cato, ista exposuisti, ut tam multa, memoriter, ut tam obscura, dilucide. Itaque aut omittamus contra omnino velle aliquid aut spatium sumamus ad cogitandum; tam enim diligenter, etiamsi minus vere (nam nondum id quidem audeo dicere), sed tamen accurate non modo fun-

[Inscriptio in A haec est: *Incipit liber Quartus de finibus bonorum et malorum Marci Tullii Ciceronis*] 2. *ita* R [*uitam multa* A] *in vita multa* P *ut* om. LCROr. 3. [*in tam obscura* A] *vitam obscura* E *in vita obscura* P *ut* om. LCROr. 4. [*aliquod* Eh] 5. *etsi* LPCROr.

Cap. I, 1. *ut tam multa — ut tam obscura*) Ut Erl., sic Spir. [B] lineola aberrat altero loco (*vitam*); in Gud. 2 erat, ut in P nostro: *in vita — in vita*; scripturam leviter corruptam adiuvare aliquis voluit praepositione addita. Verum igitur restitui. *Ut* particula significat, cuius rei ratio habeatur in utraque laude Catoni tribuenda, quemadmodum cum dicimus: *ut illis temporibus* et similia; nam quod plerumque haec ita ponuntur, ut minuendi quandam vim habeant, cum aliquid alicui tribui significetur pro ea mensura, qua in hac illave re uti aequum sit, non aliena est levis haec laudis attenuatio, quod et Catonem laudans Cicero se laudat et quod sic rei difficultas magis ostenditur. Priores editores tenuerunt, quod codices deteriores habent, nec de ceteris bonis quidquam dixerunt.

sed tamen accurate) Quoniam pondus orationis erat in coniunctis verbis *tam diligenter*, in revocanda post parenthesin oratione etiam *tam* repetendum videtur fuisse. Non improbandi igitur Lambinus et Davisius, quorum ille *sed tamen tam*, hic *sed tam* scribendum putavit. *Etiamsi* pro *etsi* ex aliis codicibus non profertur, [est in AB]; *etiamsi* magis dubiam rem relinquit quam *etsi*. *Perdiscere* minus aptum visum est Lambino et Davisio, partim quod Cicero non nunc demum eam disciplinam discat, sed refellere aggrediatur et de huius rei

datam, verum etiam extructam disciplinam non est facile perdiscere. Tum ille: Ain' tandem? inquit; cum ego te hac nova lege videam eodem die accusatori respondere et tribus horis perorare, in hac me causa tempus dilaturum putas? quae tamen a te agetur non melior, quam illae sunt, quas interdum obtines. Quare istam quoque aggredere, tractatam praesertim et ab aliis et a te ipso saepe, ut tibi deesse non possit oratio. 2. Tum ego: Non mehercule, inquam, soleo temere contra Stoicos, non quo illis admodum

2. *tum ille an tandem* E *tune illam tandem* L *tene illam tandem* PCR 8. *non possit deesse* L *inquam* om LPCR 9. [*sole te* pro *soleo* A] *sole* E *solere* PCR *contra Stoicos temere* P

difficultate potius dicere debere videatur, partim quod imago, quae sit in verbis *fundatam* et *extructam*, non servetur. (Lambino *subvertere* aut *evertere* aut aliquid tale requiri videbatur.) Sed Cicero, quod iam Lambino in mentem venit, tamquam orator dicturus nondum se *causam* satis *didicisse* significat et praeterea, ne sine causa Cato tam multa dixisse videatur, modeste fingit, se quaedam nunc ab eo didicisse, ad quae consideranda spatio opus sit. Imaginum illam constantiam in his saltem libris non tam curiose sectatus est.

Tum ille: Ain' tandem) Sic mg. Crat., tum Vict. et ceteri deinceps, Grut. [ex A] et Dav. de codicibus tacentes; Spir. [B] ut Erl., proxime verum. Oxx. $\chi\psi$ *tene illam tandem*, Eξ *tum illam tandem*, Gud. 1, 2, Monac., Bas. *tunc illam* (Gud. 1, Bas. *illa*) *tandem*.

hac nova lege) qua Pompeius tertium consul (a. 52) breviorem iudiciorum formam constituit, ut eodem die ab accusatore et ab reo peroraretur, et duae horae accusatori, tres reo darentur; vid. Ascon. argum. Milon. p. 145 Hot. quaeque de ea lege, adhibitis ceteris testimoniis (Brut. 324, Plut. Pomp. 55, Appian. Civ. II, 23, Dion. Cass. XL, 52), exposui in disputatione de tribunis aerariis, Opusc. Acad. II p. 246. (Pro *videam* cod. Mor. *audiam*.) Deinde Cato Ciceronem, cum veram Stoicorum disciplinam impugnet, non bonam causam acturum dicit, similem earum, quas interdum in iudiciis oratorio artificio obtineat.

2. *Non mehercule, inquam, soleo*) *Inquam* addidit Crat. (in contextu), tum Davisius e tribus, Gzius ex omnibus (?) suis praeter Gud. 2; accedit Morel. [B]. Tum *sole* [B] habuit codex archetypus; *solere* Pall. 3, 4, 5, 6, Dav., Oxx., Gud. 1, Bas.

assentiar, sed pudore impedior; ita multa dicunt, quae vix intellegam. Obscura, inquit, quaedam esse confiteor; nec tamen ab illis ita dicuntur de industria, sed inest in rebus ipsis obscuritas. Cur igitur easdem res, inquam, Peripateticis dicentibus, verbum nullum est, quod non intellegatur? Easdemne res? inquit; an parum disserui, non verbis Stoicos a Peripateticis, sed universa re et tota sententia dissidere? Atqui, inquam, Cato, si istud obtinueris, traducas me ad te totum licebit. Putabam equidem satis, inquit, me dixisse. Quare ad ea primum, si videtur; sin aliud quid voles, postea. Immo istud quidem, inquam, quo loco quidque **, nisi iniquum postulo, arbitratu meo. Ut placet,

1. *dicunt ut vix* L 4. *cum* C *qui* (pro *igitur*) E 5. [*intelligitur* Eh] 6. [*deserui* A] 7. *a* om. E *universa fere* R *etiam* C *disserere* L *dissentire* C 8. *inquit* C 10. [*aliud quod* Eh] 11. *quidque* om. C *quo et quidque* om. Or. nec notam lacunae habet 12. *nisi iniquum* om. L *nisi inicium* E *postulo responde arbitratu* LPCR *postulo, respondere arbitratu* Or.

Emendatum, ut in L nostro, in Pal. 2 et Mead., in editt. inde ab Aldo. Paulo post *dissentire* ex ed. prima in alias venit; *dissidere* restituit Dav., ut erat in mg. Crat., Pall. 1 et 4, El., Parr. 1 et 3, tribus optimis Gzii, [B].

*quo loco quidque **, nisi iniquum postulo, arbitratu meo*) Edidi hunc locum, partim ut in longe plurimis, partim ut in optimis codicibus scriptus est, nisi quod lacunae notam addidi. Nam *quo loco quidque nisi* Pall. 1, 3, 4, 6, mg. Crat., ed. Marsi et, opinor, codices fere omnes; nam *quo loco* apud Dav. Parr. tres, Mead., Oxx. omnes, Gzii omnes, de *quidque* Davisius prorsus oblitus est dicere, in Oxx. EUξ pro *nisi* scribi *quidque* narratur errore. Gzius *quidque* e Gud. 1, *quodque* e Monacensi profert, de Erl. tacet, ut scias, quid de ceteris eius silentio tribuendum sit; Pal. 2 habebat *quin*, 5 *quidquam*, leviter aberrans. Ex his vestigiis manifesto perspicitur, hanc fuisse orationis formam: *Immo istud quidem, quo loco quidque visum fuerit* s. *occurrerit, nisi iniquum postulo, arbitratu meo.* In codice archetypo hic, ut aliquotiens, vox exciderat. *Istud* ita refertur ad id, quod a Catone positum erat (de rerum aut verborum dissensu), ut, cum Cicero se id ibi, ubi se quidque obtulerit, tractaturum dicat, hoc simul ad omnis disputationis formam pertineat, quam se suo arbitrio moderaturum significat, nisi ea postulatio Catoni iniqua videatur. Videamus nunc errores. Primum omissum est *quidque* fortasse in uno et altero

inquit; etsi enim illud erat aptius, aequum cuique concedere.

II. 3. Existimo igitur, inquam, Cato, veteres illos Platonis auditores, Speusippum, Aristotelem, Xenocratem, deinde eorum, Polemonem, Theophrastum, satis et copiose et eleganter habuisse constitutam disciplinam, ut non esset causa Zenoni, cum Polemonem audisset, cur et ab eo ipso et a

1. *enim* om. C 3. *igitur* om. C *auditores Platonis* E 5. *Ephorum* (pro *eorum*) L.

codice, in ed. prima, Victorii, aliis; deinde, ut Lambini violentum conatum omittam, duplex tentata est correctio; nam apud Ascensium (1511) et Manutium et ceteros ante Gzium scribitur: *Immo isto quidem, inquam, loco, nisi*, prorsus contra sententiam; neque enim Cicero se eo, quo Cato iusserat, loco hanc controversiam tractaturum ait, ne quid dicam de *immo* et *quidem*; Gzius autem edidit: *Immo istud quidem, inquam, loco, nisi* (et sic in ed. a. 1480 Orellius esse ait, modo recte attenderit). Sic prorsus a codicibus disceditur eaque delentur, quae nullo modo addita a librariis esse possunt. Nec, quod rem recte collocatam laudantes Latini *loco* (apto) positam interdum dicunt, continuo, cum suo aliquid loco reservari volo, dicere licet: *Istud loco*. In altera parte antiquior interpolatio est; nam cum deteriorum codicum principis librarius non intellegeret, *arbitratu meo* cum prioribus coniunctum esse, addidit *responde*, quod in cod. archetypo non fuisse, satis declarant [A,] Erl., Spir. [B], mg. Crat. Hoc quia ineptum erat (neque enim Cicero Catonem respondere vult, sed ipse ei suo arbitratu respondere), Davisius *respondere* scribi iussit, quam interpolationis occultationem praeceperant Ox. χ et ed. a. 1480, secutusque Orellius est; ceteri editores *responde* tenuerunt. *Nisi iniquum postulo* eodem modo interponitur, quo: *nisi molestum est*, et similia.

etsi enim illud cet.) Aptius Cato putat futurum fuisse, quod ipse fieri voluerat, sed aequum esse in tali re *cuique concedere*, id est, suam cuique libertatem relinquere. Cum in ed. prima et deinde apud Manutium et Lambinum excidisset *enim* (quod Gruterus ex omnibus Pall., Davisius ex suis revocavit), propterque eam causam Manutius *aequum* accusativum putasset (*erat aptius, aequum cuique concedere*), mire et is et alii editores coniecturis luserunt.

superioribus dissideret; quorum fuit haec institutio, in qua animadvertas velim, quid mutandum putes, nec expectes, dum ad omnia dicam, quae a te dicta sunt; universa enim illorum ratione cum tota vestra confligendum puto. 4. Qui cum viderent, ita nos esse natos, ut et communiter ad eas

2. [*imitandum* Eh] *putes mutandum* LCROr. 3. *ante* [A]ELPC *universam — rationem* L 5. *viderunt nos ita* C

Cap. II, 3. *quorum fuit haec institutio*) Paulo brevius *institutionem* dixit universam formam disciplinae et descriptionem institutam, quemadmodum § 19: *ab hac antiqua constitutione*. *Mutandum putes* etiam Spir. [B ut Eh], edd. Crat. et Vict.; ceterae inverse. Mox in archetypo fuit *ante dicta* (ut in ξχψ, Gzii omnibus, [B]); recte post R scriptum est a Manutio et ceteris omnibus. Alterum h. l. necessario superiorem ipsius Ciceronis orationem demonstraret; cfr. ad § 24; § 73 aberratum non est.

4. *Qui cum viderent* cet.) Ita hanc expositionem promiserat illis verbis: *quorum fuit haec institutio*, ut expectaretur liberum orationis initium (*cum viderent* cet.); sed cum interiecta essent illa: *in qua animadvertas* cet. positumque *illorum ratione*, his Cicero ipsius expositionis exordium relativo pronomine adiunxit. Est haec illius generis, in quod frequenter incidit, ut, superiore et primaria orationis forma neglecta, ad ea, quae interposita sint, reliqua accommodet, species una e multis. Deinde quomodo totius eius, quae sequitur, periodi formam (quae sic procedere debebat: *cum viderent ita nos esse natos*, *ut et — apti essemus*, — *et eas ipsas — appeteremus*, *haberemus etiam* —, *totam* cet.) Cicero mutaverit dissoluta partitione, dictum est in excursu ad I, 23 (IX). Conatur Cicero ostendere, tripertitam philosophiae divisionem, quam Sextus Emp. VII adv. Math. 16 Xenocrati et Peripateticis tribuit (nam neque Plato neque Aristoteles ipsi ita descriptam habuerunt, etsi id inferioris aetatis scriptores quidam tradunt et ipse Cicero Acad. I, 19), ex humanae naturae elementis ortam esse. Physicae tamen et dialecticae originem perbreviter et communiter significavit (*habere etiam insitam quandam cupiditatem scientiae*), eamque significationem mediam interposuit inter ea, quae ad moralem partem pertinent; ea enim societatem generis humani complectitur. Virtutes autem postquam duas nominavit, iustitiam et temperantiam, addit *ceteras eiusdem generis* (sic enim pro *ceterasque* Gzius etiam e Spir. [AB], cfr. 35 et V, 18), quas proclive est duas reliquas e quattuor primariis, prudentiam et fortitudinem, intellegere, ut Gzius facit. Videtur tamen mihi aliud

virtutes apti essemus, quae notae illustresque sunt, iustitiam dico, temperantiam, ceteras generis eiusdem (quae omnes similes artium reliquarum materia tantum ad melio-

2. *ceterasque* LPCR

aliquid hoc loco obversatum animo Ciceronis esse. Nam scientiae cupiditatem, quae a prudentia non facile separatur, postea commemorat et ab his virtutibus seiunctam quodam modo in altera parte ponit; idemque facit § 18, ut, fortitudine antea (17) significata, tamquam extra coetum, omnem honestatem, quae e principiis naturae ducatur, absolvat partim contemplatione rerum occultarum et disserendi cupiditate, partim, ut hic, iustitia et temperantia. Perspicuum mihi videtur, utroque loco Aristotelis et Peripateticorum divisionem *τῆς διανοητικῆς καὶ τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς* significari, de qua hic satis erit agentem demonstrasse Ritterum in Hist. Philos. III p. 302 sq. et de Peripateticis post Aristotelem Stobaeum Ecl. Eth. p. 246 et 292. Quod autem virtutis ethicae duas praecipuas species ponit, eam eius divisionem, quamquam, qui Graece eam exposuerit, non habeo nominare, usitatam tamen fuisse, manifestum est ex II Off. 18, ubi omnis virtus dicitur verti aut in perspiciendo (*διανοητική*) aut in animi motibus cohibendis (quae temperantia est, altera pars *τῆς ἠθικῆς ἀρετῆς*) aut in hominibus moderate utendis (iustitia, altera pars *τῆς ἠθικῆς*). Obscurarunt eum locum Goeringius et Beierus, dum ad ipsius Aristotelis formam accommodare student, qui nulla certa ethicae virtutis partitione utitur; magis tamen aberrat Petersenius in Philosoph. Chrysipp. Fundam. p. 260, negans, illo loco virtutis divisionem tradi. Eodem spectant, quae in Partitionibus Oratt. § 76—78 traduntur, etsi ibi minus accurate temperantiae nomine omnis virtus ethica (quae *in agendo est*) comprehenditur, huiusque altera species ponitur, quae ad alios pertineat et in communione versetur, iustitia. Huiusmodi igitur divisionem hoc loco Ciceronis animo obversatam esse credo, qui *ceteras eiusdem generis* non alias primarias, sed partes et species his subiectas, velut aequitatem, beneficentiam, alias, intellexit, quemadmodum V, 36, nominatis quattuor primariis virtutibus, quae omnem virtutis vim continent, tamen addidit: *et reliquas eiusdem generis.* Ea autem, quae post scientiae cupiditatem sequuntur de communitate generis humani, cadunt sub iustitiae notionem, sed a Cicerone seorsum ponuntur, quod meminerat, locum de rebus publicis copiose a veteribus illis pertractatum esse.

quae omnes similes reliquarum artium cet.) Similitudinem

rem partem et tractatione differunt), easque ipsas virtutes viderent nos magnificentius appetere et ardentius, habere etiam insitam quandam vel potius innatam cupiditatem scientiae, natosque esse ad congregationem hominum et ad societatem communitatemque generis humani, eaque in maximis ingeniis maxime elucere, totam philosophiam tres in partes diviserunt, quam partitionem a Zenone esse retentam videmus. 5. Quarum cum una sit, qua mores conformari putantur, differo eam partem, quae quasi stirps est huius quaestionis; qui sit enim finis bonorum, mox; hoc loco tantum dico, a veteribus Peripateticis Academicisque, qui re consentientes vocabulis differebant, eum locum, quem

1. *et* om. C *tractationem* R 3. *etiam* om. L *insitamque* [A]P *velud potius* E 4. *et* om. C 5. *maxime in maximis ingeniis* R 6. [*tris* A] 7. *a Zenone* om. P *retentam esse* LPCROr. 8. *ita* (pro *una*) L [*quam oris* Eh] *confirmari* [A]EPCR 10. *quis sit* E 12. *in re* C *illum locum* E

virtutum et artium veteres saepe commemorant; cfr. II, 115, III, 49, IV, 67; ostendit igitur, virtutes et materia, quod πάθη et ὁρμάς moderentur, et tractatione, quod ea boni et honesti notione in communibus actionibus regant, differre in meliorem partem, ut splendidiores sint quam artes. Eodem pertinet, quod sequitur, magnificentius nos virtutes (quam artes) appetere. Haeserunt Lambinus et Davisius.

esse retentam) Sic etiam Spir. [AB]. Tollitur sic hexametri versus exitus, etsi eum Cicero ne in orationibus quidem semper vitavit (vid. Zumptius ad act. I in Verr. 19), nedum hic.

5. *qua mores conformari*) Codex archetypus habuit *confirmari* (mg. Crat., Pall. et Gzii omnes, EUψ, [B]); emendavisse videtur Aldus Manutius. Ethica mores non confirmat, sed constituit et, quales esse debeant, quaerit et praecipit, hoc est, conformat. Confusio horum verborum multis locis annotata est. [*Quis sit* etiam B; cfr. ad I, 11.]

qui re consentientes cet.) Antiochi sententia, qui interiorem disciplinarum proprietatem parum curabat, Cicero, ut semper, utitur (Legg. I, 38: *Aristotelem et Theophrastum, cum Speusippo, Xenocrate, Polemone congruentes re, genere docendi paulum differentes*, Acad. I, 18 et 22, Off. III, 20). *Illum locum* etiam Spir. [B]. *Graeci* Crat. et Vict., tum Ernestius; confirmant „tres optimi" Gzii [AB]. Ceteri *Graece*, nec quidquam e codicibus annotarunt. [De verbo omisso cfr. III, 55.] Quanto opere in hoc civili loco Peripateticorum industria Stoicorum praestiterit, commemoratur etiam Legg. III, 14.

civilem recte appellaturi videmur (Graeci *πολιτικόν*), graviter et copiose esse tractatum.

III. Quam multa illi de re publica scripserunt! quam multa de legibus! quam multa non solum praecepta in artibus, sed etiam exempla in orationibus bene dicendi reliquerunt! Primum enim ipsa illa, quae subtiliter disserenda erant, polite apteque dixerunt, tum definientes, tum partientes, ut vestri etiam; sed vos squalidius; illorum, vides, quam niteat oratio. 6. Deinde ea, quae requirebant orationem ornatam et gravem, quam magnifice sunt dicta ab illis, quam splendide! de iustitia, de temperantia, de fortitudine, de amicitia, de aetate degenda, de philosophia, de capessenda re publica, hominum *non* spinas vellentium, ut

1. *appellamus* (pro *appellaturi videmur*) C *Graece* PCR 3. *publica* om. E *quam — legibus* om. L 7. *polite atque dixerunt* E *cum definientes* PCR 8. *eorum* C 11. *de temperantia* om. omnes, Or. 12. [*de amicitia* om. Eh] 13. *re publica de temperantia de fortitudine hominum* (*homini* E) *de spinas* (*spinis* LPCR) omnes *re publica, de temperantia;* *nec more hominum acu spinas* Or.

Cap. III. *quam multa — bene dicendi reliquerunt*) Rhetoricam, quae cum philosophia parum firmo vinculo coniungebatur, Cicero hic propter usum eloquentiae in regendis hominibus ad civilem locum adiunxit, qui ipse in morali parte est; alibi (V, 10, Acad. I, 32, Legg. I, 62) cum dialectica coniungit, qui ei locus assignabatur ab iis, qui eam philosophiae partem faciebant, etiam a Stoicis (vid. Diog. Laërt. VII, 41 et 42, Senec. Epist. 89, 17). *Artes* quas dicat, expositum est ad III, 4; his, quibus praecepta bene dicendi continebantur, contrarias ponit orationes, quae exempla erant, eorum Peripateticorum, qui etiam oratores fuerant, ut Demetrius Phalereus (cfr. V, 7: *ab his oratores — extiterunt*). Quamquam autem contrarii causa *orationes* nominavit, deinde tamen, quasi universe *libros* dixerit, omnem Peripateticorum scribendi rationem laudat. Aberrarunt Gzius et Orellius. Mox *tum definientes*, quod Gzius ex Oxx. Eξ et tribus optimis suis codd. [AB] posuit, tenui, quod ita interpretor, utrumque eos suo tempore fecisse, ut tum definirent, tum autem partirentur.

6. *de temperantia, hominum spinas vellentium*) [Sic edideram.] In describendo Stoicorum disserendi genere imaginem sumpsit a chirurgis lente et caute et minutatim artem exercentibus; sed simul eas res elegit, quarum nomina aliam obicerent

Stoici, nec ossa nudantium, sed eorum, qui grandia ornate

imaginem in oratione notanda usitatam. Nam *spinas vellere* et *ossa nudare*, carnibus resectis, chirurgi est; sed praeterea legenti disserendi spinae et definiendi partiendique et spinosum dicendi genus occurrunt et oratio exilis, ossa, non carnem neque sangvinem habens (Brut. 68). Verba Ciceronis in codice archetypo corrupta erant; sic enim scriptum ibi erat, ut est in optimis (Pal. 1, Spir. [B], mg. Crat.): *de cap. r. p. de temperantia de fortitudine hominum de spinas vellentium* (*homini* solus Erl. proprio mendo). Hinc in cod. Mor. et deterioribus (etsi ex Uξ non annotatur) factum *de spinis*, quod erat in editionibus ante Gruterum, nulla sententia. In cod. El. (1) audacter et inepte scriptum est: *de animis hominum spinas vellentium.* Apparet voces *de fortitudine* nescio quo errore ex superioribus repetitas esse, nec alia est origo praepositionis *de* ante *spinas.* Ne illud quidem obscurum, in his verbis negationem deesse, cum haec sit sententia, veteres illos oratione non similes fuisse hominum spinas vellentium. Sed praeterea in genetivo editores haeserunt. Itaque, ut omittam violentos Lambini conatus, Marsus edidit: *de temperantia*, *nec more hominum vellentium spinas* (hoc ordine, sed *vellentium de spinas* etiam cod. Bas.), manifesto coniecturam sequens, idque Gzius ascivit. Inutiliter hoc Heinrichius (ad Cic. Oratt. part. ined. p. 17 ed. Kilon.), quem Orellius sequitur, exornavit addita voce *acu*, e qua quomodo *de* oriri potuisse putarit, miror. Melius, si supplemento opus esset, alii apud Lambinum: *more hom. non spinas vell.* Cicero solum genetivum paulo liberius superioribus adiunxit significans, haec, quae dicerent illi, hominum esse non spinas vellentium, qui prorsus legitima appositione adiungeretur, si ante scriptum esset: *quam magnifica sunt!* (*Haec sunt magnifica, hominum non* cet.). Nunc etsi paulo aliter dixit (*quam magnifice sunt dicta*), tamen pluribus interiectis tamquam ad illam formam haec accommodavit. Post *hominum* facillime *non* excidere potuit. Sed alia nascitur suspicio. Nam voces *de temperantia* incommode extremo loco positae sunt, ac potius haec virtus cum ceteris (*iustitia*, *fortitudine*) coniungenda erat, ut ab harum singularum virtutum praeceptis deinde oratio ascenderet ad praecepta de aetate degenda, de universa philosophia, cet. Iam cum in codicibus sic scriptum sit: *de temperantia*, *de fortitudine*, suspicor, sic Ciceronem scripsisse: *de iustitia*, *de temperantia*, *de fortitudine*, postrema autem quattuor verba errore in inferiorem locum detrusa esse, sed duo (*de fort.*) aut simul suo loco scripta fuisse aut postea eo retracta. [Hoc nunc tam certum visum est, ut sic ediderim,

vellent, enucleate minora dicere. Itaque quae sunt eorum consolationes, quae cohortationes, quae etiam monita et consilia, scripta ad summos viros! Erat enim apud eos, ut est rerum ipsarum natura, sic dicendi exercitatio duplex. Nam quidquid quaeritur, id habet aut generis ipsius sine personis temporibusque aut, iis adiunctis, facti aut iuris aut nominis controversiam. Ergo in utroque exercebantur; eaque disciplina effecit tantam illorum utroque in genere dicendi copiam. 7. Totum genus hoc Zeno et qui ab eo sunt, aut non potuerunt aut noluerunt, certe reliquerunt. Quamquam

1. *quae* ante *sunt* om. EC   5. *id* om. P   6. *hiis* E *his* [A]Or. 7. [*ego* A] 8. *efficit* [A]EC 9. *hoc et Zeno* PCBOr. *et ab eo qui* LCBOr. 10. [*voluerunt* Eh] [*relinquerunt* A]

quod fecit iam Baiterus.] Annotandus deinde nominativus (*ut Stoici*) in comparando sic interpositus, ut non conveniat cum primariae sententiae forma, sed ἀπὸ κοινοῦ audiatur *faciunt.* Exempla eius generis ascripsi ad II, 17. [Apud Graecos hoc multo fit frequentius et liberius.]

Nam quidquid quaeritur cet.) Notas et tritas in rhetorum scholis divisiones attingit, primum quaestionis generalis (τῆς θέσεως) et causae (τῆς ὑποθέσεως) (vid. de Invent. I, 8, de Orat. I, 138 et II, 65, Orat. 46, ubi Aristotelis disciplina commemoratur, Topic. 79 et Partit. 61, ubi θέσις *propositum* appellatur, al.), deinde generum controversiae, ex quibus status oriuntur, quae Cicero hic ut in Orat. 45, de Orat. II, 104 et 113 tria facit; quanta apud alios et in aliis ipsius Ciceronis libris dividendi diversitas sit, persequitur Quintilianus lib. III, 6, 31 sqq. [*Efficit* etiam B, errore pervagato.]

7. *Zeno et qui ab eo sunt*) Editum hactenus est: *et Zeno et ab eo qui* cet., inepta distractione; nam Zeno cum sua schola Peripateticis et Academicis contrarii ponuntur. Cfr., quae dixi ad II, 63. Ut edidi, erat etiam in Spir. [B], quamquam de eo et Erl. Gzius erravit. 'Ordinem hunc verborum (*qui ab eo sunt*) in tribus optimis esse ait [B]. De usu locutionis *esse ab aliquo* dixit Handius in Turs. I p. 36.

aut non potuerunt aut noluerunt, certe reliquerunt) Memorabilis haec est orationis figura; nam cum Cicero sic posuisset *non potuerunt aut noluerunt*, ut infinitivus eruendus esset ex sequenti verbo finito (velut *tractare*, si subiceretur: *certe non tractarunt*), hoc ipsum verbum cum negatione in unum contrariae notionis verbum conflavit: *certe reliquerunt*, ut zeugmatis singularis spe-

scripsit artem rhetoricam Cleanthes, Chrysippus etiam, sed sic, ut, si quis obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat. Itaque vides, quomodo loquantur. Nova verba fingunt, deserunt usitata. At quanta conantur! — Mundum

2. *cupierit* L *concupiet* C 3. *quo loqu.* C *quo loqu.* R 4. *aut* E *conatur* Or.

cies existat, cuius exemplum prorsus simile non reperio. *Relinquere* eadem significatione ponitur infra § 9, I, 18, Legg. I, 6. (Gzius et Otto putant *totum genus* pendere ab ipso verbo *potuerunt*. Scilicet dicitur *multum*, *nihil possum*; quidni etiam *hoc genus non possum*, id est, tractare non possum?) De Chrysippi arte rhetorica cfr. de Orat. I, 50.

At quanta conantur cet.) Primum universe Cicero ironice, quanta quamque magnifica Stoici dicendi argumenta suscipiant, admiratur. Deinde unam aliquam huiusmodi splendidam materiam exempli loco ponit. Ea posita obicitur animo unus aliquis Stoicus de tali materia dicens; itaque de hoc dicitur *incendit*, *incendat*, *restingvet*. Non recte Davisii Ernestiique sententiam et edit. a. 1480 sequens Orellius scripsit *conatur*, ut Zeno significetur, quem Cicero a ceteris non segregavit. Prorsus necessario illa admiratio et αὔξησις, quae significatur particula *at*, in iisdem personis manere debet, de quorum dicendi forma proxima superiora dicuntur (*loquantur*, *fingunt*, *deserunt*). Transitus ille alter ex eo est genere, de quo ad II, 22 dixi, similiterque post *eos*, *qui audiunt* subicitur *ardentem*. Sed deinde manifestum est, in codicum scriptura sententiarum ordinem non recte procedere; illa enim, quae ad magnitudinem rei augendam pertinent (*vides*, *quantam rem* cet.), subici necessario debent ipsi rei declarationi: *Mundum* — *nostrum*, et tum demum addi, quid ex eo consequi videatur: *Incendit igitur* cet. Deinde haec vehemens negatio: *Quid? ille incendat?* necessario subici debet affirmationi. Itaque iure Davisius et Matthiaeus, quos Gzius et Orellius sequuntur, haec verba: *Incendit igitur* — *audiunt* inter *existimet* et *Quid? ille* cet. ponenda putarunt, confirmante illa, quam primam attigi, numeri mutatione. [Itaque hanc correctionem, quam antea probaram cum dubitatione aliqua, nunc ascivi; neque in meliorum codicum (etiam B) scriptura *incendi* quidquam nisi mendum esse puto.] Vitiose autem, tamquam ipse Cato fingatur hanc materiam dicendi persequi, dicitur: *vides*, *quantam rem a g a s*, sive ἀποφαντικῶς hoc profertur, sive interrogative, ut Cicero quaerat, animadvertatne. Nam Cicero in toto hoc loco Catonem a Stoicis separat et cum eo de iis tamquam seiunctis loquitur (ut paulo ante: *Itaque vides*, *quo-*

hunc omnem oppidum esse nostrum. Vides, quantam rem agat, ut, Circeiis qui habitet, totum hunc mundum suum municipium esse existimet. Incendit igitur eos, qui audiunt. Quid? ille incendat? Restingvet citius, si ardentem acceperit. Ista ipsa, quae tu breviter, regem, dictatorem, divitem solum esse sapientem, a te quidem apte ac rotunde; quippe; habes enim a rhetoribus; illorum vero ista ipsa quam exilia de virtutis vi! quam tantam volunt esse, ut beatum per se efficere possit. Pungunt enim, quasi aculeis, interrogatiunculis angustis, quibus etiam qui assentiuntur, nihil commutantur animo et iidem abeunt, qui venerant; res enim fortasse verae, certe graves, non ita tractantur, ut debent, sed aliquanto minutius.

IV. 8. Sequitur disserendi ratio cognitioque naturae; nam de summo bono mox, ut dixi, videbimus et ad id explicandum disputationem omnem conferemus. In his igitur

1. *nostrum. Incendit* (*incendi* [A]E) *igitur* (*ergo* E) *eos*, *qui audiunt. Vides* omnes *quanta res* E 2. *agas* omnes *ut Circeüs* om. E *Circelis* P *certe is* L *Cereolis* C *mundum totum hunc* E *totum* om. R 3. *existimet quid*, mediis omissis, omnes 4. *restingvet* om. E *potius* R 5. *quae tum* E *regem* — *rhetoribus* Nonius p. 164 6. *atque rotunde* L *et rot.* R 9. *enim* om. [A]LPCROr. 10. [*interrogati vinculis* Eh] 11. *nisi* (pro *nihil*) C [*idem* A] 13. [*aliquando* Eh] 16. *iis* (P) *hiis* E

modo loqu.); et necessario haec rei, quae agitur, magnitudo in ea persona notari debet, quae incendatne an non incendat, quaeritur; atqui de ea *incendit*, *restingvet* dicitur. Itaque et veteres quidam editores (Ven. 1480, Crat., qui in mg. habet *agas*, Man., Lamb.) et nuper Davisii coniecturam sequentes Schuetzius et Orellius *agat* scripserunt, meo iudicio recte, ut iam hic transeatur ad incerti illius, qui animo occurrat, Stoici personam. Aut ex Erl. [B] efficiendum erit: *quanta res agatur*, ut sequens *ut* syllabae *tur* nocuisse putetur. (*Potius* pro *citius* Dav. ex El. (1), Mead., Ball.)

a te quidem apte et rotunde, — *illorum vero ista ipsa*) Potuit pergere eadem forma: *ab illis vero* — *quam exiliter*; sed post brevem parenthesin repetitis verbis *ista ipsa* orationem mutavit.

Pungunt enim) *Enim* Gzius in Bas. et Gud. 2 addi narrat; oblitus est Erl. appellare et sine dubio Spir. [B]. Particula non tam causam quam explicationem significat.

Cap. IV, 8. *In his igitur partibus duabus*) *Duabus* omittit

partibus duabus nihil erat, quod Zeno commutare gestiret; res enim se praeclare habebat, et quidem in utraque parte. Quid enim ab antiquis ex eo genere, quod ad disserendum valet, praetermissum est? qui et definierunt plurima et definiendi artes reliquerunt, quodque est definitioni adiunctum, ut res in partes dividatur, id et fit ab illis et, quemadmodum fieri oporteat, traditur; item de contrariis, a quibus ad genera formasque generum venerunt. Iam argumenti ratione conclusi caput esse faciunt ea, quae perspicua dicunt; deinde ordinem sequuntur; tum, quid verum sit in singulis, extrema conclusio est. 9. Quanta autem ab illis varietas argumentorum ratione concludentium eorumque cum

1. *duabus* om. E [*commotare* A *commota registire* Eh] 2. *si* (pro *se*) E *praeclare se* LPCROr. *habeat* [A]E *habent* LPCROr. 4. [*diffinierunt* A *diffiniuerunt* Eh] 6. *tres* PCR 7. *oportet* C 8. [*uenenqrunt* A] *devenerunt* C 9. *eaque perspicua* omnes 11. *est* om. C [*quantam* Eh]

etiam Spir. [B]. Excidisse potius in his codicibus puto quam in ceteris additum esse; cum breviter Cicero et coniuncte disserendi rationem cognitionemque naturae nominasset, significat, has esse duas partes e tribus. [Mox *habebat* Baiterus recte effecit ex *habeat* (etiam B), unde in deterioribus factum erat *habent*. Idem in mentem venerat Ernestio.]

ad genera formasque generum venerunt) *Devenerunt* ex ed. prima ad Man. et deinceps proximos propagatum est. Correxit Dav. e quattuor suis codd. (Oxx. et Gzii omnibus, [B]).

caput esse faciunt ea) Insolenter hic poni *esse faciunt*, Bremius recte sensit, quoniam alibi fere de iis ponitur, quae libere fingantur aut in narrando inducantur, ut I N. D. 19 (ubi Epicurus de Platone loquitur) et 83 et III, 41, de opt. gen. orat. 17; hic de decreto et sententia dicitur. Sufficeret sane *caput faciunt ea, quae.* [Quod video alicui placuisse: *caput certe faciunt ea*, nihil omnino ei adverbio hic loci est.] (*Eaque*, quod ante Man. edebatur, reapse non differt.) *Perspicua* dicit πρόδηλα sive ἐναργῆ (Sext. Emp. Pyrrh. Hyp. I, 138 et II, 97 et 98, adv. Math. VIII, 141). Ordo, quem Cicero dicit, spectatur in iis, quae concludendi causa sumuntur, coniungendis et connectendis. Concluditur ad extremum, quid verum sit, non, ut Gzius intellegit, in his ipsis, quae sumpta sint (in propositione maiore et minore), sed in singulis rebus, quae ad quaerendum propositae sint.

9. *argumentorum ratione concludentium*) Neque argumentum

captiosis interrogationibus dissimilitudo! Quid, quod pluribus locis quasi denuntiant, ut neque sensuum fidem sine ratione nec rationis sine sensibus exquiramus atque ut eorum alterum ab altero *ne* separemus? Quid? ea, quae dialectici nunc tradunt et docent, nonne ab illis instituta sunt?

1. *plurimis* E 3. *nec rationes* C *sine* om. [A]E *ut* om. Or. 4. *ne* om. omnes, Or.

ipsum concludere alibi dicitur, sed concludi, neque ratione concludere, sed rationem (vid. ad I, 30); sed argumenta concludentia Cicero appellat, quae conclusionem contineant et efficiant, *ratione* addit, ut recte et vere factam conclusionem distingvat a captiosa. Cogitavit Cicero de Aristotelis Analyticis et libro περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων. Oratio paulo duriorem omissionem verbi habet, cum in priore membro magis intellegatur, varietatem hanc inventam ab illis esse, in secundo, ita traditam. ut simul dissimilitudo explicaretur. Mox etiam [B et] mg. Crat. habet *plurimis locis*; vid. ad I, 15.

nec rationis) Mendum ed. primae fere ad omnes ante Gruterum propagatum est. Is correxit ex omnibus Pall. [*Sine* omittit etiam B; exciderat in archetypo propter syllabarum similitudinem. Denuntiationes illas Cicero sine dubio apud Antiochum legerat similes fere iis, quae de Platonicis Sextus Empir. habet adv. Mathem. VII, 143 et 144, de Peripateticis 217 sqq., 226.]

atque ut eorum — ne separemus) In codicum scriptura: *atque ut eorum alterum ab alterò separemus* apertissime contrarium dicitur, atque debet; itaque olim Marsus, Iunta, Crat., nuper Gzius, sequens paucissimos et malos codices (Pal. 3, Bas., Gud. 1), *ut* sustulerunt atque hoc superioribus adiungi voluerunt hac sententia: atque sic eorum — separemus. Id aliquo modo ferri poterat, si superior oratio negativam formam haberet (*denuntiant, ne aut — aut*), ut vis particulae *ne* pertineret ad *atque*, etsi sic quoque Latina consvetudo potius negative hanc continuationem adiungi iuberet. Nunc cum affirmativam formam prior sententia habeat (*denuntiant, ut*), deinde negative dividatur (*neque — nec*), prorsus illa interpretatio evertitur. Verum vidit Lambinus, particulam negativam verbo adiunctam excidisse. (Davisius *neque eorum.*) Praeterea, quoniam dicitur: *denuntio, ut ne facias*, non: *ut non* (cfr. Wesenbergius Observ. Critt. ad orat. pro Sest. p. 36), scribendum videri possit: *ut neve sensuum — neu rationis.* Et erat sane id legitimum; servatam semper esse regulam in hac diiunctione negationis, non audeo affirmare. [Lael. 40, Off. II, 85.]

instituta sunt? [*inventa sunt?*]) Retinui cum Dav., quod in

[inventa sunt?] De quibus etsi a Chrysippo maxime est elaboratum, tamen a Zenone minus multo quam ab antiquis; ab hoc autem quaedam non melius, quam veteres; quaedam omnino relicta. 10. Cumque duae sint artes, quibus perfecte ratio et oratio compleatur, una inveniendi, altera disserendi, hanc posteriorem et Stoici et Peripatetici, priorem autem illi egregie tradiderunt, hi omnino ne attigerunt quidem. Nam e quibus locis quasi thesauris argumenta depromerentur, vestri ne suspicati quidem sunt, superiores autem artificio et via tradiderunt. Quae quidem ars efficit, ne necesse sit

1. *inventa sunt* om. L *et inventa* Or. sine uncis 2. *tum* E 4. *perfecta* E 7. *non* (pro *ne*) L 10. [*ars* om. A] *res* ceteri. Or. *effecit* LPOr. *affecit* R *ne* om. [Eh]R

omnibus, praeter L nostrum, codd. (Grut., Dav., Oxx., Gzii) scriptum est; neque enim hoc ex eo ortum esse potest, quod inde a Iunta substituerunt: *instituta sunt et inventa.* Nec tamen ullo modo in hac orationis forma ferri asyndeton illud et verbi substantivi geminatio potest. (Debebat saltem dici: *nonne inventa?* sed nihil omnino est, cur haec sic distrahantur.) Itaque prorsus credo teneri hic antiquum interpretamentum ascriptum ad verbum *instituta*, quod significat, ab illis primum haec tractata esse et formam accepisse (cfr. ad § 3). [Ut L iam ed. 1496 et Ascens. 1511.] Proxima sic cohaerent: Quamquam Chrysippus Stoicus in dialecticis ita elaboravit, ut aliquid propriae laudis in hac parte Stoici habere videantur, Zeno tamen, de cuius cum superioribus comparatione et ab iis discessione quaeritur, multo minus in hoc genere elaboravit quam veteres. Ab ipso autem Chrysippo (*ab hoc*, qui praeter ceteros excellit) quaedam non melius docentur et traduntur, quam veteres tradiderant. Nominativus *veteres*, in quo Lambinus et alii haeserunt, minus habet offensionis, quod, cum verbum in tota hac sententia ἀπὸ κοινοῦ assumatur, activum non minus facile succurrit. [Cfr. ad II, 17. *Tum* pro *tamen* etiam B.]

10. *priorem autem illi* cet.) Notabiliter *illos* dixit, quos propius nominarat, *hos*, quos prius. Sed tempore et cognitione propiores erant Stoici quam *veteres* illi; cfr. § 12. Topica Aristotelis significari et ita laudari, ut oratorem magis audias quam philosophum, apparet. [B *perfectam.*]

Quae quidem ars efficit) [Sic nunc scripsi, una littera detracta additaque. Nam et *res* — *rebus* non bene concurrunt et minime aptum est ad inventionem artis significandam *rei* nomen, ad artem vero ipsam multo minus; hanc autem intellegi ostendit etiam restitutum ex ABErl. praesentis temporis verbum, quod cum

iisdem de rebus semper quasi dictata decantare neque a commentariolis suis discedere. Nam qui sciet, ubi quidque positum sit quaque eo veniat, is, etiamsi quid obrutum erit, poterit eruere semperque esse in disputando suus. Quod etsi ingeniis magnis praediti quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur, ars tamen est dux certior quam natura. Aliud est enim poëtarum more verba fundere, aliud ea, quae dicas, ratione et arte distingvere.

V. 11. Similia dici possunt de explicatione naturae, qua *et* hi utuntur et vestri, neque vero ob duas modo causas, quomodo Epicuro videtur, ut pellatur mortis et religionis metus; sed etiam modestiam quandam cognitio rerum

2. *commentatoribus* R 5. *quod si* C- *magis* L 6. *consequitur* E *est* om. E 7. *enim est* R 10. *que* E *et* om. omnes, Or. *hic* [A]E *ii* L 11. *quod Epicuro* ELPCROr. *et pellatur* E *ut appellatur* R

a Manutio ceteri ex ed. prima tenuissent, Gzius ex Eξ suisque, ut ait, omnibus *effecit* posuit; errasse eum de melioribus apparet. Baiterus in ed. min. secutus cod. A omisit totum nomen; sed id errore omissum esse ut multa in illo codice, ostendit deteriorum cum Erl. et B consensus. Nec artis nomen ex proximis (*artificio et via*) audiri potest.] Verbo, quod est *efficio*, sunt qui tradant, a Cicerone eiusque aequalibus semper *ut ne*, numquam simplex *ne* subici, quos et hic locus refellit et alter a Wesenbergio annotatus, ad Attic. VI, 1, 16, et ad Fam. XV, 12, 2. Mox *quod si* etiam Eξ, Bas. *Est* post *tamen* omittit etiam Spir. [B], non recte in huiusmodi apodosi.

Cap. V, 11. *qua et hi utuntur et vestri*) *Hos* appellat, quos supra, quia remotiores erant, saepius contrario pronomine (*illos*) demonstravit (5, 6, 8, 9, 10), opinor, quia, cum topica, quae eorum propria erant, commemorasset, animo propiores occurrebant. Sed in hac significatione, quid utrique similiter faciant, scribendum videtur: *et hi utuntur et vestri*, ex qua scriptura in Erl. codice ortum puto *que*. [B quoque *que*. Itaque nunc *et* addidi. *Quomodo Ep.* A; in B erat *quō*.]

sed etiam modestiam) Lambinus scripsit *sed quod et*, Davisius malebat *sed et quia*, nimis severe orationem exigentes ad normam; vid. exc. ad I, 23 (VII). Mox *caelestium* omittitur etiam in Gud. utroque, Bas. Genus praecipuum rerum, quas investigare in physicis studebant, Cicero nominat (cfr. ad III, 37). Quae sequuntur, maxime de summo rectore et de eius ad naturam apta ratione, quae sit summa lex, ea e media Stoa hic,

caelestium affert iis, qui videant, quanta sit etiam apud deos moderatio, quantus ordo, et magnitudinem animi deorum opera et facta cernentibus, iustitiam etiam, cum cognitum habeas, quod sit summi rectoris ac domini numen, quod consilium, quae voluntas; cuius ad naturam apta ratio vera illa et summa lex a philosophis dicitur. 12. Inest in eadem explicatione naturae insatiabilis quaedam e cognoscendis rebus voluptas, in qua una, confectis rebus necessariis, vacui negotiis honeste ac liberaliter possimus vivere. Ergo in hac ratione tota de maximis fere rebus Stoici illos secuti sunt, ut et deos esse et quattuor ex rebus omnia constare dicerent. Cum autem quaereretur res admodum difficilis, num quinta quaedam natura videretur esse, ex qua ratio

1. *caelestium* om. P *his* EL 3. *iustitiam* om. P 4. *et domini* PCR 5. *aperta* L 6. *datur* C 7. *e* om. E *ex cognoscendis* C *in cogn.* R 9. [*nec ociis* A] *et ociis* E *possumus* LROr. 11. *esse quia quattuor* E 13. *ni* (pro *natura*) C

praeeunte, ut videtur, Antiocho, ad veteres translata esse, facile sentiet, qui vel e N. D. I, 36 et 40, Legg. I, 18 et II, 8 Stoicorum sententias et orationem norit (Diog. VII, 88 cet.). *Ac domini* (pro *et dom.*) Vict., tum Gzius e quattuor optimis suis codd.

12. *e cognoscendis rebus*) Praepositio aberat etiam a Spir. [B]. Tum *possimus*, quo verbi modo qualitas voluptatis magis coniungitur cum magnitudine, [AB,] plures veteres editiones (Ven. a. 1480, Crat.); *possumus* a Manutio omnes tacite, nisi quod Gzius editiones veteres commemorat, non codices.

num quinta quaedam natura esset cet.) Apertum est σῶμα illud κυκλοφορητικόν, αἰθέριον, ἀμετάβλητον significari, e quo Aristoteles caelestia orta esse docet (de caelo libr. I, 2 et 3, II, 7 aliisque locis, quos Krugius in Hist. Philos. Ant. p. 256 citat), quodque posteriores commemorando celebrarunt, velut Sextus Empiricus (Hypot. Pyrrh. III, 31, adv. Math. X, 316), Plutarchus (de plac. phil. I, 3, 38), Diogenes (V, 32), Stobaeus (Ecl. Physic. p. 308 Heer.), quos Krugius nominat, aliique, quos Cotelerius ad Clementis Recogn. VIII, 15 et Davisius ad Ciceronis Acad. I c. 7 enumerant. Eandem quintam naturam a Xenocrate aperte commemoratam fuisse, auctor est Simplicius in Aristot. Phys. VIII p. 268 A (in editione Berol. scholiorum Aristot. p. 427). Cicero eam attingit etiam Tusc. I, 22 et Acad. I, 26 (*quintum genus, e quo essent astra mentesque*) et

et intellegentia oriretur, in quo etiam de animis, cuius generis essent, quaereretur, Zeno id dixit esse ignem; nonnulla deinde aliter, sed ea pauca; de maxima autem re eodem modo, divina mente atque natura mundum universum atque eius maximas partes administrari. Materiam vero rerum et copiam apud hos exilem, apud illos uberrimam reperiemus. 13. Quam multa ab iis conquisita et collecta sunt de omnium animantium genere, ortu, membris, aetatibus! quam multa de rebus iis, quae gignuntur e terra! quam multae

4. *ratione* (pro *mente*) C *et eius* E *at eius* L 6. *apud eos copiam* LPCR 7. *his* [A]ELPCOr. *omni* E 9. *his* LC

utroque loco, ut hic, convincitur, quam ex non limpidis fontibus cognitionem philosophiae Aristoteliae duxerit. Nam animum ex hoc quinto genere materiae et corporis ortum esse, nusquam Aristoteles dixit, qui diligentissime animum a corporea natura seiunxit. Antiochus, ut opinor, cum Stoici igneum animum facerent, Aristotelem quoque induxit animum ex elemento aliquo fingentem; nam apud ipsum Ciceronem hanc confusionem natam non arbitror, qui haec omnia ab aliis sumpserit. Enarratores ne in Tusculanarum quidem loco, cui omnes machinas frustra admovent, ut a Cicerone culpam non recte conversi ἐντελεχείας nominis amoliantur, alterum hunc graviorem errorem annotarunt, qui ab aliis ante aliquot saecula animadversus est. (*'Εντελέχειαν* tamen esse quintam illam naturam, ne Cicero quidem dixit, quod Gzius et Otto et alii narrant, etsi coniunctionem aliquam harum notionum fingit, quae nulla est.) Zenonis de ignea animi natura et ignis inter elementa principatu notissima sententia est.

et copiam apud hos exilem) Sic editur inde a Manutio, et confirmant Erl. et Spir. [B], id est, melior familia. Deteriores ceterorum ut nostri et veteres editiones: *et apud eos copiam* (sex Davis., Eχψ, reliqui Gziani). Ex leviculo mendo inutiles et perversae Dav. et Gzii coniecturae natae sunt. (Gud. 2 *naturam vero rerum.*) Mox *ab iis* necessario scripsi (ut erat in ed. R), id est, ab iis, qui proxime (voce *illos*) demonstrati sunt. Nam hic quidem *ab his* referri non poterat nisi ad Stoicos, de quibus dixerat: *apud hos.*

13. *de rebus iis, quae gignuntur e terra*) περὶ φυτῶν. Solet Cicero hac circumlocutione uti (V, 33, Acad. I, 26, N.D. II, 29 et 33), quod unum aptum totius generis nomen non habebat; nam herbis non comprehenduntur arbores, plantae apud Latinos aliter dicuntur. (In iis locis, in quibus Forcellinus et Schellerus

quamque de variis rebus et causae, cur quidque fiat, et demonstrationes, quemadmodum quidque fiat! qua ex omni copia plurima et certissima argumenta sumuntur ad cuiusque rei naturam explicandam. Ergo adhuc, quantum equidem intellego, causa non videtur fuisse mutandi nominis; non enim, si omnia non sequebatur, idcirco non erat ortus illinc. Equidem etiam Epicurum, in physicis quidem, Democriteum

1. *quamque* om. R *rebus variis* (LP)CROr. [*quidquid* Eb] *quaeque* C *fiet* Ė 2. *quicquid* E *quaeque* LPCROr. *fiant* LPCROr. *omni materia* (punctis not.) *copia* L 3. *necessaria argum.* R *sequuntur* C *cuius rei* E 5. *causam* R *non nisi omnia* C 6. *sequebantur* L 7. *Epicurorum* [A]E *Epicureorum* PC *Epicure horum* R *Democritum* omnes

plantam per synecdochen φυτόν intellegi tradunt, partim apertissimum est, propriam significationem necessario retineri, ut apud Colum. XI, 3, 40: *et semine et plantis*, partim nihil obstat, quo minus retineatur, ut apud Iuven. III, 227.) De N. D. II, 36 brevitatis causa *stirpes* dicit (*stirpium similis aut bestiarum*), sed § 28 *ea, quorum stirpes terra continentur*; infra V, 33 *arbores et stirpes*, ut Philipp. II, 55; cfr. lib. V, 10. Plinius *terra edita* vertit (H. N. XII init.). Aristotelis et Theophrasti de historia naturali libros significari, manifestius est, quam ut dici debeat.

cur quidque fiat — quemadmodum quidque fiat) Sic edendum fuit e vestigiis codd. Erl. et Spir. [B]. Ceteri editores, qui meliores codices habuerunt, tacent. [Nunc A prorsus sic habere confirmatur.] Numerum eundem servari debere et tantum vocem interrogativam mutari (*cur* et *quemadmodum*), ipsa forma orationis ostendit. Ad *quidquid* recipiendum segniorem me fecit Erl. codicis inconstantia; dicetur de hac re ad V, 24. Paulo post sic loquitur Cicero, tamquam hoc praecipue agatur, novumne scholae nomen a Zenone oriri debuerit, ac non illud, re an verbis Zeno a veteribus discrepet.

Democriteum puto) Recte sic Victorius, Nissenius, Orellius mendum codd. (etiam mg. Crat.) correxerunt. Nam praeterquam quod ipsum hoc ineptissime dicitur: *Epicurum puto Democritum*, pro eo, quod est: *quasi alterum quendam Democritum esse puto* (longe aliter Acad. I, 6: *Epicurum, id est, Democritum probarem*; nam qui Epicurum probat, Democritum probat), omnino hoc totum abhorret a sententia huius loci. Negat enim Cicero causam fuisse, cur Zeno novae sectae auctor existeret ac non Peripateticus sive Academicus appellaretur, etsi paulum deflecteret; itaque addit, se etiam Epicurum in Democriti schola numerare. Eodem mendi genere *Epicuri* scribitur pro *Epicurei* in Erl. I, 25. Hic autem pro *Epicurum* etiam Pall. 1 et 6 *Epicu-*

puto. Pauca mutat, vel plura sane; at cum de plurimis eadem dicit, tum certe de maximis. Quod idem cum vestri faciant, non satis magnam tribuunt inventoribus gratiam.

1. *aut cum* E *e* omnes, Or. *pluribus* C 2. *quid* E *item* omnes

rorum, ceteri Pall., Oxx. omnes *Epicureorum*, Parr. 1 et 3 *Epicureonta*. [Pungit animum *Epicurorum* in archetypo scriptum (etiam in B) et simul *Democritum*. Potuitne Cicero scribere: *Epicuro erum*, *in ph. q.*, *Democritum puto*, ut significaret, Epicurum in familia Democriti censendum et posse a Democrito herili iure asseri?]

pauca mutat, vel plura sane; at cum de plurimis) Haec sic enarranda puto: Pauca mutat, vel si quis ita mavult, plura sane, quam quae pauca dici possint. In *sane* significatur concessio non pertinaciter resistentis (ut II Acad. 105). Ita dubitatur tantum, quanta habenda sint, quae Epicurus mutarit. Alii sic enarrant: „etiam plura mutet, quam iam mutavit", ut hoc dicatur, etiamsi una et altera mutatio accesserit, nihilo minus hoc iudicandum fore. Sed praeterquam quod, data hac venia, non potest pro certo poni, eum de plurimis et maximis eadem dicere, non puto in hoc transitu a rei factae declaratione (*mutat*) ad concessionem coniunctivum modum, qui specialior est, ex indicativo audiri posse, quomodo e subsequenti coniunctivo eruitur indicativus (III, 21). Itaque Dav. scribi vult: *pauca mutet, vel plura sane*; at pauca eum mutare constabat. Gzio placet: *pauca mutat; mutet vel plura sane*, in qua coniectura male concurrunt *vel* et *sane*, et nimis dura coniunctio orationis est. *De plurimis* necessario cum Manutio, Lambino, Davisio scribendum erat. Nam neque per se ullam habet sententiam aut orationis Latinae formam *e plurimis eadem dicere*, cum significatur, ut profecto significatur, plurimarum rerum consensio, neque variari in hac contrariorum coniunctione potest: *cum de plurimis*, *tum certe* (si de plurimis non concedas) *de maximis*. Habuit tamen codicum scriptura defensores Wopkensium (Lectt. Tull. p. 27) et Gzium, qui *e plurimis* putat esse „quoad plurima", ascribens locum corruptum de Off. I. 51. (Sanarat pridem eum locum Gulielmi emendatio, quam et sententia et orationis forma manifesto veram esse evincunt.) Oxx. *e plur.* annotant e $\chi\psi$, *plur.* ex U, ut in Eξ mendum correctum fuisse videatur.

Quod idem) Sic Ernestius fortasse casu (ξ); Gzius confirmari ait a Gud. 2, Bas., Mon., „editisque veteribus praeterea multis". De editionibus veteribus errat. [B ut Erl.] Cfr. Gernhardus et Klotzius ad Lael. 14, Handius Turs. III p. 521.

VI. 14. Sed haec hactenus. Nunc videamus, quaeso, de summo bono, quod continet philosophiam, quid tandem attulerit, quamobrem ab inventoribus tamquam a parentibus dissentiret. Hoc igitur loco, quamquam a te, Cato, diligenter est explicatum, finis hic bonorum et qui a Stoicis et quemadmodum diceretur, tamen ego quoque exponam, ut perspiciamus, si potuerimus, quidnam a Zenone novi sit allatum. Cum enim superiores, e quibus planissime Polemo, secundum naturam vivere summum bonum esse dixissent, his verbis tria significari Stoici dicunt, unum eiusmodi, vivere ad-

1. *hic* E 2. *ecquid* Or. 5 *explicatus* C Post *bonorum* add. omnes *qui continet philosophiam* (*philosophari* R) *et* om. R *quis* [A]LPROr. 7. *novum* C 8 *plenissime* CR [*Polemo* om. A] 9. *dixisset* [A]ELCR 10. *tria* transp. post *Stoici* C

Cap. VI, 14. *quid tandem attulerit*) Man. et ceteri deinceps *ecquid tandem* contra codices ([AB,] Oxx., Gzii omnes) nec necessario; et mox dicit *quidnam*, non *ecquidnam*.

est explicatum, finis hic bonorum cet.) Ita Davisius e Parr. tribus, Mead. Accedunt EUψ, Gzii, excepto Gud. 2, omnes, ut figuram illam orationis, quae in superiorum editionum scriptura (ex C) erat, errore librarii minime antiqui male verba coniungentis ortam esse appareat. Quae in codicibus adduntur verba, ea iure Th. Bentleius et Ernestius damnarunt, Gzius omisit. Recte supra ponuntur, ubi, postquam de dialecticis et physicis dixit, redit ad gravissimam suo iudicio partem, quam ante (§ 5 et 8) distulerat; hic putidissime repetuntur. Tum *et qui* [etiam B et] ex ed. prima Manutius Lambinusque; paulo post Ernestius *si poterimus*, ut in Eξ scribitur; attigi hoc in disput. de formis quibusdam verbi Latini. [Opusc. Acad. II p. 83.]

e quibus planissime Polemo) Ceteri enim magis idem significarant quam plane et perspicue dixerant. *Plenissime* ex uno annotatur Ox. χ, *planissimè* mg. Crat., cod. Mor., omnes Gzii. Antiochus (nam huius auctoritatem, non ipsius Polemonis scripta Ciceronem sequi, apparet ex Acad. II, 131) quam fideliter ipsam Polemonis verborum formulam expresserit, non constat. Polemonis liber περὶ τοῦ κατὰ φύσιν βίου nominatur a Clem. Alex. Strom. VII p. 304 Sylb.

tria significari Stoici dicunt) Quinam Stoici hanc triplicem significationem exposuerint, ignoro; nec videntur id facere potuisse, quin faterentur, ambiguum suum esse finem et interpretatione extrinsecus ascita terminandum. Itaque nonnihil ambigo, rectene Stoicis haec tribuantur; Antiochi esse potius arbitror.

hibentem scientiam earum rerum, quae natura evenirent; hunc ipsum Zenonis aiunt esse finem, declarantem il-

1. [*euenerint* Eh] 2. *finem esse* LPCROr.

Posidonius certe apud Galenum de placitis Hippocr. et Plat. p. 291 (cfr. Beierus ad Cic. Off. II p. 429) eos reprehendit, qui Stoicum finem (*τὸ ὁμολογουμένως ζῆν*) alio detorqueant.

unum eiusmodi, vivere adhibentem cet.) Cum demonstretur explicatio, quae statim adiungitur, non sine causa Ernestius scribendum iudicasse videtur *huiusmodi*; nam *eiusmodi* aut ad superius aliquid referri videtur aut relativam orationem postulare. Sed ipsa illa explicatio relativae orationis locum tenere videtur (quasi sit: *unum eiusmodi, ut sit vivere* cet.), quemadmodum pro Rosc. Am. 17: *Nam duo isti sunt T. Roscii homines eiusmodi: alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur; hic autem* cet., et in Verr. II, 187: *Aspicimus lituras eiusmodi quasi quaedam vulnera tabularum recentia.* [Nec multum distat *eiusmodi* versui praepositum Off. I, 61.] In imperfecto *evenirent* hic Ernestius haesit, supra II, 34 non haeserat. Nam et ibi et III, 31 lecta est haec Chrysippi formula, *ζῆν κατ᾽ ἐμπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων*. Eius enim esse, Diogenes Laërtius (VII, 87) et Stobaeus (Ecl. Eth. p. 134) testantur. Declarabat autem, a Stoicis communem illam et rationalem naturam intellegi, cui singulis parendum esset. Itaque Posidonius illo, quem paulo ante indicavi, loco ait: *κατ᾽ ἐμπειρίαν τῶν κατὰ τὴν ὅλην φύσιν συμβαινόντων*. Ex illa autem *ἐμπειρίᾳ* derivabatur *ἡ ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ εὐλογιστία*, quam finis loco Diogenes Babylonius habebat (Diog. VII, 88, Stob. p. 134. Clemens Alex. Strom. II p. 179 Sylb. et Plutarchus adv. Stoic. 27 p. 1072 F pro Diogene Antipatrum nominant).

hunc ipsum Zenonis aiunt esse finem cet.) Non haec ipsa Zenonis fuisse verba dicit, ut Gzius putat, sed nihil aliud in iis contineri nisi ipsum Zenonis finem: hanc tantum declarationem esse eius, quod brevius is dixisset et Cato posuisset (*declarantem illud, quod* cet.). Itaque hanc quidem formulam, *convenienter naturae vivere*, ipsi Zenoni tribuit, et in eo totius huius loci disputatio versatur, cum ostendatur, Zenonem eodem fine usum esse, quo veteres illos, tantum aliter eum declarasse. Tradunt tamen Zenonis formulam fuisse *ὁμολογουμένως ζῆν*, Cleanthem demum *τῇ φύσει* addidisse (Stob. p. 134, Clem. Strom. II p. 179 Sylb.). Sed Diogenes (VII, 87) iam Zenonem alicubi eodem modo locutum esse scribit, apposito etiam libri nomine. (Cfr. ad III, 21.) *Esse finem* etiam Spir. [B].

lud, quod a te dictum est, convenienter naturae vivere; (15.) alterum significari idem, ut si diceretur, officia media omnia aut pleraque servantem vivere. Hoc sic expositum dissimile est superiori; illud enim rectum est (quod κατόρθωμα dicebas) contingitque sapienti soli; hoc autem inchoati cuiusdam officii est, non perfecti, quod cadere in nonnullos insipientes potest. Tertium autem, omnibus aut maximis

2. *significare* [A]LPCR *si* om. LR *uter* (pro *ut si*) C *omnia media* ELPCROr. 3. *aut plena* E Post *servantem* add. *idem* L [*hoc si* A] *hoc sit* R 4. *rectum est catorthoma* (om. *quod*) E *rectum, quod* (om. *est*) LPCROr. 5. [*contigitque* A] *contingit* (om. *que*) COr. 7. *aut* om. E

15. *alterum significari idem*) Sic Gzius etiam e Spir. [B], hoc est: alterum, quod significaretur, esse idem, ut si cet. Cum sufficeret (post illa *tria significari*, *unum eiusmodi* cet.) *alterum idem* cet., Cicero, quod nonnulla intervenerant, verbum iterum posuit. *Si* post *ut* addidit Lambinus, confirmavitque Pal. 1, tum Spir. [B]. Intellegitur externa actionum convenientia cum naturae regula officiisque, quae illa regula constituuntur, non adiuncto perfecto illo animi et voluntatis consensu cum naturae lege. [*Media omnia aut pleraque* rectiore ordine A.]

rectum est (*quod* κατόρθωμα *dicebas*) *contingitque*) Verbum *est* addunt etiam Pal. 1 et Spir. [B], confirmatque hanc scripturam, quod deteriores quoque codices habent *contingitque* (ceteri Pall., Parr. tres Davisii, Mead., Gzii praeter Bas.; de Oxx. non liquet; e Davisianis soli El. (1) et CCC *contingit*, hic tamen *est rectum*), persvadetque orationis concinnitas in his: *illud rectum est* et: *hoc inchoati cuiusdam officii est.* Dicat aliquis, *illud* non recte referri ad totum illud *vivere adhibentem scientiam* cet., quia in eo non unum, sed multa κατορθώματα insint. Sed in eandem difficultatem altera scriptura incurrit in pronomine *hoc*; et eo facilius hic a tota vita ad singulas actiones transitus ferendus est, quoniam κατορθώματα apud Stoïcos non numerantur, et qui semel κατορθοῖ, semper κατορθοῖ. Parenthesin utrum Cicero sine pronomine relativo interiecerit, ut scriptum est etiam in Spir. [B], quo genere Livius fere utitur, an *quod* addiderit, ambigas; sed pronomen tenet Pal. 1 et commendat magis Ciceronis consvetudo.

Tertium autem, omnibus aut maximis — fruentem vivere) Hoc est: tertium autem significari cet. In recentioribus aliquot editionibus male haec sic continuantur: *vivere, hoc non est* cet., ubi pro *hoc* saltem *id* dicendum erat, ac tamen hoc loco vitiose abundaret; obscuratur autem in illa distinctione primaria

rebus iis, quae secundum naturam sint, fruentem vivere.

1. *sunt* EOr.

sententia. Pro *autem* Gud. 2 *aut*; et poterat placere, si meliorem auctoritatem haberet (ut V Tusc. 84); necessarium non esse, ostendit vel quod proxime dictum est: *officia media omnia aut pleraque.* Deinde *aut* omittit etiam codex Spirensis [B] et probari posse Gzius putavit, perverse; nam *omnia maxima* dicerentur ut *omnia minima*, id est, *vel maxima*, prorsus omnia, ne maximis quidem exclusis (vid. ad III, 3), quod hinc alienissimum esse, manifestum est. Deinde satis loquitur ipsa res. Nam in hac tertia sententia aut omnia requirebantur aut, si non omnia, saltem maxima (plurima et maxima); vid. § 27 et 34 et 60 et Acad. I, 22. Postremo Gzius etiam e Spir. [B] dedit *secundum naturam sunt*, quod non magis hic probavi quam similem indicativum in III, 31; ita enim haec in tertiam interpretationem includuntur, ut non certum sit, quae res sint secundum naturam. Redit autem Cicero ad praesens tempus (*dicunt*), cum bis imperfectum interposuisset; vid. ad III, 67. Sed haec parva. Illud gravius, quod a nullo hactenus animadversum est, Ciceronem, id est, Antiochum in ambiguitatem non parvam incidere in toto hoc loco et reliquis, quibus eandem rem attingit. Nam veteres illi ad beatam vitam requirebant omnia *bona* aut maxima et plurima, ut Polemo (apud Clementem Alex. Strom. II p. 180) *φαίνεται τὴν εὐδαιμονίαν αὐτάρκειαν εἶναι βουλόμενος ἀγαθῶν πάντων ἢ τῶν πλείστων καὶ μεγίστων*, bonorum autem longe summum virtutem. Itaque et apud hunc virtus in fine boni principatum tenebat, ut mox Cicero ait, et Aristoteles et Xenocrates eam aperte nominabant, ille *χρῆσιν ἀρετῆς* ponens (vid. ad V, 26), hic *κτῆσιν τῆς οἰκείας ἀρετῆς*. Sed Cicero pro *bonis* substituit ea, quae sunt secundum naturam, quae cum Speusippus nominabat, separabat ab ipsa virtute (apud Clem. Alex. Strom. l. c., *τὴν εὐδαιμονίαν ἕξιν εἶναι τελείαν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἔχουσιν*), aut etiam manifestius e media Stoa (vid. exc. ad II, 33) prima naturae, ut Acad. I. 22 (*et utrisque hic bonorum finis videbatur, adipisci, quae essent prima natura quaeque per sese expetenda, aut omnia aut maxima*). Itaque hic finis non differt a Carneadio illo fine, qui II, 35 et 42 et V, 20 commemoratur, nisi quod in eo non solet addi *aut omnia aut maxima*; et ipsum hoc Cicero addit Tuscul. V, 84 (*nihil bonum, nisi naturae primis [bonis] aut omnibus aut maximis frui, ut Carneades contra Stoicos disserebat*), ut nihil iam prorsus intersit. Et tamen Cicero in Carneadis fine semper negat virtutem comprehendi (II, 38 et 42, V, 22), quia

Hoc non est positum in nostra actione; completur enim et ex eo genere vitae, quod virtute fruitur, et ex iis rebus, quae sunt secundum naturam neque sunt in nostra potestate. Sed hoc summum bonum, quod tertia significatione intellegitur, eaque vita, quae ex summo bono de-

1. *complectitur* C 2. *et* (priore loco) om. ER *finitur* LCROr. *et* om. R *his tribus* L 3. *secundum naturam sunt* CROr. 4. *certa significatione* PCR

in primis naturae virtus non inerat. Apparet, has turbas ex eo ortas esse, quod Antiochus in suo illo disciplinas conflandi conatu veterum illorum philosophorum dicendi proprietatem cum sententiis coniunctam neglexerit et, cum ea, quae essent secundum naturam, primum ita posuisset, ut virtus simul comprehenderetur, deinde non satis hanc notionem distinxerit ab illis primis naturae, in quibus virtus non esset, nisi quid in hac posteriore parte ab ipso Cicerone erroris accessit. Itaque rectius alibi Cicero veterum illorum finem sic definit, ut ad virtutem prima illa adiungat, ut II, 34, V, 21, Acad. II, 131 cett. Haec est enim formula: *κατ' ἀρετὴν ζῆν ἐν τοῖς περὶ σῶμα καὶ τοῖς ἔξωθεν ἀγαθοῖς ἢ πᾶσιν ἢ τοῖς πλείστοις καὶ κυριωτάτοις* (Stob. Ecl. Eth. p. 268, 278; *βίος κατ' ἀρετὴν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν*, ibd. p. 312).

quod virtute fruitur) Sic, ut ab Ascens. 1511 et inde a Victorio ad Davisium, Grutero tacente, editum est, scriptum habet melior codicum familia (nominantur mg. Crat., de cuius contextu errat Orellius, et tres Gzii, id est, Erl., Spir. [B] et fortasse Gud. 2, [nunc etiam A]) et deteriorum non pauci (ξχψ). Eam vitam, in qua inesset virtus, Cicero sic appellavit, ut simul significaret hominem virtute tamquam bono fruentem. Id ad ipsam vitam transferri ab homine multo minus est durum quam et alia et illud, quod III, 45 bonum dicitur naturae consentire, quia constat vitae cum natura convenientia. *Finitur* erat in cod. Urs. et ex Parr. 1 et 3 et Mead. commendavit Davisius, secutique sunt recentiores. Sed *vitam virtute finiri*, ut esset *absolvi*, *τελειοῦσθαι*, quemadmodum Davisius interpretatur, nemo Latine dixit; illud dicitur (III, 46), bonum convenientia finiri, id est, hunc finem, hoc ultimum habere. Vitae finis mors est; neque enim *finire* est perficere (de praestantia), sed terminare. Et si quis subtilius haec persequi volet, reperiet, *τέλειον βίον* Aristotelem non in virtute posuisse, sed virtutis usui adiunxisse.

quod tertia significatione) Sic Gruterus e Pall. 1 et 6; Davisius El. addit, Gzius tres optimos suos [B]. Antea erat *certa*, quod

gitur, quia coniuncta ei virtus est, in sapientem solum cadit, isque finis bonorum, ut ab ipsis Stoicis scriptum videmus, a Xenocrate atque ab Aristotele constitutus est. Itaque ab iis constitutio illa prima naturae, a qua tu quoque ordiebare, his prope verbis exponitur.

VII. 16. Omnis natura vult esse conservatrix sui, ut

1. *ei coniuncta* L *est virtus* E 4. *his* [A]ELOr. *natura* [A]EPR *nostra* C *ordiebatis prope* E 5. [*is* A]

Oxx. tantum ex Eχψ annotant. Miror Beierum ad Off. II p. 428 hanc tertiam interpretationem, in qua ratio habetur desideriorum naturarum singularum, et illud etiam, quod V, 26 legitur, confundere cum Stoicorum formulis.

a Xenocrate) Clemens Alex. Strom. II p. 180 Sylb. *Ξενοκράτης τὴν εὐδαιμονίαν ἀποδίδωσι κτῆσιν τῆς οἰκείας ἀρετῆς καὶ τῆς ὑπηρετικῆς δυνάμεως. Εἶτα ὡς μὲν ἐν ᾧ γίνεται, φαίνεται λέγων τὴν ψυχήν· ὡς δ᾽ ὑφ᾽ ὧν, τὰς ἀρετάς· ὡς δ᾽ ἐξ ὧν ὡς μερῶν, τὰς καλὰς πράξεις καὶ τὰς σπουδαίας ἕξεις τε καὶ διαθέσεις καὶ κινήσεις καὶ σχέσεις· ὡς τούτων οὐκ ἄνευ τὰ σωματικὰ καὶ τὰ ἐκτός.* (Extrema haec nullam habent sententiam. Scribendum est: *ὡς δ᾽ ὧν οὐκ ἄνευ, τὰ σωματικὰ καὶ τὰ ἐκτός*: Ea, sine quibus virtus exerceri nequeat, ponit corporis et externa commoda; continetur enim his illa *δύναμις ὑπηρετική*. Frequens apud Graecos philosophos appellatio (*τῶν*) *ὧν οὐκ ἄνευ*.)

constitutio illa prima naturae) Ea est, quae § 32 his verbis significatur: *quae autem natura suae primae institutionis oblita est?* et V, 24 his: *hanc initio institutionem* (animal) *confusam habet et incertam*, quaeque aperitur, cum exponitur, quid primo animalium ortu natura petat et fugiat, hoc est, quomodo natura animalia ab initio constituat. (Gzius putat dici „accommodate ad oratorum primam constitutionem causae, i. e., primam quaestionem eorum, quae ad causam referuntur“.) Nec reapse differt *institutio hominis* § 41. Sic autem emendatum erat praeter L etiam in Pal. 2, restituitque Lambinus, tum Davisius, alii. In cod. archetypo erat *natura* (in Pall. ceteris, Davisianis, Gzianis, [B]; Oxx. tantum e χ annotant).

Cap. VII, 16. *Omnis natura* cet.) Quoniam eaedem res ex eodem fonte haustae uberius exponuntur lib. V, 24 sqq., ea, quae ad Ciceronis verba cum Graecorum exemplarium reliquiis comparanda pertinent, ibi dicentur.

et salva sit et in genere conservetur suo. Ad hanc rem aiunt artes quoque requisitas, quae naturam adiuvarent, in quibus ea numeretur in primis, quae est vivendi ars, ut tueatur, quod a natura datum sit, quod desit, acquirat; iidemque diviserunt naturam hominis in animum et corpus; cumque eorum utrumque per se expetendum esse dixissent, virtutes quoque utriusque eorum per se expetendas esse dicebant; cum animum infinita quadam laude anteponerent corpori, virtutes quoque animi bonis corporis anteponebant. 17. Sed cum sapientiam totius hominis custodem et pro-

1. *suo conservetur* R 2. *exquisitas* LPCR 3. *videndi* P [In syllabis *uiuen* desinit A, additis verbis *Multa desunt*] 4. *tuentur* E 5. [*idemque* Eh] *animam* R 6. *unumquodque* LPCROr. 8. *quadam infinita* LPCROr. 10. *totius corporis* R *etiam* C

artes quoque requisitas) Sic Pal. 1, mg. Crat., codd. Mor. et Scal., Spir. [B], Eξ (hi silentio); restituit Manutius pro *exquisitas*. De vivendi arte dictum est ad I, 42.

eorum utrumque) Sic meliores codices, mg. Crat., Manutii, Mor., Spir. [B] et deteriorum nonnulli (Pal. 6, Parr. 1 et 3 Dav.. El.; in Pal. 2 erat: *eorum utrumque unumquodque*), requiriturque apertissime a figura orationis: *cum eorum utrumque per se* —, *virtutes quoque utriusque eorum per se*; et tamen, cum verum Manutius, Lambinus, Davisius secuti essent, Gruterus, Ernestius, Gzius e malis codicibus *unumquodque* retraxerunt (debebant saltem *unumquidque*), quod de duobus neque Cicero neque quisquam alius bonus scriptor dixit, repugnante eius distributionis, quae ea voce significatur, natura. Gzius etiam, incredibili illo suo stupore, pro sua sententia ascripsit (in addendis) locum e rhet. ad Herenn. IV, 37: *Diiunctio est*, *cum eorum*, *de quibus dicimus*, *aut utrumque* (si duo sunt) *aut unumquidque* (si plura; vulgo *unumquodque*) *certo concluditur verbo.* Addit deinde scriptor exempla, prius quattuor, alterum duarum rerum, tum: *Hic utrumque et in superiore exemplo unamquamque rem certo verbo concludi videmus.* [Simplex *quisque* (*eorum*) de duobus dici notum est; vid. Schell. p. 9022, Caes. B. G. VII, 32, Quintil. III, 6, 102.]

cum animum) Deesse particulam, qua oratio connectatur, apparet; Lambinus scripsit *et cum*, Davisio *cum autem* placebat. *Infinita quadam* etiam [B,] Bas., Monac. Gzii, Crat. in contextu; alterum quoque dici notum est; vid. Orellius ad I de Orat. 16.

curatricem esse vellent, quae esset naturae comes et adiutrix, hoc sapientiae munus esse dicebant, ut, *cum* eum tueretur, qui constaret ex animo et corpore, in utroque iuvaret eum ac contineret. Atque ita re simpliciter primo collocata, reliqua subtilius persequentes, corporis bona facilem quandam rationem habere censebant; de animi bonis accuratius exquirebant, in primisque reperiebant, esse in iis iustitiae semina, primique ex omnibus philosophis natura tributum esse docuerunt, ut ii, qui procreati essent, a procreatoribus amarentur, et, id quod temporum ordine anti-

1. *noster* (pro *naturae*) C 2. *cum* om [A]ELPROr. *ut cum tueretur* C 4. *enim iuvaret eum*, om. *ac*, E *atque* (pro *ac*) LCOr. *primo simpliciter* LPCROr. 5. *faciliter* C 7. *esse in his* E *in hiis esse* C *in his* (*iis* R) *inesse* PR *inesse his* L *inesse in his* Or. 8. *a natura* PCOr. 9. *hi* LC

17. *ut, cum eum tueretur, qui —, in utroque* cet.) Necessariam et certam emendationem adhibui. Quis enim non videt, sic argumentum concludi? Sapientia totius hominis est custos; homo constat ex animo et corpore; ergo in utroque eum iuvare debet. Itaque in hoc postremo concludi debet, illud autem, sapientiae datum esse tuendum animal ex animo et corpore constans, assumitur, quoniam ante dictum est, et ex eo conclusio oritur. Librorum scriptura etiam asyndeton intolerabile habet: *ut eum tueretur —, in utroque iuvaret.* Excidit *cum* ante *eum* ut post *quod* II, 82, *quod* ante *cum* hic § 19.

ac contineret) [Sic B, Parr. 1, 3, duo Gzii. Antea, cum putarem in Erl. et Spir. esse *iuvaret contineret*, scripseram *eum iuvaret et contineret.*]

esse in iis) Etiam Spir. *esse in his* [B *in hiis*]; editiones veteres fere (Marsus, Crat.) *in his esse*; Victorius, Gzius (e Gud. 2 et Bas.) *inesse in his*, ceteri a Manutio *in his inesse.* Vid. ad II, 34 et III, 22. Minus accurate Cicero dicit, in animi bonis esse iustitiae semina. Semina enim nondum bona sunt; sed cum ex iis virtutes creverunt, tum bona assunt. Rectius igitur scripsisset: *esse in eo* (*animo*) *iustitiae semina.* Mox *natura tributum* codices et meliores (tres Gzii optimi, [B]) et deteriores multi (Par. 2, Mead., El. Davisii, Eχψ); recteque huic consensui Victorius et Davisius obsecuti sunt; cfr. III, 66 (*tauris natura datum est*) et II, 33 et V, 2, maximeque I Legg. 16: *quid sit homini natura tributum.*

et, id quod — antiquius est. ut dicerent) Manifestum est, particulam *ut* subiectam esse illis verbis: *natura tributum esse*

quius est, ut coniugia virorum et uxorum natura coniuncta esse dicerent, qua ex stirpe orirentur amicitiae cognationum. Atque ab his initiis profecti omnium virtutum et originem et progressionem persecuti sunt. Ex quo magnitudo quoque animi existebat, qua facile posset repugnari obsistique fortunae, quod maximae res essent in potestate sapientis. Varietates autem iniuriasque fortunae facile veterum philosophorum praeceptis instituta vita superabat. 18. Principiis autem a natura datis, amplitudines quaedam bonorum excitabantur, partim profectae a contemplatione rerum occulta-

2. *coniunctionum* C 3. *atque* — *virtutum* om. L *iis* R *et* ante *originem* om C 4. *et progressionem* om. LP 5. *possit* L 10. *quaedam* (pro *partim*) R *occultiorum* EPCOr.

docuerunt. Itaque dicendum erat: *ut coniugia virorum et uxorum inirentur*; nam et *natura* et *dicerent* insunt in primaria sententia. Cicero nescio quomodo initium orationis deserens, quasi dixisset: *primique ita docuerunt*, *ut*, non solum in tautologiam incidit similem eius, quae III, 12 notata est (*sic exaequarunt, ut ita paria redderent*), sed in multo maiorem perversitatem, si quis verborum grammaticam coniunctionem persequi volet (*natura tributum hominibus*, *ut philosophi dicerent*). [Et tamen non multo aliter interponitur *diceret* Lael. 35, Verr. Act. I, 14.]

18. *amplitudines quaedam bonorum excitabantur*) Imaginem duxit ab aedificiis, quae a fundamentis excitantur; dicit autem de virtutum apud veteres illos constitutione et explicatione, sed oratoria quadam ambiguitate iis utitur verbis (ut paulo post *absoluta est*), tamquam non de sententiis, sed de ipsis virtutibus reapse ortis et progressis loquatur. Animadvertendus praeterea hic quoque orationis liberior cursus; nam quod huic: *partim profectae a contemplatione* cet. respondere debebat, id aliter conformatum ita est: *quodque hoc solum animal* cet. — *temperantia*, *modestia*, *iustitia* — *absoluta est* (id est, *partim profectae a pudore et appetitione convictus hominum* cet.); vid. exc. ad I, 23. De ipsa illa divisione virtutum, quae hic significari videtur, dixi ad § 4.

rerum occultarum) Sic scriptum erat in cod. Morelii, Eξ, Gud. utroque, Bas. tenuerantque (ex R) editores quidam veteres, ut Crat. Ceteri *occultiorum* (Gruterus et Davisius tacentes), quod etiam in mg. Crat. annotatur [*oculciorum* B]; sed respuitur in hac re usu Ciceronis comparativus rerum genus non simpliciter declarans; vid. I, 64 (*rerum occultarum ignoratione sublata*), V, 10, Acad. I, 15. Puto in codice archetypo obscure

rum, quod erat insitus menti cognitionis amor, e quo etiam rationis explicandae disserendique cupiditas consequebatur; quodque hoc solum animal natum est pudoris ac verecundiae particeps appetensque convictum hominum ac societatem animadvertensque in omnibus rebus, quas ageret aut diceret, ut ne quid ab eo fieret nisi honeste ac decore, his initiis *et*, ut ante dixi, seminibus a natura datis, temperan-

1. *cogitationis* P [*amore quo* Eh] *ex quo* (LP)CROr. 2. *explicandi* PCR *disserendeque* L 4. *particeps* om. L *coniunctium* E *coniunctionum* LP *coniunctionem* CROr. *societatum* P 5. *animadvertentes in* E [*ut* pro *aut* Eh] 6. *ut* om. L [*quod* Eh] *et decore* LPCROr. 7. *et* (ante *ut*) om. omnes, Or. *dixi, tamquam seminibus* PCROr.

scriptum fuisse, ut *occultorum* videretur (quod in χ casu scribitur); id ab aliis in aliam partem tractum esse.

rationis explicandae) Sic primus Lambinus et sic „laudat ex Cuiacii" ut Gruterus putat „membranis Scaliger"; confirmant cod. Mor. (*explicandae rat.*), El., Gzii, exceptis Gud. 2 et Mon., omnes, [B]. *Explicandi* (Pall., Oxx. ξχ) ortum est ex *disserendi*. [*Amore quo* etiam B.]

convictum hominum ac societatem) Hoc latebat in codicis Erl. [et B] scriptura (de ceteris bonis nihil constat), confirmaturque ex III Off. 21: *tollit convictum humanum et societatem*. Hoc cum in *coniunctum* transisset (*victus* autem, *vinctus*, *iunctus* fere perpetuo confunduntur), ortum est: *appetens coniunctionum — ac societatem* (ut est in L), tum: *coniunctionum — societatum*, ut Victorius et deinceps ceteri ante Davisium ediderunt e codicibus nostri P similibus. Sed pluralis numerus ferri nullo modo potest. Itaque natum est et post veteres editores a Davisio e CCC, Mead., Parr. 2, 3 restitutum: *coniunctionem — societatem*, idque a quattuor suis confirmari Gzius dicit. Habebant *societatem*, vix omnes *coniunctionem*, ne Davisiani illi quidem. (Ed. Ox. *coniunctionem — societatum*; Eψ *societatem*.)

ut ne quid ab eo) *Ut*, inde a Crat. omissum, restituit Dav. e tribus Parr., Mead. (Oxx. Eξχψ, Gzii omnibus, [B]). Addendus est hic locus ceteris, in quibus in secundaria sententia *is* ita refertur ad subiectum primariae, ut pronomen reflexivum ponendum fuisse videatur. (Cfr. Opusc. Acad. I p. 420 not.) Mox *ac decore* etiam Spir. [B]. Deinde in codd. bonis (tribus „potioribus" Gzii, [B]) omittitur *tamquam*; apparet, ante *ut* excidisse *et*, illud ad defectum sarciendum additum esse. Illud *ut ante dixi* ad *seminum* appellationem pertinet positam § 17. [Itaque nunc sic edidi cum Baitero.]

tia, modestia, iustitia et omnis honestas perfecte absoluta est.

VIII. 19. Habes, inquam, Cato, formam eorum, de quibus loquor, philosophorum. Qua exposita, scire cupio, quae causa sit, cur Zeno ab hac antiqua constitutione desciverit, quidnam horum ab eo non sit probatum: quodne omnem naturam conservatricem sui dixerint, an quod omne animal ipsum sibi commendatum, ut se [et] salvum in suo genere incolumeque vellet, an *quod*, cum omnium artium

1. *perfecta* C 3. *formam illorum eorum* LC *f. illorum omnium* Or. 5. *institutione* LPCROr. 6. [*quodnam* Eh] *prolatum* CR 7. *sui conservatricem* C *dixerit* LPCR 8. *sibi ipsum* L *ipse sibi* C *et* sine uncis Or. 9. *incolumem* (om. *que*) E *incolumemque* CR *et incolume* L *quod* om. omnes, Or.

Cap. VIII, 19. *formam eorum*, *de quibus loquor*, *philosophorum*) Sic, aliquot editionibus veteribus exceptis, editum est ante Gzium, et confirmant codices boni (Erl. et Spir. [B]); pauci quidam nullius pretii (Ox. χ, Gud. 1, 2, Bas.) et illae editiones) nescio quo errore: *formam illorum eorum*, *de quibus* cet., unus e pessimis (Vindob.) *illorum omnium*, quod arripuit Gzius. Familiam Aristotelis et Xenocratis universe Cicero significat, singulos non curat. Paulo post *constitutione* Gzius profert e Gud. 2, non ex Erl. Habuitne uterque codex, an permutavit nomina? Si in meliore familia fuit, probandum est; cfr. § 3: *eleganter habuisse constitutam disciplinam.* [Habet B; itaque recepi.]

conservatricem sui dixerint) veteres illi. Sic Lambinus, tum Ernestius et recentiores. Gzius ita in quattuor suis esse dicit, Oxx. *dixerit* e solo χ annotant. (Davisius, qui *dixerint* scribendum vidit, de codicibus tacet.) Coniunctivum posuit Cicero, quod simul hoc rettulit ad Zenonis improbantis iudicium, tempus tamen verbi ex sua persona posuit, non plusquamperfectum ex Zenonis, quod genus orationis inter obliquam et rectam fluctuantis in superiore libro aliquotiens annotatum est (ut 41, 49). Paulo post recte Lambinum puto scribi voluisse: *ut se salvum* (omisso *et*); nam *salvum incolumeque* (ut II, 33 *integrum se salvumque velit*) unam habet notionem, quae inepte distrahitur; (alio modo § 16 incolumitas et generis sui proprietatisque conservatio sic distingvuntur); de coniunctione *et salvum* — *incolumeque* dicetur ad V, 64. [B *incolumē*.]

an quod, *cum* cet.) Sic necessario scribendum fuit; in singulis enim interrogationibus, quoniam de causa (desciscendi)

finis is esset, quem natura maxime quaereret, idem statui debere de totius arte vitae, an quod, cum ex animo constaremus

1. *quid* LPROr. *quidnam* pro *quid natura* C *id est statui* LC
2. *quod* om. L *ex* om. LPCROr.

interrogatur, necessario repetenda est causalis particula (*quodne — an quod — an quod, cum ex animo* cet.). Deinde, quoniam in singulis membris auditur ex primo *dixerint* (*an, quod omne animal ipsum sibi commendatum dixerint* cet.), hoc fieri nullo pacto potest, nisi eius audiendi index ponatur *quod.* Aliter enim adhaerebit ad *an.* nulla sententia. Postremo, quid hoc loco scribendum esset, manifestissime ostendebat, quod sequitur. quartum membrum: *an quod, cum — constaremus, et haec ipsa et eorum virtutes per se esse sumendas* (dixerint). Itaque prorsus miror, adeo orationis formam editores fefellisse, ut eam etiam in extremo membro corruptum irent, Victorius et Ernestius *quod* tollentes, Hottingerus *cum.* (Gzius, sui similis, *quod* ante *cum* abundare putat, ut in *quod si.* Sic *quod* poni in periodi initio ad eam superiori coniungendam, ignorabat.) *Quod* restituendum esse, senserat etiam Davisius nec Wesenbergium fugit. Saepissime in tali concursu coniunctionum, praesertim scriptura similium, cum non prorsus perspicuum esset, quo utraque referretur, altera utra excidit, ut proxime in L. (Cfr. II. 82: in I, 37 Erl. *cum* pro *quoniam cum.*)

finis is esset, quem) Paulo brevius nec tamen obscure hoc dicitur, hac sententia: finis artium positus est in iis rebus. quas natura quaerit. Nam proprie finem artium natura non quaerit; sed finis artium et res a natura quaesitae, e quibus ille finis constituitur, cogitando confunduntur; artes autem id efficere debent, quod natura quaerit; nam ad eam adiuvandam requisitae sunt (§ 16). Sic autem scriptum fuisse in melioribus codicibus omnibus, fidem faciunt cod. Mor., El. alter, Erl., quem cum Gzius in manibus haberet, scripsit tamen homo socors: „Scripti editique vett. plane in vulgata perstant“. [B ut Erl.] In altera scriptura aperte desideratur infinitivus: *finis is esset* investigare, *quid natura quaereret.* Audiri enim nullo modo potest. Itaque Bremius, Ernestii vestigia sequens, scribi malebat: *finis id esset, quod* cet. eadem, qua nos, sententia: non animadvertebat vir optimus, codices ignorans, Latina attractione hinc gigni primum *finis is esset*, deinde ad id accommodari debere *quem*, id est, id ipsum nasci, quod nunc praestantissimi codices dederunt. Cfr., quae de pronominis attractione ad II, 19 dixi, ad IV, 43 dicam.

ex animo constaremus) Praepositionem Erl. dedit; dedissent

et corpore, et haec ipsa et eorum virtutes per se esse sumendas. An vero displicuit ea, quae tributa est animi virtutibus tanta praestantia? an, quae de prudentia, de cognitione rerum, de coniunctione generis humani, quaeque ab iisdem de temperantia, de modestia, de magnitudine animi, de omni honestate dicuntur? Fatebuntur Stoici, haec omnia dicta esse praeclare neque eam causam Zenoni desciscendi fuisse. 20. Alia quaedam dicent, credo, magna antiquorum esse peccata, quae ille, veri investigandi cupidus, nullo modo ferre potuerit. Quid enim perversius, quid intolerabilius, quid stultius quam bonam valetudinem, quam dolorum omnium vacuitatem, quam integritatem oculorum reliquorumque sensuum ponere in bonis potius, quam dicerent, nihil om-

1. *etiam haec* C [*hac* Eh] 4. *de cognitione generis* C *ad hisdem* E *ab eisdem* (LP)CROr. 7. *fuisse* L *namque eam* P *numquam eam* R *discutiendi* LP 8. *fuisse* om. P 9. *vere* E *cupiens* C 12. *reliquorum* (om. *que*) E 13. *non ponere* C *dicerem* C *dicere* Or.

ceteri boni, si inspecti essent [ut nunc B]. Numquam eam Cicero apud hoc verbum omittit.

neque eam causam Zenoni) Cum ex *neque* in codicibus deterioribus plerisque (Pall., Parr., Mead., EUξψ) factum esset *namque*, a nescio quo editore scriptum est *neque enim* (iam apud Iuntam) idque servatum usque ad Davisium; *neque* cod. Mor., χ, Gzii praeter unum e Gud., si Davisio creditur, etiam CCC (ξ).

20. *ponere in bonis potius, quam dicerent*) Sic in omnibus codicibus scriptum esse credo; nam cum Erl. consentit [B et] mg. Crat. (in contextu est *eicere*, errore pro *dicere*), cum deterioribus meis Oxonn. Eξχψ, edd. ante Manutium. Ab hoc inde editur *quam dicere* (Orellius iam in ed. a. 1480 sic scriptum esse ait), nec Gruterus, Davisius, Gzius quidquam annotant. Et videri possit simplex comparatio, in qua nulla insit rei vitandae prohibendaeve significatio, quae assit, cum potius citiusve aut ante aliquid nos facturos dicimus, quam aliquid patiamur (aliquid fiat), duos infinitivos postulare. Verum futuro tempore, etiam ubi coniunctivus poni poterat, tamen per simplicis comparationis formam sic quoque dicitur: *affirmavi quidvis me potius perpessurum quam ex Italia exiturum* (ad Fam. II, 16, 3 et passive ad Att. II, 20, 2: *addit se prius occisum iri ab eo quam me violatum iri*; nam et *exirem* et *quam ego violarer* rectum erat), itemque gerundivo (ut II de leg. agrar. 6: *omnia potius per-*

nino inter eas res iisque contrarias interesse? ea enim omnia, quae illi bona dicerent, praeposita esse, non bona; itemque illa, quae in corpore excellerent, stulte antiquos dixisse per se esse expetenda; sumenda potius quam expetenda; ea denique omni vita, quae in virtute una consisteret, illam

1. *hisque* EOr. 4. *et sumenda* LPCR *eademque* (pro *ea denique*) omnes, Or. cum mendi nota. 5. *omnia* E *de omni* (P) *una virtute* LPCROr.

petienda esse duco quam non ita gerendum consulatum); praesenti tempore de eo, qui alterum facit, alterum facere non vult, non facile dicitur: *potius hoc in bonis ponit quam nihil interesse dicit*, quia indicativum respuit rei, quae non fiat, significatio; itaque et supra II, 42 Cicero scripsit: *singulas res addunt potius*, *quam omnia — coniungerent* (pro *coniungant*) et hoc libro 39: *relinquunt — potius*, *quam concluderent* (coniuncto utroque loco *potius quam*, non *potius relinquunt — quam —*). Hoc quidem loco eo magis coniunctivus occurrebat, quod, si attendas, non simpliciter haec duo comparantur (*ponere potius quam*), sed huic sententiae, quae per se plena est: *quid stultius quam bonam valetudinem ponere in bonis*, superadditur, quid veteres dicere noluerint, cum oportuisset: *potius quam dicerent* (quasi repugnantes, ne dicerent). [Olim quaedam hic non recte posueram, simplicis comparationis formam et duorum infinitivorum coniunctionem a particulis *potius*, *prius*, *citius quam* nimis removere studens.] Sed videri potest scribendum fuisse *dicant*, quoniam hoc iudicium ex Stoicorum, qui nunc sunt, persona (*dicent*, *credo*) universe de huiusmodi sententiis profertur. Verum Cicero, ut alibi, subito animum transtulit ad Zenonis a veteribus desciscentis et eos reprehendentis tempus (quasi sit: dicent, Zenonem vidisse, nihil esse perversius cet.), eandemque figuram servavit in proximis (*dicerent*, *excellerent* cet.), ad extremum deseruit (*efficiat* cet.).

sumenda potius quam expetenda) Sic etiam Spir. [B], restituitque Gzius; praeponebatur *et*, incommode in contraria sententia tamquam correctione reprehensioni adiungenda. [Vellem libri haberent: *sumenda enim potius*.]

ea denique omni vita) denique, si non singulae res, sed omnis vita comparetur, ea vita, quae in virtute consisteret, illam vitam cet. Apertissima sententia corrupta erat pusillo mendo; nam *n* et *i* coalescentibus scriptum est *eademque omni* (Spir. *omnia*, Gud. 2 *omnium* frequenti in hac voce mendo) *vita* cet., nulla sententia, quia *eadem* vita nusquam commemorata est. Itaque *eadem* pro accusativo accipere conantes edito-

vitam, quae etiam ceteris rebus, quae essent secundum naturam, abundaret, magis expetendam non esse, sed magis sumendam; cumque ipsa virtus efficiat ita beatam vitam, ut beatior esse non possit, tamen quaedam deesse sapientibus tum, cum sint beatissimi; itaque eos id agere, ut a se dolores, morbos, debilitates repellant.

IX. 21. O magnam vim ingenii causamque iustam, cur nova existeret disciplina! Perge porro. Sequuntur enim ea, quae tu scientissime complexus es, omnium insipientiam, iniustitiam, alia vitia similia esse, omniaque peccata esse

1 [*quā etiam* Eh] *essent se expetendam non* (om. mediis) E 4. *posset* E *cum* (pro *tamen*) E 5. *sunt* LC 8. *Sequentur* LPCROr. *ea* om. LPCROr. 9. *omni* E *omnem* COr. 10. *et iniustitiam* C *esse* (prius) om C

res inde a Manutio ante Gzium omnes addunt *de* ante *omni* (contra Parr. 1, 2, Mead., El., Eξχψ, Gzianos, id est, contra omnes codices) et sic orationem distingvunt: *eademque de omni vita, quae in una virtute consisteret; illam vitam* cet. Audiebant *valere*, quod fieri primum nullo modo potest, cum nullus eiusmodi infinitivus praecesserit; deinde tollitur comparatio necessaria duarum vitarum (*ea vita — illam vitam — magis expetendam*). Quid Gzius? Excluso *de* et addito *et* post *consisteret*, narrat. „hos sextos casus ex intellecto *quoad* frequenti exemplo capiendos“ (*eademque valere quoad omnem vitam*). Adeo licentiam cum inscitia plus quam puerili coniungit. Sequitur Otto. Mendum correxerat Davisius, tantum in distingvenda oratione (*expetenda ea; denique*) leviter aberrans. [B *ea denique omnia vita.*] *Virtute una* ex Erl. [B] scripsi, ut est 36 et 51.

debilitates repellant) et a se arceant, si possint; male Eξ, Monac. *depellant*, Bas. *pellant*; vid. ad I, 33. Paulo ante *cum sunt* ex ed. prima ad Man. et multos propagatum est, correctum ab Ernestio (cum quinque Gzii codd., [B]).

Cap. IX, 21. *Sequuntur enim*) Hoc ex Erl. [B] restitui; ceteri tacent. Nihil tamquam novum promittitur. In verbis *perge porro* iam a Stoicis, quos universe significarat (20), redit ad Catonem iubetque eum secum causas Zenonis desciscendi considerare. [*Ea* ante *quae* additum etiam e B. *Omnium* (insipientium et vitiosorum; v. 68: *vitia non esse omnium paria*) restitui nunc ex B et LPR. Non minus hoc in aliis fuit; nam etiam] in *et* (ante *iniustitiam*) tollendo, quod ex ed. pr. propagatum erat. Dav. tantum tres codd., Oxx. unum, Gzius tres appellat. [Om. etiam B. Mox *plane* pro *plene* etiam B et Ox. E.] Paulo post *nec beatus* Eξχ, tres Gzii, [B].

paria, eosque, qui natura doctrinaque longe ad virtutem processissent, nisi eam plane consecuti essent, summe esse miseros, neque inter eorum vitam et improbissimorum quidquam omnino interesse, ut Plato, tantus ille vir, si sapiens non fuerit, nihilo melius quam quivis improbissimus nec beatius vixerit. Haec videlicet est correctio philosophiae veteris et emendatio, quae omnino aditum nullum habere potest in urbem, in forum, in curiam. Quis enim ferre posset ita loquentem eum, qui se auctorem vitae graviter et sapienter agendae profiteretur, [nomina rerum commutantem,] cumque idem sentiret, quod omnes, quibus rebus eandem vim tribueret, alia nomina imponentem, verba modo mutantem, de opinionibus nihil detrahentem? 22. Patronusne causae in epilogo pro reo dicens negaret esse malum exilium, publicationem bonorum? haec reicienda esse, non fugienda? nec misericordem iudicem esse oportere? In contione autem si loqueretur, si Hannibal ad portas venisset murumque iaculo traiecisset, negaret esse in malis capi,

2. *plene* LCROr. 4. [*Planto* Eh] 5. *improbatissimus* L 6. *beatus* EL *nec* (pro *haec*) E *correptio* ELPR 7. *et* om. R *veteris emendatioque* L *habere nullum* LPCOr. 10. [*agenda* Eh] 12. *nō* (pro *modo*) E 13. *patronus* (om. *ne*) R *patronusve* PC 16. *facienda* EPR 17. *veniret* E 18. *negasset* L

nomina rerum commutantem) Si haec Cicero scripsit, primum generaliter hac adiectione declarat, quod dixerat, *ita loquentem*, tum explicat, qualis sit haec nominum commutatio a rerum controversia separata, postremo ea ipsa explicatio quasi in summam contrahitur (*verba — de opinionibus*). Sed apparet, nimiam hanc esse verborum copiam et repetitione molestam (*commutantem — mutantem*); itaque Manutio multisqhe postea spuria visa sunt ea verba, quae praescripsi; Schuetzius delevit. Nihil tamen in ipsa progressione orationis aut in singulorum coniunctione vitiosi (quod § 22 contra est). [Mox *nō* pro *mō* annotatur e Spir., non ex B.] Tum *facienda* pro *fug.* cod. archetypus habuit (Spir. [B], Monac., Oxx. omnes). Verum restituit prudens librarii recentioris (LC) coniectura.

22. *murumque iaculo traiecisset*) Insolenter dictum est: nam longe aliter dicitur *femur hasta traicere* aut *amnem navi traicere* (ex quo etiam *amnis traiectus* a Livio dicitur), ubi aut transfigendi aut se transmittendi instrumentum ablativo notatur. Ea, quae hic est, significatione Livius bis dixit *vexillum trans vallum*

venire, interfici, patriam amittere? An senatus, cum triumphum Africano decerneret, quod eius virtute aut felicitate posset dicere, si neque virtus in ullo nisi *in* sapiente nec felicitas vere dici potest? Quae est igitur ista philosophia, quae communi more in foro loquitur, in libellis suo? praesertim cum, quod illi suis verbis significent, in eo

2. *quid de eius* C *quod de eius* R 3. *nullo* ELPC *in* post *nisi* om. ELP 5. *libello* LPCROr. 6. [*sui* Eh]

traicere, Propertius et Ovidius *traicere aliquid super aliquid* aut *per aliquid.* Neque tamen corrigere licet, ut sit *murum iaculum traiecisset*, non solum propter violentiam, sed quod duplex ille accusativus non ponitur nisi de iis, qui traducuntur et transvehuntur per locum aliquem. Solinum quoque annotant c. 52 dixisse: *ut transiaci* (nemora) *ne sagittis quidem possint.* (Plinius H. N. VII, 21 *superiaci.*) *Transmittere tectum lapide* de lapide trans tectum misso Plinius dixit XXVIII, 33; verum in eo verbo ablativus de instrumento vulnerandi non ponitur nisi apud Silium (*cuspide pectus* cet.). [Pungit animum illud in Erl. et B *veniret*, cum praesertim ipsa veniendi notio minus apta videatur (pro: *ad portas esset*). Fuitne *Hannibal portas feriret?*]

An senatus) Lambinus *in senatu*, omisso *an*, ut idem intellegatur in senatu loquens, qui in contione. Credo *dicere* aptius ei poni visum esse de senatore sententiam dicente quam de universo senatu. Sed si de eodem homine superior interrogatio continuaretur, desideraretur aliquid ad vinciendam orationem (*in senatu autem*). In proximis verbis Cicero diiunctiva particula usus est (*aut felicitate*), etsi in decretis haec coniungi solebant, ut significaret, ne alterum utrum quidem dici licere, si quis Stoicos sequi vellet. (Ern. malebat *ac fel.*) *Quod eius* (in quo retinetur ipsa forma orationis senatus consultorum) restituit Gruterus e Pal. 4; addit Davisius Parr. tres, Gzius suos, nisi quod Bas. et Gud. 1 retineant *quid de eius*, ut veteres editiones. (*Quod de* Oxx. omnes.)

in ullo nisi in sapiente) Geminata temere littera erat in cod. archetypo (Pall., Davisii, Oxx., Gzii omnibus, [B]), ut esset *in nullo*, quod in hac quidem forma, ubi *ullus* in mediam diiunctionem receptum est, ne speciem quidem defensionis recipit. Post R correxit Manutius, inde ab Ern. omnes. Deinde *in* post *nisi* (*nī*) non erat in archetypo (EU$\xi\chi$, Spir. [B], Bas., Mon.), sustulitque post Vict. et Man. Gzius. Ciceronis consvetudinem praepositionem flagitare, ostendit Wunderus ad orat. pro Planc.

nihil novetur, eaedem res maneant alio modo. 23. Quid enim interest, divitias, opes, valetudinem bona dicas anne praeposita, cum ille, qui ista bona dicit, nihilo plus iis tribuat quam tu, qui eadem illa praeposita nominas? Itaque homo in primis ingenuus et gravis, dignus illa familiaritate Scipionis et Laelii, Panaetius, cum ad Q. Tuberonem de dolore patiendo scriberet, quod esse caput debebat, si probari pos-

1. *movetur* [Eh]LCR Post *novetur* addunt *de ipsis rebus nihil mutetur* omnes, Or. inter uncos. 3. [*bonam* Eh] *his* EPCROr. *hic* L 6. *edulii* (pro *et Laelii*) E Q. om. E 7. *possit* E

36 p. 120, adhibitis etiam huius operis locis II, 111, IV. 47. [Tamen N. D. I, 87 est *in ulla alia nisi humana.*]

in libellis suo) Sic codices meliores ([B,] Cuiacianus Scaligeri, Mor.) et flagitat res. Accommodavit librarius vocem proximae (*suo*). Paulo post edd. ab Aldo *verbis suis*; restituit alterum Gzius ex Eξ omnibusque suis.

in eo nihil novetur) Sic Lambinus, P. Fabri emendationem sequens; codd. Gruteri, Dav., Uξχψ, Gzii, [B] *movetur*; edd. quaedam veteres *moveatur*. Quae sequebantur verba, recte a Manutio. nuper ab aliis damnata sunt, etsi Gud. 2, qui ea omittit, nulla prorsus in tali re auctoritas est, nec omnino cuiusvis unius codicis. [Om. etiam Glog., aeque malus auctor.] Sed et putidam habent repetitionem in verbis continuo se excipientibus sine ulla excusatione, et gravissime offendit idem vocabulum in duobus membris orationis, quae sine particula coniunguntur, sic positum, quasi sibi ipsum contrarium sit (*de ipsis rebus* — *eaedem res*), et manifesto turbatur forma a Cicerone instituta; nam quod negando dictum erat (*in eo nihil novetur*), id affirmando explicatur: *eaedem res* cet. (ut ad nostrum morem *sed* addere possis); inter haec nihil interponi potest. Et aperta est origo additamenti ascripti ad ea, quae praecedunt (*quod* — *in eo*), interpretanda. [Pro *significent* Baiterus in ed. min. *significant* e Kayseri coniectura, non improbabiliter. Sed ne hic quidem certum est, quantum Cicero sententiarum implicationi tribuerit.]

23. *cum ad Q. Tuberonem* — *scriberet*) Qui libellus etiam Acad. II, 135 significatur, nec aliam crediderim illam epistulam fuisse, quae Tusc. IV, 4 nominatur. Q. Tuberonem, Africani minoris sororis filium, qui Stoicam disciplinam et studiis et vita persequi conatus est, Cicero saepe commemorat. Panaetii mitiores fuisse sententias quam veterum Stoicorum (§ 79), notissimum est (Diog. Laërt. VII, 128, Gell. XII, 5, 10). *Nusquam* (pro

set, nusquam posuit, non esse malum dolorem, sed quid esset et quale, quantumque in eo esset alieni, deinde, quae ratio esset perferendi; cuius quidem, quoniam Stoicus fuit, sententia condemnata mihi videtur esse inanitas ista verborum.

X. 24. Sed ut propius ad ea, Cato, accedam, quae a te dicta sunt, pressius agamus eaque, quae modo dixisti, cum iis conferamus, quae tuis antepono. Quae sunt igitur communia vobis cum antiquis, iis sic utamur quasi concessis; quae in controversiam veniunt, de iis, si placet, disseramus. Mihi vero, inquit, placet agi subtilius et, ut ipse dixisti, pressius. Quae enim adhuc protulisti, popularia sunt; ego autem a te elegantiora desidero. A mene tu? inquam; sed tamen enitar, et, si minus multa mihi occurrent, non fugiam

1. *numquam* LPCR 2. *et* om. E *inesset* LPROr. 3. *perferenda* E *quem Stoicus* E 4. *immanitas* LPCROr. 6. *antea* (pro *a te*) E *ad ea* PC 8. *his* COr. 9. *etiam* (pro *communia*) C *nobis* omnes *his sic* EPCOr. 13. *a te* om. E *me* (pro *mene*) L 14. *mihi multa* LPCROr.

numquam) habebant mg. Crat., El. (uter?), Spir. [B], Gud. 2, restituit Ern. Mox *esset* pro *inesset* tres Gzii [B]; vid. ad 17.

inanitas ista) [Secutus nunc cum Baitero meliores codices sum, Erl. et Spir. (B); Ursini liber numerari non potest. Nam quae dicta sunt, non tam ad immanitatem notandam pertinent quasi hominem ex homine exuentem (quomodo *duritia immanis* ponitur in Partitt. Orat. 81 et Tusc. III, 12 *immanitas in animo, stupor in corpore* indolentiam, τὴν ἀναλγησίαν, sequi dicitur) quam ad inanem verborum magnificentiam, quibus res nullae subsint.]

Cap. X, 24. *a te dicta sunt*) Gzius etiam e Spir. [B] *antea* (Eξ, Gud. uterque *ad ea*). Praeter id, quod ad § 3 dixi, accedit hic, ut, si *antea* legatur, inepte mox addatur *modo*, inaniter etiam commutata voce. Paulo post voces *a te* ante *elegantiora* aberant etiam a Spir. [B] et Gud. 2. Prorsus necessarias esse et pondus orationis continere, intellegitur etiam ex proximis: *A mene* (qui haec mediocriter scio) *tu* (qui tenes et pertractasti)? [Poterat omisso *autem* scribi *ego a te eleg.*] *Multa* autem, in quo vocabulo nonnulli haeserunt, adiectivum eiusmodi requirentes, quod alteri (*popularia*) contrarium esset, intelleguntur ex eo genere, quod Cato se requirere et quod Cicero se ut consequeretur enisurum dixerat. Ne prorsus nihil sibi ex eo genere occurreret, non poterat vereri.

ista popularia. 25. Sed positum sit primum, nosmet ipsos commendatos esse nobis primamque ex natura hanc habere appetitionem, ut conservemus nosmet ipsos. Hoc convenit; sequitur illud, ut animadvertamus, qui simus ipsi, ut nos, quales oportet esse, servemus. Sumus igitur homines; ex animo constamus et corpore, quae sunt cuiusdam modi, nosque oportet, ut prima appetitio naturalis postulat, haec diligere constituereque ex his finem illum summi boni atque ultimi; quem, si prima vera sunt, ita constitui necesse est, earum rerum, quae sint secundum naturam, quam plurima et quam maxima adipisci. 26. Hunc igitur finem illi tenuerunt, quodque ego pluribus verbis, illi brevius, secundum naturam vivere, hoc iis bonorum videbatur extremum.

1. *primum positum sit* (*est* C) LPCR 7. [*peticio* Eh] *petitio* LPCR *postulet* L 9. *vera sint* LPCR 10. *quae sunt* C *quam plurima — brevius secund. nat.* om. E *quam maxima et quam plurima* C 13. *vis* (pro *iis*) P *ius* CR *his* ELOr. *videatur* omnes *videtur* Or.

25. *positum sit primum*) Hunc ordinem Gzius e quattuor suis [B] restituit. Paulo post *sunt cuiusdam modi*, id est, certae cuiusdam naturae, quam conservari decet; vid. III, 23, V, 36. [Mox *petitio* etiam B. Correxit Aldus.]

si prima vera sunt) Sic etiam Spir. [B], Monac. restituitque Schuetzius; cfr. ad II, 86. Tum *quae sint* (pro *sunt*) Dav. e Pall. et suis (Eξχψ, Gzii omnibus, [B]).

26. *quodque ego —, hoc iis — videbatur*) Verbum in sententia relativa (*ego pluribus verbis dixi, illi autem brevius dicunt*) eodem modo omittitur § 7 (*Ista ipsa, quae tu breviter* cet.). Sic autem distinxi cum Man., Lamb., aliis, ut haec omnia: *Hunc igitur finem illi* cet. usque ad *extremum* in unam sententiam coniuncta contraria ponantur iis, quae de Stoicis dicturus est. Vulgo sic haec distingvunt: *quodque ego — vivere. Hoc his* (sic enim editur) *bonorum videtur extremum*, ut haec extrema verba orationem quasi colligant et claudant. Sed ea vis iam inest in superioribus (*Hunc igitur finem* cet.). *Videatur* etiam cod. Mor., omnes Gzii, ξχ, [B] editionesque ante Aldum, qui *videtur* substituit, quod ceteri tenuerunt estque in mg. Crat. Sed rectius Wesenbergius *videbatur*, pro quo et alibi *videatur* suppositum est et Legg. III, 18, ubi frustra mendum defenditur, similiterque *debeam* pro *debebam* [et supra 8 *habeat* pro *habebat*]. Tempus verbi apte significat, qualis philosophiae status fuerit ante Zenonis commutationem, recteque in hoc statu significando imperfec-

XI. Age nunc isti doceant, vel tu potius (quis enim ista melius?), quonam modo ab iisdem principiis profecti efficiatis, ut honeste vivere (id est enim vel e virtute vel naturae congruenter vivere) summum bonum sit, et quonam modo aut quo loco corpus subito deserueritis omniaque ea, quae, secundum naturam cum sint, absint a nostra potestate, ipsum denique officium. Quaero igitur, quomodo hae tantae

1. *ista* E 2. *eisdem* Or. 3. *ex virtute* LPCR 6. *cum* transp. ante *secundum* PCR om. L 7. *quo hec* E *quo haec* P

tum subicitur perfecto (*tenuerunt*), quo significatur sententia probata et retenta; cfr. Acad. I, 22 sqq. (*sensit* — *reperiebatur* — *gignebatur* cet.). *Ius* pro *iis* Ox. E, Crat., Vict., *vis* ξχ, *his* mg. Crat., cod. Mor., [B].

Cap. XI. *Age nunc isti doceant* cet.) Eadem disputatio, solam virtutem finem boni non explere, Peripateticorum inferioris aetatis more explicatur ab Alexandro Aphrod. in libro II de anima (modo omnia ad eum librum pertineant) p. 156 sqq. (Venet. 1534 apud. Ald.), apud quem inter cetera, quae Ciceroniana nulla fere similitudine attingunt, haec ponuntur, quae Ciceronis argumentationis brevem summam habent (p. 157 a): *Ἔτι εἰ μὴ ψυχῆς εὐδαιμονία ζητεῖται, ἀλλ' ἀνθρώπου, ὁμολογεῖται δέ, τὸν ἄνθρωπον ἐκ ψυχῆς εἶναι καὶ σώματος, ὧν ἑκατέρου ἔστι καὶ ἀγαθὰ οἰκεῖα καὶ κακὰ διαφέροντα ἀλλήλων, ὥσπερ [οὖν] καὶ αὐτὰ ἀλλήλων ἕτερα, πῶς οὐκ ἀκολουθεῖ, τὸ τέλος τοῦ ἐξ ἀμφοῖν ὄντος [καὶ τὸ ἀγαθὸν] προσδεῖσθαι τοῦ ἑκατέρου τούτων, ἐξ ὧν ἐστιν, ἀγαθοῦ; εἰ δὲ τοῦτο, οὐκ αὔταρκες τὸ τῆς ψυχῆς ἀγαθὸν πρὸς τὸ τοῦ ἀνθρώπου τέλος.* Adhibuerat Alexandrum Morelius.

id est enim cet.) Recte se communi formula (*honeste vivere*) usum esse significat; nihil enim aliud esse, quod Stoice dicatur *κατ' ἀρετὴν ζῆν* aut *ὁμολογουμένως τῇ φύσει*. *Enim*, in quo offendi video, eodem modo additur III, 52 et 75 et Tusc. V, 9 (*id est enim philosophos*, ubi notandus est accusativus extra nexum grammaticum ad primariae sententiae vocem accommodatus); causa redditur interpretationis praepositae (v. ad I, 33). *E virtute* (II, 34) Gzius ex omnibus (?) suis. Mox cod. Mor. *ecquonam modo* (omisso *et*). *Secundum naturam cum sint* (hoc ordine) Gzius etiam e Spir. [B] et Gud. 2. Excidit *cum* in χ, ed. Marsi. Significari manifestum est ea, quae a Stoicis appellabantur *τὰ οὐκ ἐφ' ἡμῖν*, res externas (Epictet. Enchir. init.). *Commendationes* dicit res nobis a natura commendatas quibusque conciliati simus (exc. ad II, 33).

commendationes a natura profectae subito a sapientia relictae sint. 27. Quod si non hominis summum bonum quaereremus, sed cuiusdam animantis, is autem esset nihil nisi animus (liceat enim fingere aliquid eiusmodi, quo verum facilius reperiamus), tamen illi animo non esset hic vester finis. Desideraret enim valetudinem, vacuitatem doloris, appeteret etiam conservationem sui earumque rerum custodiam, finemque sibi constitueret secundum naturam vivere, quod est, ut dixi, habere ea, quae secundum naturam sint, vel omnia vel plurima et maxima. 28. Cuiuscumque enim modi animal constitueris, necesse est, etiamsi id sine corpore sit, ut fingimus, tamen esse in animo quaedam similia eorum, quae sunt in corpore, ut nullo modo, nisi ut exposui, constitui possit finis bonorum. Chrysippus autem, exponens differentias animantium, ait alias earum corpore excellere, alias autem animo, nonnullas valere utraque re; deinde disputat, quod cuiusque generis animantium statui deceat

2. *sint* om. L [*homines* Eh] [*queremus* Eh] 3. *hiis* E 5. *hinc* C *noster* LPCR 9. *sunt* LPC 10. *plura* R *vel maxima* L 12. *inde* (pro *tamen*) C 13. *sint* LPCR· *et nullo* E 16. *re* om. L 17. *animal* (pro *animantium*) LPR *animantis* COr

27. *liceat enim*) *Licet* Manutius, Lambinus, Gruterus non prave, sed contra codices (Dav., Oxx., Gzii, [B]). *Earum rerum custodiam* intellegit valetudinis et vacuitatis doloris. Gzius vult esse *talium*; Manutius *suarum rerum* malebat; verum externae possessiones in animo intellegi vix possunt.

vel omnia vel plurima et maxima) Memorabiliter *vel* — *vel* ponitur in eiusmodi diiunctione, in qua alibi semper Cicero *aut* ponit (ut in hac ipsa 34, Acad. I, 22, Tusc. V, 84); alterum enim e duobus requiritur nec tertium quidquam est nec coniungi utrumque potest. Videtur significare, ad summam rei nullum esse discrimen. Cfr. ad Att. VII, 9, 4: *cum bona quidem spe vel vincendi vel in libertate moriendi. Vel maxima* prave Eξ, Gud. 1, 2, Bas., Mon. *Sec. naturam sunt* Vict. et ceteri ante Dav. contra EUξ, Gzii omnes, [B].

28. *quae sunt in corpore*) nunc in hoc corpore; itaque indicativum recte Gzius restituit e quattuor suis optimis, Ox. E, [B].

cuiusque generis animantium) Secutus sum Erl. [B]; coniectura idem praeceperat Th. Bentleius. Superiores *animantis*, nec quisquam quidquam annotavit ante Gzium, qui „peccare fere (?) codd.

extremum. Cum autem hominem in eo genere posuisset, ut ei tribueret animi excellentiam, summum bonum id constituit, non ut excellere animus, sed ut nihil esse praeter animum videretur. XII. Uno autem modo in virtute sola summum bonum recte poneretur, si quod esset animal, quod totum ex mente constaret, id ipsum tamen sic, ut ea mens nihil haberet in se, quod esset secundum naturam, ut valetudo est. 29. Sed id, ne cogitari quidem potest, quale sit, ut non repugnet ipsum sibi.

Sin dicunt obscurari quaedam nec apparere, quia valde

1. *genere* om. E 3. *ut* (post *non*) om. LPCR *animo* LPCROr. *uti* C 4. Post *videretur* add. *constitui summum bonum* C 8. *est* om. L *sed ne id* E *sed id nec* LR 10. *dicit* LPROr. *dic* C *quaedam obscurari* Or.

animantium" narrat. Altera scriptura, quam apparet ne a deterioribus quidem codd. defendi, duriorem habet syntaxin: *extremum animantis cuiusque generis*, hoc est, animantis ad hoc vel illud genus pertinentis, ut non sine causa Davisius *animantibus* scribi maluerit; nam sic coniungere: *extremum cuiusque generis animantis* (ut nunc verba ordinanda sunt, postquam scribitur *animantium*), prohibet singularis numerus (*animantis*), alienus omnino a tali partitione. Pro *deceat* Davisius ex El. (1) et ed. Vict. *debeat*. Opponit Gzius Tusc. I, 32 et II, 8, Wopkensius (p. 51) et Handius Legg. II, 8 et 16, Cat. 84. Mox *genere* aberat etiam a Spir. [B] et Gud. 2. Excidisse incuria puto.

non ut excellere animus) Sic meliores codices (mg. Crat., Morel., [B], El. 1 et 2, quamquam ex his alter *ut excelleret*), e quibus *ut*, quo carere oratio non poterat, Davisius, praeeunte Lambino, et recentiores asciverunt; ad nominativum adeo non attenderunt, ut Gzius, cum illud a tribus suis optimis confirmari diceret, de hoc omnino taceret.

Cap. XII, 29. *Sin dicunt obscurari quaedam*) ut expositum est a Catone in superiore libro 45. [*Dicunt* etiam B compendio scriptum habet, quod nunc restitui; de ceteris codd. tacetur; edd. *dicit*. Redit Cicero a Chrysippo ad Stoicos.] (*Quaedam obscurari* error est edd. Gzii et Orellii.) Videri possit hic locus defendere consvetudinem multorum, qui nunc, cum rem factam sine ulla condicionis significatione ad indicandum proponunt, Germanica voce (*wenn*) decepti sic loquuntur: *si Gaius hoc et hoc dicit, errat*, ubi Latina oratio *quod* postulat. Sed Cicero sic loquitur, quasi ignoret, faciantne hoc Stoici. In iis, quae interponuntur, ut haec de obscuratione sententia exemplo ex alia disciplina sumpto

parva sint, nos quoque concedimus; quod dicit Epicurus etiam de voluptate, quae minimae sint voluptates, eas obscurari saepe et obrui; sed non sunt in eo genere tantae commoditates corporis tamque productae temporibus tamque multae. Itaque in quibus propter eorum exiguitatem obscuratio consequitur, saepe accidit, ut nihil interesse nostra fateamur, sint illa necne sint; ut in sole, quod a te dice-

2. *etiam* om. PCROr. 3. *etiam* (pro *et*) E 5. *earum* omnes, Or. 6. *sequitur* C 7. *fateremur* R [*necue* Eh] *in solem qui* E

declaretur, Gzius haesit, quod interpungendo orationem fregerat et divellerat. Significantur eae voluptates, quas Epicurus maiorum consequendarum aut molestiae fugiendae causa spernendas dicebat; vid. I, 32 sqq. et 47. [De *ut* particula in iis, quae praecedunt: *ut non repugnet* cet., dictum est ad II, 71. *Etiam* post *Epicurus* additum ex Eh, B, Gud. 2, L.]

Itaque in quibus propter eorum) Ostendit, ea, quae propter exiguitatem suam (*quia valde parva sint*) obscurentur (in quibus propter exiguitatem eorum obscuratio consequatur), talia esse, ut vix sentiantur nec ullum momentum faciant aut saltem non magnum (*quibus autem in rebus* cet.), multum diversa a magnis illis commoditatibus corporis. Edebatur: *in quibus propter* e a r u m *exiguitatem*, adeo manifesto mendo, adeo nulla sententia, ut paene incredibile videri possit, editores et enarratores non offendisse. Nam *earum* refertur necessario ad *corporis commoditates*. Ita habemus res quasdam, non quae propter suam exiguitatem obscurentur, sed propter aliarum; at quarum? Propter *exiguitatem tantarum et tam temporibus productarum commoditatum*. Video, iam Manutium tacite *eorum* scripsisse idque in aliquot editionibus (repetitionibus Lambini) retentum esse. Corruperat librarii aut neglegentia aut imperitia, non videntis, pronomen referri ad *quibus*. Nec fefellerat absurditas sententiae Wesenbergium, sed maiore mutatione scribendum putabat: *Itaque in quibus rebus propter earum exiguitatem*, ut sequitur *quibus autem in rebus*; recteque subici poterat in generali notione neutri generis pronomen (*sint illa*). *Consequitur* (quod etiam in mg. Crat. et e cod. Mor. annotatur pro *sequitur*) idem est fere atque *accidit* sive, ut paulo post Cicero ait, *fit*, quia rei in comparationem adductae exiguitatem sequitur obscuratio et tamquam post oritur. (Cfr. quae ad I, 32 dixi; Lucret. III, 930 *secuta*.) Mox *in solem* cod. Mor. [B]. *Addere* pro *adicere* ex ed. pr. transiit ad Man. proximosque, contra codd. Morelii, Davisii, qui mutavit, Oxx., Gzii, [B].

batur, lucernam adhibere nihil interest aut teruncium adicere Croesi pecuniae; 30. quibus autem in rebus tanta obscuratio non fit, fieri tamen potest, ut id ipsum, quod interest, non sit magnum. Ut ei, qui iucunde vixerit annos decem, si aeque vita iucunda menstrua addatur, quia momentum aliquod habeat ad iucundum accessio, bonum sit; si autem

1. *ut* E *numinum* (pro *teruncium*) L *addere* C 2. *obscuratio tanta* LPCR 3. *non sit* omnes, Or. 4. *non fit* C 6. *ad iucundum accessionem* EmPR *ad iucundam accessionem* [Eh]LC *sin* Or.

30. *tanta obscuratio non fit*) Contrarium hoc est illi: *in quibus — obscuratio consequitur*; et si non esset, tamen in tam aperta generis definitione coniuncta cum oratione indicativa (*fieri potest*) coniunctivus modus ferri nullo modo posset. Nec est in his rebus obscuratio, sed, ut dixi, accidit, quotiens cum maioribus comparantur. Correxi igitur, quod edebatur, *sit*; [*fit* casu, ut videtur, ed. Crat.]. Idem mendum V, 33 et Erl. et alios occupavit nec tamen locum tenuit. *Tanta obscuratio* (pro *obsc. tanta*) Gzius e tribus optimis [B].

Ut ei — bonum sit) Animadvertenda est propter difficiliores quosdam locos nota forma orationis in exemplo fingendo et particula *ut* relativa adiungendo. Nos enim demonstrativa forma utimur (*So würde für denjenigen* cet.), quae latet inclusa in Latino vocabulo (*eo modo, quo*); cfr. Off. I, 97 et 144. Nam hinc nascitur propinqua ratio eius particulae ponendae, cum non exemplum adiungimus, sed in refutando et reprehendendo ei, quod reprehendimus, similem aliam rem pravam fore dicimus, ubi vis particulae circumloquendo sic declarari potest: eodem modo agas, si hoc vel illud facias. Itaque *ut* videtur poni pro *ut si* (eodem modo ac si), fitque ad nostrum sensum implicatior oratio, quod saepe in ipsa illa re fingenda alia adhibetur condicio, ut particula *si* ad eam pertinens particulae *ut* subiciatur (hac sententiarum coniunctione, si illa declaratione uti volumus et rei explicandae causa ineleganter loqui: eodem modo agas, si, si hoc vel illud acciderit, hoc vel illud facias). Huiusmodi est oratio in Acad. II, 33: *Quo enim omnia iudicantur, sublato, reliqua se negant tollere: ut, si quis quem oculis privaverit, dicat ea, quae cerni possent, non se ei ademisse* (id est: Ista ratione, si quis — privaverit, possit dicere; ne quis *quem* relativum putet esse et sic verba, neglecta eorum serie, ordinet: *ut si quis, quem — privaverit, ei non se ademisse — dicat*), et I de Divinat. 86: *Ut, si magnetem lapidem esse dicam, qui ferrum ad se alliciat et trahat, rationem,*

id non concedatur, non continuo vita beata tollitur. Bona autem corporis huic sunt, quod posterius posui, similiora. Habent enim accessionem dignam, in qua elaboretur, ut mihi in hoc Stoici iocari videantur interdum, cum ita dicant,

2. [*posui se meliora* Eh]

cur id fiat, afferre nequeam, fieri omnino neges. (Hoc est: ista ratione, si — dicam, possis negare. Vulgo interrogative accipiunt, particulae *ut* nullam, opinor, rationem ducentes, contra sententiarum cohaerentiam. Nam si Cicero hic interrogando significasset: *non neges fieri*, non poterat subicere: *Quod idem facis* cet.) Acad. II, 50 etiam affirmative, non hypothetice sic Cicero dixit: *ut. si lupi canibus similes* (excidisse videtur *sunt*), *eosdem dices ad extremum* (id est: Ista ratione, si — sunt, dices cet.). Iam recte expediri poterit locus ille in I N.D. 88, in quo Walkerus et Heindorfius se torserunt, ceteri autem difficultatem non attigerunt. Sic enim distingvenda verba sunt: *Quae sunt tantae animi angustiae? Ut. si Seriphi natus esses —, non crederes leones et pantheras esse. cum tibi, quales essent, diceretur* cet. (id est: Ista ratione — non crederes). Proximorum verborum *aeque vita iucunda* insolens ordo est, nec simile exemplum Ciceronianum substantivi inter adiectivum suum et adverbium ei adhaerens interpositi habeo, [nisi Off. I, 119 (*multo — cura maior*); nam quod hic IV, 13 erat (*tam de rebus variis*), codices boni subtraxerunt. Livius II, 20, 8: *tanto vi maiore* et ad eum modum alia. Verum non huius loci est uberius persequi, quae Emendd. Livv. p. 271 et in Livii a me et Ussingio editi praefat. vol. I p. 2 pag. XIII breviter attigi.]

ad iucundum accessio) Sic Lambinus e codicibus, ut ait. et ita scriptum erat in Pal. 6 et Scaligerano, manifesto correctis. Iam in archetypo enim, nominativo post praepositionem et adiectivum in accusativum mutato, scriptum erat: *ad iucundum accessionem*, ut in Mor., Pall. 3, 5, aliquot Dav., Gud. 2, Oxx. EUψ; inde factum est: *ad iucundam accessionem* in [B.] Pall. 2, 4, Dav. aliquot, ξχ, Bas. et fere vett. editionibus. (In Erl., Spir., Gud. 1 Gzius tradit esse: *ad iucundum accessione.*) Tum *tollitur* connexum cum illo *si non concedatur* et relatum superiori *bonum sit*, si verum est, subitum transitum habet a re, quae exempli causa fingatur, ad generalem de re, quae sit, sententiam; et substituit Cicero vitae iucundae vitam beatam. Lambinus *tollatur*. Manutius et ceteri, Dav. excepto, *sin autem* tacite.

si ad illam vitam, quae cum virtute degatur, ampulla aut strigilis accedat, sumpturum sapientem eam vitam potius, quo haec adiecta sint, nec beatiorem tamen ob eam causam fore. 31. Hoc simile tandem est? non risu potius quam oratione eiciendum? Ampulla enim sit necne sit, quis non iure optimo irrideatur, si laboret? At vero pravitate membrorum et cruciatu dolorum si quis quem levet, magnam

1. *dicatur* E 3. *cui haec* Or. 4. *tamen est* L *nostris ut* (pro *non risu*) E 5. *non* om. E 6. *derideatur* C *gravitate* omnes, Or. 7. *dolorum* om. P

ampulla aut strigilis accedat) Plutarchus adv. Stoicos 22 p. 1069 C: *Κρασπέδοις καὶ ἀμίσι χρυσαῖς καὶ νὴ Δία ληκύθοις, ὅταν τύχωσι, παραβάλλουσι* (*οἱ Στωϊκοὶ*) *τὸν μέγιστον πλοῦτον.*

eam vitam, quo haec adiecta sint) Davisius ex El., ut voluerat Gruterus, *cui* (*quoi*) *haec*, et sic iam Marsus, sine causa. Nam et *accedit eo* et *eodem*, id est, ad eandem rem Cicero non raro dixit (vid. Nizol.) et *addo huc*, *eo*, *eodem* (Tusc. V, 16, Lael. 65) et *adicio oculum aliquo* (Legg. II, 36), et huiusmodi adverbia saepe demonstrativis subiecit pro pronomine et praepositione (*apud eos*, *quo se contulit* Verr. IV, 38, *ex iis oppidis*, *qua ducebantur* Verr. V, 66; hic II, 5; de *unde* vid. lexic.). [Totum genus persecutus est Naegelsbachius in libri, quem inscripsit Lateinische Stilistik, editione tertia, § 85.]

31. *Hoc simile tandem est? non — eiciendum?*) Sic interpungendam esse orationem, et ipsa vox *tandem*, praesertim verbo adiuncta, admonebat et ordo verborum. Vulgo omnia continuant; Gzius autem et interrogationem et sententiam sustulit. In *eiciendi* verbo imaginem a scaena ductam esse, Bremius annotat. Mox *ampulla sit* significare: *ampulla assit et accedat* (*habeatne ampullam ad cetera necne*), dico propter Gzium et Ottonem.

pravitate [antea *grav.*] *membrorum et cruciatu dolorum*) Recte Lucretius (III, 477) in iis, qui vino opprimantur, membrorum gravitatem consequi ait, recte, credo, etiam Tusc. III, 1, ubi universe de medicina agitur, aegroti et langventis corporis gravitas nominatur. Hic, ubi significantur gravissima corporis incommoda (*cruciatus dolorum*) et quae maxime contraria sint primis naturae, vereor, ne parum ponderis gravitas illa habeat, recteque Bentleius (ad Tusc. III, 1) scribendum putarit *pravitate membrorum* (Tusc. IV, 29). Nam ut in illis commodis praeter valetudinem numeratur integritas corporis et incolumitas partesque

ineat gratiam; nec, si [ille] sapiens ad tortoris eculeum a tyranno ire cogatur, similem habeat vultum et si ampullam perdidisset, sed ut magnum et difficile certamen iniens, cum sibi cum capitali adversario, dolore, depugnandum videret, excitaret omnes rationes fortitudinis ac patientiae, quarum praesidio iniret difficile illud, ut dixi, magnumque proelium. Deinde non quaerimus, quid obscuretur aut intereat,

1. *ne si* E *ille* om. E, sine uncis Or. 2. *vultum ac si* LCOr. 6. *illud difficile* LPCROr. 7. *quaeremus* ELPCOr.

eius et membra apta et integra nec imminuta et detorta (II, 33, V, 18, III, 17), sic in contrariis incommodis haec ipsa pravitas et distortio et deformitas ponitur, ut III, 17 et V, 46. Nec, quod *pravitas levari* minus commode dicitur, ideo non recte dicitur *levare aliquem cruciatu dol. ac pravitate membrorum.* [Itaque nunc, ut Baiterus, *pravitate* posui.]

ille sapiens) Aberat pronomen a „binis" Gzii [B]. Potest tamen significari celebratus ille maxime in Stoicorum scholis librisque et magnifice pictus; nec video, cui addere pronomen in mentem venerit. Quod Gzius Epicuri sapientem hic et III, 42 significari putat (et transcribit, ut omnia, Otto), simile est reliquo eius stupori, apertissima quaeque, dum aliquid dicere conatur, pervertentis. Quid enim ad Catonem refutandum pertinet, quid sapiens Epicureus facturus sit? Id quaeritur, utrum sapiens, in cuius persona recte agendi regulam omnes philosophi adumbrabant, sic iudicaturus sit, ut Stoicorum ratio videatur postulare, an ut veterum Peripateticorum et Academicorum. Tum *et si* Victorius, Davisius, Gzius e codd. (Pall. quinque, Mead., El., CCC, Uχ, Gzii omnibus, [B]); ceteri *ac si*; vid. ad II, 21. Duorum nominum per *et* coniunctionem, non sententiarum comparationem, habet etiam is locus, qui e Tusc. V, 9 profertur. Memorabilis est autem prorsus in hoc loco orationis transitus a rei, quae nunc fieri fingatur, significatione et praesenti tempore ad eius significationem, quod certa condicione futurum esset, in his verbis: *nec si* — *cogatur*, — *habeat*, *sed*, *cum* — *videret*, *excitaret* cet., e qua neglegentia, quam vicina haec sint, discere poterunt grammatici quidam. [Non tam aperte utraque forma miscetur IV, 61: *Quid si reviviscant* — *loquantur*, et tum, multis interiectis: *ea cum dixissent*, *quid* — *responderes?* Cfr. I de Orat. 210—212.] Paulo post *difficile illud* etiam Spir. [B]; edd. inverse.

Deinde non quaerimus) Secutus sum Manutii et Lambini correctionem, in ed. Rom. praeceptam; ceteri [B] *quaeremus*. Non

quia sit admodum parvum, sed quid tale sit, ut expleat summam. Una voluptas e multis obscuratur in illa vita voluptaria; sed tamen ea, quamvis parva sit, pars est eius vitae, quae posita est in voluptate. Nummus in Croesi divitiis obscuratur, pars est tamen divitiarum. Quare obscurentur etiam haec, quae secundum naturam esse dicimus, in vita beata; sint modo partes vitae beatae.

XIII. 32. Atqui si, ut convenire debet inter nos, est quaedam appetitio naturalis ea, quae secundum naturam sunt, appetens, eorum omnium est aliqua summa facienda. Quo constituto, tum licebit otiose ista quaerere, de magnitudine rerum, de excellentia, quanta in quoque sit ad beate vivendum, de istis ipsis obscurationibus, quae propter exiguitatem vix aut ne vix quidem appareant. Quid, de quo nulla

3. *pars enim eius* C 5. *et* (pro *etiam*) P om. L 6. *dicimus esse* R [*intuta* pro *in vita* F.h] 7. *beatae vitae* LPCR 10. [*aliqua e summa* F.h] 11. *tamen licebit ociosa ista quaerere quae de* C 13. *in istis* E 14. *aut ne* om. P *multa* (pro *nulla*) LPCR

dicit Cicero, quid aliquando quaesituri sint, nec differt quaestionem (ut 32: *tum licebit*), sed, quid agatur, admonet, cum Stoici controversiam mutent. Respondet autem hoc *deinde* illis, quae supra (29) dixerat: *sed non sunt in eo genere* cet.

ut expleat summam) ut, quamvis sit parvum, tamen in eodem genere sit, quo maiora, et eadem universa summa contineatur (συμπληροῖ). Extremo capite *vitae beatae* ed. a, 1480, Crat., Vict., Gzius e quattuor suis [B].

Cap. XIII, 32. *appetitio naturalis ea — appetens*) Commodius scripturus fuisse videtur: *appetitio naturalis eorum*; multo tamen molestius illud: *de obscurationibus, quae — vix appareant*, id est, earum rerum, quae vix appareant. Obscurationes quidem ipsae non exiguae sunt. Particulae *tum* superadditae ablativis (*quo constituto, tum*) ad temporis consecutionem gravius notandam (itaque fere dicitur *tum denique*) exempla collegerunt Schwartzius ad Tursell. p. 879 (1302), Beierus ad Cic. pro Scauro 22; idem fit in *deinde* (vid. Beierus ad Off. II, 16 p. 36), non Graecismo (εἶτα), sed naturali sermonis usu. Pronomen *quoque* communiter positum post nomen generale *rerum* nullam offensionem habet.

Quid, de quo nulla dissensio est?) Sic Manutius e vetere libro Philippi Tertii et Sigonii codice, Lamb. ex „aliquot libris manuscriptis“, et deinceps ceteri; confirmant etiam Spir. [B].

dissensio est? Nemo enim est, qui aliter dixerit, quin omnium naturarum simile esset id, ad quod omnia referrentur,

1. *omnium naturalium* Or. 2. *omnia* om. P *referuntur* LPCROr.

EL contra deteriores (Pall., Dav., EUξψ, Gzii reliquos). Quod sequitur: *nemo est, qui aliter dixerit, quin* (id est: *qui negarit*), de eo exponetur ad V, 32.

omnium naturarum simile esset id cet.) Hoc est: *dass für alle Geschöpfe dasjenige, auf welches alles sich bezieht, aehnlich (ein Aehnliches, Analoges) sei; dass alle Geschöpfe einen analogen letzten Zweck haben.* In omnibus enim naturis sive rebus, quae vigent, haec est similitudo, ut a se diligendis profectae primam hanc institutionem conservent et eum habeant finem, natura ut expleatur. Hactenus igitur *commune*, id est, simile *est omnium animantium extremum, secundum naturam vivere* (V, 26). sed, quia aliarum animantium alia est natura, *extrema et summa inter animalium genera distincta et dispertita sunt* (V, 25). Ita *omnium rerum, quae natura vigent, similis est finis, non idem.* Pro *omnibus rebus* hic Cicero, cum de animantibus maxime cogitaret, *naturas* dixit, diversa *animantium genera et naturas* (Legg. I, 22) significans; et mox subicit *omnis natura* et *quae natura* et (33) *in ceteris naturis* et (34) *reliquas naturas.* Id igitur disputat Cicero, hanc omnium naturarum extremi similitudinem a Stoicis non conservari; nam ceteras animantes hoc habere extremum, ut tota earum natura expleatur, homini soli a Stoicis extremum poni non in toto homine, sed in parte hominis (§ 33). Si igitur Stoici illam omnium animalium similitudinem ultimi tenere aut restituere velint, mutanda iis esse principia naturae (primam commendationem), dicendumque, omne animal (non solum hominem) applicatum esse non ad se totum diligendum, sed ad optimam sui partem (§ 34). Adeo est haec aperta et evidens sententia et disputatio, ut, etiamsi non adhibeantur illa ex libro V, quod nemo adhuc fecit, tamen vix intellegas, quomodo quemquam fallere possit. Et tamen, cum paulo post (§ 33) vera scriptura depravata esset, non solum ibi certa Manutii correctio spreta est, sed hic quoque contra omnes (etiam Gzii) codices [B] olim una et altera vetus editio substituit *omnium naturalium* (Ven. 1494, Crat.; in margine alterum annotatur), idque, quamquam ne infra quidem sic in codd. scribitur, Gzius et recentiores arripuerunt. [Nam praeterquam quod universam sententiam non intellegebant, haerebant etiam in genetivo, quem regi a *simile* putabant. Is vero regitur a substantivi notione, quae inest in *id* (id est, extremum: *omnium naturarum extr.*), atque id fit non solum in duriore hoc scribendi

quod est ultimum rerum appetendarum. Omnis enim est natura diligens sui. Quae est enim, quae se umquam deserat aut partem aliquam sui aut eius partis habitum aut vim aut ullius earum rerum, quae secundum naturam sunt, aut motum aut statum? Quae autem natura suae primae institutionis oblita est? Nulla profecto *est*, quin suam vim

2. *numquam* L 4. *rerum* om. L *sint* L(P)CR 6. *est* post *profecto* om. omnes, Or.

genere, ut hic I, 27 *quid eius*, IV, 7 *illorum ista ipsa*, sed etiam alibi, apud Ciceronem quidem pro Mil. 38: *Quid simile Milonis?* hoc est: Quid in Milone, a Milonis parte, (quod Milonis factum) simile (ei, quod in Clodio commemoratum est)? quem locum vereor ut, qui silentio transmittunt, intellexerint. Livius autem sic dixit XXIX, 2, 6: *id modo hostium imitati sunt*; neque aliter *omnia hostium* dicuntur XXX, 5, 1, ut apud Ciceronem Verr. II, 63 et 82. Durius et liberius ut poëta Ovidius ex Ponto II, 11, 15: *Namque quod Hermiones Castor fuit, Hector Iuli, Hoc ego te laetor coniugis esse meae* (avunculum: *was C. im Verhältniss zu Hermione war*). De Graecis dixi in libello paucis noto: Bemerkungen über ein. Punkte der griech. Wortfügungslehre, Goett. 1848, p. 67.] Summum bonum simile esse dici omnium (hoc est omnibus), quae sint secundum naturam, putant; quid hoc sit et quomodo disputationem cohaerere statuant, non dicunt; itaque difficile est refutare. Summumne bonum omnes simile esse voluerunt omnium naturalium, velut integritatis membrorum, valetudinis, ceterorum? Nec enim, etiamsi non omnium consensum, sed tantum Peripateticorum sententiam sequamur, idem est omnia prima naturae continere et omnium simile esse. Hocine eo, quod subicitur, argumento confirmatur? (*Omnis enim est natura diligens sui*, ita ut omnes simile debeant habere extremum.) Idne a Stoicis neglectum, a veteribus servatum est? Idne ab iis efficietur, si dixerint, omne animal applicatum esse ad id, quod in eo sit optimum? Sed iam Kernium, interpretem Germanum, verum vidisse animadverto. *Referrentur*, quod oratio obliqua flagitat, Erl. dedit [B *referentur*]; ex aliis codd. nihil annotatur.

Nulla profecto est, quin) Addidi verbum (Schuetzius e Gzii coniectura: *Nulla est*), ne haec esset sententia: *Nulla profecto suae institutionis oblita est, quin* cet., id est, nulla. Audiretur enim necessario superius verbum, quoniam non magis dicitur: *nemo, qui* aut *quin*, quam *quis, qui* aut *quin*, verbo non addito. [Quod Baiterus posuit: *Est nulla prof.*, perversum habet ver-

retineat a primo ad extremum. 33. Quomodo igitur evenit, ut hominis natura sola esset, quae hominem relinqueret, quae oblivisceretur corporis, quae summum bonum non in toto homine, sed in parte hominis poneret? Quomodo autem, quod ipsi etiam fatentur constatque inter omnes, conservabitur, ut simile sit omnium naturarum illud ultimum, de quo quaeritur? Tum enim esset simile, si in ceteris quoque naturis id cuique esset ultimum, quod in quaque excelleret. Tale enim visum est ultimum Stoicorum. 34. Quid dubitas

1. [*quō* Eb] *quo* PC 4. *poneretur* E *quo* P 6. *omnium naturale* EPCROr. 7. [*cum enim* Eb] *et* (pro *si*) L 9. *visum esset* omnes, Or. cum mendi nota. *ultimi* E

borum ordinem.] Paulo ante *sunt* Gzius e quinque suis codicibus [B].

33. *Quomodo igitur*) Vict. et Grut. e Pall. quinque (ξχ, Gzianis, exceptis Erl. et Spir.) *quo igitur*; vid. ad II, 53.

conservabitur, ut simile sit omnium naturarum illud ultimum) Sic Manutius correxit, accedente vetere Sigonii libro, quem ipsum emendatum fuisse apparet, ut Leidensem meum et, nisi silentium fallit, Eξ Oxx., obsecutique sunt veritati Lambinus, Davisius, nuper Kernius. Ceteri cum codicibus, [etiam B]: *omnium naturale illud ultimum.* Orellio tamen *ultimum naturale* (quo quid est quod magis a veterum philosophorum et Ciceronis usu abhorreat?) et *ultimum simile omnium* (quo quid potest excogitari nugacius?) non ferendum visum est; itaque scribendum coniecit, quod hinc in superiorem locum Gzius intulerat: *simile sit omnium naturalium*, sententia, ut ostendi, nihilo meliore. Gzium nihil conturbat; *simile omnium naturale* vult esse *simile omnium naturalium naturale*, quae brevitas Ottoni non videtur „Ciceronis propria". Vocis *naturarum* syllaba ultima obscure notata et omissa (ut III, 3 *eam* pro *earum*, 42 [*illo* et] *illa* pro *illorum*) peperit codicis archetypi mendum.

Tale enim visum est ultimum Stoicorum) Tale enim (quale nunc dixi, ut tantum eius partis, quae in homine excellat, ratio habeatur) nobis (nunc quaerentibus et disputantibus) visum est Stoicorum ultimum (§ 28 cet.). Itaque tum demum simile hoc humanae naturae extremum et ceterarum naturarum esset, si etiam in ceteris id esset ultimum, quod in quaque excelleret. Perspicua est sententiae progressio nec dubia correctio levis codicum mendi, in quibus scribitur: *Tale enim visum esset ultimum Stoicorum.* Condicionalis oratio nullam omnino sententiam habet. Quid disputatio requireret, Bremius vidit, sed infeli-

igitur mutare principia naturae? Quid enim dicis, omne animal, simul atque sit ortum, applicatum esse ad se diligendum esseque in se conservando occupatum? quin potius ita dicis, omne animal applicatum esse ad id, quod in eo sit optimum, et in eius unius occupatum esse custodia, reliquasque naturas nihil aliud agere, nisi ut id conservent, quod in quaque optimum sit? Quomodo autem optimum, si bonum praeterea nullum est? Sin autem reliqua appetenda sunt, cur, quod est ultimum rerum appetendarum, id non aut ex omnium earum aut ex plurimarum et maximarum appetitione concluditur? Ut Phidias potest a primo instituere signum idque perficere, potest ab alio inchoatum accipere et absolvere, huic similis est sapientia; non enim

1. *dicis* om. P 8. *si autem* LPCR 9. *sint* E *appetendum* ELPR 10. [*omni* Eh] *aut maximarum* E *et* om. L 11. *a principio* C 12. *et ab* L 13. *est sapientia similis* LPCR *sap. sim.* (om. *est*) Or.

citer scribi volebat: *Tale enim visum* (i. e. supra perspectum est!) *esse ult. Stoicorum*; correctionem invenit etiam Wesenbergius (in censura quodam Danice scripta). Gzius et Orellius prorsus aberrant. *Esset* aut ex superiore sententia ortum est aut scribendi errore; neque enim ita raro *esset* pro *est* positum est, ut II de Divin. 31: *Parum. credo, impudenter, quod, cum factus* *e s s e t* *motus, dicere* *a u d e n t, quae vis id effecerit.* Scribendum esse: *cum factus est* (id est, *quotiens* vel *si quando*), apparet; nec minus, apud Liv. II, 51, 1 restitui debere: *Cum* (i. e. *quo tempore*) *haec accepta clades* *e s t* (vulgo *esset*), *iam C. Horatius et T. Menenius consules erant.* Apud eundem XL, 22, 4, ubi editur: *Ut vero iugis appropinquabant, quod rarum in aliis locis esset, adeo omnia contecta nebula* cet., duplex est mendum; scripserat enim Livius: *quod rarum in* *a l t i s* *locis* *e s t.* Non alibi omnino raram esse nebulam, sed in altis et vento perviis locis Livius putabat.

34. *Quid enim dicis*) Excidit *dicis* etiam in Pal. 4 et Gud. 2. [Baiterus, omissum in B testans, delevit. Neque per se ullo modo omitti in tali interrogatione potest neque propter sequens *quin potius ita dicis* —?] Paulo post *sin autem* Gzius etiam e Spir. [B]. Tum cod. archetypus mendum habuit: *rerum appetendum* (Spir. [B], Gud. 2, Eχψ).

Ut Phidias —, *huic similis est sapientia*) Legitimus hic erat institutae orationis exitus: *sic sapientia hominem, quem a natura inchoatum accepit, absolvere debet, qualis institutus est.* Sed de-

ipsa genuit hominem, sed accepit a natura inchoatum; hanc ergo intuens debet institutum illud quasi signum absolvere. 35. Qualem igitur hominem natura inchoavit? et quod est munus, quod opus sapientiae? quid est, quod ab ea absolvi et perfici debeat? Si nihil in quo perficiendum est praeter motum ingenii quendam, id est,

2. *ergo* om. LP *igitur* C 3. *quare igitur* E *natura hominem* LPCROr. 4. [*quod est quod ab eo* Eh] 5. *et absolvi* C *sic nihil* E *in eo, quod perficiendum* ELCOr. *in eo quidem perf.* (P)R

clinavit Cicero a proposito, ut plenius rem eloqueretur. Verborum ordinem confirmat Spir. [B]. Antea erat: *huic est sap. sim.* Gzius, Bas. sequens, *est* delevit, puncto post *absolvere* posito, quo comparatio obscuratur. Paulo ante *a principio* „alii codices" Davisii, Eξχ, Monac., et ex C Man., Lamb.; *a primo* cod. Gron. [B]; vid. ad III, 32. Mox *hanc ergo* ex R Crat., tum Dav. ex CCC, Gzius etiam e Spir. [B], *hanc igitur* Man. et Lamb. ex C; et *ergo* et *igitur* omittebant codd. Pall., Oxx., Vict., Grut. Tum (35) *quare* pro *qualem* etiam Spir. [B]. De causa generandi hominis non quaeritur, sed qualis inchoatus sit.

35. *Si nihil in quo perficiendum est*) In codicum nostrorum principe fuit, ut ab antiquis et iterum inde a Gzio editum est: *si nihil in eo quod*; sic enim [B,] Pall., excepto quinto, Davisii plurimi aut omnes, Oxx. omnes (hi *sed* pro *si*), Gzii quattuor; quintus (Gud. 2): *nihil quidem in eo perficiendum*, nisi is habuit, ut in R (et a Manutio Lambinoque) scribitur, nescio unde, ineptissima particula; Pal. 5 et cod. Urs. *si nihil in eo perficiendum*, quod Davisius tenuit. Iam illud manifestum est, neque in huiusmodi sententia condicionali: *si nihil in eo est* omitti verbum posse, nisi cum e superiore simili condicione audiatur, et gravem soloecismum esse in hac oratione: *si nihil in eo est, quod perficiendum est* (pro *sit*). Sed gravius est sententiae vitium, quod ille, quem Davisius sequitur, corrector non vidit. Nam *in eo* est *in homine*. Atqui, praeterquam quod necessario sequi debebat: *necesse est ei* (neque enim ullo modo pronomini, quod est *is*, sic *huic* superaddi potest), manifestissimum est ex his verbis: *nunc de hominis summo bono quaeritur*, superiora non de homine posita esse, sed Ciceronem conclusionis causa dixisse, quid ei ultimum futurum esset, qui non, ut homo, ex animo et corpore, sed ex altera utra parte constaret: *si nihil in quo*, id. est, *in animali aliquo perficiendum est*, deinde ad hominem transire. Scriba non intellexit, *quo* pronomen indefinitum esse, et mutavit; cfr. ad III, 70. Iam rectum est *huic* (*tali*). [Poterat etiam ex *in eo quod* fieri *in aliquo.*]

rationem, necesse est, huic ultimum esse ex virtute agere; rationis enim perfectio est virtus; si nihil nisi corpus, summa erunt illa, valetudo, vacuitas doloris, pulchritudo, cetera. XIV. 36. Nunc de hominis summo bono quaeritur; quid ergo dubitamus in tota eius natura quaerere quid sit effectum? Cum enim constet inter omnes, omne officium munusque sapientiae in hominis cultu esse occupatum, alii (ne me existimes contra Stoicos solum dicere) eas sententias afferunt, ut summum bonum in eo genere ponant, quod sit extra nostram potestatem, tamquam de inanimo aliquo loquantur,

1. *hunc* LPR *hoc* C *ex virtute vitam augere* LC *ex virtute vitam frangere* P *ex virt. vitam fingere* ROr. 2. *sic nihil* E 3. *et cetera* LPCR 4. *quaeritur bono* E 5. *igitur* E 7. *sapientia est in* E 8. *Stoicum* E 10. *de* om. E *in annali quo* E *inanimali aliquo* LC *animali aliquo* (P)ROr.

ex virtute agere) *ἐνεργεῖν κατ' ἀρετήν*, quod idem est atque *ζῆν κατ' ἀρετήν*. Sed aptius illud fortasse visum est soli animo. Sic autem etiam Mor. codex (*e virt.*), nec Spir. dubito quin [ut B] cum Erl. consentiat; Gzius quidem narrat, in utroque desiderari verba *vitam fingere*; substitui *agere*, dicere oblitus est. Cum simplex *agere* non intellegeretur, additum est in deteriorum codicum principe *vitam* (*vitam agere*, ut recte hactenus scriptum est in ed. a. 1480, Crat.), sed deinde pro eo vitiose scriptum *vitam augere* (ut est etiam in Bas. et Gud. 1; Gruterus et Davisius tacent); hinc factum est *vitam fingere*, quod inde a Victorio ediderunt, Oxx., quod miror, taciti. De virtutis definitione dictum ad II, 88. Deinde Dav. malebat: *sin nihil*. In tali duarum pluriumve partium enumeratione recte bis *si* ponitur. Tum *pulchritudo*, *cetera* Gzius e Spir., Erl., Bas., Gud. 1 [B *cetera*, om. *pulchritudo*]; cfr. § 4. [Etiam B *queritur bono.*]

Cap. XIV, 36. *in tota eius natura quaerere quid sit effectum*) quid et in animo et in corpore a natura effectum sit, ut expoliri et perfici debeat. Quod antea inchoatum dixit (35: *qualem hominem natura inchoavit*), nunc *effectum* dicit; generavit enim natura hominem et fecit; contrarium est igitur *perficere*. Erravit Nissenius graviusque multo Gzius.

tamquam de inanimo aliquo) Ex melioribus codicibus de uno constat Erl. (ex quo ipso Gzius profert *annali quo*, omittit, quod veritatis indicium est, *in*), de ceteris tacetur; [B *in animali quo*;] in deteriorum principe videtur fuisse *de inanimali aliquo*, quod syllabis male geminatis et una littera *o* omissa ex vera scriptura ortum est; nam sic praeter editiones quasdam veteres

alii contra, quasi corpus nullum sit hominis, ita praeter ani-

1. *quasi contra* C *nullum sit corpus* C *nullum corpus sit* R

(a. 1480, Iunt., Crat.) etiam Ox. E et cod. Monac.; Bas. *nominali quo*, Gud. 2 *animali quo*. Inde a Victorio editum est, si Gzium excipias, *de animali aliquo*, Grutero et Davisio tacentibus. Quid sententia postularet, vidit Gzius, sed contra usum loquendi et codicum vestigia scripsit: *de non animali*; Orellius ad verum proxime accessit, cui placebat: *de inanimato aliquo*. Nam *animal* sane etiam Ciceronis et omnium sententia homo est; illi, quos hic reprehendit, sic de bono statuebant, quasi nullus esset animus hominis, quemadmodum alteri, ut ipse ait, *quasi corpus nullum esset hominis*. Superiores editores in eodem, quo Otto, errore fuisse videntur, qui enarrat: *quasi de animali aliquo, non de homine*. Apparet, *bestiam* dici debuisse; nam etsi animalia saepe sic dicuntur, ut homo non comprehendatur, tamen id numquam fit in huiusmodi locis, ubi genera distingvuntur et contraria ponuntur. Et in ipsis bestiis erat tamen animus, etiamsi non excelleret. Illos philosophos Cicero nullam omnino animi rationem habuisse dicit. *Inanimatum*, ut hoc addam, pro *inanimo* neque Ciceronem neque quemquam veterum dixisse, non magis quam *inarmatum* pro *inermo*, verissimum erat Lambini iudicium, cui olim non recte nonnulli contradixerunt; nunc fere ignorare homines videntur. Apud Ciceronem *inanimus* sine controversia scribitur Acad. II, 37, Tusc. I, 54 et V, 69, N. D. II, 76, in fragmento Hortensii apud Nonium p. 128, ab optimis codd. defenditur et in editionibus proximorum saeculorum legitur Off. II, 11, 12, 14, 17, N. D. I, 36, restitutum est codicum auctoritate Lael. 68, nuper etiam (ab Orellio ex antiquissimo cod. Einsiedlensi) Topic. 69; revocandum est optimis libris iubentibus III N. D. 40. Non recte igitur Zumptius in Verr. V, 171 e codicibus melioribus restituit *muta atque inanimata*, ubi *ta* ortum est e sequenti voce *tanta*. De Divin. II, 98 non numeravi, quia ibi ex optimis codicibus scribendum est, expulsa interpolatione: *valeat id necesse est non in hominibus solum, verum in bestiis etiam*. Cum illi, quos contra Cicero disputat, ad rem pertinere dicerent, quomodo caelo affecto compositisve sideribus *animal* natum esset, Cicero, quod de animali generatim dicatur, in bestiis etiam valere oportere ait, idque quam absurdum sit, apparere putat. Quod de animali diceretur, necessario etiam in inanimis valere, qui poterat affirmare? Praeter Ciceronem auctor illius vocabuli citatur scriptor rhetoricorum ad Herennium; sed codex vetustissimus bibliothecae regiae Parisiensis (7714), quem Krarupius contulit, IV, 61 habet *res animatas et inanimas* (ut Lambinus in curis secundis),

mum nihil curant, cum praesertim ipse quoque animus non inane nescio quid sit (neque enim id possum intellegere), sed in quodam genere corporis, ut ne is quidem virtute una contentus sit, sed appetat vacuitatem doloris. Quamobrem utrique idem faciunt, ut si laevam partem neglegerent, dexteram tuerentur, aut ipsius animi, ut fecit Erillus, cognitionem amplexarentur, actionem relinquerent. Eorum enim omnium, multa praetermittentium, dum eligant aliquid, quod sequantur, quasi curta sententia; at vero illa perfecta atque plena eorum, qui, cum de hominis summo bono quaererent, nullam in eo neque animi neque corporis partem vacuam tutela reliquerunt. 37. Vos autem, Cato, quia virtus, ut omnes fatemur, altissimum locum in homine et maxime excellentem tenet et quod eos, qui sapientes sunt, absolutos et perfectos putamus, aciem animorum nostrorum virtutis splendore praestringitis. In omni enim animante est summum aliquid atque optimum, ut in equis, in canibus, quibus tamen et dolore vacare opus est et valere; sic igitur in

1. *ipse* om. C *nominare* (pro *non inane*) LPCR 2. *enim* om. E *id* om. L 3. *is* om. P 6. *Herillus* (LP)CROr. 8. *aliquod* (pro *aliquid quod*) E 12. *relinquerent* E [*nos* Eh] 15. *aciem* — *praestringitis* Nonius p. 35 16. *perstringitis* LCR *enim* om. L

ut non dubium sit, quin etiam IV, 66 scribendum sit (cum Lambino): *res mutas atque inanimas.*

corpus nullum sit) Sic Gzius e libris suis omnibus [B]; ut C, aliquot veteres editiones; ut R, Manutius et deinceps ceteri.

sed in quodam genere corporis) Quid significet, dictum est ad II, 47; neque enim corpore inclusum animum, ipsum incorporeum, intellegi vult (quemadmodum hoc, quod cernitur, corpore continetur), sed ipsum esse corpus, adversus Stoicum Stoicorum sententia utens, qui animum σῶμα (aërem igneum) esse studiose defendebant; vid. Tennemanni Hist. Philos. vol. IV p. 59, Ritteri vol. III p. 605. De particulis *cum praesertim* vid. ad II, 25.

quasi curta sententia) Probabiliter Marsus et Lambinus *sententia est* [*curta est sent.*]. Curtum dicitur, cui pars aliqua ablata et detracta ad integritatem deest. De eo, quod sequitur, *illa eorum*, vid. ad III, 64. *Aliquod* pro *aliquid quod* etiam Spir. [B. Pro *eorum enim* possit videri scribendum *horum enim.*]

homine perfectio ista in eo potissimum, quod est optimum, id est, in virtute laudatur. Itaque mihi non satis videmini considerare, quod iter sit naturae quaeque progressio. Non enim, quod facit in frugibus, ut, cum ad spicam perduxerit ab herba, relinquat et pro nihilo habeat herbam, idem facit in homine, cum eum ad rationis habitum perduxerit. Semper enim ita assumit aliquid, ut ea, quae prima dederit, non deserat. 38. Itaque sensibus rationem adiunxit et, ratione effecta, sensus non reliquit. Ut si cultura vitium,

1. *potissimum* om R 2. *idem in* C 3. *quod intersit naturae* ELC *Non enim — spicam perduxerit* Nonius p. 225 *non enim* om. E 4. *hoc quod* (pro *quod*) LPCR *victum* (pro *ut cum*) Non. *cur cum* L [*produxerit* Eh, sed v. 6 *perd.*] 5. *fecit* C 8. *ne deserat* (LP)ROr. 9. *relinquit* COr.

37. *in eo potissimum — laudatur*) Davisius et Ernestius malebant *locatur*. Paulo brevius, sed et recte et perspicue Cicero scripsit, hac sententia: potissimum laudatur, quatenus in virtute perspicitur. Significat igitur praepositio, cuius rei in laudando ratio habeatur, non multo aliter atque hoc libro 76: *in gubernando nihil, in officio plurimum interest, quo in genere peccetur*, et Tusc. V, 24: *vexatur ab omnibus in eo libro, quem scripsit de vita beata.* Perfectionem autem Cicero dicit eam, qua tota hominis natura a sapientia absolvatur (34 et 35). Mox *quod iter sit* Gruterus e Pal. 4 et vetere cod. Scaligeri (Parr. tribus, El., Gud. 1, Bas., Mon., etiam Morel.), cum in ceteris (Pall., Mead., Oxx., Gzii) esset *quod intersit* [B], in editionibus fere *quid intersit.* Sed iam R recte.

Non enim, quod facit) Sic Davisius „fide Parisinorum". Certius testimonium Nonii. Ceteri deteriores codd., de quibus constat, et editiones ante Davisium: *Non enim hoc quod facit*; in Spir. [B], ut in Erl., aberat et *hoc* et *non enim*, hoc quidem posterius errore. [Nonne altero loco *perduxit?* Vid. ad V, 41.]

ut ea — non deserat) [Sic, ut Crat. et Lamb., nunc edidi propter codices, etiam B, Eξχ (de Gruteri, Dav., Gzii codd. tacetur), omissa cautionis significatione, quae est in *ne*; vid. ad II, 15.]

38. *sensus non reliquit*) ita ut eos nunc quoque habeamus. Describit Cicero, qualem iam a natura effectum hominem videamus; supra universe, iter naturae quale sit, ostendit. Iniuria Ernestius edidit *adiungit — relinquit*, quasi nunc demum homines fiant; incommodius Gzius *adiunxit* tenuit et e paucis codicibus (EUξ, duobus suis) et edd. vett. (a. 1480, Iunt.) *relinquit* scripsit, quasi diverso tempore haec natura fecerit ac faciat. Saepissime in codicibus scribitur *relinquit* et *relinquerat* pro *reliquit*, *reliquerat*.

Ut si cultura vitium) Eodem simili utitur Piso V, 39 et 40.

cuius hoc munus est, ut efficiat, ut vitis cum omnibus partibus suis quam optime se habeat, — sed sic intellegamus (licet enim, ut vos quoque soletis, fingere aliquid docendi causa): si igitur illa cultura vitium in vite insit ipsa, cetera, credo, velit, quae ad colendam vitem attinebunt, sicut antea, se autem omnibus vitis partibus praeferat statuatque nihil esse melius in vite quam se; similiter sensus, cum accessit ad naturam, tuetur illam quidem, sed etiam se tuetur; cum autem assumpta est ratio, tanto in dominatu locatur, ut omnia illa prima naturae huius tutelae subiciantur. 39. Itaque non discedit ab eorum curatione, quibus praeposita vitam omnem debet gubernare; ut mirari satis istorum inconstantiam non possim. Naturalem enim appetitionem, quam vo-

1. *partibus suis omnibus* LPCROr. 3. *soletis quoque* P 4. *sit* (pro *insit*) P 5. *attinebant* LC 7. *melius esse* E 8. *tuetur se* CROr. 9. *ratio est* (LP)CROr. [*tanta* Eh] 11. *omnem vitam* L 12. *et mirari* [Eh]L *satis eorum* omnes, Or. 13. *possum* E *possumus* C *possimus* LPROr.

Orationem sic Cicero orditur, quasi subiecturus sit *sic*, quod huic *ut* respondeat; deinde commodius visum est illud de vite vim culturae in se continente per se ponere; itaque orationem mutat (*si igitur illa*, non: *ut igitur illa*, *si*), tum subicit: *similiter. Omnibus partibus suis* etiam Spir. [B] et ed. Crat., ceteri ut Orellius. *Sic intellegamus* est: sic rem cogitando fingamus; vid. I, 17. Paulo post *se tuetur* quattuor Gzii, ut concurrant *etiam se*; [*si tuetur* B]. Edd. *tuetur se*; Eξ omittunt *tuetur*.

39. *satis istorum inconstantiam non possim*) Edebatur *satis eorum*, quod pronomen sua natura referri debebat ad significationem hominum proxime praecedentem; nam ipsum eos non demonstrat. Itaque Ernestius malebat: *eorum — qui naturalem appetitionem*, Gzius edidit *Stoicorum*. Praecedentis vocis extremae litterae cum pronominis primas duas hausissent, tertia mutata est. *Istorum* est *Stoicorum tuorum*, ut § 26: *Age nunc isti doceant* et § 42: *sic isti*, hoc est, *Stoici tui*; cfr. III, 40: *et ista maxime.* Sic autem scribendum esse, Wesenbergio quoque in mentem venerat. Deinde autem *possim* restitui ex Erl. [B] (*possum*) et mg. Crat.; de ceteris bonis codd. tacetur. Numquam in dialogis Cicero, cum suum iudicium significat, oratorio illo plurali numero utitur. Itaque si *possimus* diceret, humanum genus in hac Stoicorum inconstantiae admiratione satis inepte complecteretur, quod recte complectitur paulo post (*nobis relinquunt*).

cant ὁρμήν, itemque officium, ipsam etiam virtutem volunt esse earum rerum, quae secundum naturam sunt. Cum autem ad summum bonum volunt pervenire, transiliunt omnia et duo nobis opera pro uno relinquunt, ut alia sumamus, alia expetamus, potius quam uno fine utrumque concluderent.

XV. 40. At enim [nam] dicitis virtutem non posse con-

1. *ipsum* LP *virtutem* om. P *tuentem esse volunt* (pro *volunt esse*) C *tuentem volunt esse* LR *tuentem voluntatem* P 5. [*ea petamus* Eh] *appetamus* LPCROr. *omnia* (pro *utrumque*) LPCR *concludant* LPCROr. 6. *veram* (pro *nam*) C *natura* LROr. (sine uncis)

ipsam etiam virtutem volunt esse earum rerum) Paulo durius Cicero, ut eandem formam orationis et brevitatem servaret, genetivum, qui aptissimus est *appetitionis* voci, accommodavit etiam ad *officium* et *virtutem*, hac sententia: ipsam quoque virtutem in his versari et eas propositas habere volunt. [Similiter II de Orat. 30 *ars* dicitur *esse earum rerum, quae sciantur*, hoc est, ad eas referri: *geht auf dasjenige aus*; cfr. II de Divin. 25; Part. Orat. 13.] Sic autem edidit Gzius ex Erl., Spir. [B], Mon. In deterioribus codd. post *virtutem* aut ad genetivum explicandum additum est *tuentem* aut errore ex *virtutem* ortum. Appetitio non tuetur naturalia, sed petit; et *tuentem esse* pro *tueri* barbare dicitur. Pal. 4 et Gud. 2 ut P meus.

quam uno fine utrumque concluderent) *Utrumque* (opus et sumendi et expetendi) etiam mg. Crat., cod. Mor., vetus liber Manutii, El., Spir. [B] restituitque Davisius; ceteri *omnia*. *Concluderent* ex Erl. (in quo Gzius falso scribit esse *concludere*) et cod. Mor. et El. posui, non dubitans, quin idem in ceteris bonis inventuri fuerint, si attendissent; vid. ad II, 42. [Sic B. Tum annotaveram *appetendi* verbum hic ita poni, quemadmodum alibi poni *expetere* (αἱρεῖσθαι) ad III, 20 dixissem; ecce nunc ex Erl. et B profertur *ea petamus*, ex quo recte Baiterus *expetamus* fecit.]

Cap. XV, 40. *At enim [nam] dicitis*) Reliqui, ut Victorius fecerat, scripturam optimorum et plurimorum codicum, quod nulladum certa correctio inventa est. Sic enim Pall., Mead., EUψ, duo Gzii (Spir. [B] cum Erl.); proxime Morelianus: *at enim iam dicetis*. (Grut. et Dav. *iam dicitis*.) Tres Parr. apud Davisium: *at nam dicitis*. Lambini libri aut: *at enim nam* aut: *at nam*. Corrigendo effectum est: *at enim veram dicitis* in libris antiquis Sigonii et Tertii apud Manutium (in Gzianis, exceptis duobus, aut *at enim veram* aut *at enim vera*; El. *at enim nam veram*); in aliis autem libris (Memmiano Lambini, CCC): *at*

stitui, si ea, quae extra virtutem sint, ad beate vivendum pertineant. Quod totum contra est; introduci enim virtus nullo modo potest, nisi omnia, quae leget quaeque reiciet, unam referentur ad summam. Nam si omnino † nos neglegemus, in Aristonea vitia incidemus et peccata obliviscemurque, quae virtuti ipsi principia dederimus; sin ea non neglegemus neque tamen ad finem summi boni referemus, non multum ab Erilli levitate aberrabimus; duarum enim vita-

1. *sunt* EC 3. *legi* E *reficiet* EPCR 4. *referantur* LPCROr. *omnino ea neglegemus* Or. *negligimus* omnes 5. *incidemus* transp. post *peccata* LPCROr. (*incidimus* LC) 7. *intelligemus* E *negligimus* cett. *referimus* R 8. *Herilli* (LP)CROr. *aberravimus* E

enim natura, quod Marsus, Crat., alii, tum Lambinus, Gzius asciverunt. Sed nec *iam* aptum est, quasi nunc Stoici dicant, quod antea non dixerint [multo quidem minus, quod Baiterus recepit, futurum, quod ferri posset, si *dices* scriberetur, de Catone], nec illae correctiones probandae. Nam cum de constituenda virtute agatur, ut firmum fundamentum habeat et constet, de vera virtute quaeri, nihil opus est dici; nec quidquam tale additur aut § 41 (*nam constitui virtus nullo modo potest*, ubi apertum est, eadem verba adversus Stoicos converti) aut § 45 (*informari non posse virtutem*) aut § 54 (*nec virtutem posse constare*); et pravus est verborum ordo in adiectivo et substantivo divellendo. Multo minus *natura* ferri potest; quid est enim, natura virtutem constitui, et cui contrarium? an est quaedam, quae arte constituatur? Nisi *nam* totum scribendi errore ortum est, subest mendum occultius. Paulo post *referentur* ex uno, de quo constet, Erl. [et B] dedi; causam exposui ad III, 70. [*Reficiet* etiam B et Oxx. Eψ; correxit Ascensius 1511.]

si omnino † nos neglegemus) Si *nos* nominativum putabimus, et vitiose abundabit, cum nullum hic personae tanquam aliis contrariae notio momentum faciat, et desiderabitur accusativus, in quo praesertim pondus aliquod sententiae sit; sin accusativum esse voluerimus, graviora erunt vitia; nam neque *nos* de corpore, et quae ad id pertinent, intellegi potest, sed multo magis de animo, et sequitur: *ea non neglegemus*; manifestum est autem, utrobique idem obiectum esse debere. Itaque hic Davisius pro *nos* substitui mavult *haec*, Gzius Bremium sequens *ea* posuit, ut Lamb. tacite. Mirum tamen, qui et hoc exciderit et *nos* ortum sit; nam *nos ea* scribi propter eam, quam initio dixi, causam nequit. [Et si *ea* h. l. Cicero posuisset, postea eo omisso dixisset: *sin non negl.* Tentavi *nostra*, ut sic minus subtiliter Cicero appellarit, quae ad nos praeter virtutem pertinerent. Sed

rum nobis erunt instituta capienda. Facit enim ille duo seiuncta ultima bonorum, quae ut essent vera, coniungi debuerunt; nunc ita separantur, ut diiuncta sint, quo nihil potest esse perversius. 41. Itaque contra est, ac dicitis; nam constitui virtus nullo modo potest, nisi ea, quae sunt prima naturae, ut ad summam pertinentia tenebit. Quaesita enim virtus est, non quae relinqueret naturam, sed quae tueretur; at illa, ut vobis placet, partem quandam tuetur, reliquam

1. *seiuncta duo* C 2. *vera* om. C 3. *nunc illa* R *nunc ista* cett., Or. *et* E *seiuncta* E *potest nihil* C 5. *quae se* E *quae sint* cett., Or. 6. *summum* omnes 7. *est* om. LPC [*relinquerent* Eh]

potest ad hanc formam scriptum fuisse: *omnino omnia praeter animos negl.* aut similem.] Futurum, quod et ipsum per se necessarium est et propter id, quod sequitur, *non neglegemus — referemus*, post Lambinum Orellius restituit. Hoc autem posterius *neglegemus*, quod post Lambinum Ernestius restituit, Gzius ait in Erl. et Spir. atque edit. Crat. esse; de Crat. fallitur; in Erl. vestigium est verae scripturae, non ipsa [sed ipsa in B]; *referemus* omnes habent codices; Manutius propter *neglegimus* mutarat. [*Incid. et peccata* etiam B.]

Facit enim ille) Qualis sit illa Erilli levitas et cur in eam Stoicos incidere putet, exponit, de qua ad II, 43 dictum est. Nam ut *ille* sit Zeno, quod video nonnemini placuisse, fieri prorsus nequit, cum iam diu Cicero hunc auctorem disciplinae non nominarit, de scholae decretis loquatur. Nec Cicero, quamvis Stoicos, si alterum sequantur, Erilli similes futuros dicat, ipsum Zenonem duo ultima facere, sic simpliciter affirmare potest. Quod sequebatur: *nunc ista*, id, ne si de Zenone quidem haec dicerentur, recte poneretur (ut esset *ista vestra, Stoica*), quoniam, cum idem subiectum sententiae retineretur, oratio demonstrationem non reciperet; sed cum ad Erillum haec pertineant, ne speciem quidem excusationis habet. Recte igitur Man. et Lamb. *ita*, in quod etiam Gzius incidit. [*Seiuncta* etiam B.]

41. *ea, quae sunt*) Sic Manutius, Lambinus, Gruterus. Coniunctivus rationem nullam habet. [B *se.*] *Ad summum* etiam [B], Eχ et sine dubio ceteri; Aldus Manutius correxisse videtur. Paulo post *reliquam* recte Gzius intellegit *naturam*; si *partem* audiri Cicero voluisset, et *alteram* dixisset et sic posuisset: *unam partem tuetur*. *Institutio hominis* ea est, quam paulo ante (32) *primam institutionem* dixit, habitum et constitutionem a natura datam. [Ordinem inverti etiam ob B. Tum *hoc* etiam B de uno et brevi dicto.]

deserit. Atque ipsa hominis institutio si loqueretur, hoc diceret, primos suos quasi coeptus appetendi fuisse, ut se conservaret in ea natura, in qua ortus esset. Nondum autem explanatum satis erat, quid maxime natura vellet. Explanetur igitur. Quid ergo aliud intellegetur, nisi uti ne quae pars naturae neglegatur? In qua si nihil est praeter

1. *atque ista* L *institutio hominis* LPCROr. *haec* LPCROr. 2. [*quas* Eh] *inceptus* C *conceptus* R 3. *in* (ante *qua*) om. L 4. *quod* LPCR 5. *quid enim* C *intelligeretur* E *intelligitur* CR *ut in eque* E *ut eque* cett. *ut ne quae* Or.

quasi coeptus appetendi) Dubitationem habet vox *coeptus*, quae praeter hunc locum apud unum Statium poëtam semel legitur; [nam in codd. Catil. I, 6 errore orta videtur]. Potuit enim oriri e compendio eius, quod in R et paucis praeterea editionibus ante Victorium legitur, *conceptus* (*cceptus*), idque Gzius e quattuor suis codicibus se revocasse ait, cui tamen, cum in meis et Oxx. nihil varietur, vix credo. Et videtur *conceptus* nomen talem habere imaginem, quae particula mollienda fuerit, ductam a conceptu fetus, de quo fere solo dicitur substantivum; nam verbi significatio ab initio in plures cognatas scinditur, quae ab illa fetus significatione non oriuntur. Retinui in re dubia, quod certior codicum auctoritas tuetur, quod si verum est, Cicero substantivi novam formam ideo posuit, quod, cum *coepta* dicerentur, magis significaretur res coepta quam actus ipse hominis incipientis, ut genetivus addi non posset; et erat in huiusmodi formis secundum regulam extra communem usum fingendis aliqua sermonis libertas, e quo genere est *palmarum intentus* pro Sest. 117; *quasi* autem párticulam [*quas* etiam B] ideo addidit, quod non tam appetitiones ipsas quam coeptus appetendi appellabat. Fateor tamen, particulam non valde necessariam esse et coeptus illos *initia* appellari potuisse. Itaque non admodum improbo alteram scripturam. Quod V, 24 legitur de appetitione naturae progrediente et sensim alias atque alias res complectente: *coeptatque appetere et propulsare*, ad vocem *coeptus* hoc loco defendendam nihil habet argumenti.

uti ne quae pars) Sic (nisi quod *ut*) Gzius, cum etiam in Spir. [B] esset *ut ineque*; codd. Mor. et Scalig. *ut inaeque*. Marsus et Manutius e cod. Maffei *ut ne qua*. Ante eos edebatur, ut in codicibus deterioribus est (EUχ, Gud. utroque, Monac., Vindob.), *ut aeque* (*eque*). Pro *quid ergo* (ut est etiam in mg. Crat.; nam edebatur *enim*) cod. Mor. *quid igitur*. Paulo post *ante explanationem* etiam mg. Crat., cod. Mor., Spir. [B]; restituerat Davisius ex El. et Mead.; ante (et Oxx.) *explicationem*.

rationem, sit in una virtute finis bonorum; sin est etiam corpus, ista explanatio naturae nempe hoc effecerit, ut ea, quae ante explanationem tenebamus, relinquamus. Ergo id est convenienter naturae vivere, a natura discedere. 42. Ut quidam philosophi, cum, a sensibus profecti, maiora quaedam et diviniora vidissent, sensus reliquerunt, sic isti, cum ex appetitione rerum virtutis pulchritudinem aspexissent, omnia, quae praeter virtutem ipsam viderant, abiecerunt, obliti

3. *explicationem* PCR 5. [*perfecti* Eh] 6. *ac diviniora* COr. *ex* om. C 8. *quae* om. R *quae propter* LPC *propter quae* Or.

42. *Ut quidam philosophi*) qui cognitionem rerum a sensibus separarunt et sensibus fidem abrogarunt. Academicos autem maxime significat, etsi recentiores quidem non maiora ac, diviniora illa tenebant, sed omnem perceptionem una cum sensuum fide eiciebant. (*Et diviniora* etiam [B et] Ox. E; in plerisque edd. *ac* ex prima.)

quae praeter virtutem) Sic scribendum esse senserant Clericus et Davisius; et scripserat ita iam Ascensius 1511: Gzius auctores addidit Erl., Spir. [B], Bas., Gud. 1, in quo superscriptum erat *propter*. Hoc, frequenti permutatione, in deteriores codices irrepsit (quamquam Oxx. ex uno ψ annotant, ut saltem Eξ verum habuisse putem) et a Victorio et Gronovio editum est. Cum ineptum esset, *propter virtutem* philosophos illa vidisse, ex quibus virtutem eos aspexisse Cicero dixit, veteres editores (iam a. 1480, Crat., cett.), tum Gruterus substituerunt *propter quae*. Erunt autem etiam fortasse, qui *quae propter* eodem modo intellegi posse dicant, ut anastrophe sit. Verum etsi Cicero ter, si recte memini, sic hac anastrophe usus est, ut praepositionem casui suo subiectam alius exciperet accusativus (ad Att. X, 4, 1: *istos*, *quos propter omnia amisimus*, et X, 8, 8: *ut iis pareamus*, *quos contra me senatus*, *ne quid res publica detrimenti caperet*, *armavit*, et Verr. V, 153: *quem contra arma tulerant*), tamen id in tali oratione fecit, in qua apertissima esset pronominis relativi et praepositionis coniunctio, quod hic contra est. Nec Cicero, quamquam philosophos illos ex appetitione rerum virtutem aspexisse iudicat, ut ista appetitio prior fuerit, etiam propter res externas et corporis eos virtutem vidisse dicere potest, quoniam ea suam ex ratione originem habebat. In ea, quam restitui, scriptura quam sententiae perversitatem Orellius deprehenderit, non intellego. Nam praeter virtutem atque adeo ante eam (quoniam

naturam omnem appetendarum rerum ita late patere, ut a principiis permanaret ad fines, neque intellegunt, se rerum illarum pulchrarum atque admirabilium fundamenta subducere.

XVI. 43. Itaque mihi videntur omnes quidem illi errasse, qui finem bonorum esse dixerunt honeste vivere, sed alius alio magis; Pyrrho scilicet maxime, qui, virtute constituta, nihil omnino, quod appetendum sit, relinquat; deinde Aristo, qui nihil relinquere non est ausus, introduxit autem, quibus commotus sapiens appeteret aliquid, quodcumque in mentem

2. *permaneret* E 9. *quod cuique in mentem* omnes

eius lux post oritur) philosophi illi multa in ipsa illa appetitione rerum viderant et amplexi erant; ea postea abiecerunt.

permanaret ad fines) [B et] Oxx. EUξ *permaneret*, ut in aliquot ante Manutium editionibus est (Crat., Vict., nec tamen antiquissimis), χ *permanet*; de ceterorum codicibus non constat, nisi quod Gud. 2 habet *perveniret*. Permanandi verbum postulat notio naturae late patentis.

Cap. XVI, 43. *qui — relinquat*) Non utique necessariam causae significationem, quae in verbi modo est, non est tamen, cur sublatam velimus, ut hoc simile sit ei, quod sequitur: *non est ausus* cet., cum praesertim illa verba (*qui — non est ausus*) erroris significationem non contineant et tempus etiam verbi mutatum sit. Duriorem modi mutationem in eiusmodi sententiis, quae eandem formam servare debuisse videantur, ad II, 61 monstravi in Livii loco XXXVIII, 36, 4; [cfr. Ter. Andr. I, 5, 37—38: *quae — credidit; quam — habuerim.*]

quodcumque in mentem incideret) Sic pro *quod cuique* recte Manutius et editores inde a Davisio, praeceperantque correctionem, qui librum Latini Latinii et El. (utrum?) scripserunt; nam in aliis codicibus hoc repertum non est, etsi Gzius tacet. Confirmat emendationem et quod adiungitur: *et quodcumque occurreret*, et quod infra § 47 legitur. Sapientem Aristo ad aliquid appetendum commoveri volebat non eo, quod cuique in mentem incideret, sed eo, quodcumque ipsi; quibus autem verbis Aristo usus sit, non constat, nec quemadmodum totam rem persecutus sit; duo autem verba, quae ipse posuerit, a Cicerone vertendo exprimi, apparet cum ex eo, quod § 47 eodem modo haec diiungit (*quodcumque in mentem veniat aut quodcumque occurrat*), tum perspicue ex numero plurali pronominis relativi (*introduxit, quibus commotus* cet.). Itaque a Tennemanno (Hist. Philos. IV p. 220 sqq.) Cicero non tam ob obscuritatem horum verborum quam ideo reprehendi debuit, quod, posita verborum

incideret et quodcumque tamquam occurreret. Is hoc melior quam Pyrrho, quod [vel] aliquod genus appetendi dedit, deterior quam ceteri, quod penitus a natura recessit. Stoici autem, quod finem bonorum in una virtute ponunt, similes sunt illorum; quod autem principium officii quaerunt, melius quam Pyrrho; quod ea non occurrentia fingunt, vincunt

1. [*his hoc* Eh] 2. *quod vel* om. P *vel* om. E; sine uncis Or. *qui vel* C 3. *a* om. EP 5. *officium principii* L 6. *quod* om. E

formula, rei explicationem omiserit. Quod autem ipse Tennemannus, quid senserit Aristo, ex iis intellegi putat, quae apud Sext. Emp. adv. Mathem. XI, 64 sqq. dicuntur, ibi videmus Aristonem negasse, natura alia esse *προηγμένα*, alia *ἀποπροηγμένα*, sed talia esse *παρὰ τὰς διαφόρους τῶν καιρῶν περιστάσεις*, ita ut nulla esset *φυσικὴ ἑτέρων παρ' ἕτερα πρόκρισις, κατὰ περίστασιν δὲ μᾶλλον.* Verum tamen ignoratur, quid statuerit de discrimine et selectione harum rerum, si illae *περιστάσεις* non variarent. Stoici autem, a quibus erat progressus, cum omne agendi principium ab appetitu et reiectione rei aestimationem habentis aut non habentis ita repeterent, ut in hac ipsa *ἐκλογῇ* vim virtutis ponerent, nescimus, quid Aristo, sublato hoc discrimine, substituerit et quod officii initium posuerit. Itaque ut non affirmo, Chrysippum, quem Cicero in Aristone improbando sequitur (§ 68, II, 43 cet.), perspexisse, quid Aristo conaretur, sic Aristonis causa nunc satis firmiter defendi nequit.

quod [*vel*] *aliquod*) Hoc si recte scriptum est, significare debet: *quod aliquod tamen* (*saltem*), quem usum particulae olim annotabant e Terentii Phorm. II, 1, 71, ubi nunc, metro etiam flagitante, *vel* sublatum est, et, si non esset, non necessario ita accipiendum esset. [Sed vix aliter accipi potest apud Ciceronem ipsum ad Fam. XI, 22, 2 (*tamen vel probabilem*) nec apud Sveton. Ner. 47 (*vel Aegypti praefecturam concedi sibi*) aut Martialem X, 12, 5 (*messe vel una*) aut Plinium Epist. I, 12, 8 (*vel uno die*).] Et potuit ab hac orationis forma: *vel hoc sufficit* (ubi augetur exiguitas) deveniri ad hanc: *vel hoc fac* (id est, saltem), ubi ferimus exiguitatem. [Itaque, etsi etiam B particulam omittit, prorsus tollere ausus non sum.]

ea non occurrentia fingunt) *Occurrentia* plurali numero dixit singulas illas res, quae in mentem inciderent et quae incurrerent, quibus Aristo actiones moveri putabat; ad eam vocem pronomen, quod ad *principium officii* refertur, Latino more accommodavit et simul brevitate quadam usus est in verbo, hoc significans: quod non fingunt occurrentia et in iis id (principium officii)

Aristonem; quod autem ea, quae ad naturam accommodata et per se assumenda esse dicunt, non adiungunt ad finem bonorum, desciscunt a natura et quodam modo sunt non dissimiles Aristonis. Ille enim occurrentia nescio quae comminiscebatur; hi autem ponunt illi quidem prima naturae,

1. *quae et ad naturam* Or. 4. *illa enim* E 5. *illa quidem* Or.

ponunt; cfr., quae ad II, 19 dixi (*haec ultima bonorum*). [Nam haec omnia oriuntur e notissimo fonte; Gr. Lat. § 313.] Mox ante voces *ad naturam* Gzius *et* addidit, tamquam ex Erl. et Spir. Fallitur de Erl. [nec B *et* habet]; vid. ad II, 63. [*Assumenda* hic, ut I, 33, III, 18, Cicero dixit, quae alibi *sumenda*.]

ponunt illi quidem) Ut Davisius scribi voluerat, Orellius Gud. 1 (in quo tamen *illi* superscriptum erat) et Bas. (?) sequens scripsit: *ponunt illa quidem*. Mirere in tam nota re errari potuisse; vid., si tanti est, Ramshorn. p. 529, Beier. ad Off. II, 21 p. 44, [Opusc. nostra Acad. II p. 314, Gr. Lat. § 489 b]. Pronomen ad sustentandam particulam additum necessario ad subiectum refertur, in quo et conceditur aliquid (*ponunt illi quidem*) et contrarii aliquid obicitur. Pronomen pronomini in hac forma superadditum est V, 71 (*illa — complent ea quidem*) et V, 68 (*haec — sunt illa quidem*, ubi Gzius imperite *ista* mavult, quod pronomen sic poni nequit). Ad obiectum tum demum referri potest pronomen, si in eo solo id, quod contrarium est, notatur, ut II, 62 et IV, 38; itaque falso Lambinus, Schuetzius, Orellius in epist. ad Q. Fr. III, 1, 6 ediderunt: *Urbanam expolitionem urget illam quidem et Philotimus et Cincius, sed etiam ipse crebro interviso*; recte in codicibus est: *urget ille quidem*, eodem ordine, quo ad Q. Fr. I, 4, 3: *De novis tribunis plebis est ille quidem in me officiosissimus Sestius*. [Contra de R. P. II, 21 expectari poterat *praeclaram illam quidem*, ubi est *ille*.] Rectene in hac forma pronomen particulae subiceretur, iure dubitavit Beierus ad Orat. 13 (*multis quidem illa adiumentis*) non solum propter exemplorum raritatem, sed quod ea una est causa pronominis ponendi, ut ei particula adhaereat, etsi illo modo scribitur etiam ad Fam. XVI, 21, 6 (a Cicerone filio) et ad Att. XV, 13, 5; in Orat. 76, Brut. 167 et 267 ex scripturae varietate perspici potest, saepius in uno et altero codice aut veteribus editionibus aberrari. Idem hic V, 43 in cod. arch. accidit, ubi particula etiam verbo subiecta est. [Addantur, quae Halmius ad Philipp. XII, 18 annotavit in ed. Turic.] Paulo post *praeponunt* restituit post Manutios

sed ea seiungunt a finibus et summa bonorum; quae cum praeponunt, ut sit aliqua rerum selectio, naturam videntur sequi; cum autem negant ea quidquam ad beatam vitam pertinere, rursus naturam relinquunt. 44. Atque adhuc ea dixi † causa cur Zenoni non fuisset, quamobrem a superiorum auctoritate discederet; nunc reliqua videamus, nisi aut ad haec, Cato, dicere aliquid vis aut nos iam longiores

1. *et a summa* LPCROr. 2. *proponunt* [Eh]LPCR 3. [*quicquid* Eh] 4. *atque huc* E 5. *cum* (pro *cur*) E *cur* Or. sine nota mendi 7. *aliquid dicere* R

Gzius e Gud. 2 et Bas.; erat *proponunt*. Idem error erat III, 15 et 53 in ipso nomine *praepositorum*. [*A* post *et* omittit etiam B.]

44. *ea dixi † causa cur Zenoni non fuisset*) Aliter Cicero scripsit. Primum *cur* particula insolenter pronomini *ea* pro relativo subicitur; ut enim ex eo, quod dicitur: *multa dixi, quamobrem non posset*, non sequitur, ut etiam hoc rectum sit: *dixit ea, quamobrem*, eadem huius vocis ratio est, ut optime dicatur: *argumenta affero, cur* cet., vix autem probandum videatur: *ea, cur*, hoc est, *ea, propter quae*. [Ipsum *ea* vix ullam recipit ex brevitate excusationem, quasi haec sit sententia: *ea dixi, quae ostendunt*.] Et soloecum est *fuisset* pro *fuerit*, quoniam Cicero in verbo *dixi* non disputationem alio tempore a se habitam demonstrat neque, quo consilio superiora dixerit, significat, sed eius, quam nunc ipsum absolvit, disputationis summam colligit. Tum verborum hic ordo (*causa cur*) in sententia pendenti neque Ciceronianus est neque omnino prosae orationis, etsi nunc sunt, qui ita praeclare dici putent. (Infra § 46 sic ponitur subiectum *eorum omnia officia*, ut in eo oratio aliquantisper subsistat, deinde certam interrogationis formam ostendat.) Et tamen hunc ordinem omnes codices (Gruteri et Gzii) et primae editiones habent; *cur causa*, quod edebatur ante Gzium, primus Ascensius (1511) posuisse videtur. Postremo etiam Spir. [B] et Gud. 2, id est, melior familia habet *causa cum*, non *cur*. [Hinc olim effeceram: *causam Zenoni non fuisse*, quod Baiterus secutus est. Sed relinquitur molestissimum illud *ea*. Scribendum videtur: *Atque adhuc eam dixi causam* (i. e., eam causam egi, sic disputavi, ut ostenderem), *Zenoni non fuisse, cur* —.]

nisi aut ad haec) E§ *nisi tu ad haec*; Gzius mavult: *nisi aut tu*, ut contraria sint *aut tu* et *aut nos*. Verum *nos* non pro *ego* positum est, sed Cicero et se et Catonem comprehendens hoc dicit: aut nisi hic noster sermo iam longior factus est. Atque ita Cicero, cum de disputationis et sermonis progressu

sumus. Neutrum vero, inquit ille. Nam et a te perfici istam disputationem volo nec tua mihi oratio longa videri potest. Optime, inquam. Quid enim mihi potest esse optatius quam cum Catone, omnium virtutum auctore, de virtutibus disputare? 45. Sed primum illud vide, gravissimam illam vestram sententiam, quae familiam ducit, honestum quod sit, id esse solum bonum honesteque vivere bonorum finem, communem fore vobis cum omnibus, qui in una virtute constituunt finem bonorum; quodque dicitis, informari non posse virtutem, si quidquam, nisi quod honestum sit, numeretur, idem dicetur ab illis, quos modo nominavi. Mihi autem aequius videbatur, Zenonem cum Polemone discep-

1. *et* om. R 2. *mihi tua* C *tua mihi oratio longa mihi* E 6. *vestram illam* R 7. [*quid* Eh] [*bonum solum* Eh] *bonorum* om. L 10. *quidpiam* Or. *quod* om. L 11. *modo quos* E

loquitur, communicationis figura utitur, etiam ubi suam partem maxime significat, ut II, 85 (*nimium longi sumus*) et ibd. 104, ne quis hos locos eis adversari putet. quae ad § 39 dixi. Et tamen quod Cicero reapse suae orationis longitudinem significarat, Cato respondet: *nec tua mihi oratio* cet. Tum in Erl., Spir., Gud. 2 *mihi* post *longa* reici Gzius ait; in duobus reliquis, ut in Erl. [B], bis vox posita erat.

45. *Sed primum illud vide*) Huic respondet illud § 46: *Minime vero illud probo.* Mox Spir. [non B] *ducit familiam.* Paulo post pro *informari* cod. Mor. *conformari*; rectius alterum de notione constituenda. Deinde in aliqua ex editionibus Lambinianis errore scriptum est *quidpiam* et a Grutero propagatum, a Gzio (contra codd. Davisii, Oxx. EUχψ, suos, [B]) defensum. [Notissimum est, in huiusmodi condicione generali, in qua satis sit omnino vel de uno affirmari (*wenn irgend jemand, etwas*), dici *si quisquam*; vid. Gr. Lat. § 494 b, huius operis IV, 54, V, 77.] *Numeretur* Cicero brevius dixit, ut esset ἐγκρίνεται (*wird mitgezaehlt*), quod, in quo genere numeraretur, facile ex orationis cohaerentia apparebat. (Lambinus: *in bonis numeretur.*)

Mihi autem aequius videbatur cet.) Debebat Zeno in causa cum Polemone disceptanda a communibus initiis progrediens (ita ut in hac antiqua schola maneret, quamdiu liceret) videre, ubi primum controversia nasceretur, non, quod facit, relicta statim vetere schola, e qua profecerat, cum Aristone et Pyrrhone et similibus stans et iis se adiungens, iisdem, quibus illi, uti argumentis et sententiis (ut facit, cum ait, honestum quod sit,

tantem, a quo, quae essent principia naturae, acceperat, a communibus initiis progredientem videre, ubi primum insisteret et unde causa controversiae nasceretur, non, stantem cum iis, qui ne dicerent quidem sua summa bona esse a natura profecta, uti iisdem argumentis, quibus illi uterentur, iisdemque sententiis.

XVII. 46. Minime vero illud probo, quod, cum docuistis, ut vobis videmini, solum bonum esse, quod honestum sit, tum rursum dicitis, initia proponi necesse esse apta et accommodata naturae, quorum ex selectione virtus possit

1. *accederet* E 4. *his* L *a* om. EP 5. *ut* (pro *uti*) omnes 8. *bonum solum* E 9. *rursus* LPR *est* EL [*acta* Eh] 10. *ex electione* omnes *virtus* — *selectione* om. L

id esse solum bonum, et id eo confirmat, quod aliter virtus constitui nequeat). Sententiam minime obscuram, quam Kernius recte expressit, declaravi propter nonnullorum errorem, qui extrema verba (*uti iisdem argumentis*, *quibus illi* cet.) sic intellexerunt: *tamen uti sententiis et argumentis Academicorum et Peripateticorum.* Cogitarunt de rerum inter Stoicos et Peripateticos convenientia. Verum hoc loco id ipsum Cicero queritur, quod Zeno eam occultans argumentis sententiisque aliunde ascitis utatur. Nec *illi* ad unum Polemonem referri potest. Iam quid de Gzio dicam, qui sic verba ordinat: *aequius videbatur videre Zenonem cum Polemone disceptantem* et id enarrat: „horum sententias in conflictu ponere (!), comparare inter se"? Itaque in altera parte sententiae (*non stantem* cet.) retinet cum omnibus ante Manutium et Lambinum et cum Grutero ridiculum codicum [etiam B] mendum: *ut iisdem argumentis*, ne animadvertens quidem, apud Davisium et Ernestium aliter scribi, nec de sententia aut oratione verbum ullum addit. Pro *non stantem* Cicero poterat scribere *quam stantem*, ut ad regulam comparationis forma exacta esset; nunc comparativum (*aequius videbatur*) rettulit ad illius rationis, quam Zeno secutus esset, significationem eam, quae iam in superioribus inerat; deinde eam aperte tamquam rectae et aequae contrariam adiunxit. *A* ante *natura* omittebant „tres optimi" Gzii, [B].

Cap. XVII. 46. *ex selectione*) Sic Davisius ex editione Manutii et „aliquibus codicibus" et deinceps recentiores; antea erat *ex electione*; sed semper haec *selectio* appellatur (II, 43, III, 12, 20, 31), et id nomen sequitur. In continua scriptura hoc *EXSEL.* transibat necessario in *EXEL.* in iis codicibus, in

existere. Non enim in selectione virtus ponenda erat, ut id ipsum, quod erat bonorum ultimum, aliud aliquid acquireret. Nam omnia, quae sumenda quaeque legenda aut optanda sunt, inesse debent in summa bonorum, ut is, qui eam adeptus sit, nihil praeterea desideret. Videsne, ut, quibus summa est in voluptate, perspicuum sit, quid iis faciendum sit aut non faciendum? ut nemo dubitet, eorum omnia officia quo spectare, quid sequi, quid fugere debeant? Sit hoc ultimum bonorum, quod nunc a me defenditur; apparet statim, quae sint officia, quae actiones. Vobis autem, quibus nihil est aliud propositum nisi rectum atque honestum, unde officii, unde agendi principium nascatur, non reperietis. 47. Hoc igitur quaerentes omnes, et ii, qui, quodcumque in mentem veniat aut quodcumque occurrat, se sequi dicent, et vos ad naturam revertemini. Quibus natura

1. *in electione* C 2. [*aliquod* Eh] 6. *summa inest voluptate* L [*quod hijs* Eh] 8. *que spectare* Ė [*quod fugere* Eh] 9. *nunc* om. C 10. *apparent* L 13. *reperieris haec igitur* E *quaeritis* (*queritis*) omnes *et hij quod quicumque* E 15. *sed vos* C *revertimini* ELCROr.

quibus scribebatur *existo* et cetera eadem ratione. Atque ego mihi persvadeo, propter ipsam naturam praepositionis et communem pronuntiandi legem ex ore Latino neque *e selectione* auditum esse, non magis quam *esisto*, *esilio* (ostendunt enim compositae voces, ante litteram *s* alterum praepositionis elementum non obscuratum esse), neque *ex selectione*, non magis quam *exsisto*, *exsilio*, hoc est, *ecssisto*, *ecssilio*; nam, media littera extrita ante alteram eandem, retinebatur *ec* (*ἐκ*), ut in *ecfero*. Itaque non distingvebantur pronuntiando (saltem in celeri pronuntiatione), sed tantum scribendo *ex selectione* et *ex electione*. Paulo ante *rursum* etiam Spir. [B]; reliqui Gziani et Eψ *rursus*.

ut id ipsum — aliud aliquid acquireret) Nullam rationem ducit distinctionis a Stoicis excogitatae, cum ad virtutem pertinere docebant, non *τὸ τυγχάνειν τῶν κατὰ φύσιν*, sed *τὸ πάντα ποιεῖν ἕνεκα τοῦ τυγχάνειν αὐτῶν*, de qua ad superiorem librum dictum est.

ut nemo dubitet — debeant?) Continuari interrogationem puto. Alii declarative, non interrogative, dictum statuunt: *ita ut nemo dubitet* cet. Paulo post *vobis* (*vobis autem* cet.) notabiliter accommodavit ad secundariam sententiam, quia prior erat.

47. *Hoc igitur quaerentes omnes et ii, qui —, et vos ad naturam revertemini*) Edebatur fere ante Gzium: *Hoc igitur quaeritis*

iure responderit, non esse verum, aliunde finem beate vi-

omnes, *et ii* — *revertimini*, orationis et sententiae compage dissoluta. Nam nec illa priora: *Hoc igitur quaeritis omnes* sic seorsum posita ullam vim habent, et prorsus obscuratur id, quod caput est, illius principii reperiendi causa philosophos illos ad naturam reverti; conflari haec principii conquisitio et ad naturam reversio in unum oratione debet. Deinde *et* ante *ii* sic sententias coniungit, ut ad pronomen non pertineat; et tamen apparet, necessario sic coniungi haec: *et ii*, *qui* — *et vos*, ut in duas partes *omnes* illi dividantur. Atque hoc Lambinus sentiens, cui Davisius assensus est, post *vos* addidit *qui*, ut illis *quaeritis omnes* subiceretur: *et ii*, *qui* — *et vos*, *qui*. Atqui sic summa sententia, ad naturam illos reverti cogi, cui proxima annectuntur (*Quibus natura* cet.) et in qua omnis disputatio versatur, ex primario loco detruditur et obscuratur, et solis tantum Stoicis hoc accidere dicitur. Laudandus igitur hic Gzius, qui cum in Spir. repperisset *queretes* [B *queritis*], in Bas. et Gud. 1 *quaeres* (Gud. 2 *quaesitas*), vidit scribendum esse: *Hoc igitur quaerentes omnes*, *et ii*, *qui* —, *et vos ad naturam* cet. (Oxx. edentes *quaeretis*, e ψ annotant *quaeritis*, e χ *queritis*.) Illud non recte fecit, quod praesens *revertimini* [B] retinuit, quod cum illo, quod in sententia relativa est, *dicent*, nullo modo congruit; satis enim ex eo apparet, quod etiam ex superiore *reperietis* intellegitur, Ciceronem, quasi conari et periculum facere iubentem, in quam necessitatem venturi sint, praedicere. Recte igitur cum P nostro „fere Pall.“, Mead., CCC „aliique codices“ Davisii, Gud. 2 habent *revertemini* (quod Manutii ediderunt et post eos Oxx., qui praesens annotant ex ξψ), sive id ex codice archetypo servatum [ut etiam in A fuerit] sive correctione natum est. Saepissime enim haec ipsa forma verbi in praesens mutatur. Ceterum minus acute Cicero sic locutus est, ut Aristonem ab occurrentibus et Stoicos a summo bono in una virtute posito ad naturam revertentes coniungeret; nam Aristo non ab occurrentibus ad naturam revertebatur, sed Aristo et Stoici a communi summo bono discedere coacti ille ad occurrentia confugiebat (*penitus a natura recedens* § 43), hi ad principia naturae revertebantur. Ac ne quis hanc confusionem ea, quam secutus sum, correctione in Ciceronis orationem inductam esse dicat, ex qua *revertemini* pertinet etiam ad *et ii*, apparet eam inesse in tota disputationis forma et in his ipsis verbis: *ii*, *qui* — *dicent*; relativa enim sententia continet id, quod ita dicunt, ut tamen alibi principium quaerere cogantur. Qui ipsius Ciceronis verba sententiae veritatis causa mutanda putabit, sic scribet: *Hoc igitur quaerentes omnes et illi* (hoc enim

vendi, a se principia rei gerendae peti; esse enim unam rationem, qua et principia rerum agendarum et ultima bonorum continerentur, atque ut Aristonis esset explosa sententia, dicentis, nihil differre aliud ab alio nec esse res ullas praeter virtutes et vitia, inter quas quidquam omnino interesset, sic errare Zenonem, qui nulla in re nisi in virtute aut vitio propensionem ne minimi quidem momenti ad summum bonum adipiscendum esse diceret et, cum ad beatam vitam nullum momentum cetera haberent, ad appetitionem

1. *gerendi* E *petiisse* (pro *peti esse)* E 5. *quicquid* E 7. *aut vitio* uncis inclusit Or. *minimam* P 9. *ea res haberet* omnes, Or.

tum pronomen poni debebat), *quodcumque — veniat — occurrat, se sequi dicent et vos — revertemini.* Nos, quid scripserit, quaerimus.

esse unam rationem, qua — continerentur) Prorsus notabiliter Cicero, cum apte ad id, quod praecedit (*revertemini*), orsus esset a futuro potentiali (— sic cur appellem, apparebit ex iis, quae disputavi Opusc. Acad. II p. 82 sqq., 97 sqq. —), orationem ad aliud tempus transtulit (*continerentur*, *esset explosa*, *interesset* cet.). Apparet Ciceronem, orationis initii oblitum, visum esse sibi supra aut narrasse, quid Zenoni ad naturam revertenti accidisset (*quaerenti natura iure respondebat*), qua forma § 55 utitur: *minus probabantur* cet., aut condicionaliter locutum esse: *si ad naturam reverteremini, iure illa vobis responderet.* Cum huiusmodi commutatione orationis comparatae leviores eiusmodi, qualem in § 31 annotavi, prorsus obscurantur; illa, etsi in alio genere, non minoris est neglegentiae, quam III, 51 vidimus.

nisi in virtute aut vitio) Ad summum bonum adipiscendum virtus, non vitium propensionem habet; itaque inde a Guyeto et Davisio duas postremas voces delendas putant. Mihi non prorsus certum est, nullo modo fieri potuisse, ut, cum consvesset Cicero virtutis et vitii mentionem coniungere, quae sola ad vitam momenti aliquid habere Stoici putarent, hic quoque, quamquam de *adipiscendo* summo bono diceret, utrumque neglegentia quadam nominaret, obscure contrariam propensionem ad miseram vitam complectens. Itaque non ausus sum notam apponere. [Cfr. III, 11.] Sed tamen ita hic omnia ad vitae beatae et bonorum et rerum appetendarum notionem referuntur, ut vix credibile sit, Ciceroni illud ex altero genere occurrisse.

et, cum — nullum momentum cetera haberent, ad appetitionem tamen cet.). Secutus sum perspicuam et necessariam emenda-

tamen rerum esse in iis momenta diceret; quasi vero

1. *autem* (pro *tamen*) omnes, Or. *in his* ELPCOr.

tionem Davisii et Bremii. Accusatur Zenonis inconstantia in constituenda eorum dignitate, quae extra virtutem sunt. Ea (*cetera*) is negabat momentum ullum habere ad vitam beatam, quae et sine iis esset nec cum iis beatior fieret; et tamen ad appetitionem rerum summum in iis momentum esse dicebat; nam inde omne initium appetendi aliquid et agendi commoveri (43, 48 cet.). Ciceroni autem videtur haec appetitio a summi boni adeptione non posse seiungi (nam id esse ultimum rerum appetendarum; § 34). In codicibus et superioribus editionibus sic scribitur: *et*, *cum ad beatam vitam nullum momentum ea res haberet*, *ad appetitionem autem rerum*, *esse in his momenta diceret*; quam scripturam difficile est refutare; adeo nulla ei sententia subici potest. Quae est enim *ea res?* quaenam illa, de quibus dicitur *in his?* ad quamnam rem dicuntur *in his esse momenta?* quae est postremo haec, quae in Zenone reprehendatur, repugnantia, quod, cum *ea res* (nescio quae) momentum nullum habeat ad beatam vitam, et tamen ad aliud habeat, haec (nescio quae alia) momentum (ad nescio quid) habere dicat? Interpretatur tamen Gzius: *eam rem* esse *propensionem*; *in his* esse *in virtute aut vitio.* (At voces *aut vitio* homo supra fidem perversus tollendas censuerat.) Serione huiusmodi deliramenta refutanda sunt? Putes fortasse res habere propensionem ad vitam beatam aut miseram efficiendam. At hic te docebit, propensionem non habere momentum, id est, propensionem ad beatam vitam, et tamen ad appetitionem rerum, et, quamquam hoc ita sit, tamen Zenonem dicere, in virtute et vitio esse momenta. Discas etiam (modo intellegas), „velle auctorem, vim quidem in res appetendas virtutem et vitium exerere, non vice versa.“ Et tamen hic locum recte habere persvasit, non dico Billerbeckio aut Ottoni, sed Orellio. Adeo satis est verborum strepitum edere. Contraria esse *ad beatam vitam* et *ad appetitionem rerum*, *nullum momentum habere* et *esse in his momenta*, ut coniungenda haec sint: *ad appetitionem rerum esse in his momenta*, et haec duo, momentum nullum habere et momenta habere, de eadem re dici, in cuius vi constituenda Zeno sibi non constiterit, vel ex orationis forma adeo manifestum est, ut nihil possit magis. Itaque et *in iis* respondere debet pluralis numeri voci, quae latet sub illo: *ea res*, et *autem* corrigi. Latere autem significationem omnium ceterarum rerum (quae sint secundum naturam) praeter virtutem, non magis obscurum ei esse potest, qui aliquid ex hac tota disputatione intellexit.

haec appetitio non ad summi boni adeptionem pertineret! 48. Quid autem minus consentaneum est, quam quod aiunt, cognito summo bono, reverti se ad naturam, ut ex ea petant agendi principium, id est, officii? Non enim actionis aut officii ratio impellit ad ea, quae secundum naturam sunt, appetenda, sed ab iis et appetitio et actio commovetur.

XVIII. Nunc venio ad illa tua brevia, quae consectaria esse dicebas, et primum illud, quo nihil potest brevius: Bonum omne laudabile; laudabile autem omne honestum; bonum igitur omne honestum. O plumbeum pugionem! Quis enim tibi primum illud concesserit? (quo quidem concesso, nihil opus est secundo; si enim omne bonum laudabile

1. *appetitionem* L 3. *ab ea* LPCOr. *ad ea* R 4. *officium* L 6. *petenda* E *his* LPCOr. 7. *vero* (pro *venio*) L *nemo* R *tua illa* E *confectoria* C 8. Post *potest* add. *esse* PCR 9. *omne bonum* L [*omne* post *autem* om. Eh] 10. *igitur omne bonum* LPCROr. 11. *illud primum* COr. [*quo quam* Eh]

Ergo Davisius scribendum putavit: *ceterae res haberent*, *ad appetitionem tamen rerum* cet. Pro *ceterae res* Bremius melius *cetera*, et quod minor mutatio est et quod statim sequitur *appetitio rerum* (ubi *rerum* communiter explet notionem appetitionis; cfr. 42). *Autem* Lambinus delevit.

48. *ex ea petant*) Sic etiam Spir. [B], et recte hoc quoque dicitur, ut e naturae fonte hauriatur principium (quemadmodum II, 50 *e macello laudem petere* dicitur et pro Arch. 16 *delectationem e studiis* et ad Q. Fr. III, 8, 1 *praesidium ex alicuius benevolentia*), non solum *ab* ea tamquam persona accipiatur (47 et alibi). [Dicendum est, quod putaram tacite satis esse correctum. Prave comma ponitur inter *quam* et *quod*; vitiose enim dicitur: *quid minus consentaneum est quam se reverti*, interposito per parenthesin *quod aiunt*; recte: *quam quod aiunt se* cet. Cfr. Off. III, 28.]

Cap. XVIII. *quo nihil potest brevius*) *Esse*, quod interponebatur, Gzius sustulit, ab omnibus (?) suis abesse testans. [Om. B.] Ad Att. V, 1, 3: *Nihil potuit dulcius*, ibd. XIII, 38, 1: *Hoc quidquam pote impurius?* Et sic saepius in hoc negativo comparandi genere post *potest* omittitur *fieri* vel *esse*. De re vid. III, 27 sqq. [Paulo ante Th. Bentleius *consectaria dicebas*, omisso *esse*, non improbabiliter.] Mox *bonum igitur omne* (pro *igitur o. bon.*) etiam Spir. [B om. *bon. ig. o. hon.*] Tum *primum illud* codd. omnes aut fere omnes (Spir. [B], Gud. 1, Mon.), Crat., Vict. Alter ordo e prima ed. in Manutianam et ceteras venit.

est, omne honestum est); 49. quis igitur tibi istud dabit praeter Pyrrhonem, Aristonem eorumve similes? quos tu non probas. Aristoteles, Xenocrates, tota illa familia non dabit, quippe qui valetudinem, vires, divitias, gloriam, multa alia bona esse dicant, laudabilia non dicant. Et hi quidem ita non sola virtute finem bonorum contineri putant, ut rebus tamen omnibus virtutem anteponant; quid censes eos esse facturos, qui omnino virtutem a bonorum fine segregaverunt, Epicurum, Hieronymum, illos etiam, si qui Carneadeum finem tueri volunt? 50. Iam aut Callipho aut Diodorus quomodo poterunt tibi istud concedere, qui ad honestatem aliud adiungunt, quod ex eodem genere non sit? Placet igitur tibi, Cato, cum res sumpseris non concessas, ex illis efficere, quod velis? Iam ille sorites, quo nihil putatis esse vitiosius:

1. *est* post *honestum* om. E *omne laudabile honestum est* LC *tibi ergo* LPCROr. 3. Post *Aristoteles* add. *vero* C 5. *esse dicunt* LPC *et ii* R 7. *esse* om. (L)Or. 9. *Carneadium* Or. 10. [*Calippo* Eh] *Calliphon* (L)Or. *quo poterunt* P 11. *adiungant* PCROr. 14. [*quid velis* Eh]

omne honestum est) quia honestum et laudabile idem est, ut simpliciter commutari haec possint, nihil opus sit illo gradu conclusionis: *laudabile autem omne* cet. Non intellexit, qui ita interpolavit, ut in LC factum est; eam interpolationem ad alias quasdam editiones propagatam secuti sunt, quod mirere, Lambinus (1565) et Davisius (contra Pall. Davisianosque codd.). [*Est* om. etiam B.]

49. *quis igitur tibi*) Sic etiam Spir. [B]. Orationis cohaerentiam, quae *igitur* et illum ordinem postulat, interpungendo significavi. Post *Aristoteles* etiam ed. a. 1480 et ex prima Manutius et Lambinus addunt *vero*, inutiliter. Tum pro *dicant* priore loco etiam El., CCC, Gud. 1, 2, Bas., Mon., ed. Vict. *dicunt*. Paulo post *esse* ante *facturos* excidit post *eos* in uno et altero malo codice (Gud. 1, ed. Crat.), deletumque est a Gzio.

50. *qui — aliud adiungunt*) Sic tres codices Gzii (id est, Erl., Spir. [B], Gud. 2); causalis significatio non necessaria est. Pro *quomodo* Pall. omnes, Gud. 1, Vict., Grut. *quo*; vid. ad II, 53. Paulo post (*Placet igitur tibi — velis?*) interrogandi notam, a Gzio sublatam, restitui; nimis rustice Cicero Catonem prudentem fallaciis uti insimularet.

Iam ille sorites, quo nihil putatis esse vitiosius: Quod cet.) Transit (*iam*) ad alterum Stoicorum argumentum, quod ipsi Stoici neque soritam appellabant neque esse concedebant, qui

Quod bonum sit, id esse optabile; quod optabile, id expetendum; quod expetendum, id laudabile; dein reliqui gradus. Sed ego in hoc resisto; eodem enim modo tibi nemo dabit, quod expetendum sit, id esse laudabile. Illud vero minime consec-

1. [*quid* Eh] [*quod optabile* om. Eh] *id est expetendum* R *id esse expet.* COr. 2. *id* om. LPCROr. *deinde* LCROr. 4. *Illud vero — illorum* Nonius p. 91 [*consectarum* Eh] *consentaneum* C *coniecturarium* Non

soritae fallaciam studiose dissolvere conarentur, Chrysippus maxime (Acad. II, 92 sqq., Sext. Emp. adv. Mathem. VII, 416; unde *Chrysippi acervus* dicitur Pers. sat. VI extr.). Itaque verba sic intellegenda sunt: Iam *illud*, quod sequitur (altera vestra conclusio), sorites est, quo (sorita universe) cet. Sed *illud* Latini sermonis lex (cfr. § 43) accommodat sequenti nomini, ut sit *ille*. [Baiterus in ed. min. e Kayseri coniectura: *sorites est*; in idem Ussingius inciderat.] Apparet igitur, nomen *soritae* sic poni, ut sub id genus hanc Stoicorum conclusionem cadere Cicero dicat et in eo reprehendat. Itaque in relativo (*quo nihil*) prorsus generis notionem tenet, dure, nec tamen ut scripturae corruptae suspicio nasci debeat. Nec enim lenior est in relativo notionis transitus in iis locis, quos ad II, 61 ascripsi. Sed superiores editores voces *ille sorites* sic accipiebant, tamquam esset: *ille vester sorites*, et sententiam imperfectam esse putabant, cum Cicero, alio orationem avertens, huic nominativo verbum subicere neglexisset; illis autem: *quo nihil — vitiosius* parenthesis notam addebant. Ita in *quo* necessario intellegi videbatur non *sorites*, sed *ille sorites*; quod cum perversum esset, Stoicos suo ipsorum argumento nihil esse vitiosius dicere, alii pro *vitiosius* scribi malebant *speciosius* aut *melius* (quod Dav. e Mead. recepit, et sic Oxx. Eξ, Mon.), quo tota haec adiectio inanis fit, alii, sententia quae esset, animadvertentes, post *quo* addendum putabant *genere*. (*Quo* neutro genere intellegere, ut sit *qua re*, quod video placuisse nonnemini, non licet; multo aliter I, 20 dicitur *in quo*, id est, in eo, quod tota sententia significatur; nec sic genus soritae significari poterat.) Ut ad rem redeam, cur hunc potius Cicero quam superiorem soritam appellet, non video, nec ullo id iure fecit; neque enim minutatim addendo aut detrahendo Stoici progrediuntur, quasi optabile aut paulo plus aut minus sit quam bonum et sic porro. *Id expet.*, om. *esse*, etiam Spir. [B]. *Id* ante *laudabile* addidi e quattuor Gzii codicibus (Erl. et tribus aliis) [B]. Pro *deinde* etiam Spir. [B] *dein*. *Eodem modo* pertinet ad ea, quae § 49 init. dixit.

tarium, sed in primis hebes, illorum scilicet, non tuum, gloriatione dignam esse beatam vitam, quod non possit sine

1. *habes* omnes, Nonius *scilicet non tum* E *scilicet nominum* ceteri; om. Or. 2. *quae non possit* LC *quo non p.* R *quod nisi p.* E

sed in primis hebes, illorum scilicet, non tuum) Cum Cicero contumelioso vocabulo usus esset, ne ipsum Catonem petisse videretur, addidit, facile intellegi nec se oblitum esse (*scilicet, es versteht sich*, cfr. ad V, 3), non Catonis illud fuisse argumentum, sed Stoicorum Graecorum, quorum is sententias exposuisset. Veram scripturam facile erui e vestigiis codicum Erl. [B] et Spir. (e quibus Gzius profert: *scilicet non tamen* vel *tam*). Cum leviter corruptum esset *tuum*, in deteriorum codicum principe effectum est: *scilicet nominum* (Pall. et Dav. omnibus, ξχψ, Gud. 2, nec dubito, quin falso Gzius scribat, in Gud. 1 et Bas. esse tantum *scilicet*). Eas voces delenti Mureto (Varr. Lectt. IV, 13) assensi omnes sunt inde a Lambino, utentes etiam levissimo testimonio codicis C. Sigonii. Unde ortum esset mirabile additamentum, nemo dicere conatus est, nisi quod Gzius ex eo natum ait, quod in codicibus (Dav., Oxx., Gzii, id est, archetypo) scriptum esset *habes*; quod quam illius adiectionis causam habeat, difficile est videre. Miror, Muretum non sensisse, in sua scriptura prorsus perverse abundare *illorum*; sic enim ponitur, tamquam hoc magis Stoicorum sit quam superiora. Pro *consectarium*, in quo inest notio acuminis (III, 26), in Nonii codice miro errore scriptum erat *coniecturarium*, quod ille *efficax, perfectum* interpretatur. [Quod *habes* pro *hebes* e B non annotatur, Baitero iure suspectum est. Correxit Ascensius 1511.]

quod non possit cet.) Sic „aliquot Pall.“ et editiones inde a Grutero; nam Lambinus *quia non*, superiores fere (Mars., Crat., Vict., Man.) et plerique codices deteriores (EUξχ) *quae non*, quod ferri non potest propter illa verba: *ut iure* cet. (Itaque ea Manutius tolli volebat.) Manifestum est autem ex causali orationis forma, haec sic a Cicerone dici, tamquam Stoici ex eo, quod sine honestate nemo iure gloriari possit, efficiant, beatam vitam gloriatione dignam esse, illud autem pro concesso sumant, beatam vitam esse honestam. At illi pro concesso ponebant, gloriatione dignam esse beatam vitam; deinde assumpto, gloriationem tantum in honestatem cadere, concludebant, beatam vitam esse honestam. Itaque ordinem conclusionis Cicero perturbavit et primum eius gradum cum eo, quod tota conclusione efficiebatur, permutavit. Cfr. ad III, 28. (Nam si quis *quod non possit* pro *quod non posse* (*nec id p.*) positum defendere conatur (comparato illo ex I, 19: *quo effi-*

honestate contingere, ut iure quisquam glorietur. 51. Dabit hoc Zenoni Polemo; etiam magister eius et tota illa gens et reliqui, qui, virtutem omnibus rebus multo anteponentes, adiungunt ei tamen aliquid summo in bono finiendo. Si enim virtus digna est gloriatione, ut est, tantumque praestat reliquis rebus, ut dici vix possit, et beatus esse poterit virtute una praeditus, carens ceteris, nec tamen illud tibi concedet, praeter virtutem nihil in bonis esse ducendum. Illi autem, quibus summum bonum sine virtute est, non dabunt fortasse, vitam beatam habere, in quo possit iure gloriari; etsi illi quidem etiam voluptates faciunt interdum gloriosas.

XIX. 52. Vides igitur, te aut ea sumere, quae non concedantur, aut ea, quae etiam concessa te nihil iuvent. Equidem in omnibus istis conclusionibus hoc putarem philosophia nobisque dignum, et maxime, cum summum bonum

2. *Polemon* R 6. *ceteris rebus* LPCROr. 7. *tibi* om. L 10. *iure possit* (LP)CROr. 12. *sumere — aut ea* om. E *ea assumere* C 13. *adiuvent* C 14. *conclusionibus istis* E

ceretur), ut hic sit quasi alter gradus conclusionis, praeterquam quod ea forma vix ferri potest in argumenti progressione, aperte sic ponitur hoc: *illud vero — beatam vitam*, ut his verbis non primus gradus conclusionis contineatur, sed exitus et summa, cum praesertim aliter summa conclusionis omnino non indicetur.) Refutatio tamen recte procedit, etiamsi concedatur, vitam beatam gloriatione dignam esse et id sine honestate fieri non posse, non tamen sequi, ut nihil in ea sit praeter honestatem.

51. *Polemo*) Sic Gzius ex omnibus suis (ut ed. a. 1480, Lambinus); propagatum enim erat *Polemon.* (Magister Xenocrates est.) Mox *reliquis rebus* ascivi e melioribus libris (tribus Gzii, mg. Crat., [B]); erat *ceteris.* Similiter V, 87 ed. princeps substituit *ceteros*, et in Cat. II, 19 codices meliores et plures habent *reliquis*, alii *ceteris.* Referri inter se *et beatus — nec tamen*, propter Gzium dico. [Ceterum pro sapiente, de cuius vita beata agitur, hic (*et beatus esse pot.*) ipse substituitur Polemo. *Possit iure* etiam B. Editiones *iure possit.*]

Cap. XIX, 52. *in omnibus istis conclusionibus*) Paulo brevius dixit hac sententia: In (de) omnibus his conclusionibus hoc animadverto, me philosophia dignum putaturum, si iis vita corrigeretur. [B *istis conclusionibus istis.* Illa, quae omittit Erl., habet B.]

quaereremus, vitam nostram, consilia, voluntates, non verba corrigi. Quis enim potest istis, quae te, ut ais, delectant, brevibus et acutis auditis de sententia decedere? Nam cum expectant et avent audire, cur dolor malum non sit, dicunt illi, asperum esse dolere, molestum, odiosum, contra naturam, difficile toleratu, sed, quia nulla sit in dolore nec fraus nec improbitas nec malitia nec culpa nec turpitudo, non esse illud malum. Haec qui audierit, ut ridere non curet, discedet tamen nihilo firmior ad dolorem ferendum quam venerat. 53. Tu autem negas fortem esse quemquam posse, qui dolorem malum putet. Cur fortior sit, si illud, quod tute concedis, asperum et vix ferendum putabit? Ex rebus enim timiditas, non ex vocabulis nascitur. Et ais, si una littera commota sit, fore, tota ut labet disciplina. Utrum igitur tibi litteram videor an totas paginas commovere? Ut enim sit apud illos, id quod est a te laudatum, ordo rerum conservatus et omnia inter se apta et connexa (sic enim aiebas), tamen persequi non debemus, si a falsis principiis profecta congruunt ipsa sibi et a proposito non aber-

1. [*voluptates* Eh] 2. *quae tu ut* [Eh]PR *quae tu* C *brevibus delectant et acutis* EP *brev. delectari et ac.* LCR 4. *ea spectant et habent* omnes 5. *dolorem* CR 6. *difficilem* CR 8. *nec qui* E 10. *tum* L *quemquam fortem esse* R 11. *putat* LC 12. *asperniri vix* E 14. [*forte tota* Eh] 15. *videor litteram* E 16. *si apud — conservatur* L 18 [*debeamus* Eh] 19. [*congruenti* Eh] *congruant* R *congruent* LPC *ab* P *aberrent* R

expectant et avent) Alterum verbum correxit Aldus, prius Th. Bentleius restituit (et iam ante „alii“ in mg. Lambini) pro *ea spectant*; acuta illa omnino non spectabantur, sed audiebantur, nec cum ea spectabantur, sed cum alia homines expectabant, decipiebatur expectatio. [Proxime ante etiam B et mg. Crat. *quae tu ut ais brevibus del. et ac.* Correctum est apud Ascensium 1511.] Paulo post *dolere — difficile* restituit Gruterus e Pal. 4; accedunt Parr. 1, 3, Gzii omnes, [B]; ceteri *dolorem — difficilem* (Oxx. omnes).

53. *Tu autem negas*) III, 29. Paulo post *illud* vicem praedicati sustinet (ut 65: *quis enim hoc?* id est, sapiens), ut plenum sit: si illud dolorem esse putabit, quod tu eum esse concedis, asperum cet. Deinde (*et ais* cet.) significantur, quae III, 74 leguntur.

congruunt — aberrant) Codices omnes *congruent* (Dav., Oxx.,

rant. 54. In prima igitur constitutione Zeno tuus a natura recessit, cumque summum bonum posuisset in ingenii praestantia, quam virtutem vocamus, nec quidquam aliud esse bonum dixisset, nisi quod esset honestum, nec virtutem

2. *in* om. E 3. *virtutes* E *bonum esse dixisset* PCROr. *dixisset esse bonum* L

Gzii, [B *congruenti*]). Correxerunt Ascensius 1511 et Lambinus, tum Davisius et recentiores; leniusque hoc mutatur quam ex altero fit *aberrabunt*, ut Gzius volebat, Schuetzius fecit, cum praesertim hic nullam rationem habeat futurum tempus condicionis cum praesenti coniunctum, ut I, 6, ubi significatur, fortasse aliquid adversarios dicturos esse, et generaliter ostenditur, quid ex tali sententia sequatur. Hic non de futura quadam Stoicae doctrinae cum initiis convenientia agitur, sed de ea, quae iam sit. [*Debeamus* etiam B.]

54. *in prima constitutione*) Non illam plane primam institutionem intellegit, qua homo ad se diligendum conciliari putabatur; nam eam etiam Zeno tenebat et postea demum discedebat (*ab iisdem principiis profecti* § 26). Hoc igitur dicit, cum Zeno in una virtute summum bonum constituisset, cetera huic constitutioni consentanea eum docuisse.

esse bonum) Sic Spir. quoque [B]. Paulo post *quidquam, quod aliud alio melius esset*, Nissenius interpretatur: *quidquam, propter quod*, in qua sententia necessario scribendum erat *quo*. Sed haesit in eadem difficultate, quae etiam Davisio et Bremio in libro III, 25 praeter verbi *interesse* structuram molesta fuit. Cum enim dicitur, *nihil esse* aut *quidquam esse*, *quod differat* aut *melius sit*, ipsa res differens aut melior pronomine significatur; itaque addendum tantum videtur *ab alio* aut *alio*, non *aliud ab alio* (*aliud alio*), ne duplex subiectum habeamus, cum *quod* unam rem significet nec dividi et utrumque (et *aliud* et *ab alio*) complecti possit. Sed naturali quadam sermonis neglegentia hanc subtilitatem sperni et sic pronomini *quod* superaddi *aliud ab alio*, ut rerum multitudo et mutua differentia significetur, praeter illum libri tertii locum clarissime ostendit, quod in hoc libro § 47 legitur: *nihil differt aliud ab alio*, ubi eodem modo *nihil* et *aliud* concurrunt, et quod III, 31: *nihil aliud alii anteponentem.* [Comparandum etiam illud III, 74: *quid non sic aliud ex alio nectitur?* V, 83: *qui potest esse quisquam alius alio beatior?* II de Divin. 89, Off. I, 7, de Or. III, 117. Apte comparatur Plat. Euthyphr. 8 B: ἄλλος — ἕτερος ἑτέρῳ.]

posse constare, si in ceteris rebus esset quidquam, quod aliud alio melius esset aut peius, his propositis tenuit prorsus consequentia. Recte dicis; negare non possum; sed ita falsa sunt ea, quae consequuntur, ut illa, e quibus haec nata sunt, vera esse non possint. 55. Docent enim nos, ut scis, dialectici, si ea, quae rem aliquam sequantur, falsa sint, falsam illam ipsam esse, quam sequantur. Ita fit illa conclusio non solum vera, sed ita perspicua, ut dialectici ne rationem quidem reddi putent oportere: Si illud, hoc; non autem hoc; igitur ne illud quidem. Sic, consequentibus vestris sublatis, prima tolluntur. Quae sequuntur igitur? Omnes, qui non sint sapientes, aeque miseros esse; sapientes omnes summe beatos; recte facta omnia aequalia, omnia peccata paria; — quae cum magnifice primo dici viderentur, considerata minus probabantur. Sensus enim cuiusque et

1. *quidquam* om. P   *quo aliud* C   3. *negare enim non* LPCROr. 4. *ille quibus* E *illa quib.* LR   6. *scio* R   *aliquam consequantur* CR   *falsa — sequantur* om. L   7. *sunt* E   [*sit* pro *fit* Eh]   9. [*reddi* om. Eh] 11. *tollantur* LPCR   12. *sunt* LPCROr.   *esse* post *miseros* om. R 13. *beatos esse* PCROr.   15. *probantur* omnes, Or.

his propositis) De sententia declaranda et fundamentis disputationis quasi iaciendis magis ex more Ciceronis dictum videretur, quod Davisius scribi volebat, *his positis* (vid. Schellerus p. 8126 extr. et 8127 med.); sed alterum de initio disciplinae eodem fere modo dictum videtur, quo oratores proponere dicuntur. (Caesar verbo *proponendi* paulo aliter utitur ac Cicero.) [*Enim* post *negare* sustulit Baiterus, etiam B sequens.] Praepositio ante *quibus* excidit e multis codd. (Eξχψ).

55. *rem aliquam sequantur*) Gud. 2 hic et mox *consequantur*. Paulo post *prima tolluntur*, ut fere ante Gruterum edebatur, Gzius etiam e Spir. [B], et iam ante Ern. In Pall. et χ erat *tollantur*.

Quae sequuntur igitur? Omnes cet.) Verba cum ed. Ox. rectius distinxi. Edebatur enim: *Quae sequuntur igitur: omnes* cet., ut instituta oratio alio averti putanda esset in verbis *quae cum*. Sed huiusmodi declinatio, ut pro demonstrativo (*ea cum*), quo posito omnia recte decurrerent, sine ulla causa relativum substituatur, iniuria fingitur, cum praesertim sententia multo langvidior fiat. [*Qui non sint* etiam B, coniecturaque praeceperat Ern. *Esse* post *beatos* om. etiam B et Oxx. Eξ.]

considerata minus probabantur) a Zenonis aequalibus et

natura rerum atque ipsa veritas clamabat quodam modo, non posse adduci, ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset.

XX. 56. Postea tuus ille Poenulus (scis enim Citieos, clientes tuos, e Phoenica profectos), homo igitur acutus,

1. *clamat* L 2. *exaequare* EL 4 *Zenulus* LR *cicius* E *citius* LP *citius quam hunc a philosophia* C *Citiceos* R 5. *a* omnes *Poenica* E *poetica* LPCR

auditoribus. De his enim Ciceronem loqui, apertissimum est ex iis, quae sequuntur, *clamabat* (*exaequaret*, *interesset*) et (quae neglegi potuisse mirere): *Postea* — *coepit* cet., tum (57): *Hic loquebatur* cet. Itaque sine ulla dubitatione correxi codicis archetypi mendum (*probantur*), quae emendatio ne Gruterum quidem fugerat, sublato etiam manifesto vitio orationis, quod in hac compositione erat: *cum* — *viderentur*, *probantur*. Aut enim, si, quid fieri soleat, dicitur, scribendum est: *cum* — *videantur*, *probantur* (ut Bremius hic scribi voluit, Manutius autem, Lambinus, Ernestius *videntur*, non animadversa rei contrariae significatione), aut, cum diversitas superioris et huius, quod nunc est, temporis notatur: *cum visa essent*, (iam) *minus probantur*. Ut nihil omnino frequentius commutatur quam hae formae (velut *arbitrantur* et *arbitrabantur*), sic omnium facillime propter litterarum repetitionem *probabantur* transit in *probantur*, ut accidit etiam 61. („*Probat* pro *probabat* nonnulli codd. de Fato 31, Hervagius et Vict. Acad. II, 67, *probantur* pro *probabantur* edd. vett. Acad. II, 88.“ Wesenb.). Vel proxime *clamat* pro *clamabat* etiam Parr. 2, 3. Pessime Gzius scribendum putabat, Schuetzius scripsit: *probabuntur* (*viderentur* — *probabuntur*!) et tum e cod. Mon. *clamabit* (*exaequaret*, *interesset*!). De verbo *adduci* (*se*) dictum est ad I, 14. (Eξ *interesse*, omisso *ut*.)

Cap. XX, 56. *Poenulus* — *homo igitur acutus*) Acad. II, 98: *homo acutus*, *ut Poenus*; Plaut. Poen. prol. v. 113: *Poenus plane est*. Citium Phoenices colonos habuisse, Diogenes Laërtius scribit VII, 1. Poenorum nomen communiter de Phoenicibus dici, apparet ex orat. pro Balbo 32 et 39 et e fragm. libri III de R. P. apud Nonium p. 431, quod in Merceri exemplo recte scriptum est; ceteri *Phoenices* substituerunt. Pro Scauro tamen § 42 Cicero Poenos a Phoenicibus distingvit. Clientes Catonis Citienses erant, ex quo tempore insulae in provinciae formam redigendae praefuerat; vid. ep. ad Fam. XV, 4, 15, ad Att. VI, 1, 5. *Zenulus* Eξψ; pro *Citieos* codices (Gzii omnes, Uχψ; nam Eξ om.) *citius* aut *cicius* [ut B. *Citieos* Cicero τοὺς *Κιτιεῖς* appellasse

causam non obtinens, repugnante natura, verba versare coepit: et primum rebus iis, quas nos bonas dicimus, concessit, ut haberentur aptae, [habiles] et ad naturam accommodatae, fa-

2. *ducimus* PCOr. 3. *habiles* sine uncis Or. *et* om. L

videtur, ut *Piraeeum τὸν Πειραιᾶ* ad Att. VII, 3, 10]; tum [*a Phoenica* B,] *a poetica* Uχψ, vett. edd. (*apoteia* E, *apoteta* ξ); emendaverunt Camerarius et Manutius, quorum hic *e Phoenicia* scripsit, ille (retento *a*) *Phoenica*, quam veram esse formam confirmant, quae Ferrarius ad Philipp. XI c. 13, Drakenborchius ad Liv. epit. 101 annotarunt. [Varr. R. R. II, 5, 5 *e Phoenice.*] Vitiose pro Flacco 17 editur: *ego testes a Sicilia duxi*; pro Sest. 30 quod edebatur: *expellet a patria*, e codicibus optimis et Arusiano correctum est. Apud Livium XXXII, 31, 6 (*litterae consulem a Gallia — allatae*) plura corrupta erant, quae cod. Bambergensis sanavit.

res bonas dicimus) Sic meliores (Gzii, excepto Gud. 2, etiam CCG, El., [B]), Crat., Vict., Gzius; *ducimus* praeter alios Grut. e Pall., Davisius et Oxx. de codicibus tacentes. (Cfr. mox: *non audet appellare — concedit.*)

aptae, [*habiles*] *et ad naturam accommodatae*) Ciceronem numquam in trium aut plurium enumeratione, si eodem ordine et pari dignitate procedant, copulam in prioribus membris omissam inter duo extrema addere, satis, opinor, confirmavi in Opusc. Acad. I p. 333 proximisque. Itaque dubito de huius loci scriptura [et a Cicerone positum putabam: *aptae et habiles*; sed *habiles* tota significatione, quae ad facilem tractationem pertinet, ab hoc loco alienum est nec usquam in hac re a Cicerone ponitur. Itaque Baiterus seclusit. Sed ingeniose et probabiliter O. Heinius Annal. Philol. XCIII p, 245 pro *aptae habiles* scribendum putat *aestimabiles*]. Praeter eos Ciceronis libros, in quibus in Opusc. p. 334 dixi me ad hoc genus ita attendisse, nihil ut me fugisse putarem, postea in Oratore et Topicis, in reliquis ferme orationibus, libris de philosophia, epistulis ad Att. et Q. Fr. attendi, et hos, qui repugnare viderentur, locos repperi: Orat. 36: *alios horrida, inculta, abdita et opaca, contra alios nitida* (contrarium est horridis), *laeta* (incultis), *collustrata* (opacis) *delectant.* Manifestum est, *abdita et* recte omitti in codice Einsiedlensi. Philipp. X, 13: *virtute, gravitate et constantia*; erratum est in edit. Orellii; nam et Muretus et Faërnus, quos sequi vult, *gravitate, constantia.* Pro Flacco 8: *constantissimum senatorem, iustissimum praetorem atque amantissimum rei publicae civem*; alii codices *et*, alii *ac* (ante vocalem); recte Faërnus particulam deleri voluit, delevit Lambinus.

terique coepit, sapienti, hoc est, summe beato commodius tamen esse, si ea quoque habeat, quae bona non audet appellare, naturae accommodata esse concedit, negatque Pla-

1. *id est* R *summo* P 3. *natura ea commodam* E *natura ipsa commodata* LPROr *natura ipsa accommodata* C

Pro Font. 14: *ex bello, caede et fuga*; vitiose *bellum*, in quo nihil est contrarii ei, quod additur: *nunc primum audent — consistere*, coniungitur cum *caede et fuga*, quae significant, antea non potuisse consistere. Aut *bello* ascriptum est a librario, ut declararetur caedis et fugae mentio, aut scribendum: *ex belli caede et fuga*. In Pison. 89: *cum Autobulo, Athamante et Timocle*; litteris geminatis ortum est *et*. De N. D. I, 55: *haruspices, augures, harioli, vates et coniectores*; codices non habent *et*. (In eodem libro § 54 et 59 Heindorfius *et* e pessimis codicibus addebat.) Ibd. III, 53: *Alco, Melampus et Tmolus*; codices aperte habent: *Alco et Melampus et Tmolus*; ibd. 54: *Ialysi, Camiri et Lindi*; in bonis codd. (ABC Moseri, aliis) nullum est vestigium particulae. Ad Attic. I, 20, 1: *diligenter, officiose et humaniter*; in edd. Ascens. et Crat. omittitur *et*. In Tusc. V, 41 (*tutum esse, inexpugnabilem, saeptum atque munitum*) duo sunt ordines, quemadmodum in iis, quae Opusc. p. 338 posui. Huius operis libr. V. 35 et 36 (*et reliquae, et reliquas*) extremum membrum non aequale est superioribus, sed, cum colligat omnia, ipsum omnibus superioribus respondet (vid. Opusc. ibd. [et Wesenb. ad Tusc. V, 13]), etsi vel sic saepius hoc dicitur sine copula. Haeret suspicio in Philipp. V, 8 [ubi tollendum videtur *tempestatis* ex superioribus repetitum], ad Fam. XV, 4, 14 (ubi *mores* ascriptum est ad *instituta*), ad Att. V, 11, 5 (ubi paene perspicuum est, *nos*, quod aequalitatem tollit, ortum esse ex sequenti *nostram*). Quem Zumptius ad Verr. p. 1011 advocat locum de Senect. c. 10, eum Wesenbergius mihi indicavit legi in orat. post redit. in sen. 24 (c. 9), ubi ante duo saecula ex infelici coniectura id legebatur, quod nescio unde arreptum Zumptius pro testimonio ponit. In re dubia cautius examinanda testimonia erant. [Perverse et confuse de hac re Ellendtius ad II de Or. 34, 145. De Caesaris usu cum Ciceronis conveniente dixit Nipperdeius Quaestt. Caesar. p. 68; de Sallustio, quem non eadem prorsus regula astringo, Dietschius ad Iug. c. 14 p. 120 edit. 1846; de Livio ego Emendatt. Livv. p. 67 sqq.]

naturae accommodata) Hoc latebat in scriptura codicis Erl. (*naturaeacommodam*). [Propius B *naturaeacommodata*, una littera minus.] Ceteri codices, de quibus constat, partim *natura ipsa commoda* (Pall., etsi in Gruteri nota scribitur *com-*

tonem, si sapiens non sit, eadem esse in causa, qua tyrannum Dionysium; huic mori optimum esse propter desperationem sapientiae, illi propter spem vivere; peccata autem partim esse tolerabilia, partim nullo modo, propterea quod alia peccata plures, alia pauciores quasi numeros officii praeterirent; iam insipientes alios ita esse, ut nullo modo ad

2. *mori* om. P 3. *partim autem peccata essent tol.* E 5. [*quas* Eh]

modo, Davisiani „fere", Uξχψ, Monac., *accommoda* Ox. E), partim *natura ipsa commodata* (Pal. 4, Gzii, ut ait, quinque; sed videmus Erl.; ad pronomen *ipsa* omnino non attendit). Ante Gzium alii ex C tenuerant: *natura ipsa accommodata*, vitiosa oratione. alii *naturae ipsi acc.* scripserant (Crat., Man., Lamb.); Gzius *commodata* revocavit et interpretatus est: *in usum commodumque nostrum data*; sed *commodare alicui aliquid* apud Ciceronem aut significat utendum dare aut alicui in aliqua re morem gerere et eum adiuvare. Praeterea, etiamsi ita interpretari liceret, tamen hoc maxime significaretur, a natura nos illa accepisse, non, aestimationem eas res habere. In altera scriptura (*natura ipsa commoda*) ridicule abundat *natura*; quin enim natura commoda essent, si modo commoda essent, nemo dubitavit. Iniuria autem Davisius totum hoc *natura — concedit* deleri volebat. Nam Cicero aut breviter scribere debuit: *si illa quoque habeat*, ceteris omissis, aut, si illud addebat: *quae bona* cet., etiam hoc: *naturae* cet. Studiose Cicero repugnantiam Zenonis etiam hac repetitione insectatur. Notabiliter Cicero a remotae Zenonis aetatis significatione subito transit ad praesens tempus (*habeat — audet — concedit — negatque*), deinde ad praeteritum redit (*praeterirent* cet.); v. ad III, 67.

huic mori optimum esse cet.) Hoc si Stoici dixerunt (nec ulla causa est, cur non Ciceronem ipsorum sententiam et fortasse ipsa exempla referre putemus), non satis videntur tenuisse id decretum de mansione in vita et exitu, de quo III, 60 et 61 exponitur.

peccata autem cet.) Stob. Ecl. Eth. p. 218: *Ἴσα πάντα λέγουσιν εἶναι τὰ ἁμαρτήματα, οὐκέτι δὲ ὅμοια. Καθάπερ γὰρ ἀπὸ μιᾶς τινος πηγῆς τῆς κακίας φέρεσθαι πέφυκε, τῆς κρίσεως οὔσης ἐν πᾶσι τοῖς ἁμαρτήμασι τῆς αὐτῆς· παρὰ δὲ τὴν ἔξωθεν αἰτίαν, τῶν, ἐφ' οἷς αἱ κρίσεις ἀποτελοῦνται, μέσων διαλλαττόντων, διάφορα κατὰ ποιότητα γίγνεσθαι τὰ ἁμαρτήματα.* Idem p. 236: *Ἴσων δὲ ὄντων τῶν ἁμαρτημάτων, εἶναί τινας ἐν αὐτοῖς διαφοράς, καθόσον τὰ μὲν αὐτῶν ἀπὸ σκληρᾶς καὶ δυσιάτου διαθέσεως γίγνεται, τὰ δ' οὔ.* Cfr. ad III, 48.

sapientiam possent pervenire, alios, qui possent, si id egissent, sapientiam consequi. 57. Hic loquebatur aliter atque omnes, sentiebat idem, quod ceteri. Nec vero minoris aestimanda ducebat ea, quae ipse bona negaret esse, quam illi, qui ea bona esse dicebant. Quid igitur voluit sibi, qui illa mutaverit? Saltem aliquid de pondere detraxisset et paulo minoris aestimavisset ea quam Peripatetici, ut sentire quoque aliud, non solum dicere videretur. Quid? de ipsa beata vita, ad quam omnia referuntur, quae dicitis? Negatis eam esse, quae expleta sit iis rebus omnibus, quas natura desideret, totamque eam in una virtute ponitis; cumque omnis controversia aut de re soleat aut de nomine esse,

1. *possunt* E *gessissent* PCR 3. *sentiebant* EL 4. *ipsa* EP *quam — dicebant* om. E 5. *sibi ille qui illa* R 8. *aliud quoque* E 10. *omnibus iis rebus* LPCROr. 11. *una* om. P

si id egissent) Sic etiam Spir. [B,] Eξ, tum Latinii liber et Pal. 2; restituit Davisius.

57. *Saltem — detraxisset*) Iussivus modus est praeteriti temporis, de quo dixi ad II, 35. [Paulo post *hijs rebus omnibus* etiam B contra editiones. Idem habet, quae Erl. paulo ante omittit, sed *dicebant esse.*]

cumque omnis controversia) Admodum durus orationis transitus est, quod Stoicae sententiae, quam reprehensionis et refutationis causa proposuit, copulative haec adiungit de controversiarum differentia, quae contrariae disputationis initium continent: Ista vestra sententia cum veterum comparata verborum tantum controversiam habet eiusmodi, ut illi tamen melius verbis utantur. Deinde autem haec ipsa disputatio, quae spectat ad ea, quae Cato III, 41 sqq. dixerat, non certa et recta via ad notionem beatae vitae dirigitur, sed circumducitur quodam modo non sine manifesta repetitione eorum, quae iam ante dicta sunt (velut in cap. 22). Ac ne illud quidem pro certo apparet, utram de beata vita sententiam hic Stoicis opponat, eorumne, qui virtutem solam ad beatam vitam sufficere putabant, nec tamen ad beatissimam, ut gradus efficerentur accessione aut decessione corporis commodorum et externorum (quam in libro V § 81 Pisonem defendentem inducit), an eorum, qui, cum ad finem consequendum aut omnia aut plurima et gravissima bona requirerentur, beatam vitam sola virtute effici posse, si alia omnia contra essent, negabant (vid. Stob. Ecl. Eth. p. 280). Et tamen, conveniatne reapse

utraque earum nascitur, si aut res ignoratur aut erratur in nomine; quorum si neutrum est, opera danda est, ut verbis utamur quam usitatissimis et quam maxime aptis, id est, rem declarantibus. 58. Num igitur dubium est, quin, si in re ipsa nihil peccatur a superioribus, verbis illi commodius utantur? Videamus igitur sententias eorum; tum ad verba redeamus.

XXI. Dicunt appetitionem animi moveri, cum aliquid

2. *est* post *danda* om. E 6. *utuntur* LPCR

inter veteres et Stoicos, quaeri non potest, antequam illud constiterit.

utraque earum) Rettulit Cicero paulo insolentius ad eam significationem duplicis controversiarum generis, quae est in superioribus verbis, quasi duas controversias nominasset. Eodem modo *eorum* refertur ad significationem in voce *omnis* latentem N. D. III, 29: *Cumque omne animal patibilem naturam habeat, nullum est eorum, quod* cet., nec dissimiliter illud dicitur Off. I, 41: *Totius iniustitiae nulla capitalior* (iniustitia, hoc est, iniustitiae pars) *quam eorum* cet. Paulo post *est* (post *danda*) omittunt etiam Spir. [B] et Bas., delevitque Gzius; mihi excidisse videtur. Deinde (58) codices deteriores omnes (Pall., Dav.) *utuntur*; *utantur*. ut Manutii, Lambinus, Davisius, tres Gzii codd.

Cap. XXI, 58. *Dicunt appetitionem animi moveri*) Hoc toto loco Cicero, dum veterum sententias de rerum differentia breviter complecti conatur, mire se implicavit et, perturbatis atque confusis rerum generibus, in repugnantiam et absurditatem manifestam incidit. Id unus prudenter sensit Thorupius (in eo libello, quem ad III, 54 commemoravi, p. 76 sqq.); ceteri, tamquam omnia planissima et rectissima sint, tacent. Ipse autem civis meus nec vulnerum foeditatem prorsus aperuit et, dum veretur Ciceronem in repugnantiae crimine haerentem relinquere, quem Catonis acumine confidentem paulo neglegentius et brevius disseruisse putat, ad rem expediendam nonnulla excogitavit improbabilia. Primum Cicero eis, quae sunt secundum naturam, communiter tribuit, ut appetitionem animi commoveant (ὁρμήν, III, 23) et aestimationem habeant, ipsum aestimationis (τῆς ἀξίας) nomen et totam hanc descriptionem a Stoicis (vid. ad III, 50) ad veteres transferens, Antiochio more. Deinde autem ex his ipsis, quae sunt secundum naturam, quibus illud communiter tribuerat, alia dicit appetitionis nihil habere, alia habere, aperte sibi repugnans. Ea autem, quae

ei secundum naturam esse videatur, omniaque, quae secun-

appetitionis nihil habeant, nec laudabilia nec honesta appellari ait. Atqui ipsi Stoici permulta appeti (*ὁρμῆς κινητικὰ εἶναι*) dicebant, quae nec laudabilia nec honesta essent, et omnino a primis naturalibus omnem appetitionem commoveri (48), veteres autem etiam bona multa extra virtutem esse putabant. Appetitionem autem ne quis novam aliquam et virtutis propriam confingat, ipse affirmat Cicero, se eam dicere, quam iam saepe commemorarit, profectam a prima naturae conciliatione et iis, quae sunt secundum naturam (48). Itaque hoc totum genus quodnam sit, Cicero ipse. si reviviscat, non dicat. (Virtutes illas non voluntarias, quae V, 36 nominantur, nihil omnino ad hanc rerum naturalium aestimationis differentiam pertinere, propter Thorupium dico.) Tum Cicero manifesto ab iis, quae naturalia appellari dicit, seiungit altera illa, quae in omni animante voluptatem habeant, in homine etiam rationem. Nam post hanc divisionem (*partim* — *partim*) necessario *superiora illa* sunt, quae in priore parte divisionis posita erant, et *honestis*, *pulchris*. *laudabilibus* contraria ponuntur, quae *nec honesta nec laudabilia* dici narravit. At *quae in animalibus voluptatem habent*, ea vero prorsus naturalia sunt, corporis commoda et externa; eademque *in homine rationem habent*; nam *cum officio* ea homo *seligit*, ratione utens (III, 20), quia *ἐν τοῖς λογικοῖς ζώοις* etiam *ἡ ὁρμὴ λογική ἐστιν* (Stob. Ecl. Eth. p. 160), et haec ipsa selectio virtus est, quaeque ea agit, honesta et laudabilia sunt, non ea, quae voluptatem et rationem habent, id est, cum ratione appetuntur et seliguntur. Deinde autem superiora illa, quae naturalia appellantur, nuper dixerat, veteres putare nihil habere appetitionis; nunc narrat, ea cum honestis coniuncta vitam beatam perficere. Declaravi, quam sint haec incredibiliter confusa et perturbata. Videamus nunc, quid Cicero dicere debuerit (quamquam omnino non debuit has divisiones ad veteres transferre; verum ea eius culpa non est, sed Antiochi), et ubi error nascatur. Omnia, quae sunt secundum naturam (quae ipse saepe naturalia dixit), habent aestimationem pro suo quodque pondere. Eorum tamen, quae sunt aestimabilia, alia tam exiguam habent aestimationem, ut in censum non veniant nec appetitionem commovere videantur, alia *ἱκανὴν ἀξίαν* habent. (Eadem est distinctio, quae III, 51 explicatur et qua efficitur, ut non omnia naturalia sint *προηγμένα*. Priora Cicero dicit *nihil habere appetitionis*, rem augens; nam plerique omnia aestimabilia etiam *ὁρμῆς κινητικά* faciebant, quos ipse secutus erat; sed simul relinquebant, quae nec aestimabilia essent nec contra; vid. ad

dum naturam sint, aestimatione aliqua digna, eaque pro eo, quantum in quoque sit ponderis, esse aestimanda; quaeque secundum naturam sint, partim nihil habere in sese eius appetitionis, de qua saepe iam diximus, quae nec honesta nec laudabilia dicantur, partim, quae voluptatem habeant in omni animante, sed in homine rationem etiam; ex ea quae sint apta, ea honesta, ea pulchra, ea laudabilia, illa autem

1. *aestimatione — naturam sint* om. P 2. *quaque* omnes 3. *eiusque appetitionis* L 5. *habent* E 6. *ex eis* (*iis*) LPCROr.

III, 50. Hic consistere Cicero debuit; sed inconsiderate addidit illa: *quae nec honesta* cet., quae nondum ad hanc partem pertinebant.) Ea, quae satis magnam aestimationem habent et appetitionem (non prorsus exiguam et obscuram) commovent, in ceteris animantibus tantum voluptatem habent; homo cum ea cum ratione seligit, virtus oritur et honeste facta; ipsae illae res non fiunt honestae, sed in naturalium genere manent. (Itaque hic locus erat illis: *quae nec honesta* cet., et addi poterat, haec, non superiora illa, κατ' ἐξοχήν naturalia dici, ut cum virtute comparentur; nam priora illa, etsi naturalia sint, non numerari propter exiguitatem.) Gzius haec omnia, quae Cicero dicit de sententiis superiorum, „e Stoicorum sententia referri" putat.

omniaque, quae — sint) Sic etiam [B,] Parr. 2, 3, Mead., Eξψ restituitque Davisius; Man., Lamb., Grut., Gzius tacite *sunt*. Tum in codice archetypo fuit *in quaque* ([B,] Gzii omnibus, χ. edd. vett.). Correxit Manutius.

partim, quae) Apertum est, post illud: *partim nihil habere* aut hoc sequi debuisse: *partim habere*, et tum adiungi uberioris declarationis causa: *quae habeant*, h. e., *ita ut habeant* (quamquam Cicero non erat ita scripturus: *habere, quae habeant*), aut, si statim pro appetitione specialia illa substituerentur, hoc: *partim voluptatem habere* cet. Neglegenter Cicero orationem mutat, quasi ante dixerit: *partim esse, quae nihil habeant*. Ne illud quidem in § 56 accurate scriptum erat: *insipientes alios ita esse, ut* cet. —, *alios, qui* cet., sed mollius tamen, quod infinitivus (*esse*) recte auditur altero loco. (Lambinus *partim habere, quae* cet., Davisius *partim* **, *quae* cet.)

ex ea quae sint apta) Gratia habenda codici Erlangensi, qui effecit, ne Cicero praeter suam etiam librariorum culpam sustineat. [Accedit B.] Recte (ad Ciceronis mentem) ex rationis usu in appetendo et seligendo virtus oriri dicitur (III, 12, 20 cet.). In ea scriptura, quae hactenus edita est, mire ho-

superiora naturalia nominantur, quae coniuncta cum honestis vitam beatam perficiunt et absolvunt. 59. Omnium autem eorum commodorum, quibus non illi plus tribuunt, qui illa bona esse dicunt, quam Zeno, qui negat, longe praestantissimum esse, quod honestum esset atque laudabile; sed si duo honesta proposita sint, alterum cum valetudine, alterum cum morbo, non esse dubium, ad utrum eorum natura nos ipsa deductura sit; sed tamen tantam vim esse honestatis tantumque eam rebus omnibus praestare et excellere, ut nullis nec suppliciis nec praemiis demoveri possit ex eo, quod rectum esse decreverit; omniaque, quae dura, difficilia, adversa videantur, ea virtutibus iis, quibus a natura essemus ornati, obteri posse; non † faciles illas qui-

3. *non illis* E *tribuerunt* R 5. *honestissimum* L 7. *utrumque* E 8. *honestatis esse* C 9. *rem* (pro *rebus*) L 11. *decrevit* L 13. *optari* LPC *aptari* ER *faciles* sine not. Or.

nesta dicuntur, non quae ex ratione apta sint, sed quae ex iis rebus, quas etiam bestiae capiant. Sed quidam sic interpunxerunt: *ex iis* (*ea*), *quae* cet., ut ex ipsis illis rebus, quae etiam bestiis voluptatem afferant, nonnullae, quae aptae sint (cui rei?), honestae esse dicantur. (De ceteris bonis codd. tacetur. „Erl. *ea* peccare", Gzius annotat.)

59. *Omnium autem eorum commodorum, quibus*) Sic loquitur, partitiva forma utens, ut his ipsum honestum comprehendat; et *commodorum* tamen nomen et illa, quae adduntur: *quibus* cet., in honestum non cadunt, sed in corporis et externa, ut rectius facturus Cicero fuerit, si aut comparatione usus esset (*omnibus* — *commodis* — *praestantius esse*) aut ita genus definisset, ut in eius fines honestum vere incideret. Paulo post *honestatis esse* (inverso ordine) ex ed. pr. Man. et reliqui ante Gzium (contra Gzii codices omnes, [B]).

obteri posse) Ex *opteri* (quae antiqua est scriptura) factum *optari* (in Pall., Oxx. omnibus et Gzii) et *aptari* [B]. Correxit Aldus Manutius; annotatur *obteri* etiam in mg. Crat.

non faciles illas quidem nec contemnendas) Apparet, ea, quae virtutibus obterantur, non facilia (ad vincendum) neque contemnenda esse dici; alioquin enim non magnam virtutis ea obterentis dignitatem nec multum in ea momenti situm fore. (Sic enim dici *multum*, *tantum*, *nihil esse in aliquo*, notum est; pro Cluent. 152, Off. II, 75, de Divin. I, 105 et 113, ad Fam.

dem nec contemnendas (quid enim esset in virtute tantum?),

II, 8 extr.). Sed illud etiam apparet, adiectiva feminini generis non habere, quo referantur. Nam Gzium omittamus, qui, maiore interpunctione post *posse* posita, sic enarrat: *virtutes in natura insitas non faciles illas quidem esse* cet. (in quo primum *esse* nullo modo abesse poterat). Ita veteres illi, quorum sententiam Cicero exponit, cavent, ne quis eas virtutes, quibus magna et difficilia obterantur, contemnendas putet; nam si virtutes contemnantur, non multum fore in virtute; postremo autem, qui virtutem longe omnibus rebus praestare et eius lancem terram mariaque deprimere docent, nunc narrant, in virtutibus non positam esse maximam partem beate vivendi. (Audisne haec, Polemo sub terram abdite?) Ne Lambinum quidem moremur, qui in „codice longe omnium antiquissimo" lacunam inter *posse* et *non faciles* vidit, et in ora aliena manu haec ascripta, quae in contextum recepit: *valetudinem autem, pulchritudinem, celeritatem, vires corporis, divitias et ceteras res huius generis.* Illae quidem res utrum *faciles* an difficiles essent, non quaerebatur; itaque fuit postea, qui paulo modestiore interpolatione hoc quoque corrigeret: *ceteras res non futiles illas quidem* cet., ne is quidem videns, illud *non contemnendas* propter ea, quae adduntur (*quid enim* cet.), necessario ad incommodorum impetum contemnendum pertinere. Nam Cicero, cum de incommodis corporis et externis obterendis dixisset, primum de illis solis cogitans, adiungit, ea non facilia esse; deinde autem in illis verbis: *sed ut hoc iudicaremus* cet., in quibus etiam coniunctio orationis liberior paulo et inaequalis est (tali fere sententia: sed eiusmodi ea esse habenda, ut cet.), transiit ab altera specie ad totum genus rerum in corpore et extra commodarum et incommodarum, dixitque *beate aut secus.* (Lambinus *sed ita, ut.*) Quid igitur sententia et oratio requireret, vidit, qui in C. Sigonii libro sic scripsit: *non facilia illa quidem nec contemnenda*; vidit etiam Camerarius, tum Ernestius et Bremius. qui *res* addi voluerunt (*non faciles illas quidem res nec contemnendas*; nam inter *faciles* et *illas* interponi non potest). Fieri potest, ut Cicero scripserit: *non facile illa quidem* (obteri posse), *nec contemnenda esse*, mendum autem ortum sit, cum *facile* et *contemnenda* ad eandem formam librarius redigere vellet, utrumque ad virtutum nomen referens.

quid enim esset) Ernestius in interrogatione in obliquam orationem traducta *esse* scribendum putabat, quem ceteri reprehenderunt, non refellerunt, quod ne ipsi quidem regulam tenebant, qua haec discernerent. Interrogationes eas, quae in recta oratione coniunctivum haberent, finitam verbi formam retinere

sed ut hoc iudicaremus, non esse in his partem maximam positam beate aut secus vivendi. 60. Ad summam ea, quae Zeno aestimanda et sumenda et apta naturae esse dixit, eadem illi bona appellant; vitam autem beatam illi eam, quae constaret ex iis rebus, quas dixi, aut plurimis aut gravissimis. Zeno autem, quod suam, quod propriam spe-

2. *assumam ea* L 5. *his* ECOr.

dixi, ubi totum hoc genus certis et perspicuis praeceptis comprehendi, in Admonitionibus et observatt. de locis quibusdam gramm. Lat., Opusc. Acad. II p. 212. Recta autem oratione dicendum erat: *Quid enim sit in virtute tantum?* Mox *aut* ante *beate* add. Man., Grut. contra veteres editt. et codices (Dav. quattuor, Oxx., Gzii, [B]).

aut plurimis aut gravissimis) Si ita Cicero scripsit, perneglegenter eam vitam omisit, quae has res omnes haberet, et prorsus perverse haec diiunxit; neque enim plurimae res huiusmodi, si non simul gravissimae sint, in hac veterum sententia, de qua ad § 15 dixi, vitam beatam efficiunt, sed plurimae et gravissimae (ἢ πάντα ἢ πλεῖστα καὶ μέγιστα). Omitti potest *plurimarum* significatio, ut fit § 15 et in Carneadis fine Tusc. V, 84, ut, cum maximae nominentur, simul sufficiens numerus cogitetur; sed separatae, ut hic fit, a plurimis, ut paucae intellegantur, ne maximae quidem sufficere videntur. Sed ita saepe Cicero formulam notam et pervagatam recte posuit, ut in eum culpam conferre vix audeam et Wesenbergio, qui prior huius loci vitium animadvertit, paene assentiar, sic scriptum fuisse putanti: *a u t o m n i b u s aut plurimis et gravissimis.* A priore *aut* ad alterum aberrare librarius facillime potuit; tum necessario scribebatur *aut gravissimis* (quomodo sine huiusmodi causa scribitur in Erl. § 34).

quod suam, quod propriam speciem habeat) Adeo mihi mira accidit haec in sedata definientis oratione pronominis repetitio et suae atque propriae speciei distinctio, ut suspicer, a Cicerone scriptum fuisse: *quod suam quandam propriam speciem.* [Baiterus in ed. min. *quod propriam* seclusit; sed nimis breviter sic dicitur.] Paulo post Davisium iure offendit vox *solam* non recte posita; sic enim hoc dicitur, tamquam veteres eam etiam vitam, quae sine virtute degeretur, beatam esse posse putaverint. Sed in hanc neglegentiam Cicero incidit, dum et eandem, quam supra (*vitam autem beatam illi eam*) orationis formam et brevitatem retinere studet et simul significare, virtutem solam requiri. In eo, quod Davisius scribi vult: *eam*,

ciem habeat, cur appetendum sit, id solum bonum appellat, beatam autem vitam eam solam, quae cum virtute degatur.

XXII. Si de re disceptari oportet, nulla mihi tecum, Cato, potest esse dissensio; nihil est enim, de quo aliter tu sentias atque ego, modo commutatis verbis ipsas res conferamus. Nec hoc ille non vidit, sed verborum magnificentia est et gloria delectatus; qui si ea, quae dicit, ita sentiret, ut verba significant, quid inter eum et vel Pyrrhonem vel Aristonem interesset? Sin autem eos non probabat, quid attinuit cum iis, quibuscum re concinebat, verbis discrepare? 61. Quid, si reviviscant Platonis illi, et deinceps qui eorum auditores fuerunt, et tecum ita loquantur?

2. *legatur* L 3. *disceptare* L 6. *videt* L 7. *est etiam gloria* C 8. *et* (pro *ut*) E *vel* (ante *Pyrrh.*) om. E 9. *si* C *probat* L 10. *cum iis — discrepare* Nonius p. 43. *cum* (pro *quibuscum*) E *cum quibus* Nonius *concinebatur* Nonii codd. *continebat* E *conveniebat* LCR 11. *Platonici* LPCR 12. Post *deinceps* add. *illi* R

quae sola cum virtute (*cum virtute sola*) *degatur*, videretur Zeno negare, vitam beatam esse, si aliquid praeter virtutem haberet: debebat enim dici: *vel cum sola virtute.* Gzius ita hic contra Davisium, ut II, 50 contra Pearcium disputat.

Cap. XXII. *re concinebat*) Verbum restituit Lambinus (cfr. N. D. I, 16) e Nonio, qui quid ipse scriptum reliquerit, interpretatio ostendit et exemplum e libro I Academicorum adiectum; *continebat* etiam Spir. et Gud. (uter?), prorsus *concinebat* Parr. 1 (P) et 3, Pal. 4 [B silentio], *concineret* cod. Mor. Ceteri *conveniebat.* Paulo ante *vel* ante *Pyrrhonem* Gzius a Gud. 2 abesse ait, de Erl. tacens. [B om. *et* inter *eum* et *vel.*]

61. *Platonis illi — eorum auditores*) Necessario extrema vox ad priorem etiam genetivum pertinet, ut continua successio auditorum significetur (cfr. § 3 init.); *Platonis* etiam Spir. [B] et codex I. Fr. Gronovii; restituit Gzius. *Platonicos* non magis primos auditores quam postremos appellandos fuisse, iam Davisius viderat. Deinde finguntur hi ipsi Platonis alumni Catonem paulo ante disputantem audisse et tum mirati esse, cur vir illis ad causam iuste disceptandam virtutibus instructus Stoicos praeferret. Vulgo sic interpungunt, orationem post *testem* non incidentes, tamquam Latine dicatur: *audio te virum optimum*, omisso *esse.* Et unde, nisi ex hac ipsa disputatione, nossent, illum Stoicos sibi anteferre? Admonuit me Wesenbergius. Paulo post plures Gzii codices habebant *animi rationem*; ergo in archetypo fuit *ammirationem*; [*in ammiracionem* B].

„Nos cum te, M. Cato, studiosissimum philosophiae, iustissimum virum, optimum iudicem, religiosissimum testem, audiremus, admirati sumus, quid esset, cur nobis Stoicos anteferres, qui de rebus bonis et malis sentirent ea, quae ab hoc Polemone Zeno cognoverat, nominibus uterentur iis, quae prima specie admirationem, re explicata risum moverent. Tu autem, si tibi illa probabantur, cur non propriis verbis illa tenebas? sin te auctoritas commovebat, nobisne omnibus et Platoni ipsi nescio quem illum anteponebas? praesertim cum in re publica princeps esse velles ad eamque tuendam cum summa tua dignitate maxime a nobis ornari atque instrui posses. *A* nobis enim ista quaesita, a nobis descripta, notata, praecepta sunt, omniumque rerum publicarum rectionis genera, status, mutationes, leges etiam et

1. [*marco* Eh] 6. *specie in animi racionem* E 7. *probantur* LCR 8. *si te* L [*uobisue* Eh] 10. *ad eandem* R 12. *Nobis enim* (om. *a*) omnes, Or. 14. *rectiones*, *genera* omnes, Or.

si tibi illa probabantur) Sic Ascensius 1511 et deinceps fere omnes, Gruterus et Davisius taciti, flagitatque hanc scripturam et quod contrarium ponitur (*commovebat*) et tota res, quoniam omnis oratio ad id tempus refertur, quo Cato Stoicam disciplinam elegerit eique se tradiderit. Veteres editiones codicesque Oxx. et, si credimus Gzio, eius omnes *probantur*, de quo mendo dixi ad § 55. [In Erl. *probantur* esse et in B, etiam Baiterus confirmat.]

A nobis enim ista quaesita, a nobis) Priorem praepositionem ab uno Lambino necessario additam esse, ex anaphora apparere, recte iudicat Wesenbergius Observatt. critt. in orat. pro Sest. p. 67. Nec hic ullo modo dativus ferendus erat, quoniam non se haec quaesita habere significant, sed sua opera ad aliorum usum quaesita esse; vid. ad I, 11. Eadem praepositio exciderat ante litteram *n* (*AN*) in meliorum codicum principe § 45, in omnium § 78.

rerum publicarum rectiones, *genera*) Ciceronem *rectionis genera* scripsisse puto, hac coniunctione rem diligenter et proprie signantem. Ut editur, *genera* prorsus abundat, pluralis autem numerus substantivi a Cicerone, permittente consvetudine, ad regendi actionem significandam facti (cfr. V, 11) parum aptus videtur ad formas rectionis significandas. [Nunc post Baiterum *rectionis* posui.]

instituta ac mores civitatum perscripsimus. Eloquentiae vero, quae et principibus maximo ornamento est et qua te audimus valere plurimum, quantum tibi ex monumentis nostris addidisses!" Ea cum dixissent, quid tandem talibus viris responderes? 62. Rogarem te, inquit, ut diceres pro me tu idem, qui illis orationem dictavisses, vel potius paulum loci mihi, ut iis responderem, dares, nisi et te audire nunc mallem et istis tamen alio tempore responsurus essem, tum scilicet, cum tibi.

XXIII. Atque, si verum respondere velles, Cato, haec erant dicenda, non eos tibi non probatos, tantis ingeniis homines tantaque auctoritate, sed te animadvertisse, quas res illi propter antiquitatem parum vidissent, eas a Stoicis esse perspectas, eisdemque de rebus hos cum acutius disseruisse, tum sensisse gravius et fortius, quippe qui primum valetudinem bonam expetendam negent esse, eligendam di-

1. *prescripsimus* LC 2. *maxime* LPCR *cornamento* E 3. *audivimus* LPCR 4. [*quod* Eh] 5. *respondisses* R 7. *his* EPCOr. 9. *tunc* C 10. *Atqui* ROr. *ad quem* P 14. *eisdem* (om. *que*) [Eh]R *tum acutius* omnes, Or. [*dereruisse* Eh] 15. *qui* om. E 16. *negant* C

maximo ornamento) Sic cod. Morel., Davisius ex Eliensi. Gzius in Spir. et Erl. ait esse *maximo et ornamento*; [in B est *maximo e ornamento*]. Mox *audimus* recte Schuetzius et Orellius ex edd. Crat. et Vict., et confirmat nunc clare Erl. [et B]. Est enim: homines nobis narrant. Ceterum Orellius ad Brut. 290 aberrat, eiusdem generis eos locos putans, in quibus perfecti temporis vis manifestissima est. Vid. Henrichsenius ad II de Orat. 93.

Cap. XXIII, 62. *Atque*) Continuativa oratio videtur, ut, cum Cato dixerit, quando responsurus sit, Cicero addat, quid tum ei, si vere loqui velit, dicendum sit (*et quidem*). Sic autem etiam Spir. [B], Gud. 1, et idem significant, qui *ad quae* habent, Gud. 2, ψ. Editiones *atqui*. Paulo post *cum* (*acutius diss.*) contra libros meos et editiones scripsi; vid. ad I, 34; [confirmat B]. Ceterum Cicero orationem a condicionali forma, quae sequi debebat illud *dicenda erant* et quae tenetur in *vidissent*, postea convertit ad praesens tempus: *negent*, *dicant*, cett.

eligendam dicant, nec quia) Sic codex archetypus (cod. Mor., tres Gzii, [B], Oxx. Eξχψ), et recte hoc significatur: nec id

cant, nec quia bonum sit valere, sed quia sit nonnihilo aestimandum; (neque tamen pluris illis videtur, qui illud non dubitant bonum dicere;) hoc vero te ferre non potuisse,

1. *non quia* COr. *sit bonum* C 2. *plures* [Eh]PCR *quam* post *pluris* add. omnes, Or. *illi videntur* LPCR

eo concedant, quia bonum sit valere, sed cet. Post Crat. et Manutium omnes *non quia*.

neque tamen pluris quam [sic edebatur] *illis videtur*) In hoc loco verum vidit Gzius. Edebatur iam inde ab Ascensio (1511) usque ad Gzium: *pluris quam illis videatur* cet. Sed indicativum habet etiam Spir. [B] (et Mead. Dav.), deteriores autem codices mendose: *plures* [hoc quidem etiam B, id est, meliores] *quam illi videntur* (*plures* enotatur e Pall. 4, 5, 6, Parr. tribus, CCC, Ball., Eχ, *illi* ex iisdem et Gud. utroque, Bas., *videntur* etiam e reliquis Palatinis). Manifestum est, perverse Catonem, cum ipse bonorum nomen commodis detraxerit, caventem induci, quod nemini suspicari in mentem venire potest, ne Stoici plus his rebus tribuere videantur, quam qui bona appellent, atque etiam sic loquentem, quasi id consentaneum videri potuerit (*neque tamen*). Nam quod Orellius „malitiam" aliquam Ciceronis subesse putat, Cicero Catoni sic respondendum fore dicit, ut, quamvis dissensionem Stoicorum et antiquorum exaggeret, tamen appareat, in verbis eam positam esse; Catonem autem balbutientem in sua sententia inducere, ea vero malitia non est, sed stultitia. Nec tamen verum est, quod Davisius putat, Catoni dicendum fuisse: *non minoris*; nam ne hoc quidem Stoicus ipse apertis verbis confessurus erat, etsi adversarii ex illa oratione nihil aliud confici dicebant. Apparet igitur, quod etiam indicativus verbi modus ostendit (nam, si haec Catoni tribuantur, prorsus necessarium esse coniunctivum, recte veteres editores senserant, quos Orellius sequi debebat), haec e Ciceronis persona sic interponi iis, quae sola a Catone responderi posse dicat, ut admoneat, iis verbis, quibus Cato usurus sit, nihil tamen novae rei, quo veterum sententia emendetur, subesse. Itaque *quam* tollendum est, quod librarius aliquis comparativo male addidit. Cur mire haec interici Orellius iudicet, non video. Neque enim Cicero ipsum Catonem recta oratione utentem inducit, sed ipse, quid respondere possit, dicit. Itaque recte suam sententiam verbi modo distinctam interponit. [*Quam* olim notaveram, nunc eieci. Fr. Iacobi ἀθετήσεις violentas (Philol. VI p. 481 sq.) refellendas non puto.]

hoc vero te — potuisse) *diceres* aut *respondendum tibi erat*. Mutavit formam orationis; nam post illud: *quippe qui primum* cet.

quod antiqui illi quasi barbati (ut nos de nostris solemus dicere) crediderint, eius, qui honeste viveret, si idem etiam bene valeret, bene audiret, copiosus esset, optabiliorem fore vitam melioremque et magis expetendam quam illius, qui, aeque vir bonus, multis modis esset, ut Ennii Alcmaeo,

circumventus morbo, exilio atque inopia.

63. Illi igitur antiqui non tam acute optabiliorem illam vitam putant, praestantiorem, beatiorem; Stoici autem tantummodo praeponendam in seligendo, non quo beatior ea vita sit, sed quod ad naturam accommodatior; et, qui sapientes non sint, omnes aeque miseros esse. Stoici hoc videlicet

2. *crediderunt* R *idem et bene* PR 3. *esse* (pro *fore*) E 5. *multis incommodis* L *enim*(pro *Ennii*) ER *alemo* E *alcineo* LCR 9. [*in se legendo* Eh] *in se eligendo* R *quod* R *ex vita* E *haec vita* cett, Or. 10. *quo* C *accommodior* E 11. *sunt* LPCR *esse* om. E *haec* (P)C

expectabatur: *deinde autem* cet. de iisdem Stoicis. (Otto infinitivum hunc admirantis esse putat, nec animadvertit hoc: *antiqui illi quasi barbati* ex Catonis persona dici.) Tum autem post Ennii versum (63: *Illi igitur* cet.) Cicero plane hanc figuram orationis Catonis respondentis omittit et ipse ironia utitur.

quasi barbati) Pro Sest. 19, pro Mur. 26, pro Cael. 33; sic enim veteres illos et intonsos appellabant. Cod. El. et Mead. *barbari*, et irrepserat idem in unam et alteram editionem, nescio an incuria. Paulo post *idem etiam bene* Manutii, Lambinus ex C, Gzius e Spir. et Erl. [B]; ceteri *idem et bene*. Ennii versus plenus extat cum pluribus de Orat. III, 218: *Multimodis sum circumventus morbo, exilio atque inopia.*

63. *non tam acute — putant*) id est: non tam acute faciunt, quoniam putant. Tam pervagata haec est sermonis Latini figura [frequentior tamen apud Livium et posteriores quam apud Ciceronem], qua adverbium verbo additum non tam modum ipsius actionis significat quam, quid de actione iudicetur, velut cum dicimus, stulte aliquid credi, hoc est stultum esse credere (N. D. II, 70), ut mirer, Lambino, Ernestio, Orellio placuisse *acuti*. [Vid. Gr. Lat. ed. Germ. § 398 b not. 4. Ciceroniana exempla extant etiam pro Deiot. 31, Tusc. V, 109; nam *stulte anteposuit* est: *stulte fecit, quod anteposuit.*] Paulo post *sapientes non sint* nescio unde Crat., Vict., tum Ernestius, Or., sed confirmat Erl. [B]; ceteri inde a Manutio *sunt*, et tacent de codicibus. *Accommodior* etiam mg. Crat. [B. *Ea vita* pro *haec vita* restituit Baiterus; nam etiam B *ex*.]

viderunt, illos autem id fugerat superiores, homines sceleribus et parricidiis inquinatos nihilo miseriores esse quam eos, qui, cum caste et integre viverent, nondum perfectam illam sapientiam essent consecuti. 64. Atque hoc loco similitudines eas, quibus illi uti solent, dissimillimas proferebas. Quis enim ignorat, si plures ex alto emergere velint, propius fore eos quidem ad respirandum, qui ad summam aquam iam appropinquent, sed nihilo magis respirare posse quam eos, qui sint in profundo? Nihil igitur adiuvat pro-

1. *videt* L Post *superiores* add. *qui* (om. R) *arbitrabantur* omnes, Or. cum uncis 3. *illam perfectam* E 5. *illas* (pro *eas*) C *uti* om. E 7. *quid est* (pro *quidem*) E 8. *iam aquam* LPCROr. *appropinquant — sunt* LPCROr. 9 *Nihil ergo* Or. *nihil enim* LCR

superiores, homines cet.) Quod ante Gzium edebatur, apertissimam habebat perversitatem, cum illud ipsum, quod Stoicorum proprium est, Academicis et Peripateticis, a quorum sententia longissime abhorret, tribueretur. Itaque Guyetus corrigere conabatur, *nonnihilo* scribens; Davisius autem, qui ita ridicule extenuari discrimen sentiebat, *nimio miseriores* substitui malebat, quomodo soli comici loquuntur [quamquam etiam Livius dixit *nimio plus*, *quam satis tutum esset*, I, 2, 3; cfr. II, 37, 4], nec animadvertebat, ipsam hominum maxime contrariorum coniunctionem et ironicam orationis formam satis ostendere, Stoicam sententiam verbis etiam exaggeratam a Cicerone poni, ut appareat, quam absurda sit; contra inepte annotaretur tamquam proprium, superiores idem sensisse, quod vulgus hominum. Itaque recte Gzius vidit, in ipsis his verbis nihil posse mutari, sed in illo *qui arbitrabantur* manifesto teneri librarii alicuius inscitam sedulitatem. Nam cum non intellegeretur, hanc ἐπεξήγησιν superaddi pronominibus *id* et *hoc*, quae ipsa ad superiora (*omnes aeque miseros esse*) referuntur, oratio dissoluta videbatur. (Omisso *qui*, ut in R, *arbitrabantur* nihilo minus ad *superiores* referetur.) *Hoc* Crat., Vict., Lamb., restituitque Dav. ex El., CCC, Mead. (Oxx. omnibus itemque Gzii, excepto Mon., [B]); *haec* ex ed. prima et a. 1480 ad Man. et alios venerat. *Castitatis* laudem ad omnem animi labe carentis integritatem pertinere, docui ego in Opusc. Acad. I p. 332, Beneckius ad orat. de imperio Pomp. p. 62.

64. *summam aquam iam appropinquent — sint in profundo*) In ordine primorum verborum cum Erl. conspirant Crat. et Vict. et sine dubio Spir. [B]. Gzius hunc et Erl. ait habere *aquam iam summam*. Quod deinde eosdem et ed. Crat. *appropinquent* et

cedere et progredi in virtute, quo minus miserrimus sit, antequam ad eam pervenerit, quoniam in aqua nihil adiuvat et quoniam catuli, qui iam dispecturi sunt, caeci aeque et ii, qui modo nati, Platonem quoque necesse est, quoniam

3. *despecturi* omnes (et mox eadem ratione) *et hi* EL *ut ii* R

sint pro indicativis, qui in editionibus erant, habere dicit (et improbat), confirmat de *appropinquent* edit. Crat. (non de *sunt*) [et nunc Baiterus de Erl. et B]. Postulat coniunctivum oratio obliqua, cum nulli certi homines significentur; et praecedit *velint*. Praeterea indicativo modo dicendum erat (propter *fore*): *appropinquabunt* — *erunt*. In III, 48 tota orationis forma alia est. Paulo ante *uti* omittit etiam Spir. [B]. Tum *nihil igitur* Davisius tacite, nescio unde; sed ita mg. Crat., cod. Mor., Erl., Spir. [B], Gud. 2; Manutii, Lambinus, Gruterus, Gzius *ergo*, et siletur de Oxx. codicibus; Gud. 1 et edd. vett. *enim*. Deinde Ernestius scripsit *sis* — *perveneris*, oblitus notae dicendi formae, quam ad I, 67 in transcursu attigi. Postremo Schuetzius pro *ad eam* scribit *ad summam*, ut hoc simile sit summae aquae mentioni, cum praesertim, qui *progrediatur in virtute*, is iam in ea esse videatur, ut *ad eam pervenire* non opus sit. Laudandum, ut alibi, quod difficultatem sensit, non quod verba mutavit. Nam ipsum illud *procedere et progredi in virtute* Cicero dixit ad communem formam loquendi; Stoici, qui virtutis gradus esse negabant, *εἰς ἀρετήν*, non *ἐν ἀρετῇ προκόπτειν* homines docebant (vid. ad III, 48), ut summum esset ad eam pervenire; nam ad summam pervenerat, qui omnino pervenerat. Hanc loquendi formam sequitur Cicero in verbis *ad eam*, ut postea § 66. Sed praeterquam quod ita repugnantiae quaedam species oritur, fit etiam, ut non satis appareat absurditas ea, quam Cicero ostendere vult. Nam miseros esse, qui ad virtutem non pervenissent, hoc est, qui nullam eius partem attigissent, veteres quoque et ipse Cicero concessurus erat. Quid ergo est? Debebant Stoicorum adversarii notionem eam virtutis, qua illi in his disputationibus utebantur quaque eam sic ab habitu animi nondum perfecti dirimebant, ut simul reapse e vita eicerent, oppugnare et, cum id fecissent, vetare eos ambigue loqui. *Despecturi* et postea (65) *despexerunt* omnes, ut videntur, codices [etiam B]; correxerunt Lambinus et Davisius. Cfr. II, 97.

aeque et ii) Sic etiam codd. Pall., Dav., Oxx., Gzii (nisi quod huius tres *hi*); *ut* una et altera editio, postrema Lambini: vid. ad I, 67. Mox etiam *et Phalarim* Gzius tamquam ex Erl.,

nondum videbat sapientiam, aeque caecum animo ac Phalarim fuisse.

XXIV. 65. Ista similia non sunt, Cato, in quibus quamvis multum processeris, tamen illud in eadem causa est, a quo abesse velis, donec evaseris. Nec enim ille respirat, antequam emersit, et catuli aeque caeci, priusquam dispexerunt, ac si ita futuri semper essent. Illa sunt similia: Hebes acies est cuipiam oculorum, corpore alius langvescit; hi curatione adhibita levantur in dies; valet alter plus cotidie, alter videt; his similes sunt omnes, qui virtuti student; levantur vitiis, levantur erroribus. Nisi forte censes, Ti. Gracchum patrem *non* beatiorem fuisse quam filium, cum alter stabilire rem publicam studuerit, alter evertere. Nec tamen ille erat sapiens; quis enim hoc? aut quando? aut ubi?

1. *et Phalarim* C 6. *caeci* om. P *despexerint* LC 8. [*habes* Eh] *alius nescit* E 9. *curantur* L *alter valet* LPCR 10. *hi* — *omnibus* PCR (*hi* etiam L) 11. *censeres* L 12. *Ti* om. E [*Graccum* Eh] *non* om. omnes 13. *studierit* E 14. *haec* L

Spir., Bas. Mihi nihil notatur [nec Baitero, neque de Erl. neque de B]. *Videbat sapientiam* potius quam *tenebat* Cicero dixit, eadem sententia, ut in imagine perstaret. Exciderat *sapientiam* in editionibus plerisque a Iuntina ad Lamb.; itaque Morelius in suo codice esse notat, Grut. ex omnibus Pall. revocavit.

Cap. XXIV, 65. *valet alter*) Sic etiam Spir. [B]; ante Gzium erat *alter valet*. [*Nescit* etiam B. Videtur Cicero scripsisse *alius senescit*, vires imminutas et deficientes significans, ut laudem, morbum, lunam senescere dicit; inde factum *aliusenescit*, *alius nescit*; alterum corrigendo natum.] Deinde *his* — *omnes* etiam Spir. [B], mg. Crat., Mor., El., restituitque post Manutium Gzius. Cum littera *s* extrita factum esset *hi*, inde ortum est *omnibus*; etsi Gzius in Bas. et Gud. 1 scribit esse *his* — *omnibus*. Paulo post Vict. *censeres*, nescio unde; (nullus Ox. aut Gzianus). Ante *filium* perverse Gzius addit *Ti.*, cum *Ti. Gracchum* sic positum sit, ut et ad *patrem* et ad *filium* pertineat. [*Ti.* om. etiam B.] *Non* in codice archetypo omissum fuisse, fidem faciunt etiam [B,] χψ; de ceteris tacetur; Aldus primus flagitante sententia addidisse videtur.

quis enim hoc) *fuit*, id est. *sapiens*. Nam adiectivi vicem in hac forma orationis sustinet pronomen neutri generis (sic veteres grammatici loquuntur, non *neutrius generis*), ut mox (66): *miseri, quod profecto sunt*, et V, 92: *si insipiens*, *quod certe*, *quo-*

aut unde? sed quia studebat laudi et dignitati, multum in virtute processerat. 66. Conferam [autem] avum tuum Drusum cum C. Graccho, eius fere aequali? Quae hic rei publicae vulnera imponebat, eadem ille sanabat. Si nihil est, quod tam miseros faciat quam impietas et scelus, ut iam

2. *autem* om. E, sine uncis Or. 3. *cum* om. C ⌈*Gracco est ius fere* Eb⌋ 4. *sed* (pro *si*) CR 5. *utinam* (pro *ut iam*) E

niam tyrannus; [III, 27 *id*, i. e. *placens*, IV, 53 *illud*, pro Font. 42 *quod*, Acad. II, 105 et Sall. Iug. 9, 2 *idem*]; cfr. Wopkensii Lectt. Tull. p. 115. Davisius auctoritate codicis CCC *hoc* omittere volebat. [Miror Baitero in ed. min. placuisse *qui enim*. Obstat *hoc*; nam subiecto non mutato ne hoc quidem addendum erat: obstant *quando* et *ubi*, quae, si de Graccho interrogatur, inepte adduntur, apte, si universe. Sapientem, qui a Stoicis fingeretur, ne ipsos quidem quemquam in historia monstrare. et alii non raro et Cicero dixit II Acad. 145.]

66. *Conferam* [*autem*] *avum tuum*) Particulam omittit etiam Spir. [B]. Potuit tamen excidere ante *avum*, nec incommoda est, cum ad alterum exemplum transeatur. Interrogationis notam cum Lambino addidi; neque enim Cicero comparationem se instituturum promittit, sed negat, conferri posse homines tam longe diiunctos. Drusi praenomen (*M.* post *tuum*) addendum esse Gzius suspicatur, non inscite, in notatione hominis Romani ex historia exempli causa delecti. De cognatione Drusi et Catonis dictum est ad III, 8.

Si nihil est cet.) Veram scripturam e Pal. 4, Parr. 1 et 3 revocavit Davisius, tum, ab Ernestio spretam, Gzius e tribus optimis suis codicibus [B]. Ceteri *sed*, in qua scriptura perversissime Cicero omnes insipientes impios et sceleratos facit, etiam Drusum, quoniam insipiens fuit, et inde (*ita ut iam*) concludit, miseros esse. Ipsa illa, quae additur, confirmatio (*quod profecto sunt*) ostendit, non consecutionis significationem praecedere, sed aut concessionis aut condicionis. *Iam* particula in concedendo sic additur, ut significemus nos, omissis iis, quae aliter dici statuive possint, longius procedere. Eadem compositione (*ut iam*) Cicero utitur in ep. ad Fam. I, 9, 13, [de Divin. II, 33]. Hunc a superiore sententia ad concessionem transgressum Livius et Caesar interdum significant *iam* particulae *ut* praeponentes (Liv. V, 54, 6, Caes. B. G. III, 9). quod a Walchio recte animadversum Handius (Turs. III p. 140) sic improbat, ut ipse in Caesaris loco particulas multis verbis separatas (*iam tamen*) coniungat et novam iis significationem tri-

omnes insipientes sint miseri, quod profecto sunt, non est tamen aeque miser, qui patriae consulit, et is, qui illam extinctam cupit. Levatio igitur vitiorum magna fit in iis, qui habent ad virtutem progressionis aliquantum. 67. Vestri autem progressionem ad virtutem fieri aiunt, levationem vitiorum fieri negant. At, quo utantur homines acuti argumento ad probandum, operae pretium est considerare.

2. *et hijs* E 3. *in* om. LPCROr. *his* L *is* C 4. *aliquantulum* C 6. *ad quod* EP *utuntur* ELPR *nituntur* COr. 7. *confidere* E

buat (*und doch eben*) atque a sententiae progressu prorsus abhorrentem, Livii (p. 141) non interpretetur. Eadem est ratio particularum *si iam*, quibus Handius miras significationes nec ab ipsarum natura magis quam a singulorum locorum sententia alienas tribuit. Significatio a temporali illa, qua *iam* tempus praesens a superiore mutatum notat, leviter transiens perspici potest in illo ipso loco, quem primum Handius posuit; hoc enim Cicero dicit (Cat. I, 5): Fingamus me, ab ea, qua hactenus usus sum, ratione discedentem, nunc te comprehendi iubere cet. (Ex Cicerone addi potest pro Balbo 37 et fortasse alia.) Ut ad rem redeamus, veteres illi, quorum sententiam Cicero persequi vult, cum sapientis personam ab insipientibus non tam praeciso fine separarent, vix omnes eos, quos Stoici insipientes appellabant, miseros esse concessuri erant, quod facit Cicero.

fit in iis) Sic esse in cod. Erl., Gzius tacuit; itaque in Spir. etiam praepositionem fuisse puto. [Non habet eam B.] Locutioni huic: *levatio fit* Latina consvetudine non tam dativus aptus est quam praepositio, locum et sedem actionis indicans. Mox *aliquantulum* ex ed. prima ad Man. et alios manavit; recte codices Davisii, qui emendavit, Oxx., Gzii.

67. *At, quo utantur — argumento*) *Utuntur* scribitur in melioribus codicibus, ut in [B,] tribus optimis Gzii (*ad quod*), et multis aliis (Pall. aliquot et Dav., Ox. χ), et tenuerunt editores ante Davisium fere omnes; reliqui codices deteriores habent *nituntur* (Pall. 3, 6, Mead., Eξψ, Bas., Gud. 1, Mon., ed. a. 1480), quod Gzius ascivit, si *utuntur* scribatur, abundare *ad probandum* putans; cui orationis copiae verbi mutatio nihil prorsus detrahit. Sed et ordo verborum et sententia ipsa demonstrant, in pronomine *quo* interrogationem esse; neque enim hoc dicitur, argumentum, quo utantur, id per se esse consideratione dignum, sed considerandum esse, quale quamque futile argumentum afferant. Itaque Davisius et Ernestius tamquam e

Quarum, inquit, artium summae crescere possunt, earum

1. *summa crescere potest* LPCROr. (*summa ecrescere* E)

cod. CCC, quae auctoritas et incerta est et pondere nulla, scripserunt *nitantur*, probavitque Wesenbergius in Observ. critt. ad orat. pro Cael. p. 21. Correxi ego quoque [nunc] post Lambinum mendum, etsi hic locus non patitur, ut eos, qui Ciceronem et ceteros prosae orationis scriptores indicativo in interrogatione pendenti interdum usos putant, refellam, qui, ut Goerenzii nugas et turbas omittam, in eo omnes sunt vitio, ut, cum coniunctivus tantummodo ad sententiarum nexum significandum et ad universam interrogationis pendentis formam pertineat, excusationem tamen indicativi ex rei interrogatae proprietate aliqua petere conentur, velut cum certam rem significari narrant (quasi coniunctivus incertam significet et quasi, cum sic dico: *quaero, unde pater venerit*, non certum sit, venisse). Itaque cum singulorum locorum sententias corrumpunt, tum tales ratiunculas confingunt, quae si verae essent, non his paucis locis, sed infinitis et fere omnibus indicativus ponendus esset, quem tamen ipsi in scribendo numquam ponunt. Accedit in testimoniis sine ullo discrimine corradendis summa neglegentia, velut in *sunt* et *sint*. Vetus sermonis Latini inconstantia, quasi dubitantis, utrum ad interrogationes pendentes signandas coniunctivo opus esset necne esset, ante Ciceronis aetatem ita cesserat certae legi, ut in sola poësi licentiae aliquid relinqueretur. [Pro *considerare* B *considere*.]

Quarum, inquit, artium summae crescere possunt) Pro *inquit*, cuius formae usus in adversario incerto fingendo et inducendo notissimus est (cfr. ad II, 78), editiones inde a Veneta 1494 habent *inquiunt*. Correxit Davisius e tribus codicibus; consentiuut Eξχψ. cod. Mor. [B]; Gzius tacet. *Summae — possunt* ex Erl. [B] eo magis scripsi, quod Morelius e suo codice annotat: *summa crescere possunt*, in quo vix dubito quin *ecrescere* reperturus fuerit, si attendisset. Gzius neque de Erl. neque de Spir. quidquam dixit. Sua cuiusque artis summa est, quamquam Cicero in contrario genere (*summa poterit*) hanc singulorum significationem omisit. Artium numero Stoicus argumenti concludendi causa virtutes comprehendit, de quo ad § 4 dixi. *Contrariorum* Lambinus scribendum vidit, quem Gzius secutus est; idem voluit Manutius, apud quem *contrarium* scribitur. Etiamsi ferri posset *earum contrariarum* sic positum, ut *earum* a *contrariarum* penderet (*contrariae artes earum*), quod ferri non potest, tamen artibus (universis) contrariae non sunt artes, sed sunt quaedam artibus contraria, quasi inertiae. (Oxx. *con-*

etiam contrariorum summa poterit augeri; ad virtutis autem summam accedere nihil potest; ne vitia quidem igitur crescere poterunt, quae sunt virtutum contraria. Utrum igitur tandem perspicuisne dubia aperiuntur an dubiis perspicua tolluntur? Atqui hoc perspicuum est, vitia alia aliis esse maiora; illud dubium, ad id, quod summum bonum dicitis, ecquaenam fieri possit accessio. Vos autem, cum perspicuis dubia debeatis illustrare, dubiis perspicua conamini tollere. 68. Itaque eadem ratione, qua sum paulo ante usus, haerebitis. Si enim propterea vitia alia aliis maiora non sunt, quia ne ad finem quidem bonorum eum, quem vos facitis, quidquam potest accedere, quoniam perspicuum est, vitia

1. *contrariarum* omnes 2. *nihil possunt* E *vitia quid* E 5. *alia in aliis* omnes, Or. 7. *haec quae iam* E *haec quanam* L *haec quaenam* C 9. *atque* E add. *usus* ELPR 11. *eum* transp. ante *quidem* C 12. [*intra* pro *vitia* Eh]

trariarum annotant tantum ex ξψ.) [*Nihil possunt* pro *nihil potest* etiam B, quod e superiore loco natum est.] Paulo post *tandem* a Bas. aberat.

vitia alia in aliis esse maiora) Si sic Cicero scripserit, non attendisse eum ad rem propositam, Wesenbergius vidit. Haec enim verba sic vitiorum et hominum comparationem coniungunt, ut alius verbi causa ebriositate magis excellere dicatur, alius impudicitia, alius crudelitate. At non id agitur, sed, sitne omnino aliud vitium alio (sive eiusdem sive alius generis) maius et sitne in aliis maior, in aliis minor vitiositas universae naturae. Itaque mox (68) recte dicit *vitia alia aliis maiora*, quomodo paene adducor ut hic quoque eum scripsisse putem. [Sic nunc cum Baitero edidi; in idem iam Lambinus inciderat.]

68. *Itaque eadem ratione*) Significat, quae § 54 et 55 leguntur. In codice archetypo erat: *itaque usus eadem* (ut in Pall., Mead., Eξχψ, Gzii „plerisque omnibus“, [B]), ex quo Cratander aut alius quis effecit *usi*, retinueruntque nonnulli. Non Stoici hac sententia usuri erant, sed Cicero contra eos. Davisius et Gzius e Parr. 2 et 3: *usque eadem*, ut sit *semper*, quomodo non modo Cicero, sed ne veteres quidem poëtae dixerunt, apud quos *usque* significat continuam nec interruptam actionem. Vocabulum errore librarii e proxima sede in hunc locum translatum esse, viderat, opinor, qui ed. primam curavit, secutique sunt Man., alii, ut lusurus sit, qui effecerit: *Itaque rursus eadem* cet. [Et debebat esse *iterum*. Et tamen exornavit hoc Lachmannus ad

non esse omnium paria, finis bonorum vobis mutandus est. Teneamus enim illud necesse est, cum consequens aliquod falsum sit, illud, cuius id consequens sit, non posse esse verum.

XXV. Quae est igitur causa istarum angustiarum? Gloriosa ostentatio in constituendo summo bono. Cum enim, quod honestum sit, id solum bonum esse confirmatur, tollitur cura valetudinis, diligentia rei familiaris, administratio rei publicae, ordo gerendorum negotiorum, officia vitae; ipsum denique illud honestum, in quo uno vultis esse omnia, deserendum est; quae diligentissime contra Aristonem dicuntur a Chrysippo. Ex ea difficultate illae fallaciloquae,

3. [*cuius inconsequens* Eh] 5. [*illarum* Eh] 7. *esse bonum* L 11. *quae diligentissime — illae fallaciloquae* Nonius p. 113 (sed *fallaciloquentiae*) 12. *fallaci loquelae* E *fallacis loquelae* PCR *loquelae* L

Lucretium p. 144, ut scriberetur *rusus*, cuius scripturae nullum usquam in Ciceronianis codicibus vestigium est.]

non esse omnium paria) Mavult Orellius *omnia*, ut 74 dicitur: *omnia peccata paria*, et similiter saepius. Sed eodem res redit; nam ad homines translata eadem sententia efficit, ut Platonis et Dionysii tyranni, si quidem neuter sine vitiis sit, aeque magna sint vitia, et sic omnium, qui quidem peccent; cfr. 21 et 63 et 77. Paulo post pro *id* (ante *consequens*) Ox. E *quid*, χ *id quod*. „Grassantur scribae; alii *quid* vel *quod*, alii *id quod*, alii *in* exhibent, alii denique *id* omittunt.“ Gzius. [B ut Erl., proxime vero.]

Cap. XXV. *ipsum denique illud honestum*) quod oriri debet ex selectione, quae esse nulla potest, omnibus exaequatis (III, 12). Neglexit Cicero, quae Catonem de differentia rerum exponentem ipse induxerat. [Initio capitis *illarum* etiam B.]

fallaciloquae — malitiae) Male distracto adiectivo ex *loquae* (*loque*) ortum est *loquelae* (*fallaci loquelae* etiam Spir. [B], mg. Crat., Mor.); tum in deterioribus factum *fallacis* (Pall., Parr. 1, 3, Mead., EUξψ, Gzii reliquis). Correxit Manutius, et praeceperat correctionem librarius Par. 2; Lambinus Memmianum appellat. Nonii, quem Victorius secutus est, codex hic non melior fuit quam § 50 (*coniecturarium*), nec homo indiligens ad *malitiae* nomen ipse attendit. Adiectivum satis tuetur ille apud Ciceronem III de Orat. 154 versus: *Num non vis huius me versutiloquas malitias* —, qui quin ipse Attii sit et h. l. a Cicerone significetur, non dubito: in voce a poëta ficta sic me-

ut ait Attius, malitiae natae sunt. 69. Quod enim sapientia, pedem ubi poneret, non habebat sublatis officiis omnibus, officia autem tollebantur delectu omni et discrimine remoto, quae esse *non* poterant rebus omnibus sic exaequatis, ut

1. [*Actius* Fh] *nati* E *quid enim* CR 2. *ubi pedem* C *habet* C 4. *quae enim esse* (P)Or. *quae et esse* E *non* om. omnes, Or.

moria Ciceronem fefellit, ut aliam eiusdem formae et significationis substitueret. Nam hic quoque Ciceronem scripsisse *versutiloquae*, inaniter Gzius suspicatur.

69. *Quod enim sapientia*) Manutius primus *quod* scripsit e Maffei libro (Pal. 4, tribus optimis Gzii, [B]; de Oxx. tacetur) et periodi formam restituit, antea sic distractam: *Quid enim? sapientia — omnibus; officia* cett.

quae esse non poterant) Tres sunt conclusionis gradus: officiis sublatis, sapientia nulla est; officia nulla sunt, delectu et discrimine remoto; delectus et discrimen esse non possunt, omnibus exaequatis. In codice archetypo exciderat particula negativa. Itaque nescio quis editor (reperio iam apud Crat., non apud Vict.) addidit *enim* et post *interesset* interrogandi notam: *quae enim esse poterant, rebus — interesset?* ut haec interrogatio parenthesis locum haberet. Tenuerunt ceteri; Manutius tamen annotat, *enim* non esse in Maffei cod., Gruterus, abesse a Pal. 4, quem solum commemorat propter *quod* in initio periodi, Davisius in suis non esse scribit, Oxx. non in Eξψ; in nullo enim omnino erat. Gzius tamen eius rei et suorum codicum oblitus est. Orellius a solo Victorio omitti putat. [B ut Erl.] In illa interrogatione inaniter de officiis (ad ea enim necessario tum refertur *quae*) idem, quod dictum erat, pro argumento iterum ponitur, tertius conclusionis gradus desideratur. [De negatione in cod. archetypo omissa cfr. ad III, 74.] Post *officia autem* cod. El., Eξ addunt *omnia*, nimis diligenter. In *angustiarum* nomine ambiguitas quaedam non magna est. Initio enim capitis hoc vocabulo Cicero significat posteriores illas sententias, in quibus Stoici haereant, earumque causam indicat, hic angustias appellat illas ipsas difficultates, quae a principio progredi conantibus obiciantur, et ex iis tamquam ex fonte ortas esse ait absurdas illas sententias (*ista evaserunt deteriora*). [Etiam B *ex istis*; recepit Baiterus; non recte concurrit *ex istis ista*: „Ista vestra decreta ex *his*, quas demonstro, angustiis“.] Pro *tamen* duo Gzii *tam.* Hoc Cicero dicit: Illa Aristonis, qualiacumque sunt, tamen (saltem) simplicia sunt; vid. ad II. 31. Paulo post in *nihilo magis* satis dure eo genere, de quo ad II, 25 dixi, e *neget* auditur *dicat.*

inter eas nihil interesset, ex his angustiis ista evaserunt deteriora quam Aristonis. Illa tamen simplicia; vestra versuta. Roges enim Aristonem, bonane ei videantur haec, vacuitas doloris, divitiae, valetudo; neget. Quid? quae contraria sunt his, malane? Nihilo magis. Zenonem roges; respondeat totidem verbis. Admirantes quaeramus ab utroque, quonam modo vitam agere possimus, si nihil interesse nostra putemus, valeamus aegrine simus, vacemus an cruciemur dolore, frigus, famem propulsare possimus necne possimus. Vives, inquit Aristo, magnifice atque praeclare; quod erit cumque visum, ages; numquam angere, numquam cupies, numquam timebis. 70. Quid Zeno? Portenta haec esse dicit, neque ea ratione ullo modo posse vivi; se dicere, inter ho-

1. *ex istis* ER 2. *illa autem* R 3. *videatur* L 4. *negetur quodque contraria* E 7. *possumus* C 9. *propulsare possumus* E 11. *agens* Or. *numquam agere* C 12. *haec* om. E *dicis* E 13. *nec* LPCROr. *vivi sed dicere inter* E *vivi; sed differre inter* LPCROr.

quod erit cumque visum, ages) Invidiose significat initium illud appetendi et agendi, quod Aristo reliquerat et de quo ipse § 43 dixit. Pro *ages* Urs. codex *agens*, quod e Mead. Davisius et recentiores asciverunt; Gzius in omnibus suis *ages* esse scribit, [et sic cum Erl. B]. Non incommoda est in participio rationis, qua praeclare victurus sit, significatio; sed ἀσυνδέτως quoque recte procedit descriptio vitae illius. (Gzius incredibili errore coniungit *visum agens*. Eξ om. *ages*.)

70. *Portenta haec esse dicit*) Gzius in Erl., Spir., Gud. 1 omitti *haec esse* scribit, qui de *esse* redarguitur in Erl. [et B]; *haec* aberat etiam ab Eξ, Mon. In mg. Crat. ad *haec esse dicit* annotatur *dicis*, sed pro tribus illis verbis in codice unum illud fuisse, non licet tuto concludere. [*Dicis* etiam B.] Aegre caruerim pronomine, cum ab hac Aristonis sententia suam Zeno separet; si cum Ottone scribas: *Quid Zeno? Portenta dicit* cet., haec verba sic posita significabunt, ipsum Zenonem portenta loqui, ad proxima autem inepte *dicit* alia sententia pertinebit. Zeno Aristonem alloquens (*dicis*) induci nulla figura potest.

sed differre) [Sic antea cum ceteris edideram.] Ex Erl. et Spir. Gzius annotat *sed discere*, e Gud. 2 et Bas. *distare*. (Prosae orationis scriptores huius quidem aetatis *rem distare* dicere solent *ab alia* et *res inter se distare*; Horatius poëta [et Nigidius Figulus apud Gellium XI, 11, 1] dixit *distare inter res*.) In Spir. fuit ut in Erl. [B] *sed dicere*. [Ex eo effici:

nestum et turpe nimium quantum, nescio quid immensum, inter ceteras res nihil omnino interesse. 71. Idem adhuc; audi reliqua, et risum contine, si potes. Media illa, inquit, inter quae nihil interest, tamen eiusmodi sunt, ut eorum alia eligenda sint, alia reicienda, alia omnino neglegenda, hoc est, ut eorum alia velis, alia nolis, alia non cures.

1. [*quod inmensum sit inter* Eb] 2. *id est* (pro *idem*) E 3. *risum* om. P

se (contra) *dicere*, *inter* cet., videram olim nec tamen secutus eram, etsi et *differre* abundare intellegebam, et *sed* prorsus prave poni in coniunctione reprehensionis aliorum et suae sententiae declarationis apparebat. Minus eleganter verbo *dicit* subiungi (sed in altero membro) *se dicere*, in hoc opere ferendum est. Inceptam obliqua oratione Zenonis sententiae declarationem Cicero abrumpit, quam non consentanea sequantur, attendi iubens, deinde recta oratione utentem Zenonem inducit.]

nescio quid immensum) Rectissime hoc in oratione exaggeranda priori superadditur, nec erat, cur L. Carrio (Antiq. Lectt. II, 12) sublatum vellet, a suo codice abesse testans. [*Sit* addit etiam B, ortum ex ignoratione locutionis *nescio quid*.]

71. *Idem adhuc; audi reliqua* cet.) Sic orationem editores interpungunt, ut appareat, eodem modo eos verba intellegere, quo interpretes et lexicorum scriptores reddunt: „idem Zeno praeterea dicit." Sed si hoc Cicero significaret, omisisset *reliqua*, cuius vocis vis in *adhuc* inesset. Deinde *adhuc* apud Ciceronem et eius aequales proximosque pro *praeterea* non dici, recte et ab aliis et nuper ab Handio disputatum est, Turs. I p. 163 et 164. Nec ea, quae sequuntur, additamenti loco sunt, sed ipsum id, de quo quaeritur, continent. Itaque sic interpretari cogimur: *Adhuc idem* (dicit Zeno, quod Aristo); *audi* (nunc) *reliqua* cet. (Cfr. de Div. II, 4: *adhuc haec erant; ad reliqua* cet.) Paulo duriorem hanc brevitatem et verbi *dicit* repetitionem videri, non nego; [quae tamen nunc lenior fit, praecedente *se dicere*, ex quo illud *dicit* sumitur]. (Quod Handius Plautum *adhuc* illo modo posuisse dicit, si iam Plauti aetate illa significatio in voce fuit, non potest de Ciceronis aetate tuto negari. Sed in uno, quo et is et alii utuntur, loco Truculenti codices Palatini, in ceteris verbis corrupti, vocis *adhuc* nullum habent vestigium. *Id est* [sic etiam B] pro *idem* in Erl. saepissime scribitur, et *idem* pro *id est*, ne quis hinc aliquid extundat.)

— At modo dixeras, nihil in istis esse, quod interesset. — Et nunc idem dico, inquiet; sed ad virtutes et ad vitia nihil interesse.

XXVI. 72. Quis istud, quaeso, nesciebat? Verum audiamus. — Ista, inquit, quae dixisti, valere, locupletem esse, non dolere, bona non dico, sed dicam Graece προηγμένα, Latine autem producta (sed praeposita aut praecipua malo; sit tolerabilius et mollius); illa autem, morbum, egestatem, dolorem, non appello mala, sed, si libet, reiectanea. Itaque

1. *ac* LPC *in istis rebus esse* LP *in iis rebus esse* CR 2. *inquies* LPCR *sed et ad* P 4. *istuc* Or. *quasi* omnes 5. *inquis* LP 7. [*praecipuo* Eh] 8. *sic* (pro *sit*) (L)Or. [*mollitus* Eh] *egestatem morbum* C 9. *si* om. C

nihil in istis esse) Sic etiam e Spir. [B] Gzius; deteriores codices addunt *rebus* (Parr. 2, 3, Mead., Oxx. Eξχψ, Mon.; in Gud. 2 et Bas. erat: *in rebus istis*; editiones ante Davisium *in his rebus*). Paulo ante *ac* pro *at* edd. ante Man., Ox. E, Gzii, si ipsi credas, omnes; credo de deterioribus. [B *at*.] Tum *inquiet* Gzius etiam e Spir. [B]; superiores *inquies*, quasi Catonem Cicero alloquatur ac non de Zenone narret.

Cap. XXVI, 72. *Quis istud, quaeso, nesciebat?*) Editiones inde a Grutero, excepto Dav., tacite *istuc*. [B *istud*.] *Quaeso* restituit Manutius; annotant *quasi* Oxx. ex Eχψ, Gzius ex omnibus suis [B]; vid. ad II, 6. Paulo post Cicero, ne, sua interpretatione interposita, turbet figuram orationis, ipsum Zenonem Latine sua verba interpretantem inducit. Neque enim ineptissima Gzii parenthesis haec ex ore Zenonis eripiet aut divellet sic connexa: *dicam Graece* — *Latine autem*. Pro *sic* (quod Man. primus edidisse videtur) deteriores (Pall., EUψ) [et, ut nunc apparet, meliores, Erl., B] *sit* [quod restitui; „sit enim, si sic dicamus“]. *Egestatem, morbum* (hoc ordine) ex ed. prima Man. et alii (contra codd. Gzii).

reiectanea) Supra III, 15 et 52 et Acad. I, 37 *reiecta* appellavit, participii formam (ἀποπροηγμένα) servans, in qua cum parum appareret perpetui cuiusdam loci et ordinis, quo illae res haberentur, significatio, novi vocabuli usum tentavit, sequens formam eam, quae erat in *consentaneus*, *dissentaneus*, *praecidaneus*, *succedaneus*, *supervacaneus*, [*circumforaneus*, *extraneus*, *mediterraneus*, *praeliganeus*], quorum tamen nullum e participio aut adiectivo alio factum est (*supervacuus* recentius est); nam *collectaneus*, *coniectaneus*, *miscellaneus*, *subitaneus* post Ciceronem nata sunt [aut saltem reperiuntur, etiam *praesentaneus*, *siccaneus*;

illa non dico me expetere, sed legere, nec optare, sed sumere, contraria autem non fugere, sed quasi secernere. Quid ait Aristoteles reliquique Platonis alumni? Se omnia, quae secundum naturam sint, bona appellare, quae autem contra, mala. Videsne igitur Zenonem tuum cum Aristone verbis consistere, re dissidere; cum Aristotele et illis re consentire, verbis discrepare? Cur igitur, cum de re conveniat, non malumus usitate loqui? Aut doceat, paratiorem

3. [*alumpni* Eh] 5. *igitur* om. C 6. *consentire* (pro *consistere*) C *re* ante *dissidere* om. EP *et cum illis* C 7. *disceptare* LP 8. *malimus* LPCROr. [*usitare* Eh]

sed *conditaneus* iam apud Varronem legitur]. *Secernere* insolentius dixit pro ἀπεκλέγεσθαι (et addidit *quasi*), ne, si *reicere*, quo alibi utitur (vid. ad III, 20), posuisset, nimis hoc prope accederet ad ipsorum τῶν ἀποπροηγμένων nomen Latinum ab illo verbo ductum.

verbis consistere) Nove dictum hoc de convenientia et consensu, nec e propinquo translatum est; satis enim distat illud in Act. I in Verr. 19: *cum hoc consistit*, ubi ipsa simul et in eodem loco standi significatio magis in praepositione est, verbum, ut alibi, initium standi significat. *Stare* autem *cum aliquo* (ut 45: *stantem cum iis*) ab iis, qui cum aliquo in eodem loco una constiterunt, ad eos, qui easdem partes sequuntur, sic transfertur, ut verbum et praepositio artissime conflentur. Hic *cum Aristone* communiter ponitur eique additur et *consistere verbis* et *dissidere re*. Mendi nullum indicium est, et excusatur insolens verbi usus variandae elocutionis necessitate. Manutius et Lambinus *consentire* ex ed. prima; pro ipso autem *consentire* altero loco Lambinus in cod. Memmiano scribi narrat *consistere*, aberrans sine dubio. [*Re* excidit etiam in B.]

non malumus) Sic etiam [B,] E§, edd. Crat. et Vict.; de ceteris bonis tacetur; etiam de Erl. a Gzio. Latini, ut dicunt potius: *quid fore putamus?* quam *putemus* (cfr. Opusc. Acad. II p. 41), sic ne in hac quidem forma quidquam ex potentiali significatione admiscent, sed de eo, quod fiat, quaerunt.

Aut doceat) Aliter, si ea, quae dixi, non concedit, docendum ei est cet. Persaepe sic paulo laxius per *aut* declaratur, quid futurum sit aut, ut hic, quid fieri debeat debueritve, si ab eo, quod ante dictum sit, discedatur. Annotarat iam Schellerus p. 1137 et ascripserat ex hoc posteriore genere Ciceronis locum ad Att. II, 1, 3. Condicionem ipsam addidit Cicero de Divin. II, 19: *Aut, si negas esse fortunam, — muta definitionem*

me ad contemnendam pecuniam fore, si illam in rebus praepositis quam si in bonis duxero, fortioremque in patiendo dolore, si eum asperum et difficilem perpessu et contra naturam esse quam si malum dixero. 73. Facete M. Piso, familiaris noster, et alia multa, et hoc loco Stoicos irridebat. Quid enim? aiebat; bonum negas esse divitias, praepositum esse dicis; quid adiuvas? avaritiamne minuis? Quomodo? Si verbum sequimur, primum longius verbum praepositum quam bonum. — Nihil ad rem! — Ne sit sane; at certe gravius. Nam bonum ex quo appellatum sit, nescio; praepositum ex eo credo, quod praeponatur aliis. Id mihi magnum videtur. Itaque dicebat plus tribui divitiis a Zenone, qui eas in praepositis poneret, quam ab Aristotele, qui bonum esse divitias fateretur, sed neque magnum bonum et prae rectis honestisque contemnendum ac despiciendum nec magno

2. *quasi* (pro *quam si*) E 3. *dolorem* L *asperniri et* E *perpessum contra* P 4. *esse* om. P 5. [*hoc modo Stoicos* Eh] 7. *Quod si* (pro *quomodo si*) LPCROr. 9. [*ad certe* E] *at aliud certe* L 11. *praeponantur* E 12. *divitias* L *a* om. E

divinationis. Handius, qui prius genus recte tractavit Turs. I p. 538, hunc locum et alium Plinii p. 540 cum dissimillimis confudit, ubi *aut* coniungit duas interrogationes eodem spectantes. Paulo post pro *perpessu* Gzius in Erl. et Spir. ait esse *perpessi*, *et* autem post eam vocem in omnibus codd. omitti. [Sic B.] Itaque scribi vult *perpessu*, *si contra naturam* [quod Baiterus recepit].

73. *Quomodo? Si verbum* cet.) Cum admiratione interrogando negat; deinde explicat, cur admiretur. Veram scripturam, quoniam de ceteris bonis tacetur, e solo Erl. sumpsi; [accedit B]; nam in deterioribus eo modo corruptum compendium est, de quo ad II, 53 et 97 dictum est. Nulla hic post interrogationem, qua adversarius urgvetur (*avaritiamne minuis?*), talis est orationis continuatio, ut *quod si* poni possit. Quod autem *hoc loco* pro *in hac re*, *in hac parte* dicit, eodem modo loquitur V, 50: *Atque hoc loco* cet. et pro Flacco 57: *Quo loco etiam atque etiam facite*, *ut recordemini* cet. Cfr. Sen. Ep. 14, 5, Schellerus p. 5800 ima. [Sed ecce Eh et B *hoc modo*, quod Baiterus recepit. Non videtur recte contrarium poni illi: *et alia multa*, et ex inferiore loco (extremo capite) huc retractum esse.] M. Piso is significatur, qui ipse in quinto libro Peripatetica explicat.

opere expetendum; omninoque de istis omnibus verbis a Zenone mutatis ita disputabat, et quae bona negarentur esse ab eo, et quae mala, illa laetioribus nominibus appellari ab eo quam a nobis, haec tristioribus. Piso igitur hoc modo, vir optimus tuique, ut scis, amantissimus; nos, paucis ad haec additis, finem faciamus aliquando; longum est enim ad omnia respondere, quae a te dicta sunt.

XXVII. 74. Nam ex eisdem verborum praestigiis et regna nata vobis sunt et imperia et divitiae, et tantae quidem, ut omnia, quae ubique sint, sapientis esse dicatis. Solum praeterea formosum, solum liberum, solum civem; *stultos* omnia contraria, quos etiam insanos esse vultis. Haec παράδοξα illi; nos admirabilia dicamus. Quid autem habent admirationis, cum prope accesseris? Conferam tecum, quam cuique verbo rem subicias; nulla erit contro-

1. *omnibus istis* C 2. *disputabant* EP *ut quae* C *ab eo esse* E 3. *ab eo appellari* LCROr. *appellari* om. P 5. *ut* om E 8. *iisdem* R 12. *stultos* om omnes *stultorum* Or. sine nota *et insanos* C 14. *admirationis habent* L

de istis omnibus) Sic etiam quattuor Gzii codices [B] et edd. vett. (Crat., Vict.); *omnibus istis* ex ed. prima ad Man. et ceteros venit. Tum *appellari ab eo* etiam Spir. [B], Gud. 1; editiones invertunt. [B etiam *ab eo esse.*] Extremo capite Cicero plene dixit; I N. D. 19 (*longum est ad omnia*) et III Tusc. 40 (*sed non necesse est nunc omnia*) ellipsi usus est, quam cur hic quoque delendo efficiamus, nulla causa est.

Cap. XXVII, 74. *stultos omnia contraria*) Prima vox in cod. archetypo (Pall., Dav., Oxx., Gzianis, [B]) omissa erat; itaque Manutius e cod. Maffei addidit *stultorum* tenueruntque ceteri; quae forma orationis probari non potest, ut hoc: *stultorum contraria omnia dicitis* hanc habeat vim, stultos in contraria vitia et miserias incidere. Cod. El. (1) et ex simili cod. Ascens. et Crat. addunt *stultis* post *contraria*, in quo non *nata esse* librarius intellegi voluit, ut Davisius putat, sed *contraria* intellexit adversa. Ipsa brevitas orationis, qua haec superioribus adiunguntur, ostendit eandem servari structuram; itaque *omnia contraria* eo modo, quo ad 65 dixi, locum tenet adiectivorum superioribus contrariorum: *deformes*, *servos*, *non cives* (*exules*). Idem video Morelio placuisse. Mox ad *illi* ex *dicamus* sumitur *dicunt*; vid. ad III, 21.

versia. Omnia peccata paria dicitis. Non ego tecum iam ita iocabor, ut iisdem his de rebus, cum L. Murenam te accusante defenderem. Apud imperitos tum illa dicta sunt: aliquid etiam coronae datum; nunc agendum est subtilius. 75. Peccata paria. Quonam modo? Quia nec honesto quidquam honestius nec turpi turpius. Perge porro; nam de isto magna dissensio est; illa argumenta propria videamus, cur omnia sint paria peccata. Ut, inquit, in fidibus plu-

1. *novi ego* E 2. *locabor* E *loquar* PCROr. 2. [*is de* Eh] [*murenate accusate* Eh] 3. *cum* C 4. *et coronae* E *esset c.* C 5. *quodam modo* L *neque honesto* C *quid* L 8. *peccata sint paria* LPCROr. *plurimis* PCR

ita iocabor) Sic mg. Crat. et cod. Mor. et, Gzio teste, Bas. et Vindob., nec discedunt Erl. et Spir. [B], nisi quod littera *i* paulo longius ducta transiit in *l*; ceteri codices et editiones *loquar*. Iocari Ciceronem in oratione pro Murena nemo nescit. *Apud imperitos* philosophiae iudices dixit, dedit aliquid etiam *coronae* hominum circumstantium et audientium.

75. *Peccata paria. Quonam modo? Quia* cet.) Sententiam ponit tamquam e Stoici persona; ex sua cum admiratione interrogat; iterum ex illa rationem reddit. Cfr. II, 6, III, 14. V, 79 et 86. Vulgo, excepto Manutio, sic verba continuant: *Pecc. par. quonam modo?* [*Sint paria peccata* etiam B.]

Ut in fidibus pluribus — nervis sit) Hoc est: si ex pluribus organis musicis nervos habentibus nullius nervi ita intenti sunt, ut id concentum servare possit, nervis consonantibus. *Pluribus* mg. Crat., codd. Mor. (?) et Scal., ψ, Gzii omnes, [B]. Vict., Lamb., tum Gzius. Plures esse debebant comparationis causa, plurimas esse nihil opus erat; de confusione dixi ad I, 15. Deinde *nervis* meliores codd., Erl., Spir. [B], Mor., et deteriorum minime mali, unus Lambini, Pal. 4, Parr. 1 (P) et 3, etiam El. (Gud. 2 *verius*), recteque Gzius probavit, et iam ante Marsus et Davisius, qui tamen malebat *contentis nervis*, sine causa; nam nervis, id est, nervorum tensione ipsae totae fides contenduntur. In ceteris codicibus et editionibus, commutato compendio, scribitur *numeris*; itaque fides intellegunt singulos nervos, eorumque nullum numeris contentum dici putant, tripliciter errantes, primum in significatione vocis *fides*, deinde quod numeris tendi nervum posse putant, postremo quod in unius nervi tensione concentum aut discrepantiam apparere credunt, ut is ipse per se spectari possit. Et de hoc quidem dici opus non est. Ne illud quidem obscurum, numeros in musicis per-

ribus, si nulla earum ita contenta nervis sit, ut concen-

1. *contenta numeris* CROr. *contentum* C

tinere ad sonorum productionem aut brevitatem, cuius recta proportio conservetur et efficiatur non nervorum tensione (quis enim novit *eine tactmässig gestimmte Saite?*), sed artificis diligentia. Fides autem de singulis nervis dici, recentiores, si, ut debebant, lexica inspexissent, unius Prudentii testimonio confirmatum repperissent (*quae tuba quaeque lyra Flatibus inclita vel fidibus*), quod in hac nostra causa nullum esse, ipsi confiterentur; addam Nonium *fides* interpretari *chordas*, ascribentem Ciceronis et Vergilii locos, ubi apertissime de organo musico dicitur, ne ipsum quidem fortasse prave sentientem, sed aliud verbum, quo uteretur in explicando, non reperientem. Sed recte Festus fides ait esse genus citharae. (Citharae Graecum nomen Cicero non habet, lyrae posuit Tusc. I. 4 in re Graeca.) Quomodo autem Cicero, si fides umquam nervos significarent, appellaret, ut aliquotiens facit, *nervos in fidibus* (de Orat. III, 216, de Divin. II, 33, de Legg. II. 39)? At enim dicuntur tamen sic *fidiculae*. Ne hoc quidem verum; nam de N. D. II, 22 *fidiculas numerose sonantes* intellegi non nervos, sed citharas, et *numerose* significat et apparet ex eo, cui hoc respondet: *modulate canentes tibiae*. In servis autem torquendis imperatorum tempore non singuli funes fidiculae appellabantur, sed tota machina, quae funibus tamquam nervis instructa acerbe ludentibus fidium speciem habere visa est; *fidiculam* singulari numero in hac re nemo audivit. At, nisi fides proprie nervi sunt, unde de una cithara plurali numero utimur? Nimirum, si pauca quaedam vocabula exceperis, ut *tabularum* nomen, *cerarum*, cett., perversissime statuitur, nota illa nomina ideo pluraliter tantum dici, quod initio non totam eam rem, quae plurali nunc significetur, sed singulas, ex quibus illa constet, significarint; quod quam ineptum sit, in *tenebrarum*, *divitiarum* ceterisque appellationibus facile apparet. [Gr. Lat. § 51.] Haec nomina sua vi et primo ortu totum significarunt, et tamen pluraliter prolata sunt, quod res compositam et multiplicem speciem animo obiciebat; itaque ratio habetur partium, non ipsae partes separatim sic appellantur; *scalae* dicuntur propter multitudinem graduum, nec tamen singuli gradus scalae dictae sunt, nisi quod Martialis, modo locum recte intellegamus, semel sic prave locutus est. Nec ad Latinum tantum sermonem haec pertinent. Sed offendet fortasse, quod, cum fides pluraliter dicantur, *nulla* tamen earum dicitur; nam *nullae* dicendae fuisse videntur; itaque dicat aliquis, hinc intellegi nervum significari.

tum servare possit, omnes aeque incontentae sint, sic pec-

1. *contentae* PCR

Sed cum non prorsus inauditum esset, citharam lyramve etiam *fidem* singulari numero dici, quo in sidere lyrae Latine nominando in prosa oratione Varro, in versibus (Arateis) Cicero aliique semper utuntur, interdum etiam *fidiculam* dicentes, Cicero in hac comparatione plurium cithararum et nullius (unius) citharae maluit singularem sequi. (Facile autem intellegitur, cur in sidere significando, in quo unitas spectabatur, sensus Latinorum pluralem numerum refugerit. Singularis numeri forma non antiqua est nec obsoleverat, sed nova.) Restat annotandus usus praepositionis *in*. Nam orationis severa regula postulare videtur, ut aut sic dicatur: *Ut fides plures*, *si nulla earum* —, *omnes*, aut sic: *Ut*, *si e pluribus fidibus nulla*. Sed *in* ante divisionem Cicero posuit, ut alibi, materiam, in qua res appareat, significans, quasi dicas: Ut in pluribus fidibus fit, ut aeque incontentae sint cet. Multo durius ita dixit V, 31: *in parvis* — *extimescunt*, pluribus interiectis, hoc est: in parvis saepe fit, ut extimescant; nam perverse Ernestius et Gzius partitionem inducunt, ut *in parvis*, *qui* sit: *ii ex parvis*, *qui*, quod primum dici nequit, deinde prorsus a sententia loci abhorret; neque enim Piso alios pueros de iis rebus, quas ante nominavit, cogitare dicit, alios non cogitare, sed generatim pueros, qui talia non cogitent, ab adultis seiungit. Supra III, 63 (*ut in membris alia sunt* cet.) et V, 36 (*in sensibus est sua cuiusque virtus*) et N. D. II, 123 (*ut in araneolis aliae* cet., qui locus illorum comparatione satis defenditur) partitio est; neque tamen ea significatur ipsa praepositione, ex qua haec efficitur sententia: Ut in membris fit (videmus), ut ex eis cet. [Simili neglegentia Livius IX, 34, 25 scripsit: *ut comitiis censoriis*, — *comitia differantur*.]

omnes aeque incontentae) Deteriores codices *contentae* (Oxx. omnes); tum in repetito verbo *discrepant* aberrarunt eorum nonnulli, velut Eξχ: *quia discrepant*, *paria sunt* (*sint* χ). *Igitur hoc* (sic etiam ψ) *ambiguo ludimus* (etiam ψ). Et eodem modo Mor., tantum quod *hic* et *ludimur*. Ed. Crat. in contextu habet: *sunt. Igitur hoc ambiguo ludis me*; in mg. annotatur: „*sibi*. Alii: *Paria sunt igitur*. *Hoc ambiguo ludimur*.“ [Etiam B *sibi* pro *igitur* miro mendo. Sed tollendi tria verba *paria sunt igitur* nulla hinc causa nascitur. Recte comparationi additur argumenti conclusio.] Paulo post *sequetur* Orellius ex edd. Crat. (in cont.) et Vict.; accedit nunc (praeter L) Erl. [B]. *Ut etiam* Gzius ex omnibus suis [B]; alterum tenuit Or.

cata, quia discrepant, aeque discrepant; paria sunt igitur. Hic ambiguo ludimur. Aeque enim contingit omnibus fidibus, ut incontentae sint; illud non continuo, ut aeque incontentae. Collatio igitur ista te nihil iuvat; nec enim, omnes avaritias si aeque avaritias esse dixerimus, sequetur, ut etiam aequas esse dicamus. 76. Ecce aliud simile dissimile. Ut enim, inquit, gubernator aeque peccat, si palearum navem evertit et si auri, item aeque peccat, qui parentem et qui servum iniuria verberat. Hoc non videre, cuius generis onus navis vehat, id ad gubernatoris artem nihil pertinere; itaque, aurum paleamne portet, ad bene aut ad male

1. *sibi* (pro *igitur*) E 2. *hoc* LC *haec* R *ludimus* LC *audimus* R *fidibus* om. L 3. *aeque contentae* C 5. *sequitur* PCR 6. *etiam ut* ROr. *et ut* C *aequa* E 7. *si palearum* — *peccat* om. L 8. [*pectat, qui* Eh] *petunt qui* Em 9. *qui* om. E *haec non* PR *hic non* C *nec non* L 10. *id* om. P *et* (pro *id*) LCR *nil* EPC 11. *paleamve* ECOr. *praeter* (pro *portet*) E *oportet* R

76. *Hoc non videre*) Sic etiam e Spir. [B] Gzius, et antea ed. a. 1480; ceteri *haec*, nisi quod Ern. *hic* e C; Dav., quia accusativum cum infinitivo requirebat, scribi malebat: *hunc non videre*, quasi Cicero id miretur, hunc (talem tamque prudentem) hominem hoc non videre; at finxit sibi adversarium prorsus incertum (*inquit*). Tanta est huius loci et eius, quod II, 29 legitur, similitudo tamque aperta in utroque loco causa solius infinitivi in exclamando positi, ut alter alterum tueatur. Et in Verr. V, 14, quem locum ad II, 29 Gzius ascripsit: *Tantumne vidisse* cet., Cicero irridens non admiratur, imperatorem tantum vidisse, sed ipsam prudentiam tantum videndi per se, ex qua concludit, praeclarum imperatorem fuisse. Ludit Lambinus nimis licenter, cum scribit: *Hic nemo non videt.* [Graecos quoque infinitivo incerti subiecti sic uti notum est; vid. Matth. Gr. Gr. § 544; synt. nostra Gr. § 168, 3; Plat. Symp. 177 C.] Iidem optimi codices Gzio praebuerunt: *id ad gubernatoris artem*, quod praeceperat coniectura Davisius. In deteriorum principe excidit *id* ante *ad* (P, ac sic editiones pleraeque inde a Ven. 1494); deinde additum est *et* (*et ad gub.* Parr. tres, El., Oxx. Eξχψ, editiones ceterae); Mead., Gud. 1, Bas. *et id ad gub.*

aurum paleamne) Sic Crat., Vict., Lamb., Dav. ex Mead. et CCC (Gud. 1); [B ut Erl.]; recentiores ne sic quidem recordabantur, interrogativam particulam esse *ne*, non *ve*; et tamen § 69 ediderant: *nihil interesse, valeamus aegrine simus*; (Parad. III, 20: *auri navem evertat gubernator* a n *paleae, nihil interest*). Adeo

gubernandum nihil interesse; at quid inter parentem et servulum intersit, intellegi et potest et debet. Ergo in gubernando nihil, in officio plurimum interest, quo in genere peccetur. Et, si in ipsa gubernatione neglegentia est navis eversa, maius est peccatum in auro quam in palea. Omnibus enim artibus volumus attributam esse eam, quae communis appellatur prudentia, quam omnes, cuicumque artificio praesunt, debent habere. Ita ne hoc modo paria quidem peccata sunt.

2. *et* ante *potest* om. E *ergo et gubernando* L 4. *si ipsa* L 7. *omnes qui cuique* omnes, Or. 9. *sint* E

frustra admonuit homines Bentleius ad Hor. Sat. I, 2, 63, adeo ne pervagatae quidem et facillimae res aliquando perdiscuntur. Acad. II, 34 soli Man., Lamb., Dav. recte ediderunt: *cum sit incertum, vere inaniterne moveatur* (*moveamur*). Paulo post magis perspicua esset sententia, si sic scriberetur: *Et in ipsa gubernatione, si neglegentia est navis eversa, maius est peccatum* cet. aut sic (ut Lambino in mentem venit): *Etsi in ipsa gub., si negl.* Nam condicionis pondus totum est in neglegentiae nomine totaque sententia correctionem et adiectionem habet huiusmodi: Quamquam quod dixi in gubernando nihil interesse, hic quoque interest, si neglegentia eversa est navis; maiorem enim diligentiam in auro adhiberi iubet communis prudentia.

omnes, cuicumque artificio praesunt) Nullum in hac re artificii discrimen esse ait, sed in omnibus omnino artibus eam prudentiam requiri; id sic dicitur Latine, ut edidi, coniecturam sequens. Quod in codd. [etiam B, mg. Crat.] scriptum est (ortum e *quoicumque*, in qua scriptura librarii saepe errarunt), significationem habet distributionis, quasi ab iis, qui singulis artificiis praesint, et ab iis omnibus aliquid postuletur, quod eorum proprium sit; nam *qui cuique artificio praesunt*, ii sunt, qui Germanice appellantur: *die Ausüber der respectiven (jeder einzelnen) Kunst oder Handwerks.* Qui hanc scripturam tulerunt, *cuique artificio* intellexerunt *omni, cuivis* (cfr. ad I, 11); deinde non attenderunt, hoc quoque inepte dici; nam *qui cuivis artificio praesunt*, ii sunt, qui ad omnia parati sunt nec ullo abstinent. Poterat dici: *omnes, qui ulli artificio praesunt.* [Ed. Crat. *qui cuiquam.*] In E ξ scriptum est: *omnes, quicumque artificio praesunt.* Debebat necessario addi *alicui.*

Ita ne hoc modo paria quidem) Iure hic verborum ordo Lambino insolens visus est, non propter tria verba inter *ne* et *quidem* interposita, sed quod sic prave insignitur *paria*, cum haec sit sententia, quod superiora argumenta efficere non po-

XXVIII. 77. Urgvent tamen et nihil remittunt. Quoniam, inquiunt, omne peccatum imbecillitatis et inconstantiae est, haec autem vitia in omnibus stultis aeque magna sunt, necesse est paria esse peccata. Quasi vero aut concedatur, in omnibus stultis aeque magna esse vitia et eadem imbecillitate et inconstantia L. Tubulum fuisse, qua illum, cuius is condemnatus est rogatione, P. Scaevolam; et quasi nihil inter res quoque ipsas, in quibus peccatur, intersit, ut, quo hae maiores minoresve sint, eo, quae peccentur in his rebus, aut maiora sint aut minora! 78. Itaque (iam enim concludatur oratio) hoc uno vitio maxime mihi premi videntur tui Stoici, quod se posse putant duas contrarias sententias ob-

1. *quam* (pro *quoniam*) E 3. *autem sunt vitia* E *in* om. L 4. *esse paria peccata* L *esse pecc. par.* R *quasi ut concedatur* C 5. *est vitia* L 6. *quam illum* PCR 7. *ratione* C *rogatu* (transp. inter *is* et *est condemn.*) R 8. *quò ne maiores* E *quo hae* om. L 9. *eoque peccata in* L *eo quoque peccata in* CR *iis* R 10. *sunt* LP *iam* om. P 11. [*primi* Eh]

tuerint, id ne hoc quidem modo effici (ut II, 37: *ne illo quidem modo*). Dubito de scriptura. [Baiterus cum Lamb. *ne hoc quidem modo paria.*] *Sint* pro *sunt* etiam Spir. [B].

Cap. XXVIII, 77. *Quasi vero aut concedatur*) Sic dicere orditur, ut expectes: *aut nihil — intersit*; de mutata orationis forma dictum est in excursu ad I, 23. De Tubuli iudicio expositum est ad II, 54. *Res quoque ipsas* dicit materiam, quae agendo tractetur, quae ad ipsius inconstantiae et imbecillitatis varios gradus aliquid discriminis addat; itaque idem significat, quod paulo ante in auro paleaque, patre et servo declaratum est. (*Necesse est esse paria* etiam Gud. uterque et Bas.)

eo, quae peccentur in his rebus) Sic Manutius et deinceps reliqui, et confirmat [B et] cod. Mor. Cum pro *eo quae* scriberetur *eoque* (ξχψ), corrigendo natum est *peccata* (χψ, ed. Vict.); cum ne sic quidem oratio constaret, factum est *eo quoque* (edd. vett.). Eξ *eo que peccetur.* (Grut., Dav., Gzius tacent.) Hanc sententiam, quae incipit ab *ut*, referri ad solum *intersit*, ut explicetur, quid ex differentia consequatur, non ad negationem *quasi nihil intersit*, ut dicendum putem, Gzius facit. ne, quod ei, aliis quoque accidat. Sic de Fato 44 *ut* (*si omnia fato fiant, omnia fiant causis antecedentibus et necessariis*) non refertur ad *neque — concedet*, sed ad *concedet*. [Eum locum nunc aliter edunt, discedentes a Lambino, qui *neque* errore ex priore *neque* ortum esse viderat. Sed non est huius loci eam disputationem

tinere. Quid enim est tam repugnans quam eundem dicere, quod honestum sit, solum id bonum esse, qui dicat appetitionem rerum ad vivendum accommodatarum a natura profectam? Ita cum ea volunt retinere, quae superiori sententiae conveniunt, in Aristonem incidunt; cum id fugiunt, re eadem defendunt, quae Peripatetici, verba tenent mordicus. Quae rursus dum sibi evelli ex ordine nolunt, horri-

1. *quid est enim* LCR *est* om. Or. 3. *accommodare* (pro *accommodatarum*) E *a* om. EPCR 4. *eam* L 6. *mordicus* om. E relicto spatio vacuo 7. *volunt* EP

persequi.] Hoc loco res magis appareret, si Cicero affirmationem (*interest aliquid*) ab ironica negatione distraxisset scripsissetque: *et quasi non inter res quoque ipsas aliquid intersit.* Licebat enim.

78. *Quid enim est tam repugnans*) [Restitui, quod inde a Manutio tacite editum habent Erl. et B. Superiores fere *est enim.* Gzius Eξ, Gud. 2, Mon. auctores citans *est* omisit.] Paulo post praepositio *a* ante *natura* exciderat in codice archetypo (tribus potioribus Gzii, [B,] χψ, edd. ante Man.) [*Accommodare* etiam B. Eodem mendo V, 20 *proximare* habent.] *In Aristonem incidere* Cicero brevius dixit pro eo, quod § 40 posuit, *in Aristonea vitia et peccata.* [*Verba* intellegi apparet magnificam formulam, quam Stoici ab initio tamquam novam instituerint.]

evelli ex ordine nolunt) ex ordine disciplinae, ubi suas quaeque res signantia inclusa sunt et suis locis posita. Is tamen ordo rerum magis est (III, 74 et IV, 53) quam verborum, a quibus Cicero res separavit; hic autem Stoici inducuntur non tam id pugnantes, ne quid perturbetur ex rerum ordine, quam ut sibi liceat iisdem rebus, quas Peripatetici dicant, alia nomina imponere. Sed haec contexta verborum series speciem habet novarum rerum, quae facile intereat, si uno alterove loco usitata verba substitui patiantur. Sic defendi posse opinor codicum [etiam B] scripturam. (Nam quod in [B,] codd. Lambini, Pall. 2, 3, 4, EUψ et, ut opinor, in cod. archetypo fuit *volunt*, pervagata ea confusio est, nec *evelli sibi volunt*, praesertim post *tenent*, eam interpretationem recipit, quam Gruterus fingit: non omittunt, nisi vi sibi extorqueantur.) Manutius tamen, Lambinus, Davisius scribunt *ex ore*, quod placuerat iam scribae cod. El. (et fortasse Ox. E, ex quo ad *ore* nihil annotatur), ut Cicero in ea imagine perstet, quae est in *mordicus.* Verum et parum honesta ea imago videtur et subabsurda, in qua verba dentibus teneantur; *mordicus* iam deflexerat

diores evadunt, asperiores, duriores et oratione et moribus. 79. Quam illorum tristitiam atque asperitatem fugiens Panaetius nec acerbitatem sententiarum nec disserendi spinas probavit, fuitque in altero genere mitior, in altero illustrior, semperque habuit in ore Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Dicaearchum, ut ipsius scripta declarant. Quos quidem tibi studiose et diligenter tractandos magno opere censeo. 80. Sed quoniam et advesperascit et mihi ad villam revertendum est, nunc quidem hactenus; verum hoc idem faciamus saepe. Nos vero, inquit ille; nam quid possumus facere melius? Et hanc quidem primam exigam a te operam, ut audias me, quae a te dicta sunt, refellentem. Sed memento te, quae nos sentiamus, omnia probare, nisi quod verbis aliter utamur, mihi autem vestrorum nihil probari. Scrupulum, inquam, abeunti; sed videbimus. Quae cum essent dicta, discessimus.

2. *et asperitatem* L 3. *ne dicendi spinas* L 8. *et* ante *advesperascit* om. LPCR 10. *saepe faciamus* LPCR [*quod* Eh] *quidem* C 11. *quidem* om. P 12. *operam — a te* om. F 13. *quae* om. L *ni* omnes 14. *nil* L 16. [*esse dicta* Eh]

ad firmi studii significationem, ut in Acad. II, 51 (*perspicuitatem mordicus tenere*). De Panaetio cfr. § 23.

80. *et advesperascit*) *Et* etiam e Spir. [B] Gzius addidit. Idem Spir. [B] *faciamus saepe*; ante Gzium inverse.

nisi quod) Sic Manutii, Lamb., Dav. Codices (Oxx., Gzii, [B]) et vett. edd. *ni*, quod nisi cum verbo neque Cicero neque alius quisquam scriptor posuit. Gud. 2 et Bas. *utimur*.

M. TULLII CICERONIS

DE

FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBER QUINTUS.

ARGUMENTUM.

In prooemio libri Cicero narrat, cum ipse et Q. frater et M. Pupius Piso et T. Pomponius Atticus et L. Cicero, frater ipsius patruelis, Athenis Antiochum audivissent et ambulationem postmeridianam in Academia conficerent, sermone ducto primum a commemoranda vi locorum ad clarorum virorum memoriam in animis renovandam, mentionem incidisse veteris et recentioris Academicorum disciplinae, cum Piso L. Ciceronem ad veterem, in qua etiam Peripatetici essent, persequendam hortaretur. Tum rogatum a se Pisonem, ut veteris Academiae et Peripateticorum sententiam de finibus bonorum explicaret, huiusmodi orationem esse exorsum (c. 1—3): Peripateticorum disciplina in tres partes, ut fere ceterae, dividitur, physicam, dialecticam, ethicam. Haec tertia pars ab illis non solum ad privatae vitae rationem, sed etiam ad rerum publicarum rectionem relata est et ab Aristotele et Theophrasto copiose explicata (c. 4). Hi de fine bonorum in ipsa summa sine ulla varietate inter se consentiunt; sed sitne beata vita tota sita in potestate sapientis, in eo variari inter eos nonnumquam videtur, maxime propter Theophrasti librum de beata vita, in quo

multum fortunae datur. Itaque tenendus est maxime ipse Aristoteles et eius filii Nicomachi libri de moribus, adhibendus tamen Theophrastus; nam ceteri aliquantum deflexerunt. Veterum autem sententiam Antiochus diligentissime persequitur (c. 5). De summo bono, quo constituto in philosophia omnia constituta sunt, quoniam magna dissensio est, adhibenda est divisio Carneadis, qui, quot fuissent et quot esse omnino possent de summo bono sententiae, vidit. Id enim, quod ars vivendi assequi vult, aptum et accommodatum naturae esse debet et tale, ut ipsum per se appetitum animi alliciat. Quaeritur igitur, quid id sit (c. 6). Naturae appetitus amplectitur aut voluptatem aut vacuitatem doloris aut ea, quae prima secundum naturam nominantur; aut igitur unum ex his tribus ipsum summum bonum haberi potest aut facere omnia unius ex his tribus adipiscendi causa, ut sex sint simplices de summo bono sententiae (c. 7). Iunctae et duplices sententiae tres fuerunt, cum ad virtutem aut voluptas aut vacuitas doloris aut prima naturae adiungerentur. Atque haec postrema, quae Academicorum et Peripateticorum est, ceteris facile semotis, quae tamen disputatio hoc loco exponi nequit, sola remanet, eaque quomodo oriatur et confirmetur, deinceps explicandum est (c. 8). Omne animal se ipsum diligit et appetit naturae accommodata. Ita finis existit, secundum naturam vivere, sic affectum, ut optime affici possit. Sed cum alia sit aliorum animalium natura, homini summum bonum est vivere ex hominis natura undique perfecta et nihil requirente (c. 9). Omnes autem se diligere, etiam qui se odisse putentur, facile intellegitur; nam ipsa sibi irascendi causa ex sui caritate nascitur (c. 10). Nec ea vis diligendi ad aliam quampiam rem refertur, sed ad se ipsum; quanta autem sit, ex mortis timore apparet (c. 11). Videndum est igitur, quae sit hominis natura. Ea et in corpore proprii aliquid habet (c. 12), et in animo virtutes quaerit, quarum aliae non voluntariae sunt. quas ingeniosi habent, aliae voluntariae, quae ad mores pertinent, magnae et verae. Quoniam autem ea maxime expetenda sunt ex nostris, quae plurimum habent dignitatis, animi virtus corporis virtuti anteponitur, animique virtutes non voluntarias vincunt voluntariae

(c. 13). Nam et in bestiis simile aliquid virtutis inest et earum rerum, quae gignuntur e terra, perfectio quaedam est non dissimilis animantium; sed si ad haec ratio, qualis in homine est, accesserit, ea primo loco erit, illa tamen, quae antea erant, manebunt et tuenda erunt. Ita summum hominis bonum cumulatur ex integritate corporis et ex mentis ratione perfecta (c. 14). Sed prima illa commendatio, quae a natura nostri facta est nobis, incerta et obscura est; quid natura velit, sensim intellegi incipit et in pueris scintillae virtutum apparent (c. 15). Progrediendum est longius et videndum penitus, quid natura postulet. Quoniamque animi is appetitus a principio fuit, ut corpus animumque quam perfectissima natura haberemus, si id consecuti sumus, in eo quasi ultimo consistitur. In corporis commodis sitne voluptas, nihil ad hanc quaestionem (c. 16). Hactenus disputatio ducta est a prima commendatione naturae, qua nos diligimus; sed etiam quia cuiusque partis naturae et in corpore et in animo sua quaeque vis est, idcirco in iis nostra sponte movemur. Et primum corporis et statum quendam et motum et figuram et bonam valetudinem expetimus ipsa propter se, quod tale corpus maxime e natura est (c. 17). In animo autem excellit et multis modis cum in pueris, tum in viris eminet scientiae cupiditas, quae satiari nequit (c. 18—19). Huic adiunctum est studium semper aliquid agendi, quo homines impulsi aut privatis negotiis occupantur aut rem publicam capessunt aut in illa ipsa doctrina et scientia quaerenda laborem collocant (c. 20). Ergo ad agendum nati sumus; actiones virtutes sunt, quarum initia parva sunt et ita a natura inchoata, ut ipsi persequi longius debeamus (c. 21). Atque haec honesta suapte natura esse expetenda, indicant et puerorum et magis etiam adultorum hominum iudicia et studia (c. 22). In omni autem honesto nihil est tam illustre, nec quod tam late pateat, quam iustitia; sed omnes virtutes ita confusae et coniunctae sunt, ut separari nisi philosophorum ratione non possint. Et quoniam inest in virtute cura quaedam quasi foras spectans, ex quo fit, ut amici, propinqui, cives, omnes denique homines propter se expetendi sint, duo genera sunt propter se expetendorum, unum in ipsis nobis, quae sunt animi aut corporis, alterum extrinsecus, ut amici,

parentes, liberi. Sed hoc alterum genus non continetur fine bonorum (c. 23), et tamen omnia ad eum referuntur; nam externa tuemur iis officiis, quae oriuntur a virtutibus. Virtutis praestantiam qui non vident, ii tamen gloria moventur, quae habet similitudinem honestatis. Ex virtute et corporis bonis cumulatur et absolvitur extremum et summum bonum; sed tamen tantum ceteris virtus praestat, ut, qui eam habeant, semper sint beati (c. 24). Ex hac plena et perfecta explicatione summi boni alii philosophi particulas quasdam arripuerunt; Stoici omnia ad se mutatis nominibus transtulerunt (c. 25). Ad finem perducta Pisonis disputatione, M. Cicero vereri se dicit, ut virtus beatam vitam efficere possit, si, ut Peripatetici putent, alia bona et mala sint praeter honestatem et turpitudinem. Piso illud non minus in Peripatetica disciplina effici iudicat quam apud Stoicos, a quibus aspera et reicienda appellentur, quae a Peripateticis mala (c. 26). Ciceroni Stoici constantiores videntur nec beato quisquam beatior esse posse (c. 27—28). Itaque Piso, novo sumpto exordio, postquam omnem philosophiam in vita beata comparanda versari ostendit, Stoicos negat novis nominibus inconstantiam effugisse, si qua fuerit apud veteres (c. 29); sed Peripateticos sibi constare; neque enim eos illa, quae bona corporis et externa appellent, pluris aestimare, quam Stoici commoda aestiment; et ut ceterae res ex praecipua parte appellentur, sic fieri in beatae vitae aestimatione et appellatione (c. 30). Sapientem plus semper boni habere, cum virtutem habeat, nec tamen omnibus malis semper liberum esse (c. 31—32).

Sermo habitus fingitur (a. 79 a. Chr.), quo tempore Cicero post defensionem Sex. Roscii se valetudinis et studiorum causa in Graeciam contulerat et Athenis sex menses cum Antiocho fuit studiumque philosophiae a prima adulescentia cultum hoc auctore et doctore renovavit (Brut. 315, Plut. Cic. 4; de N. D. I, 6).

I. 1. Cum audissem Antiochum, Brute, ut solebam, cum M. Pisone in eo gymnasio, quod Ptolemaeum vocatur,

1. *audivissem* E(P) *solebat* omnes, Or. 2. *cum* om. C *disputantem in eo* C *quo* E [*Phtolomeum* Eh] *Ptolomeum* PC

Cap. I, 1. *Cum audissem — solebam*) *Audissem* edd. primae, Dav., Gzius e quattuor suis, EUχ, [B]. Ex ed. Ven. 1494 alii *audivissem*. Deinde codd. et editiones *solebat*, quod Victorius primus iure improbavit Varr. Lectt. XXV, 19, deinde alii. Nam *ut solet* impersonaliter, omisso *fieri*, sua natura et usu loquendi de iis tantum ponitur, quae vulgo et communi quodam more fiunt, ut pro Cluent. 161, ad Fam. IX, 16, 7 (*non, ut olim solebat, Atellanam, sed, ut nunc fit, mimum introduxisti*), Liv. XXX, 10. 4. [Sallustius (Cat. 30, 2, Iug. 15, 5) *quod solet* eodem modo dixit.] (*Ut assolet* de sollemni more et ritu certae alicuius rei dicitur, Philipp. II, 82, Lael. 7, de Legg. II, 21, Liv. I. 28, V, 16, XXIII, 31, XXXVII, 14, Tac. Ann. I, 24, Svet. Ner. 7, Vesp. 7; sed Svetonium pro *ut solet* posuisse Ner. 34 Wesenbergius addit.) [De Livii usu dixit Woelfflin in libello, quem inscripsit: Livianische Kritik und Liv. Sprachgebr., p. 28.] Apparet autem, Ciceronem non de communi more Antiochi audiendi, sed de sua consvetudine loqui. Correxi igitur cum Vict. unius litterae mendum, quod § 7 (*poterit*) pridem fecerant. (*Disputantem* ex ed. pr. Crat. et Man. habent; Vict. et Lamb. sustulerunt, codices testantes.) M. Pupium Pisonem Calpurnianum, qui aliquot annis maior quam Cicero fuit, sed biennio post ad consulatum pervenit, ex Ciceronis et Asconii locis, qui in Orellii Onomastico collecti sunt, novimus multarum litterarum hominem fuisse, cognoscendae philosophiae studiosum, Peripateticae sententiae deditum, Ciceronis ab adulescentia familiarem, qui tamen consulatum eius acerbe reprehendit in epistulis ad Atticum.

Ptolemaeum) quod Pausanias I, 17, 2 non longe a foro afuisse dicit et ab eo, qui extruxisset (Ptolemaeo Philadelpho), appellatum. Victorius et deinde alii *Ptolemaeium* scripserunt, formam nominis adiectivi a proprio ducti requirentes. Eam Stephanus Byzantinus v. *Καπετώλιον* ait esse *Πτολεμαεῖον*, quomodo Dindorfius scripsit apud Diod. Sic. XX, 100 (de templo Rhodi Ptolemaeo consecrato), non dissentiens a Lobeckio ad Phrynich. p. 370; nam superiores *Πτολεμαῖον*. Apud Pausaniam Bekkerus edidit *Πτολεμαίου* (pro *Πτολεμαῖον*) *δὲ — καλουμένῳ*. Sed et orationis forma et consvetudo Graecorum et Ciceronis locus ostendit, aut *Πτολεμαίῳ* cum Siebelisio, si ea forma ferri potest, aut *Πτολεμαείῳ* scribi debere. Paene adducor, ut ipsos Graecos in hac voce, cum nomen proprium adiectivi formam

unaque nobiscum Q. frater et T. Pomponius Luciusque Cicero, frater noster cognatione patruelis, amore germanus, constituimus inter nos, ut ambulationem postmeridianam conficeremus in Academia, maxime quod is locus ab omni turba id temporis vacuus esset. Itaque ad tempus ad Pisonem omnes. Inde vario sermone sex illa a Dipylo stadia confe-

1. [*et L. Pomponius* Eh] *L. Cicero* (om. *que*) LPC *et L. Cicero* ROr. 2. [*cogitacione* Eh] 6. *sermone varie* E *ab* Or. [*dypilio* Eh] *ypilo* P

iam haberet, analogiam in novo adiectivo fingendo non semper servasse putem; nec ullum memini aliud simile esse; nam *Ἰολαεῖος*, *Ἀμφιαραεῖος*, quae Lobeckius comparat, aliam habent substantivi formam. *Πτολεμαεῖος*, si Graeci ita constanter dixerunt, erit Latine *Ptolemăēus*; et videtur hanc formam Propertius secutus esse II, 1, 30, quamquam *Ptolemaëi Phari*, ut nunc editur, eum scripsisse nego. *Amphiaraeus* idem Propertius dixit, *Protesilăēus* Catullus. Possis igitur apud Ciceronem scribere *Ptolemaēum*; sed eam pronuntiationem vereor ut in prosa oratione os Latinum servarit. [Ceterum *Ptolomaeum* Romanos pronuntiavisse, codicum testimoniis evinci, probabiliter disputat Fleckeisenus Ann. Phil. XCIII p. 4 sqq.]

et L. Cicero) [Sic edebatur.] *Et* excidit etiam in Eξχ, duobus Gzii, unde huic scribendum visum est: *Q. frater*, *T. Pomponius*, *L. Cicero*. Sed oratio non vincta celerem quandam coacervationem habet, non enumerationem singulos distingventem; repugnat praeterea membrorum priorum et tertii inaequalitas. [Nunc posui, quod Baiterus in Erl. et B esse scribit.] L. Ciceronem. L. filium, Marcus adiutorem habuit in inquisitione Siciliensi contra Verrem; paulo post morte amisit; quam carus Marco fuerit, haec memoriae renovatio significat. Mox ed. Crat. *pomeridianam*, sed in margine *postmeridianam*.

a Dipylo) Gzii codd. *ab Dypylo*, *ab Hypylo*, *ab Ypilo*, unde is: *ab Dipylo*. [B ut Erl.] Porta haec, quae olim Thriasia appellata fuerat, ad Ceramicum sita, qui intra eam et extra erat, septentrionem spectabat. Ea exeuntes primum Ceramicum exteriorem permeabant, deinde ad sinistram paulum flectentes ad Academiae lucos et spatia (cfr. Orat. 12) veniebant. Sed et a porta prodeuntes et flectentes Colonum prospiciebant (*Κολωνὸν Ἵππιον*), recta via paulo ulterius situm, decem summum stadiis ab urbe (Thuc. VIII, 67), quem collem cum templo Neptuni et vicum (*δῆμον*) Sophocles, quem *Κολωνόθεν* fuisse notissimum est, et natalibus et carmine nobilitavit. Faciem locorum descripsit et tabula expressit Leakius in libro de situ et locis Athenarum.

cimus. Cum autem venissemus in Academiae non sine causa nobilitata spatia, solitudo erat ea, quam volueramus. 2. Tum Piso: Naturane nobis hoc, inquit, datum dicam an errore quodam, ut, cum ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros acceperimus multum esse versatos, magis moveamur, quam si quando eorum ipsorum aut facta audiamus aut scriptum aliquod legamus? Velut ego nunc moveor. Venit enim mihi Platonis in mentem, quem accepimus primum hic disputare solitum; cuius etiam illi propinqui hortuli non memoriam solum mihi afferunt, sed ipsum videntur in conspectu meo ponere. Hic Speusippus, hic Xenocrates, hic eius auditor Polemo; cuius illa ipsa sessio fuit, quam videmus. Equidem etiam curiam nostram (Hostiliam dico, non hanc novam, quae minor mihi esse videtur, posteaquam

1. *quando* (pro *cum*) C *Achademia* P *Academiam* LCR 3. *inquam* B 4. *quando* C 5. *multos* C 6. *quasi* (pro *quam si*) Em [*quasi quasi* Eh] *ante* (pro *quando*) LPCR *audias* L 7. *aliquid* LPCR 8. [*quam* Eh] 9. *hortuli propinqui* LPCROr. 11. Post *meo* add. *hic* C 12. *ipsa illa* LPCROr. 14. *mihi minor* CR

In Academiae — spatia, quod etiam Spir. [B] confirmat, habent Crat., Vict., Lamb., Dav.; Pal. 4 et Par. 1 et reliqui Gzii (omnesne?) *in Academia — spatia*, Pall. ceteri (sine dubio Davisiani), ξχψ *in Academiam — spatia* (Mars., Man., Grut.).

2. *si quando*) Sic etiam mg. Crat., restituitque, ni fallor, Manutius. Deteriores codd. (Pall., Oxx. EUχψ) et edd. superiores *si ante*; (Gzius in tribus suis codd. et vett. edd. narrat esse *si quando ante*). Victorius *si aut*. Tum *scriptum aliquid* deteriorum familia (Eξχ, duo Gzii). *Propinqui hortuli* etiam Spir. [B]; edd. inverse. Paulo post *hic ponere* ex C Man. et ceteri, donec *hic* sustulit Dav., codd. parens (suis tribus et Eξχψ).

cuius illa ipsa sessio fuit) Hanc ipsam (*eben diese*) eius fuisse annotat. Male Eξ, Bas. et ex iis Gzius: *cuius ipsius*. Davisius *ipsa* omisit, sequens Parr. 1 et 2. [*Illa ipsa* in Erl. et B esse Baiterus testatur; antea e solo Mead. annotabatur.]

Hostiliam dico, non hanc novam) Notat Gzius Ciceronis errorem, qui Pisonem inducat curiae Hostiliae deflagrationem significantem, quam multis annis post in P. Clodii funere accidisse notissimum sit; et tum demum Faustum Sullam ex SCto novam splendidiorem extruxisse. In eadem sententia ceteros fuisse puto; certe recentiores sunt omnes. Verum in ipso exordio, ubi Cicero sermonis olim habiti formam et occasionem fingit veterumque temporum memoriam et amorem fratris pa-

est maior) solebam intuens Scipionem, Catonem, Laelium, nostrum vero in primis avum cogitare; tanta vis admonitionis inest in locis; ut non sine causa ex iis memoriae ducta sit disciplina. 3. Tum Quintus: Est plane, Piso, ut dicis, inquit. Nam me ipsum huc modo venientem convertebat ad sese Coloneus ille locus, cuius incola Sophocles ob

2. *admirationis* C (*inest admonitionis* P) 3. *his* EPCOr. 4. [*piane* Eh]

truelis amissi renovat, non potuit ita oblivione implicari; facillimeque res expeditur. *Hostiliam* enim proprie appellat eam curiam. quae fuit ante L. Sullam dictatorem, in qua Scipio, Cato, Laelius sententias dixerant, *novam* autem, quam Sulla, vetere mutata et amplificata, fecerat uno aut altero anno ante, quam hic sermo haberi fingitur (a. 81 aut 80). Itaque Dio Cass. XL, 50 de ea, quae conflagravit: *Ἦν μὲν γὰρ τὸ Ὁστίλιον, μετεσκεύαστο δὲ ὑπὸ τοῦ Σύλλου.* Atque propter hanc ipsam causam, quod ea proprie Cornelia erat (neque Asconius Hostiliam deflagrasse dicit), Fausto restitutio data est, cuius opus fortasse iam tum, cum Cicero haec scripsit, destructum erat aut destruebatur (vid. Dio Cass. XLIV, 5). *Minor mihi* Gzius tamquam e Gud. utroque et Bas. Est sic in Erl. [B *minor esse mihi.*]

nostrum vero in primis avum) Significat, opinor, L. Pisonem eum, qui primus Frugi cognomen meruit, primae repetundarum legis auctorem, annalium scriptorem, antiquum hominem et severum, clarissimae famae. Ipsum enim M. appellatum esse Frugi, scimus e fragmento quodam orationis pro Flacco (Schol. Ciceron. II p. 233 ed. Or.). In proximis verbis *tanta* non cum *ut* coniungitur, sed ad superiora refertur (ut propter eam illa fieri soleant); tum adiungitur consecutio: (ita) *ut* cet. Simonideam artem *μνημονικήν* significari apparet.

3. *Coloneus ille locus*) Mire dictum videtur et aut *Colonus ille* ponendum fuisse, quod Bremio in mentem venit, aut, si nomen appellativum addere placeret, tali utendum fuisse, in quo proprietas aliqua notaretur, velut, quod Valckenario (ad Callimach. p. 216) placuit, *Coloneus ille lucus.* Sed fieri potest, ut Cicero illa circumlocutione usus sit, quod *Colonus* ambiguitatem habebat propter Latinam vocem earundem litterarum. Quod Pausanias (I, 30, 4) Colonum dicit esse locum (*χῶρον*), id quidem ad hanc rem nihil pertinet. Q. Ciceronem ipsum tragoedias scripsisse, in hac Sophoclis commemoratione meminisse debemus.

oculos versabatur, quem scis quam admirer quamque eo delecter. Me quidem ad altiorem memoriam Oedipodis huc venientis et illo mollissimo carmine, quaenam essent haec ipsa loca, requirentis species quaedam commovit, inaniter scilicet, sed commovit tamen. Tum Pomponius: At ego,

1. *admirarer* L 2. *quid* (pro *quidem*) E 3. *quae iam* C *ipsa haec* LPCROr. 4. *inanis* LPCROr. 5. *tunc* C

illo notissimo carmine cet.) Oedip. Colon. initio: *τίνας Χώρους ἀφίγμεθ' ἢ τίνων ἀνδρῶν πόλιν*; et 38: *Τίς δ' ἔσθ' ὁ χῶρος*; et 52: *Τίς δ' ἔσθ' ὁ χῶρος δῆτ', ἐν ᾧ βεβήκαμεν*; Splendidius locum describit et exornat chorus notissimo carmine v. 668 sqq.

inaniter scilicet, sed commovit tamen) [Dixeram olim me *inaniter*, quod in mg. Crat. et e cod. Mor. annotabatur, magis probare, coll. Acad. II, 34, quod rectius contraria ponerentur haec: *inaniter commovit — commovit tamen*, quam: *inanis species commovit — comm. tamen*, sed retinueram alterum, quod in Spir., certe in Erl. esse putabam. Nunc Baiterus *inaniter* in Erl. et B esse testatur.] Particulam *scilicet* Latini in concedendo sic ponunt, ut aliquid facile et ex ipsa rei natura apparere significent, nec id a se non intellegi aut neglegi. Supra I, 28: *nihil scilicet novi, ea tamen, quae te ipsum probaturum esse confidam*; [IV, 50: *tuum scilicet, non illorum*;] hoc libro 55: *maxime scilicet in homine, sed in omni animali*; de Orat. III, 128: *scilicet nimis hic quidem est progressus, sed ex eo ipso est coniectura facilis* cet., Orat. 120, pro Rab. Post. 33, ad Fam. IX, 23, ad Q. Fr. II, 6 extr., pro Mur. 42: *Tu interea Romae* (manens, dum ille in provinciis laborabat) *scilicet amicis praesto fuisti. Fateor; sed tamen* cet. (Facile intellegitur, te non desidem fuisse nec nihil egisse; itaque id fateor; sed cet.) [Corn. Nep. Epamin. 5.] Annotavit hos locos inter ceteros, qui nuper de particula *scilicet* egit, vir acutus et in conquirenda quaestionum grammaticarum materia longe diligentissimus, Stuerenburgius ad orat. pro Arch. p. 70 sqq. (ed. 1). Sed ea disputatio non paucos habet errores ortos e genere quaerendi non recto. Dum enim a vocis origine non nimis certo constituta (vel potius falso; nam *scilicet* neque ab imperativo, ut ipse vult, neque ab infinitivo, ut ceteri, deducitur, sed ab ipsa radice verbi, quod nunc est *scire*, ut longe propius tamen ad veritatem accedant, qui ab infinitivo ortum dicunt, nec in ipsa vi vocabuli aberrent), sed dum ab ea sic proficiscitur, ut unam aliquam significationem inde repetitam et angustis terminis circumscriptam ubique persequatur, nec,

quem vos ut deditum Epicuro insectari soletis, sum multum equidem cum Phaedro, quem unice diligo, ut scitis, in Epicuri hortis, quos modo praeteribamus, sed, veteris proverbii admonitu, vivorum memini; nec tamen Epicuri licet oblivisci,

3. *praeteriebamus* ELCR 4. [*ammoniti* Eh] *vestrorum* (pro *vivorum*) L *nec tamen — habent* Nonius p. 70 *Epicurum* Non. (alii codd. *Epicureum*)

quomodo vocum significationes inflectantur et detorqueantur, videt, plurima prave interpretatur, multa, quae rectissime et frequenti exemplo scripta sunt, non intellegit, ea autem tanta temeritate ac licentia mutat, ut non uni et alteri loco vim faciat (velut illi, quem ex orat. pro Murena posui), sed totos ordines locorum, qui sua similitudine et auctoritatis constantia firmissimi sunt, evertat; ut de Div. II, 47, Verr. I, 142, in Pis. 19 mavult *scilicet* eicere quam, sublata interrogandi nota, cum affirmatione et acerba irrisione rei perversae et falsae eodem modo positum intellegere, quo hic II, 102 (ubi ipsum illud: *et — scilicet* habemus). In Acad. autem II, 87 (*Etiamne hoc affirmare potes, esse aliquam vim, cum prudentia et consilio scilicet, quae finxerit — hominem?*) non animadvertit (fortasse, quod comma post *vim* Orellius omiserat), extra ipsam interrogationem addi, qualem eam vim cogitari debere perspicuum sit (*und natürlich muss es eine mit Einsicht ausgerüstete und planmässig handelnde Kraft sein*); cfr. ad Fam. XII, 17, 2, XIII, 26, 2, Catil. II, 19, al. [Retractavit postea haec Stuerenburgius.] Atque haec significatio rei per se perspicuae, ut confirmari explicarive opus non sit, interdum, cum propterea ad aliam rem transitur, proxime accedit ad illam concedendi vim (ab eadem enim stirpe sunt), velut I ad Fam. 6, 1 (*maxime scilicet consolatur spes; — facile secundo loco me consolatur* cet.), ad Att. XIII, 1, 2, ad Q. Fr. II, 14, 2, qui locus non recte interpungitur nec intellegitur; hoc enim Cicero dicit, *se visurum scilicet* (*natürlich*) *pueros cotidie, sed inspecturum, quid discant* (quod difficilius est), *quam saepissime.*

veteris proverbii admonitu) Apud Petronium c. 43 et c. 75, quem Dav. laudat, in animis a rerum tristium recordatione et a luctu ad hilaritatem avocandis dicitur: *Vivorum meminerimus.* Alibi proverbium non legitur. Similitudinem aliquam non maximam habet cum eo, quod dicebantur, qui sepulcra legerent, memoriam perdere (Cat. Mai. 21). De Phaedro dictum est ad I, 16. Iocatur Epicureus, ipse nimium condiscipulorum in memoria magistri conservanda studium leniter irridens. *Anellis*, quam formam Plautus, Lucretius, Horatius paucis locis propter versum posuerunt, a Nonio et cod. Mor. oblatum contra ceteros codices et usum prosae orationis asciscere ratio vetabat.

si cupiam, cuius imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis et in anulis habent.

II. 4. Hic ego: Pomponius quidem, inquam, noster iocari videtur, et fortasse suo iure; ita enim se Athenis collocavit, ut sit paene unus ex Atticis, ut id etiam cognomen videatur habiturus; ego autem tibi, Piso, assentior, usu hoc venire, ut acrius aliquanto et attentius de claris viris locorum admonitu cogitemus. Scis enim me quodam tempore Metapontum venisse tecum neque ad hospitem ante devertisse, quam Pythagorae ipsum illum locum, ubi vitam ediderat, sedemque viderim. Hoc autem tempore, etsi multa in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis indicia summorum virorum, tamen ego illa moveor exhedra; modo enim

1. *eius* (pro *cuius*) E [*in talibus* Eh] 2. *anellis habebant* Nonius 5. *cognomine* LPCR add. *pene* C 7. *usu* om. E *evenire* LPCR *ut* — *cogitemus* Nonius p. 190 *ac* (pro *ut*) E [*aliquando* Eh] 8. *admonitum* Non. *cogitem* R *Scis — Pythagorae* om. PR 9. *non* (pro *neque*) C 10. *divertisse* ELC *illum ipsum* L *cum ipsum illum* PR 12. *sunt* — *exhedra* Nonius p. 107. 13. *exedra* Or. *mihi* (pro *modo*) C

Sed unam litteram *n* posui [cum Erl. et B]; Gzius e suis codd. *annulis*; sed illo modo vetustissimi codices, ut Orelliani de Off. III, 38, regius Tusculanarum, Vaticanus Verrinarum.

Cap. II, 4. *ut id etiam cognomen*) Sic Crat., Lamb. (e veteribus libris), tum Ern. et recentiores, et confirmat etiam Spir. [B]. Codices deteriores (Pall., Dav., Oxx., tres Gzii) et ceteri editores *cognomine*, nisi quod Dav. e CCC profert *cognomen paene videatur*. Paulo neglegentius sententiae ab *ut* pendenti adiungitur eadem particula consecutionis significatio: (ita) *ut* (propterea) *id etiam*; cfr. 39 et III, 63. Davisius malebat *et id*. [*Suo iure* Atticus iocari videtur, quod ei tam diu iam Athenis viventi haec nova non erant nec valde animum commovebant.]

usu hoc venire) Sic post Bremium Orellius; superiores *usu hoc evenire*; in Spir. [B] ut in Erl. *usu* aberat et *venire* scribebatur. *Hoc evenire*, si *usu* omittatur, pronomen non recte positum habeat. Vid. Orell. ad F. A. Wolfii schol. in Tuscul. p. 454 sq. ad I, 73, ad quem locum Moserus ceteros, qui hoc attigerunt, enumerat. Paulo post *devertisse* Lambinus (vetus cod. in mg. repetitae ed.), Or. Ceteri (omnes Gzii codd., [B]) *divertisse*. De Pythagorae mortis loco quid narrarint veteres, exponit Diog. Laërt. VIII, 40 et ad eum locum Menagius. Addit Davisius Iambl. vit. Pythag. c. 35 § 249.

modo enim fuit Carneades) Ernestius et recentiores. Valesii

fuit Carneadis; quem videre videor (est enim nota imago), a sedeque ipsa, tanta ingenii magnitudine orbata, desiderari illam vocem puto. 5. Tum Piso: Quoniam igitur aliquid

1. *Carneades* codd. *Charmadas* Or. 2. *tanti* (L)Or. 3. *aliquod* E

(Emendatt. I, 29) coniecturam sequentes hic et § 6 Charmadae nomen substituerunt. Causam affert Valesius, quod Cicero Carneadem videre non potuerit. Atqui eum, qui hic a se nominetur, Cicero satis ostendit numquam sibi visum ipsum, sed imaginem sibi e statua aliqua aut simili opere notam fuisse. Charmadae, quem Cicero in libris de oratore propter Crassi personam laudat, alibi autem ter omnino nominat, semel in enumerandis Carneadis discipulis (Acad. II, 16), iterum propter dictum aliquod Carneadis (Orat. 51), tertium propter memoriae singularem vim (Tusc. I, 59), non tanta fama fuit nec eum tanti Cicero faciebat, ut eius praeter ceteros ei in Academia in mentem venire debuerit, excluso, quem Cicero vehementer admirabatur, magistro. Et quemadmodum Piso Platonem et veteris Academiae principes, a quibus Peripatetica disciplina non seiungitur, commemorat, Quintus Sophoclem, sic Marcus, praecepto Platone, eum nominare debet, cuius ipse sectam sequebatur. Et aptissime infra significatur, L. Ciceronem Carneadis fama ad eius scholam trahi; Charmadas eum locum non tuetur. *Modo* de Carneade, quoniam cum veteribus illis comparatur, recte ponitur in minuendo temporis spatio, ut II de Off. 75. (Quod pro Charmadae nomine Carneadis in codicibus substitui solere dicunt, et in Acad. et in libris de Orat. verum a codicibus servatum est, in Tusc. non a solis optimis.) Sed in oratione aliquid subabsurdi inest. Neque enim exhedra Ciceronem movebat, quod nuper Carneades vixisset (quid enim id ad exhedram?), sed quod ea nuper ita ad Carneadem pertinuisset, ut eius memoria in ea haereret. Itaque valde suspicor, Ciceronem scripsisse: *modo enim fuit Carneadis* (*Carneadi*), quamquam eandem Schuetzii suspicionem (*Charmadae*) Orellius improbat. [Genetivum nunc cum Baitero restitui.]

tanta ingenii magnitudine) Sic cum primis edd. optimi codices (mg. Crat., tres potiores Gzii, [B]) et deteriorum sine dubio plerique (Oxx.) tenueruntque Victorius et proximi (Grut.). Crat. aliique, tum Dav. e tribus suis et recentiores *tanti ing.*, quod erat etiam in cod. Mor. Rectum illud est significatque *tam magno ingenio*; contra si *tanti* cum *ingenii* iungas, alio opus sit substantivo, velut *splendore* similive.

5. *Quoniam igitur aliquid omnes* cet.) Paulo durius in utraque parte sententiae verbum ita omittitur, ut primum ex universae

omnes, quid Lucius noster? inquit; an eum locum libenter invisit, ubi Demosthenes et Aeschines inter se decertare soliti sunt? Suo enim quisque studio maxime ducitur. Et ille, cum erubuisset, Noli, inquit, ex me quaerere, qui in Phalericum etiam descenderim, quo in loco ad fluctum aiunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assvesceret voce vincere. Modo etiam paulum ad dexteram de via declinavi, ut ad Pericli sepulcrum accederem. Quamquam id quidem infinitum est in hac urbe; quacumque enim ingredimur, in aliqua historia vestigium ponimus. 6. Tum

2. *decertari* L 3. [*enim unusquisque* Eh] 5. [*loco afflictum aiunt* Eh] 6. *declinare* ER [*assuescerit* Eh] 7. *voce* om. R *dextram* (P) 8. *Pericii* E *Periclis* LPCR [*sepulchrum* Eh] 9. [*quid* Eh] *definitum* L *ingrediemur* L *egredimur* R 10. *aliquam historiam* LPCROr.

orationis cursu intellegatur, deinde definiatur in illo, quod subicitur, *invisit*. Paulo post Erl. et Spir. [B] habent: *enim unusquisque* [quod Baiterus recepit, sed Ciceroniane dici non puto].

quo in loco cet.) Plut. vit. X orat. 8 p. 844 E: *καὶ κατιόντα ἐπὶ τὸ Φαληρικὸν πρὸς τὰς τῶν κυμάτων ἐμβολὰς τὰς σκέψεις ποιεῖσθαι, ἵν', εἴ ποτε θορυβοίη ὁ δῆμος, μὴ ἐκσταίη.* Hic igitur non ad vocis vim, sed ad constantiam quandam animi et aurium eam exercitationem pertinuisse putat, quod faciunt etiam Quintil. X, 3, 30, Libanius in vita Demosth., Val. Max. VIII, 7 ext. 1. Mox *dexteram* Gzius ex Erl., Gud. utroque [B]; ceteri *dextram*. Paulo post *Pericii* Gzius annotat non ex Erl. [B], sed e Gud. 2. et ex eo *Pericli* effecit, quod Schuetzius pro *Periclis* posuit.

in aliqua historia vestigium ponimus) Sic etiam Spir. [B], ut merito optimos codices cum consvetudine conspirantes sequamur. Non licet nunc persequi eos locos, quibus confirmari putant, Ciceronem et alios eiusdem aetatis scriptores *ponendi*, *collocandi*, *statuendi* verbis *in* praepositionem cum accusativo pro ablativo subiecisse, ut ostendam, quot ex iis diligentius inspecti et ad meliores codices exacti eripiantur, in ceteris quam ex ipsis nominum formis plerumque manifestum sit, librarios lineolam prave addidisse, quod infinitis locis faciunt. [Cfr. Hand. Turs. III p. 306.] Sed magna est in toto hoc genere editorum partim casum dominum habentium patientia (ut in epist. ad Att. V, 11, 6, VI, 1, 22, VI, 6, 4 legimus *ponere aliquem in gratia apud aliquem*, semel V, 3, 3 *in gratiam*), partim levitas undecumque omnia eiusmodi arripientium, quae aut nomina quaedam doctorum indoctorumque hominum ascribendi occasionem habeant aut distinctiunculae excogitandae, quali in hoc

Piso: Atqui, Cicero, inquit, ista studia, si ad imitandos summos viros spectant, ingeniosorum sunt, sin tantummodo ad indicia veteris memoriae cognoscenda, curiosorum; te autem hortamur omnes, currentem quidem, ut spero, ut eos, quos novisse vis, imitari etiam velis. Hic ego: Etsi facit hic quidem, inquam, Piso, ut vides, ea, quae praecipis, tamen mihi grata hortatio tua est. Tum ille amicissime, ut solebat: Nos vero, inquit, omnes omnia ad huius adulescentiam conferamus, in primisque ut aliquid suorum studiorum philosophiae quoque impertiat, vel ut te imitetur, quem amat, vel ut illud ipsum, quod studet, facere possit ornatius. Sed utrum hortandus es nobis, Luci, inquit, an etiam tua sponte propensus es? Mihi quidem Antiochum, quem audis, satis belle videris attendere. Tum ille timide vel potius verecunde: Facio, inquit, equidem; sed audistine modo de Carneade?

3. [*iudicia* Eh] 4. *quid* (pro *quidem*) E 5. *novis seu hijs* (pro *novisse vis*) E *etiam imitari* LPCROr. 6. *inquit* C *tantum mihi* P 7. *hortatio est tua* P *est hortatio tua* CROr. 10. *impartiar* L *vel — amat* om. E 12. [*tuta sponte* Eh] 15. [*audisti me modo* Eh] *Charmada* Or.

genere utitur Kritzius ad Sall. Iug. 17, 3, ubi contra meliores codices edidit: *in partem tertiam Africam posuere.* Quoniam enim ipse negaturus non est, eum, qui aliquid in genus numerumve aliquem referat, dici Latine id *in eo genere numerove ponere*, concidit totum id, quod se primum repperisse putat, accusativo significari, qui primi sic diviserint; quamquam quid per se inanius est? Quicumque enim divisionem ab aliis institutam sequitur, eodem modo dividendo loca rebus assignat. [Non minus pravum est Iug. 111, 1 *in gratiam habituros.*] (De *reponendi* verbo dubitatio relinquitur, an Cicero propter *referendi* propinquam notionem aliquotiens praepositioni accusativum subiecerit, ut de N. D. I, 38, III, 47, de Invent. I, 39 et 97, de opt. gen. orat. 17.)

6. *imitari etiam*) [Sic Bait. ex Erl. et B, idemque mox ex iisdem *hortatio tua est.* Gzius e tribus suis dett. annotat *hort. est tua.* Paulo post eadem verba, quae Erl., omittit B.]

Antiochum, quem audis) Prorsus abundat, et inepte abundat hoc *quem audis*; qui enim aut ipse Lucius aut ceteri ignorare poterant? Itaque quotiens hunc locum legi, suspicatus sum, Ciceronem scripsisse: *Antiochum cum audis*, *satis belle* cet., ut *attendere* absolute ponatur (attento animo esse). De proximis verbis (*de Carneade? Rapior illuc*) dictum est paulo ante.

Rapior illuc; revocat autem Antiochus; nec est praeterea quem audiamus.

III. 7. Tum Piso: Etsi hoc, inquit, fortasse non poterit sic abire, cum hic assit (me autem dicebat), tamen audebo te ab hac Academia nova ad illam veterem vocare, in qua, ut dicere Antiochum audiebas, non ii soli numerantur, qui Academici vocantur, Speusippus, Xenocrates, Polemo, Crantor ceterique, sed etiam Peripatetici veteres, quorum princeps Aristoteles, quem, excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum. Ad eos igitur converte te, quaeso. Ex eorum enim scriptis et institutis cum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his oratores, ab his imperatores ac

3. *poteris* omnes (*non poteris fortasse* P) 5. *veterem illam* LPCROr 6. *hii* E 7. *numerantur* (pro *vocantur*) L 8. *Craton* E 11. *convertere quaeso* Em [*convertere te q.* Eh] *enim* om. R *et institutis* om. P 13. *vero ut* (pro *ut nemo*) L

Cap. III, 7. *illam veterem*) Sic etiam Spir. [B]. Paulo ante in cod. arch. fuit *poteris* ([B,] Pall., EU$\chi\psi$); emendavisse videtur Aldus. Mox *hi soli* Gzius ex omnibus suis. Antiochi sententiam commemoravi ad IV, 5. Paulo post in his verbis: *quorum princeps Aristoteles* dure mihi omissum videtur verbum substantivum. (Ne quis ita accipiat, ut cum dicimus: *deceperat omnes, in quibus Aiacem*, aut: *reges animum intenderant*, *in quibus Philippus*, prohibere videtur et genetivus a voce *princeps* pendens et ipsa sententia; neque enim princeps et conditor scholae sic in ceteram turbam coici potest.) [Baiterus *est* addidit; cfr. tamen Liv. XXII, 53, 5: *iuvenes quosdam*, *quorum principem L. Metellum*, *mare ac naves spectare.*]

Ad eos igitur converte te) Codicis Erl. scripturam (*convertere*), in quam Gruterus coniectura incidit, recepissem, nisi veritus essem, ne in uno libro casus veritatem imitatus esset. [E B idem quod ex Erl. Bait. annotat.] *Instituta* philosophorum, quae hic cum *scriptis*, alibi (Lael. 13, Off. I, 1) cum *praeceptis* coniunguntur, Brut. 119 sola nominantur, interpretor rerum tractationem sententiarumque explicationem certa quadam forma institutam, quam methodum scholae vocamus, qua etiam exercitationes quaedam comprehenduntur discentium. Cfr. Beierus ad Off. l. cit. Exciderant verba *et institutis* etiam in Gud. 2.

rerum publicarum principes extiterunt. Ut ad minora veniam, mathematici, poëtae, musici, medici denique ex hac tamquam omnium artium officina profecti sunt. 8. Atque ego: Scis me, inquam, istud idem sentire, Piso, sed a te opportune facta mentio est; studet enim meus audire Cicero, quaenam sit istius veteris, quam commemoras, Academiae de finibus bonorum Peripateticorumque sententia. Censemus autem facillime te id explanare posse, quod et

3. *tamquam ex omnium* LPCROr. *artificum* EP *disciplina* L *ad quae ego* LPR 4. *inquit* C *sed a te — sententia* Nonius p. 91 5. *mentio facta* C *meus* om. E 8. *autem te facillime* LPCR *te autem fac.* Or.

ex hac tamquam omnium artium officina) Edebatur: *tamquam ex omnium* cet. Sic haec officina comparatur cum alia quadam, quae sit omnium artium. Deleta praepositione, quae etiam a Spir. [B] aberat, omnia in unam imaginem conflantur, cum haec quasi officina omnium artium dicitur fuisse. In eo meliorem familiam sequi non audeo (Erl., [B,] mg. Crat., Mor.), quod *artificum* habent. Nam artificum officina est, ubi opus faciunt, non ubi ipsi fiant, et tamen hoc loco sic intellegi necesse esset; nec omnes artifices, sed omnis generis ibi fingebantur. Contra artium officina dicitur ut eloquentiae, sapientiae, dicendi. Itaque erratum in meliorum codicum principe puto.

8. *Atque ego*) Sic Mead., Ox. χ, restituitque etiam e Spir. [B] Gzius, ut solet dici in alius personae oratione adiungenda; *ad quae* significationem habet responsi et refutationis.

Censemus autem facillime te) Secutus sum Erl. [B]. Editiones superiores ut mei libri deteriores; Gzius tamquam ex omnibus suis, Erl. tamen excepto: *censemus te autem.* Nec de codicibus credo nec ferri is ordo potest. Deteriorum codicum ordo Pisonem praeter ceteros facile id facere posse significat, noster sine comparatione, facile hoc ei esse. Deinde Cicero cum hoc *quod — habueris* in parte obliquae orationis posuisset et coniunctivo notasset, cum *posse* coniungens, non cum *censemus* (cfr. ad III, 17), necessario subiecit *videamus*, etsi, cum hoc utitur verbo, non tam, cur Piso possit, dicit (*quod — exquiras*), quam cur ipsi censeant. Haec tamen coniunctivi ab alio verbo (*exquiras*) ad aliud (*exquirere videamus*) translatio quam exiguam habuerit offensionem, perspicitur e notissima orationis forma: *accusavit, quod pecuniam cepisse diceret.* Sic autem scriptum est apud Crat., Vict., Lamb., confirmatque etiam Spir. [B]; revocavit Gzius; ceteri cum deterioribus codd. *videmus.* Staseas, quem iterum nominat § 75 et de Orat. I, 104, erat ex eodem genere Graecorum modeste in nobilium

Staseam Neapolitanum multos annos habueris apud te et complures iam menses Athenis haec ipsa te ex Antiocho videamus exquirere. Et ille ridens: Age, age, inquit (satis enim scite me nostri sermonis principium esse voluisti), exponamus adulescenti, si quae forte possumus. Dat enim id nobis solitudo, quod si qui deus diceret, numquam putarem, me in Academia tamquam philosophum disputaturum. Sed ne, dum huic obsequor, vobis molestus sim. Mihi, inquam,

1. [*stans eam Neapolitanum* Eh] 2. *quam plures* E *quum plures* C 3. *videmus* PCR 5. *si qua* LPCR 6. [*si quid eos* Eh] *si quis deus* LPCROr. 8. *molestus sim* om. L

Romanorum domibus viventium et iis *συμφιλολογούντων*, e quo Diodotus Stoicus, qui apud Ciceronem consenuit, multique alii hac et proxima aetate. Paulo post *si quae* Gzius etiam e Spir. [B].

Dat enim id nobis solitudo, quod) In editionibus (praeter Manutianas et Ox.) haec distrahuntur: *Dat enim — solitudo. Quod* cet. Sed ex iis, quae supra dixerat, non apparet, cur solitudine opus sit. Hoc dicit, solitudinem efficere, ut ne pudeat id facere, quod numquam futurum putarit. Sed ad *quod* cum subici deberet *futurum*, pro hoc Cicero ipsam epexegesin substituit. Illius imperfectorum in condicione praeteriti temporis positorum generis, e quo *diceret* et *putarem* sunt, nunc exempla etiam in vulgaribus libris collecta sunt. (Cfr. Etzleri commentatio in Iahnii Annal. Philol. vol. XI (a. 1829) p. 212 sqq.) Ernestius haerebat. [Etiam B *si quid eos*, h. e., *si qui deus*, quod nunc cum Baitero posui.]

Sed ne — vobis molestus sim) Non optantis hoc est et precantis, sed verentis, quod insolitum esse in sermone Latino dicendi genus, ut ante *ne* verendi significatio premeretur, sensit Lambinus; nec habeo, quod comparem, nisi Verr. IV, 15: *Ne forte, dum publicis mandatis serviat, de privatis iniuriis reticeat*, ubi hoc sic superioribus adiungitur, ut haec sententia sit: *ut verendum sit, ne*, vel: *itaque verendum est, ne*. Huic simile est in iisdem oratt. lib. I, 46: *Verbum tamen facere non audebant, ne forte ea res ad Dolabellam ipsum pertineret*; sed ab hoc nostro loco longius recedit. [Prorsus nostro loco simile est illud apud Plautum in Sticho IV, 2, 20: *At ille ne suscenseat*, nec multum distat Terent. Ad. V, 3, 49: *Ne nimium modo* cet. Verrinarum loco posteriori simile est apud Iuvenalem hoc sat. VIII. 77: *Miserum est aliorum incumbere famae* (cum periculo et metu), *ne* cet. Sed cur longe quaerimus, quod in hoc ipso

qui te id ipsum rogavi? Tum, Quintus et Pomponius cum idem se velle dixissent, Piso exorsus est; cuius oratio, attende, quaeso, Brute, satisne videatur Antiochi complexa esse sententiam, quam tibi, qui fratrem eius Aristum frequenter audieris, maxime probatam existimo.

IV. Sic est igitur locutus. 9. Quantus ornatus in Peripateticorum disciplina sit, satis est a me, ut brevissime potuit, paulo ante dictum. Sed est forma eius disciplinae, sicut fere ceterarum, triplex: una pars est naturae, disserendi altera, vivendi tertia. Natura sic ab iis investigata est, ut nulla pars caelo, mari, terra (ut poëtice loquar) praetermissa sit. Quin etiam, cum de rerum initiis omnique mundo locuti essent, ut multa non modo probabili argumentatione, sed etiam necessaria mathematicorum ratione concluderent, maximam materiam ex rebus per se investigatis ad rerum

1. *istud ipsum* L 3. *complexam* [Eh]C 4. *frequenter audieris Aristum* P 7. *potui* LPCR 9. *par* E *natura* ELPR 10. *his* LCOr. 15. *pro se* L *rerum* om. L

opere II, 79 extat: *Ne in odium veniam* cet.? Neque enim superioribus *ne* adiungi potest.]

fratrem eius Aristum) Cfr. Brut. 332, Acad. I, 12. Plutarchus Brut. 2 φίλον καὶ συμβιωτήν hunc Bruti fuisse narrat.

Cap. IV, 9. *ut brevissime potuit*) Sic pro *potui* Gzius etiam e Spir. [B], sed *potuit* enarrat *fieri potuit*; auditur *dici* e primario verbo. Paulo post in cod. arch. fuit *natura*, ut est in ξψ, Gzii omnibus, apud Crat., Vict., Man., Grut. *Naturae* post C Lamb. et Dav. tamquam e CCC (at is est ξ), ceteri. [De B dubitat Baiterus.] Mox *ab his* Gzius e tribus suis; praecedit *eius disciplinae*. [Verba *ut poëtice loquar* ab alio ascripta Bakius iudicat, ad Cic. Legg. p. 451. Mirificum illum hominem fuisse oportet.]

cum — locuti essent —, maximam materiam cet.) Minus perspicue rem significare videtur; neque enim, absoluta de omni mundo explicatione, tum denique res sensibus et animadvertendo investigantes materiam ad nescio quarum aliarum rerum occultarum cognitionem attulisse, sed in illa ipsa de initiis et omni mundo disputatione, qua res occultae aperiuntur, illa materia usi esse videntur. Sed Piso primum (usque ad *concluderent*) libros eos, qui physici appellantur, significat, deinde eos, qui historiam naturalem describendo complectuntur. [Ern. *ita* ante *ut* excidisse putabat, non improbabiliter.] *Ratione* post *mathematicorum* [B *in achademicorum*] exciderat in cod.

occultarum cognitionem attulerunt. 10. Persecutus est Aristoteles animantium omnium ortus, victus, figuras, Theophrastus autem stirpium naturas omniumque fere rerum, quae e terra gignerentur, causas atque rationes; qua ex cognitione facilior facta est investigatio rerum occultissimarum. Disserendique ab iisdem non dialectice solum, sed etiam oratorie praecepta sunt tradita; ab Aristoteleque principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta, ut non contra omnia semper, sicut Arcesilas,

1. *agnitionem* L *Persecutus* — *figuras* Nonius p. 232 *est* om. EP Non. 2. *metus* (pro *victus*) L 4. *e* om. E 5. *cogitatione* E 6. *eisdem* LOr. *solum* om. C 7 *oratoria* CR 9. *est* om. PC

Mor. *Necessaria ratio* dicitur, quae necessitatem affert assentiendi, ut apud Platonem (Soph. 265 D) *πειθὼ ἀναγκαία* et alia apud Graecos; sic *causae necessariae* de Fato 44 [Tusc. II, 53, pro Rosc. Am. 40] sunt. quae cogant fieri, non quae requirantur, ut fiat; add. de Inv. I, 44: *omnis argumentatio aut probabilis aut necessaria debebit esse*; Top. 59 et 60: *cum autem erit talis causa, ut in ea non sit efficiendi necessitas, necessaria conclusio non sequitur*; male ibi Orellius e cod. Sangall. *necessario*, eversa sententia; neque enim dicitur necessario effici, ut nulla sequatur conclusio, ac ne illud quidem, quod Orellius fortasse dici putavit, sed in illo verborum ordine non intellegitur, non necessario sequi conclusionem, sed hoc, conclusionem effici, sed non necessariam. [*Vis necessaria* Top. 61, Verr. III, 5.]

10. *Persecutus est*) E conspiratione Nonii et aliquot codd. (trium Gzii, [B]) in *est* omittendo perspicitur, quam vetus sit hoc mendi genus, de quo dixi in appendice disputat. de Asconio p. 4.

Disserendique ab iisdem) Transitur ad alteram partem disciplinae eo modo, quo ad III, 73 dictum est. In multis edd. (Gz., Or.) sic haec discerpuntur: *figuras. Theophrastus — rationes. Qua — occultissimarum: disserendique* cet. Sententiae eaedem tractabantur lib. IV, 5 sqq. Paulo post *expromeret* Man. et recentiores tacite; confirmat mg. Crat. (unde fortasse ille sumpsit) et nunc Erl. [B]; deteriores *exprimeret* (Oxx. omnes, Crat., Vict.). In his verbis: *ut non — et tamen ut* altero loco *ut* abundat, quoniam priori utrumque (*non — et tamen*) subici potuit et debuit. Similiter Divin. in Caec. 72 cum particulae *ut* partitam condicionem Cicero subiecisset (*ut, si —, si*), in alterius membri apodosi repetiit *ut* (*ut, si — si —, ut ea*). Ex eodem genere particularum non accuratissime inter se relatarum haec sunt, quod in *aut* notavi ad I, 33 et II, 15.

diceret, et tamen ut in omnibus rebus, quidquid ex utraque parte dici posset, exprimeret. 11. Cum autem tertia pars bene vivendi praecepta quaereret, ea quoque est ab iisdem non solum ad privatae vitae rationem, sed etiam ad rerum publicarum rectionem relata. Omnium fere civitatum non Graeciae solum, sed etiam barbariae ab Aristotele mores, instituta, disciplinas, a Theophrasto leges etiam cognovimus. Cumque uterque eorum docuisset, qualem in re publica principem *esse* conveniret, pluribus praeterea conscripsisset, qui esset optimus rei publicae status, hoc amplius Theophrastus, quae essent in re publica rerum inclinationes et momenta temporum, quibus esset moderandum, utcumque res postularet. Vitae autem degendae ratio maxime illis quidem

2. *possit* PCR *exprimeret* LPCR 3. *eisdem* LROr. 4. *ad rerum — solum, sed etiam* om E 5. *directionem* L 9. *esse* om. omnes *cum scripsisset* LPCR 10 *sit* (pro *esset*) L *status — in re publica* om. E 11. *inclinationes rerum* LPCROr. 12. [*etcumque* Eh] 13. *eligendae* E *quidem illis* LPCROr.

11. *Omnium fere civitatum* cet.) Perspicuum est significari Aristotelis *πολιτείας*, Theophrasti libros *περὶ νόμων*, utriusque *περὶ βασιλείας* scripta, quae nominantur apud Diogenem, Theophrasti fortasse etiam *περὶ παιδείας βασιλέως*, tum Aristotelis Politica (ibi enim de optimo rei publicae statu quaerit, nec seorsum de ea re libros scripsisse videtur), Theophrasti (praeter Politica) *περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας*, postremo huius *πολιτικὰ πρὸς τοὺς καιρούς* (nam *πολιτικῶν* apud Diogenem scribendum videtur V, 45).

principem esse conveniret) Exciderat *esse* in cod. archetypo (Pall., EUξχ,* Gzii omnibus, [B]); neque enim, quia licet dicere: *talem me volo*, idcirco Latinum est: *talem principem convenit.* Addidit Ascensius 1511. Tum *conscripsisset* etiam Spir. [B]. Editt. ante Orellium *cum scripsisset*, in quo perverse et loco non apto coniunctio iteratur, eadem mendi origine, qua etiam nunc apud Curtium VI, 38 (10, 14) editur: *Scelerati conscientia obstrepente cum dormire non possunt* (sic codd. boni, non *possint*), *agitant eos furiae* cet., quasi alio tempore, cum possint dormire, non agitentur. Curtius scripsit: *condormire* (sic pro *condormiscere* etiam Svetonius) *non possunt; agitant eos* cet. [Sic iam Modius.] *Rerum inclinationes* etiam Spir. [B]; editiones inverse.

Vitae autem degendae) Etiam mg. Crat. [et B] *eligendae* (quod probans Gzius tamen neque Erl. nominat neque, quem

placuit quieta, in contemplatione et cognitione posita rerum, quae quia deorum vitae erat simillima, sapiente visa est dignissima. Atque his de rebus et splendida est eorum et illustris oratio.

V. 12. De summo autem bono quia duo genera libro-

1. *et cognitione* om. L 2. *erat vitae* LPCROr. 3. *eorum est et* L

idem habuisse certum est, Spir.). Sed manifestum mendum est codicum meliorum principis. Neque enim, qua ratione vita eligenda visa sit, quaeritur, sed quod vitae agendae genus maxime placuerit. Apparet autem, describi *τὸν θεωρητικὸν βίον*. Aristoteles in Ethicis Nicom. I, 5, 2 tres nominat *βίους τοὺς μάλιστα προέχοντας*, *τὸν ἀπολαυστικόν*, *τὸν πολιτικόν*, *τὸν θεωρητικόν*. Ac contemplationem quidem (sic enim appellemus *τὴν θεωρίαν*) eximie laudat et ceterarum virtutum actioni in beatae vitae aestimatione praeponit Ethic. X, 7 et 8; sed et hic et Polit. VII, 2 et 3 meram contemplationem in hominum vitam cadere negat, ut ad eam beatam efficiendam non parvum momentum sit *τῆς πράξεως*. (Cfr. Ritteri Hist. Philos. III p. 318 sqq.) Inter Theophrastum et Dicaearchum controversiam fuisse, cum ille *τὸν θεωρητικὸν βίον*, hic *τὸν πρακτικόν* praeferret, Cicero narrat ad Attic. II, 16, 3. (Cfr. de Theophrasto Hieronym. adv. Iovinian. I p. 313 ed. Bened.) Diogenes Laërt. V, 31 et Stobaeus Ecl. Eth. p. 312 vitam contemplativam praeferri dicunt, ille ab Aristotele *τῷ πρακτικῷ καὶ ἡδονικῷ βίῳ*, hic a Peripateticis *τῷ πρακτικῷ* et ei, qui ex utroque mixtus sit (*τῷ ἐξ ἀμφοῖν συνθετῷ*); nam voluptariam vitam infra hominem esse nec in certamen admitti. Sed Varro apud August. de Civit. Dei XIX, 3, Antiocho utens auctore, eadem genera ponit, quae Stobaeus, sed otioso et actuoso sive negotioso id a veteribus Academicis praeferri dicit, quod ex utroque compositum sit. (Academicos a Peripateticis plane hic non seiungit.) Et sane in recta temperatione divinae contemplationis et actionis, quam humana necessitas imponeret, tamquam in ultimo consistere debebant, qui Aristotelis sententias persequi volebant. Apparet, hic Ciceronem Theophrastum sequi, nondum Antiocho duce uti. [*Illis quidem* etiam B, quod iam ante ex Erl. solo revocatum oportuit; cfr. ad IV, 43. *Vitae erat* etiam B.]

Cap. V, 12. *quia duo genera librorum sunt*) Quae Cicero hic de libris Aristoteliis et Peripateticorum tradit, ea quam sententiam habeant et quam fidem mereantur, quaeretur ad finem voluminis (exc. VII) cum aliis rebus, quae hoc capite attinguntur.

rum sunt, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικόν appellabant, alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt, non semper idem dicere videntur; nec in summa tamen ipsa aut varietas est ulla, apud hos quidem, quos nominavi, aut inter ipsos dissensio. Sed cum beata vita quaeratur idque sit unum, quod philosophia spectare et sequi debeat, sitne eà tota sita in potestate sapientis an possit aut labefactari aut eripi rebus adversis, in eo nonnumquam variari inter eos et dubitari videtur. Quod maxime efficit Theophrasti de beata vita liber, in quo multum admodum for-

3. *videantur* E *in sententia tamen* LR 5. [*dissio* pro *dissensio* Eh] 6. *philosophiam* E 7. *an labefactari* E 8. *numquam non* L 10. *fortior est* (pro *fortunae datur*) P

limatius, quod in commentariis reliquerunt) Non dicendi genere et scribendi arte politius dicit, sed in quo veritas subtilius exquisita sit et nudius astrictiusque explicata nec ad ullam similitudinem communium opinionum et communis sermonis studiose accommodata. (Cfr., quem locum Gzius laudat, Off. II, 35 et supra III, 40.) Commentarii autem sunt, quos quis in suum paucorumve usum compositos domi retinet nec iusti libri habitu et oratione ornatos vulgo legendos tradit et commendat, quales erant magistratuum et sacerdotum commentarii aut oratorum (Brut. 164, Quintil. X, 7, 30—32) aut eorum, qui, quae philosophos aut alios docentes audiverant, memoriae causa notabant (Tuscul. III, 54). Nec propria significatio vocis, quam retinendam esse etiam ex verbo *reliquerunt* apparet (hoc est, non ex commentariis in lucem protulerunt), mutatur, quod quorundam oratorum ipsi commentarii descripti et editi sunt, aut quod scriptores aliquot modestiae causa eos libros, quos edebant, sic inscripserunt. Itaque etiam III, 10 *commentarios Aristotelios* ita dici puto, ut haec de eorum librorum forma et origine sententia significetur.

idque sit unum cet.) Vid. ad I, 62. Paulo post *sita* omittitur in Gud. 2.

Theophrasti de beata vita liber) περὶ εὐδαιμονίας (Diogen. Laërt. V, 43; alius est enim περὶ τῆς θείας εὐδαιμονίας ibd. 49), cuius ipsum, ut videtur, initium ponitur infra § 86; nominatur liber etiam Tusc. V, 24, molliores autem eius sententiae commemorantur Acad. I, 33, II, 134, Tusc. V, 85; nec dubito, quin in eodem libro Theophrasti de vita contemplativa iudicium expositum fuerit. Si tamen Ciceroni illa, quae mox appellat,

tunae datur; quod si ita se habeat, non possit beatam vitam praestare sapientia. Haec mihi videtur delicatior, ut ita dicam, molliorque ratio, quam virtutis vis gravitasque postulat. Quare teneamus Aristotelem et eius filium Nicomachum, cuius accurate scripti de moribus libri dicuntur illi quidem esse Aristoteli, sed non video, cur non potuerit patri similis esse filius. Theophrastum tamen adhibeamus

2. *praestare vitam* LPCROr. 6. *Aristotelis* LPCROr.

Ethica Nicomachea aeque nota ac pertractata fuissent atque Theophrasti liber, nec de Aristotele Antiocho credidisset, vim fortunae ab Aristotele minime excludi vidisset (Eth. Nicom. I, 10 et 11, X, 9), atque ipsum illud, in quo Theophrastum vexari dicit (Tuscul. V, 24), quod neget eum, qui torqueatur et qui crucietur, beatum esse posse, illic scriptum repperisset (VII, 13, 3): *Οἱ δὲ τὸν τροχιζόμενον καὶ τὸν δυστυχίαις μεγάλαις περιπίπτοντα εὐδαίμονα φάσκοντες εἶναι, ἐὰν ᾖ ἀγαθός, ἢ ἑκόντες ἢ ἄκοντες οὐδὲν λέγουσι.* Itaque *ἐκ τῆς εὐδαιμονίας κινεῖσθαι* posse hominem virtute praeditum censebat neque tamen prorsus *ἄθλιον* fieri (I, 10, 13 et 14). Cfr. Ritteri Hist. Philos. III p. 320 sqq. Animadverterat haec Tennemannus, quod Aristotelem norat; Gzius Ciceronem recte sensisse Ciceronis et Antiochi testimoniis defendit. *Vitam praestare* [B] iam Lamb. et Dav. tacite; ceteri inverse. (*Fortior est* pro *fortunae datur* etiam alii aliquot deteriores.)

Quare teneamus Aristotelem cet.) Mire ipsum Ciceronem haec opinio fallit. Sed et haec et ea, quae de Ethicorum Nicomacheorum scriptore Cicero addit, tractabuntur in excursu.

esse Aristoteli) Solum Erl. huius scripturae testem Gzius citat, ut, si quid ei credi posset, in Spir. *Aristotelis* fuisse videretur; sed non credo; [B ut Erl.]; vid. ad I, 14. *Ganymedi* habent optimi codices Tusc. IV, 71, *Archimedi* scribitur libri I R.P. 21 et 22, *Milidi*, hoc est, *Miltiadi* in cod. palimpsesto scholiorum in orat. pro Sestio p. 312 Or. Eo minus dubitare debemus, quin id, quod his locis antiquissimi codices servarint, alibi a librariis oblitteratum sit, quod videmus, ipsi Prisciano (p. 706 Putsch.) dativos hos visos esse, qui pro genetivis positi essent.

patri similes) *Patris* Lambinus, venitque idem Bremio in mentem, iure fortasse, non tamen propter inanissimum veterum grammaticorum (Diomedis p. 292 et 293, Capri p. 2242. Bedae p. 2345, aliorum) praeceptum de morum aut figurae similitudine,

ad pleraque, dum modo plus in virtute teneamus, quam ille

quod eadem, quam aliae apud eosdem differentiarum notationes arguunt, levitate excogitatum viri docti, quamquam ne dimidiae quidem parti locorum convenire vident, tamen abicere non audent. Animadvertenda est in hac quoque re diversitas temporum. Nam et Cicero et fere antiquiores hac utuntur regula, ut in animantium, hominum praesertim et deorum, similitudine notanda longe saepius genetivum adiectivo adiungant, tamquam substantivum sit, quemadmodum cum *invidus alicuius* dicitur. Itaque in libro I N. D., ubi de speciei et figurae deorum et hominum similitudine agitur, constanter genetivus ponitur, § 77[?], 78, 79, 84, 90, qui loci soli ad evertendum vetus illud praeceptum sufficiunt, et eodem modo Cicero dixit *speciem sui similem* Tusc. I, 34 et *statuam istius similem* in Pis. 93. Recte igitur Charisius (p. 84) praecipit, ut *sui similis* dicatur (et *mei*, *tui*, *nostri*, *vestri*). Dativus apud Ciceronem in hoc genere adeo raro reperitur, ut, cum infinita multitudine genetivorum comparatus, dubitationem vix effugiat. ' Legitur enim III de Orat. 47: *mihi te simillimum dixit videri* (fuitne *mei*?) et in Brut. 204: *nihil tam dissimile quam Cotta Sulpicio* (*Sulpici*?) et Acad. II, 118: *Democritus huic in hoc similis*, *in ceteris uberior* et hic IV, 34: *huic* (Phidiae) *similis* et hoc libro § 62: *tam dissimilis homini*, tum in oratione pro Marcello 8, auctoritate Lactantii, Prisciani, Servii confirmatum: *eum — simillimum deo iudico.* [Add. Off. II, 8: *iis simillimo* et Tusc. V, 56: *hunc illi duco simillimum*, ubi Wesenbergius addit ex hoc opere IV, 65: *his similes*, N. D. I, 123, hunc quidem locum suspectissimum, ad Fam. XI, 20, 1, ubi scriptura in Med. ambigua est.] De bestia Cicero I N.D. 97 dixit: *canis nonne similis lupo?* addiditque ex Ennio: *Simia quam similis*, *turpissima bestia*, *nobis!* *Patris similis* apud Ciceronem legitur ex omnibus aut melioribus libris in Verr. III, 160 et 162, V, 30, Tusc. I, 81, Off. I, 121; *patri* hoc uno, ubi quam facile *s* excidere potuerit, apparet. [Apud Varronem non satis attendi; legitur tamen *homo homini similis* X p. 161 Bip. et p. 166.] De rerum similitudine Cicero, ut antiquiores, adeo promiscue utroque casu utitur, ut non tantum in aliis locis alium casum in eodem similitudinis genere ponat, sed in eodem loco, ut II N. D. cum § 40 bis dixisset *ignis ei similis igni* et § 41: *horum ignium utri sol similis sit*, subiecit: *cum solis ignis similis eorum ignium sit*, atque etiam in eadem verborum continuatione casum mutet II N. D. 149 (*plectri similem lingvam nostri solent dicere*, *chordarum dentes*, *nares cornibus iis* cet.), quod facit in hominibus Lucretius IV, 1211 et 1212. Sunt tamen certa vocabula, in quibus alter uter

tenuit, firmitatis et roboris. 13. Simus igitur contenti his. Namque horum posteri meliores illi quidem, mea sententia, quam reliquarum philosophi disciplinarum, sed ita degenerant, ut ipsi ex se nati esse videantur. Primum Theophrasti, Strato physicum se voluit; in quo etsi est magnus, tamen nova pleraque, et perpauca de moribus. Huius Lyco oratione

1. *sumus* R 2. *in ea* (pro *mea*) P 4 *esse* om. L 5. *esse* (pro *se*) C 6. *de* om. E *hus* (pro *huius*) E *Lyco* om. E, vacuo spatio relicto *Lysias* P *Lysias et* LR *Lysias ex* C

casus praeferatur, ut *veri similis* semper a Cicerone dicitur: [Charisius quidem *vero similis* Latinum esse negat; Livium *similis veri* ter dixisse, sed plurali numero *similia veris* (etiam XXIX, 20, 1), tum *similius vero* et *simillimum vero*, exposui Emend. Livv. p. 119;] contra, ut videtur, semper *hoc simile illi*, *ei*, *superiori* (neutro genere). Recentiores inde a Livio, qui tamen de personis saepius genetivum habere videtur (cfr. Drakenb. ad VI. 13. 3). dativi usum magis magisque etiam in personarum similitudine frequentant, poëtae quidem Augusteae aetatis adeo, ut ex Vergilio, Horatio, Ovidii Metamorphosibus vix plus unus locus annotetur, in quo genetivus sit (Hor. Sat. II, 1, 3). Persequetur fortasse haec uberius aliquando Wesenbergius, qui veram rationem primus aperuit.

13. *sed ita degenerant*) Lambinus *degenerarunt*, idemque Ernestius scribi malebat. Sed cum ex scriptis illorum hominum intellegatur eos degenerasse, praesenti tempore Cicero utitur, quasi nunc demum, ipso vidente, degenerent et desciscant. qua figura alibi etiam in hoc verbo usus est, ut videatur significare non *degener fio*, sed *degener sum*. Tusc. II, 60: *Zenonem significabat, a quo illum degenerare dolebat*; Philipp. XIII, 30: *Et quidem fratri tuo, qui a vobis nihil degenerat* (id est, agendo nunc ostendit, se non degenerasse), *extorsimus*. [Livius quoque XXII. 14, 6 *degeneramus* pro *degeneravimus*, ne Tacitum commemorem, German. 42.] De re conferendus est locus Strabonis ad III, 41 ascriptus.

Primum Theophrasti, Strato physicum se voluit) Non coniungitur *Strato Theophrasti*, nec Latine sic dicitur (significaretur proprius aliquis Theophrasti Strato, ab aliis aliorum Stratonibus diversus), sed ex eo, quod ante dictum est: *horum posteri*, auditur substantivum, ut sit: *Primum Theophrasti auditor* s. *successor*, *Strato* cet. similiterque in ceteris. Cfr. IV, 3 et 61. Gud. uterque *se esse voluit*, ut edidit Lambinus. supplemento non necessario, ut apparet ex iis, quae ad II, 102 ascripsi.

nova pleraque, et perpauca de moribus) Acad. I, 34: *Strato*,

locuples, rebus ipsis ieiunior; concinnus deinde et elegans huius Aristo; sed ea, quae desideratur a magno philosopho, gravitas in eo non fuit; scripta sane et multa et polita, sed nescio quo pacto auctoritatem oratio non habet. 14. Praetereo multos, in his doctum hominem et svavem, Hieronymum, quem iam cur Peripateticum appellem, nescio; summum enim bonum exposuit vacuitatem doloris; qui autem de

1. *concinnius — elegantius* L 5. *in iis* R

cum maxime necessariam partem philosophiae, quae posita est in virtute et in moribus, reliquisset totumque se ad investigationem naturae contulisset, in ea ipsa plurimum discedit a suis. Cfr. Plut. adv. Colot. 14 p. 1115 B. Quae ex eius disputationibus supersunt, exponit Ritterus III p. 407 sqq., attingit quaedam Brandisius in Mus. Rhen. I, 3 p. 243.

Huius Lyco oratione) Hunc Stratoni successisse, constat e Diog. Laërt. V, 65 sqq. et Plutarcho de exil. 14 p. 605 B, (cfr. Fabric. Bibl. Graec. III p. 498 Harl.), et sic Morelius in suo codice scriptum fuisse dicit, Lambinus autem, sed a Fr. Fabricio de vera scriptura admonitus, in suis se partim *Lyoratione*, partim *Lycoratione* repperisse ait. Ex Erl. (de quo et Spir. Gzius tacet) [et B] apparet, in codice archetypo obscure scriptum fuisse. In Pal. 4, Gud. 2, Bas. erat *Lysias*, ut in P, in ceteris Palatinis et, ut videtur, Davisianis et ξψ *Lysias et*, quod tenuerunt omnes ante Davisium, etsi Man. et Lamb. *et* delendum viderant; in libro Tertii et Uχ erat: *Lysias ex.* Davisius edidit *Lyco est oratione* cet., verbum prorsus incommodo loco ponens. Lyconem φραστικὸν ἄνδρα fuisse, tradit etiam Diogenes, sed ἐν τῷ γράφειν ἀνόμοιον αὑτῷ.

Aristo) Ceus, quem cum Chio, qui Stoicus fuit, nunc nemo facile confundit. De Ceo post Baelium et Fabricium (Bibl. Graec. III p. 467 Harl.) testimonia veterum collegit Hubmannus in Nov. Annalium Philol. Supplem. vol. III p. 108 sqq. [Cfr. Ritschelius in Mus. Rhen. Nov. vol. I (1842) p. 193 sqq.] De Hieronymi, qui Arcesilae et Lyconis aequalis fuit, sententia dictum est II, 8. *Iam* particula, in qua offendi video, significat, in hoc interrumpi ordinem nec longius progredi, ut hunc etiam complectatur; leviter enim Cicero immutavit hanc formam orationis: *quem iam non* (*nicht länger*) *possum Peripateticum appellare.* Hanc temporis et rei mutatorum et a superioribus diversorum significationem apertissimam mirum est quam obscuraverit Handius Turs. III p. 131 sqq. (Cfr. ad IV, 66.)

summo bono dissentit, de tota philosophiae ratione dissentit. Critolaus imitari voluit antiquos; et quidem est gravitate proximus et redundat oratio; ac tamen *ne* is quidem in

1. *de tota — dissentit* om. R 2. *antiquos voluit* LCROr. *voluit* om P 3. *Attamen* LPCROr. *ne* om. omnes, Or.

14. *exposuit*) id est, sic definivit, ut esset vacuitas doloris. Rarior utique verbi usus satis defenditur ex § 21 et 22 (*expositiones summi boni* et *summum bonum sic exponitur, ut* cet.). De uberiore sententiae explicatione neque hic neque ibi intellegi verbum potest. [Cfr. I N. D. 45: *vere exposita illa sententia est.* h. e., posita.]

ac tamen ne is quidem) *Ac tamen*, quod Gzius in Addendis probaverat, ex Erl. [B] sumpsi (vid. ad II, 85); *ne*, quod post *en* exciderat, addendum esse, iam Bremius senserat. Sententiae enim sic cohaerent. Cum Cicero Hieronymum prorsus a Peripatetica sententia deflexisse dixisset, subicit, Critolaum (qui Aristoni in schola successit quique cum Carneade et Diogene Romam legatus missus est) *imitari voluisse antiquos* (hoc ordine etiam Spir. [B]; in Pal. 4 et Gud. 2 excidit *voluit*), quae imitatio necessario, quoniam Hieronymi defectioni contrarium hoc est, ad universam disciplinam, non ad solam orationem pertinet. Itaque addit, hanc imitationem hactenus Critolao successisse, ut gravitate (non orationis. nam haec seorsum laudatur, sed decretorum, ut qui bonis externis et corporis non nimium tribuerit, Tusc. V, 51) et orationis copia ad eos accederet. Iam quomodo his tamquam contrarium subici potest: *ac tamen in patriis institutis manet?* Quid enim magis expectari debuit? (Itaque Lambinus scripsit: *sed redundat oratio*, ut huic reprehensioni contraria esset laus conservatae disciplinae; verum nihilo aptius erit *tamen*, quasi propter redundantiam orationis hoc expectari non potuerit. Video etiam virum quendam doctissimum *ac tamen* eo modo explicare conari. de quo ad II, 84 dixi, ut haec sit sententia: et, quamvis non excellat gravitate et orationis copia, tamen cet. Verum ut omittam, *et tamen*, non *ac tamen*, sic poni, in illis locis primum aliquid ad rem, quae agitur, pertinens ponitur, deinde additur, etiamsi hoc non sit, aliud tamen esse, ut illo carere possimus. Hic hoc ipsum agitur, maneatne Critolaus in patriis institutis necne; nec ad eam rem pertinet orationis redundantia. Addo, si (*is*) *quidem*, ut tum debet, significat, alium nominatum iri. de quo contrarium dicatur, dicendum fuisse *et hic quidem.*) Apparet igitur hoc dici, quamvis Critolaus imitari antiquos voluerit et aliqua ex parte imitatus sit, ab Hieronymi levitate diversus, tamen hunc quoque inter eos ponendum esse, qui sic

patriis institutis manet. Diodorus, eius auditor, adiungit ad honestatem vacuitatem doloris. Hic quoque suus est, de summoque bono dissentiens dici vere Peripateticus non potest. Antiquorum autem sententiam Antiochus noster mihi videtur persequi diligentissime, quam eandem Aristoteli fuisse et Polemonis docet.

VI. 15. Facit igitur Lucius noster prudenter, qui audire de summo bono potissimum velit; hoc enim constituto in philosophia, constituta sunt omnia. Nam ceteris in rebus sive praetermissum sive ignoratum est quidpiam, non plus incommodi est, quam quanti quaeque earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid; summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est; ex quo tantus error consequitur, ut, quem in portum se recipiant, scire non possint. Cognitis autem rerum finibus, cum intellegitur, quid sit et bonorum extremum et malorum, inventa

2. *finis* (pro *suus*) L 3. *summo* (om. *que*) E *dici* repetitur post *Peripateticus* E 5. *prosequi* LR *Aristotelis* LPCROr. 10. Post *praetermissum* add. *sit* C 11. *quaeque quanti* C *carum* (pro *earum*, om. *rerum*) E 12. *aliquod* E 13. *est* om. P 15. [*possunt* Eb] 16. *quod* EOr.

degenerarint, ut ipsi ex se nati videantur. In qua re ab antiquis desciverit, nescimus. Sed sequitur Cicero Antiochum, qui a se demum veram antiquorum sententiam exponi affirmabat, quam superiores non satis persecuti essent. Longe tamen gravius Diodorus (cfr. ad II, 19), ut Hieronymus, e Peripateticorum coetu excluditur. [*Que* omittitur et *dici* bis scribitur etiam in B.]

quam eandem Aristoteli et Polemonis fuisse dicit) Video verti, quasi hoc Cicero dicat, antiquorum (id est, Aristotelis et Polemonis) sententiam etiam Aristotelis et Polemonis fuisse, id est, nihil dicat. Utriusque communem fuisse significat; vid. 7 et 21, ubi eodem modo dicitur, et IV, 14 et 15. Deinceps igitur, missis Aristotele cum filio et Theophrasto, unum Antiochum Piso tenebit. De genetivo *Aristoteli* [B] dixi paulo ante.

Cap. VI, 15. *in philosophia*) Et ad *constituto* et ad *constituta sunt* pertinet, sed priori prius annectitur. Verba et apta et necessaria (cfr. § 14 et IV, 14) Gzius deleri volebat. Mox *sit quidpiam* Dav. ex El.

quid sit — extremum) id est, in qua re positum sit extremum; cfr. § 17 et I, 29; Gzius hic arripuit mendum codicum Erl. et Spir. [B] *quod.*

vitae via est conformatioque omnium officiorum, (16) cum exigitur, quo quidque referatur; ex quo, id quod omnes expetunt, beate vivendi ratio inveniri et comparari potest. Quod quoniam in quo sit magna dissensio est, Carneadia

1. *et via una* (pro *vitae via*) E *et vitae via* Or. *confirmatioque* PCR *omnium* om. L *officiorum cum igitur* E *officiorum. Est igitur* LPCROr. 2. *quodque* EOr. *quicquid* L 4. *Carneadeia* P *Carneadea* LCR

inventa vitae via est) Gzius *et vitae via est*, tamquam ex Erl. et Spir.; qua fide, diligentior inspectio docuit, quam prave dixi ad II, 63; cfr., quae dicentur ad § 64. [B ut Erl.] Illa regula inventa, officia conformantur et constituuntur, non confirmantur. *Conformatio* editur inde a Manutio et confirmatur ab Erl. [B]; Grut. et Dav. tacent; Gzius scribas suo more *confirmatio* peccare ait, et sic Eξ, edd. vett. Cfr. ad IV, 5.

16. *Est igitur, quo* cet.) [Sic edebatur.] Primum notionem finis Piso constituit, postea quaerit, qua in re sit. [Sed nec admodum apte haec ipsius finis notionis definitio hoc loco intericitur, et nimis breviter ponitur (— debebat enim dici: *est igitur finis* aut similiter; nunc verba significant, esse aliquid. quo quidque referatur —) et ipsa brevior iusto est (— addendum enim erat: *neque ipsum usquam* —) et prava nec Latina: nam *omnia* eo referuntur, non *quidque*. Iam cum in B idem scriptum sit, quod in Erl., *cum igitur*, quod nullo modo ex *est igitur* ortum esse potest, apparet *igitur* mendose scriptum esse latereque verbi tertiam personam: *conformatioque omnium officiorum, cum exigitur* et examinatur, *quo quidque* (singulae res, quae in agendo occurrunt) *referatur; ex quo* cet. Ipsum verbum potest aliquam habere dubitationem, veneratque in mentem etiam *aperitur*; sed forma sententiae tam certa et necessaria visa est, ut *exigitur* in contextu posuerim.] Pro *quidque* Gzius ex Erl. et Spir. [B] *quodque*; vid. ad I, 18.

Quod quoniam in quo sit magna dubitatio est) Quoniam Gzius putat, *quod quoniam* hic eo modo dici, quo *quod si* et alia similia, dicendum est, *quod* (id est, id extremum, quo omnia referuntur) subiectum esse verbi *sit: Et* quoniam magna dissensio est, in quo *hoc* sit. Licebit igitur, si quis ludere volet, sic verba interpungere: *Quod, quoniam, in quo sit, magna* cet. (Cfr. I N.D. 53, Parad. 24.) Sed ad eandem formam III, 73 scribendum erit: *haec, sine physicis, quam vim habeant, videre nemo potest*; nam *sine physicis* pertinet ad *videre*; et I R. P. 15 sic verba divellemus: *quae, vix coniectura, qualia sint, possumus suspicari*, et multa alia non minus ridicule et contra pronuntiationis legem sermonisque naturam concidemus frustatim. Sed prae-

nobis adhibenda divisio est, qua noster Antiochus libenter uti solet. Ille igitur vidit, non modo, quot fuissent adhuc

2. [*quod* — *quod* Eh] *quot omnino fuissent* C

stat Latinorum morem sententiae secundariae cum primaria miscendae animadvertere [de quo breviter praecepi Gr. Lat. § 476 d], et simul, quam pertinaciter vetus sermo constantiam interpunctionis ad nostrae orationis normam excogitatae respuat.

Carneadia — divisio. Ille igitur) De hac divisione, quae ex rerum et notionum confusione non parva difficultatem habet, et de omni huius et proximorum duorum capitum argumento expositum est in ea disputatione, qua etiam prima naturae per excursum declaravi, ad II, 33. Oratio notam figuram habet in pronomine *ille* ad substantivi notionem, quae in *Carneadia* subest, relato, ut I, 17 (*Democritea — ille*) et II, 42 (*Carneadeum — is*) et de Divin. II, 31 (*Pherecydeum — qui*). Davisius Liv. II, 53, 1 (*Veiens bellum — quibus*) et alia ex inferioris aetatis scriptoribus citat. [Ep. ad Att. X, 14, 1: *difficultatem pecuniariam, quae* (i. e., pecunia), Liv. VIII, 8, 14, XLII, 47, 7; Catull. 64, 369; pronomen auditur Cat. 44, 12 (*legit*).] Nonnihil diversum est, cum ad urbis terraeve nomen pronomina incolas significantia referuntur (Gron. ad Liv. VIII, 11, 12, IX, 41, 3, Drak. ad XXXVIII, 29, 9), aut omnino ex totius nomine singuli intelleguntur (Acad. II, 103: *Academia, a quibus*). *Carneadia* Gzius ex Erl., Spir., Bas., ed. Crat.; cfr. § 22. IV, 49 codd. alterum videntur servare; II, 42 Crat. et Vict. *Carneadium*. Editur apud Ciceronem *Thucydidius* (bis), sed *Pherecydeus* (semel), *Aristotelius* et [antea] *Democritius*, sed *Epicureus*, *Aristippeus*. In incerta re meliores codices sequor; cfr. ad 54. Paulo post *adhuc* est *ad id usque tempus* (Carneadis), non *ad hoc*, rarissimo apud Ciceronem et antiquiores exemplo. Praeter hunc tamen locum, quem Matthiaeus ad orat. pro Ligar. 2 unum apud Ciceronem reperiri putat, similiter I de Orat. 94 Antonius loquens inducitur: *Scripsi* (olim), *disertos me cognosse nonnullos, eloquentem adhuc neminem.* Ut ibi vox retenta est ex recta oratione (*adhuc*, id est, ad hoc tempus, *cognovi neminem*), sic hic cogitatio ad Carneadem relata eam non recte obiecisse videtur, qui dicturus erat: *adhuc* (ad me) *tot fuerunt*, ut non continuo sequatur, Ciceronem etiam hoc dicere potuisse: *Tot adhuc erant* (Carneadis tempore). [Simile aliquid interdum in adiectivis, quae sunt *hesternus* et *crastinus*, accidere, alii annotaverunt.] Nam quos locos Handius Turs. I p. 160 laudat, in eorum altero, ad Att. VII, 12, 1 (*unam adhuc epistulam acceperam*), plusquamperfectum ponitur more epistularum, *adhuc* ad verum tempus praesens refertur, quae confusio

philosophorum de summo bono, sed, quot omnino esse possent sententiae. Negabat igitur ullam esse artem, quae ipsa a se proficisceretur; etenim semper illud extra est, quod arte comprehenditur. Nihil opus est exemplis hoc facere longius; est enim perspicuum, nullam artem ipsam in se versari, sed esse aliud artem ipsam, aliud, quod propositum sit arti; quoniam igitur, ut medicina valetudinis, navigationis gubernatio, sic vivendi ars est prudentia, necesse est, eam quoque ab aliqua re esse constitutam et profectam. 17. Constitit autem fere inter omnes, id, in quo prudentia versare-

1. *possent esse* L *esse potuissent* C 3. *a* om. E *a se* om. P 7. *igitur* om. LPCR *gubernatio navigationis* L 9 *ab alia* LPCR

in epistulis non ita rara est, alter II de Divin. 4 (*adhuc haec erant; ad reliqua alacri tendebamus animo*) similem habet figuram, cum Cicero, quasi epistulam scribens, de praesenti tempore imperfecti forma utatur. [Cfr. ad Famm. XVI, 11, 2, ad Att. X, 15, 1.] Ex inferioris aetatis scriptoribus praeter locum Taciti (Agr. 45) numerari etiam ii debent, ubi *adhuc* de re certo aliquo tempore durante et nondum finita cum imperfecto indicativi ponitur, ut ex iis, quos Handius alio consilio ascripsit, Ovid. Trist. I, 9, 42, Curt. VII, 19 (4, 37) et VIII, 22, (6, 18), Tac. Ann. V, 3, Hist. III, 9, Val. Flac. Argon. VIII, 114 et 140. [Sed iam Livius ita dixit, ut XXI, 48, 4, ubi plura Fabri.] Cicero, si codicibus credimus, aliquotiens *etiam nunc* pro *etiam tum* dixit.

a se proficisceretur) tamquam causa et proposito; hoc est autem, quod arte *comprehenditur*. Paulo post in verbis *ipsam in se versari* excidit *ipsam* in editionibus inde a Veneta 1496 ante Davisium contra codd. (Dav. quinque, Oxx., Gzii, [B]). Mox *igitur* (post *quoniam*) addidit Crat., Lamb. in curis secundis, Dav. ex El., Gzius etiam e Spir. [B]; Gud. 1 *ergo*; ceteri omittunt. Hunc locum ex Aristotelis Eth. Nicom. I, 1 (πολλῶν δὲ πράξεων οὐσῶν καὶ τεχνῶν κ. τ. λ.) expressum esse, Ursinus sine ulla minima causa putat. Comparationes huiusmodi in omnibus scholis iactabantur; vid. modo I, 42, III, 24, al.

ab aliqua re) quae extra eam sit, ita ut habeat, in quo versetur, nec a se orta sit. Sic etiam Spir. [B], et facile hoc, quod dixi, auditur e superioribus, ut nihil opus sit *alia aliqua* scribere nec contra optimos codices retinere, quod ante Gzium erat, *alia*, in quo praesertim pronomen desideretur. Mox de ὁρμῇ cfr. III, 23.

tur et quod assequi vellet, aptum et accommodatum naturae esse oportere et tale, ut ipsum per se invitaret et alliceret appetitum animi, quem ὁρμή Graeci vocant. Quid autem sit, quod ita moveat itaque a natura in primo ortu appetatur, non constat, deque eo est inter philosophos, cum summum bonum exquiritur, omnis dissensio. Totius enim quaestionis eius, quae habetur de finibus bonorum et malorum, cum quaeritur in his, quid sit extremum, quid ultimum, fons reperiendus est, in quo sint prima invitamenta naturae; quo invento, omnis ab eo quasi capite de summo bono et malo disputatio ducitur.

VII. 18. Voluptatis alii primum appetitum putant et primam depulsionem doloris; vacuitatem doloris alii censent primum ascitam et primum declinatum dolorem; ab iis

2. *mutaret et alliceret* E 3. Pro ὁρμή vacuum spatium in C 8. *in iis* R *et quid ultimum* E *et ultimum* LPCR 9. *sunt* E 10. *quasi* om. E 13. *vacuitatem doloris* om. LPCROr. 14. *assertum* (pro *ascitam*) E *ascitum* LPCR *ascitum, non dolere* Or. *his* omnes. Or.

17. *quid ultimum*) Sic ex Spir. Gzius; ex Erl. (de quo recte Gzius annotat, ut etiam de Spir. confidi debeat) [et B] apparet mutationis origo; ergo secutus sum auctoritatem, ut in contrariam partem feci I, 29.

fons reperiendus est, in quo sint) Nimis breviter Cicero loquens incidit in orationem et imaginem non aptissimam, quasi in eo fonte, e quo quaestio de finibus ducatur, insint et ex eo hauriantur prima invitamenta naturae. Apparet enim, hoc eum significare velle, investigandum esse, ubi et quae sint invitamenta naturae; eo reperto, repertum fore fontem illius quaestionis. Itaque *reperiendus* dicitur *fons* talis aliquis, *in quo sint* et appareant illa *invitamenta.* Male igitur Gzius ex Erl. et Spir. dedit: *in quo sunt*, quasi absolute dicatur, reperiendum esse quaestionis fontem (quod quis dubitabat?), et tum adiungatur, in hoc fonte illa inesse. [*Sint* B.] Haec prima invitamenta generaliter dici de prima hominis constitutione et appetitu, illa, quae mox sequuntur, prima naturae intellegi certas quasdam res, quas quidam putabant illo appetitu comprehendi, uberius declaravi in excursu de his rebus.

Cap. VII, 18. *vacuitatem doloris alii censent primum ascitam*) In codicum fide dignorum scriptura nihil mutavi, nisi quod pro *ascitum* (etiam [B et] mg. Crat. et fortasse omnis melior familia *assertum* habet, de quo mendo dixi ad III. 17) *ascitam*

alii, quae prima secundum naturam nominant, proficiscuntur, in quibus numerant incolumitatem conservationemque omnium partium, valetudinem, sensus integros, doloris vacuitatem, vires, pulchritudinem, cetera generis eiusdem, quorum

2. [*numerat* Eh] 4. *ceteraque* LCR

posui, [quod praecepit, qui codicem Glogaviensem scripsit]; alterum aut casu et unius litterae mutatione ortum est, aut ad *primum appetitum* accommodatus est, conficto substantivo, *primus ascitus*, etsi tum genetivus requirebatur. Nam voluptatem ipsam appellari ascitum sive appetitum aut dolorem declinatum sive declinationem, prorsus inauditum est. Ne *declinatum* quidem Cicero pro declinatione, qua voce persaepe utitur, semel dixisset. Neutrum genus participii servari in hac forma: *voluptas est primum ascitum*, hoc est, id quod primum asciscitur, Latinus sermo non patitur. Cetera, ut dixi, sic esse in bonis codicibus, fidem facit Erl. [et B], in mediis, P et Pal. 4; quod tamen Gzius in omnibus suis codicibus *doloris vacuitatem alii* cet. legi narrat, saltem illo ordine nullus codex verba habuit. nec puto, in omnibus ea fuisse. Nam in codicibus deterioribus (Pall. 2, 3, 5, 6, Oxx. omnibus; Dav. tacet) exciderunt duo verba, manifesta erroris causa (*doloris*, *vacuitatem doloris*). Itaque in antiquis editionibus (etiam Crat., Vict.) locus mancus erat. Hinc in Ursiniano illo codice et ed. Marsi natum est: *alii censent primum ascitum non dolere*, quod quale sit, apparet. Id revocavit Gzius. Nam inde ab Aldo Manutio edebatur: *alii censent primum ascitum doloris vacuitatem*, vocibus, quae exciderant, nescio unde, sed non recto loco et ordine restitutis, easque Paulus Manutius in antiquis Maffei, Sigonii, Tertii libris desiderari negat, ad ordinem non attendens. (Hinc Gzius, ut solet, „in pluribus Manutii desiderari" ea verba mentitur.) Velim attendi, nunc in omnibus membris eundem servari ordinem: *Voluptatis alii — vacuitatem doloris alii — ab iis alii* cet.

ab iis alii, quae) Hoc est: Alii denique (nam tres sunt sententiae) ab iis proficiscuntur in fine constituendo et ea primum appeti putant, quae cet. (In hac generis definitione necessario *iis*, *quae* pro *his*, *quae* scripsi, ut erat in mg. edit. Lambinianae secundae; [B *hijs*].) Haecine, dicet aliquis, nobis enarrari, quae quivis puer intellegat? Dormitavit tamen Lambinus, prorsus autem incredibiliter erravit Gzius, nec multo minus Orellius et Otto, etiam post Beieri admonitionem (ad Cic. Off. III, 119 p. 415).

doloris vacuitatem) Recte senserunt Th. Bentleius et Er-

similia sunt prima in animis, quasi virtutum igniculi et semina. Ex his tribus cum unum aliquid sit, quo primum natura moveatur vel ad appetendum vel ad repellendum, nec quidquam omnino praeter haec tria possit esse, necesse est omnino officium aut fugiendi aut sequendi ad eorum

2. *aliquod* omnes, Or. *prima* EPR 3. *vel appetendum* (om. *ad*) E *expellendum* L 4. *possint* E 5. *aut officium* L *aut* (pro *ad*) E

nestius, vitiose in divisione idem in parte tertii generis poni, quod ipsum sic in secundo genere constituatur, ut non ex tertio decerpi et eligi, sed diversum esse videatur; non recte, haec deleri iubentes (et delevit Schuetzius), in librarios eam culpam transferunt. Nam alibi quoque in his primis Cicero una cum valetudine (integra universi corporis) vacuitatem doloris (hanc vel illam partem attentantis) numerat (hic 47, III, 51, IV, 20, 27, 35). *Iuris* pro *vires* Spir. (Erl. Gzii), Bas., servato veteris orthographiae vestigio. *Cetera* pro *ceteraque* Gzius ex omnibus suis, modo ne de aliquot erraverit, etsi ex P nostro apparet, non in solis optimis ita scriptum fuisse; vid. ad IV, 4.

quorum similia sunt prima in animis) Ita Cicero locutus est, ut non plane appareat, num haec, quae prima in animis appellat, prorsus in eo genere numeraverit, quae prima a natura appeterentur. Nullum virtuti proprium locum esse in hoc tertio genere, facile iam ex eo intellegitur, quod Carneadis finis, qui hinc ducitur, virtute vacat (22 cet.); plura dicam in exc. IV.

unum aliquid) Pronominibus neutri generis universe positis in dividendo voces substantivae subiciuntur; itaque ut dicitur *ex his corporibus nullum*, sic necessario: *ex his*, *horum* (ex his rebus, harum rerum) *nihil*, non *nullum*, et: *nec eorum quidquam*, non *ullum*; a *nihil* et *quidquam* regula transferenda est ad ea, quae in scribendo permutari solent, ut *eorum aliquid* dicatur (ut pro Cael. 77 *minimorum horum aliquid*), non *aliquod*. Recte igitur paulo post edebatur *ad eorum aliquid*, pro quo Gzius post Davisium scripsit *aliquod* ex Erl. et Spir. [B]. Sed ea regula nihil mutatur addito *unum* (ut cum *unumquidque* dicimus); itaque hic quoque sic scripsi, Wesenbergio admonente, pro *aliquod*; (contra de Orat. II. 292 *aliquod unum* argumentum). Mox pro *primum* (cfr. 19) etiam Spir. [B] et Gud. 2 („tres optimi") et χψ, id est, et meliores et deteriorum aliquot prave *prima*. [Nec puto fuisse: *quo primo natura* cet.]

officium aut fugiendi cet.) Quam fallaciter hic officii notio, deinde honesti confingatur, et eiusmodi honesti, ut in studio

aliquid referri, ut illa prudentia, quam artem vitae esse diximus, in earum trium rerum aliqua versetur, a qua totius vitae ducat exordium. 19. Ex eo autem, quod statuerit esse, quo primum natura moveatur, existet recti etiam ratio atque honesti, quae cum aliquo uno ex tribus illis congruere possit, ut aut id honestum sit, facere omnia [aut] voluptatis causa,

1. *aliquod* [Eh]Or. *vitae dixerimus* (om. *esse*) E 2. *rerum* om. L 3. *ducatur* L *autem* om. L 4. *etiam recti* LPCR 5. *uno aliquo* LPCR 6. *ut honestum* (om. *aut id*) Or. *aut* sine uncis Or.

voluptate potiendi aut dolore vacandi ipsa beata vita ponatur, et apertum est et in excursu quarto declarabitur. Sed animadversa hac fallacia tolluntur nec esse possunt duae illae sententiae, quas mox dicit esse posse nec tamen defensores habuisse (§ 20). Stoicorum honestum, etsi definitione Antipatri (vid. ad III, 22) in hanc descriptionem incidit, tamen aliunde ducebatur.

esse diximus) *Esse* Gzius in Bas. et Gud. 1 omitti ait; nominandus erat Erl. et fortasse Spir. [B]. Sed rectius additur: „sic definivimus, ut artem esse diceremus.“

19. *recti etiam*) Sic Gzius etiam e Spir. [B] et mox *aliquo uno.*

ut aut id honestum sit cet.) Si vera sunt proxima, inter se illa referuntur: *aut voluptatis causa* — *aut non dolendi* — *aut eorum.* Ita huic primo *aut* nihil est quod respondeat, nec ulla hic diiunctio esse potest. Itaque Manutio svadente Lambinus sustulit *aut* (quod, si silentio fides est, videtur abesse ab Ox. E; U numerari non debet); Gzius autem, cum etiam *id* Ernestio displicuisset, utramque vocem delevit, Gud. 1 et Bas. (at quibus codicibus!) auctoribus utens. Verum si quis recte attenderit, videbit, deleto hoc *aut*, unum constitui honestum tres partes complectens, ut et is honeste agat, qui voluptatis causa omnia faciat, et qui, si id non placeat, non dolendi causa, et qui primorum naturae. Ut, id quod sententia postulat, tria honesta inter se diversa intellegantur, diiunctio antea significari debet. Atque ad diligentissimam normam exacta haec oratio esset: *ut aut id sit honestum, facere omnia voluptatis causa* cet. *aut id, facere omnia non dolendi* cet. Sed cum plurium honestorum discrimen iam significatum esset in illis: *aut id honestum sit*, nihil opus erat pronomen et infinitivum repetere. Apparet hoc *aut* prorsus necessarium esse; nec minus recte diiunctivae particulae pronomen definitionis index et infinitivum ante significans subicitur, non magis nostro more quam Latino,

etiamsi eam non consequare, aut non dolendi, etiamsi id assequi nequeas, aut eorum, quae secundum naturam sunt, adipiscendi, etiamsi nihil consequare. Ita fit, ut, quanta diffe-

1. *si* (pro *etiamsi*) E *aut si* (pro *etiamsi*) E *si* P *id* om. C 2. *sunt* om. LPR 3. *etiamsi nihil consequare* om. LPR *etiamsi non adipiscare* COr. Post *consequare* add. *aut nihil dolendi* E

ut apparet ex III, 29: *id esse beate vivere*, *honeste vivere*, et IV, 41: *id est convenienter naturae vivere*, *a natura discedere*, et V, 30 [et I de Divin. 104 et III ad Famm. 10, 9; cfr. de Graecis Matthiaei Gr. Gr. § 472, 2 b, Synt. nostra Gr. § 157]. Sic vitii manifestum fit *aut* ante *voluptatis* in media prima parte diiunctionis, cuius addendi quae fuerit causa, apparet; volebat enim interpolator, veram formam non animadvertens, hoc *aut voluptatis causa* simillimum esse illorum: *aut non dolendi* — *aut eorum*. De figura ea orationis, quae est in *eorum* — *adipiscendi*, dixi ad I, 60. *Sunt* post *naturam* excidit in deterioribus codd. et plerisque edd. (Vict., Grut., Dav., Oxx.); e prima editione tenuerant Crat., Man., Lamb., revocavit Gzius ex Erl. et Spir. [B].

etiamsi nihil consequare) Haec prorsus necessario adduntur, non solum, quod in duobus reliquis generibus eodem modo excluditur necessitas assequendi, quod petatur, sed quod hac adiectione tota huius definitionis summi boni proprietas continetur, eaque una hic finis (Stoicus) in primo divisionis ordine locum tenet et a Carneadio discernitur, qui positus erat in ipsa adeptione primorum naturae quique in secundo ordine tertius huic respondet. Itaque hoc non addito, quod additur etiam paulo post in eadem horum trium finium enumeratione (§ 20: *etiamsi ea non assequamur*), duo hi sententiarum ordines confunduntur. Sumpsi autem haec verba ex praeclaro codice Erl., non dubitans, quin, ut de hoc Gzius tacuit, sic de ceteris bonis iniuria taceatur. [Cum Erl. omnino conspirat B.] In codice archetypo cum librarius haec scripsisset: *etiamsi nihil consequare*, aberrante oculo, non ad ea, quae hic sequebantur, progressus est, sed ea, quae post superius *consequare* duobus versibus ante legebantur (*aut non dolendi*), iterum scribere coepit; deinde, animadverso errore, ea tamen, quae iam scripserat, non delevit. (Simillimus error est in Erl. § 24.) Atque id mendum, quo veritas perspicue confirmatur, meliores codices retinuerunt; is, cui deteriores debentur, ut solebat correctorem agere, una cum tribus iis verbis, quae tolli debebant, tria, quae non debebant, delevit. Huic editores fere omnes inde a Crat. paruerunt, non animadverso sententiae vitio; is tamen, qui ed. Colon. praefuit, quid requireretur, sensit; scripsit enim: *adi-*

rentia est in principiis naturalibus, tanta sit in finibus bonorum malorumque dissimilitudo. Alii rursum iisdem a principiis omne officium referent aut ad voluptatem aut ad non dolendum aut ad prima illa secundum naturam obtinenda. 20. Expositis iam igitur sex de summo bono sententiis, trium proximarum

2. *rursus* LPCROr. 3. *referunt* ROr. *non dolendi* (pro *ad non dolendum*) E 5. *igitur iam* ER [*proximare* Eh]

piscendi, etiamsi non adipiscare, cuius coniecturae in editt. ex C propagatis (etiam a. 1480) servatae praestantiam Orellius intellexit et secutus est; nec tamen recte eam a codice C. Stephani confirmari putavit. Beierus quoque (ad Off. III, 119 p. 415), quid desideraretur, viderat.

Alii rursum iisdem a principiis) [*Rursum* etiam B; edd. *rursus.*] Alter hic est ordo trium finium, qui ex illis tribus generibus primorum invitamentorum oriuntur, cum non adhibetur illa honesti fallacia, sed bonum in ipsa adeptione et possessione eius, quod primum appetatur, ponitur, non in actione eius causa etiam frustra suscepta. Sed neglegenter et perverse Cicero ex superiore ordine hic admiscuit officii mentionem (*omne officium referent*), ut, nisi diligenter attendas, facile aberrare possis, ut aberravit Morelius. Nam officium ad has res consequendas et tenendas etiam superiores referebant, qui omnia earum causa facienda putabant; sed in illis sententiis, si modo ullae esse possent, sufficere iudicabatur ad summum bonum officii illius perfunctio. Notabilis est brevitas orationis, qua Cicero haec *ab iisdem principiis*, omisso participio *profecti*, cum ipso verbo *referent* coniunxit vel potius absolute posuit, quomodo Legg. III, 14, quem locum Wesenbergius demonstrat, dixit: *Post a Theophrasto Demetrius — doctrinam ex umbraculis eruditorum — in discrimen aciemque produxit.* [Sed ibi videtur audiri e superioribus *doctus.*] *Referent* praeter meos codd. etiam Spir. [B], Gud. 1, Bas., Gud. autem 2 et Ox. E *referrent*, ut mirer de ceteris Oxx. taceri; *referunt* omnes, credo, edd. inde ab Ascensio 1511. Recte futurum ponitur, cum demonstretur, quae sententiae esse possint, quasi nondum sint; cfr. supra *existet*; v. ad III, 28 (*dicetur*). *Obtinenda* Cicero rettulit ad eorum, quae quis iam consecutus esset, possessionem et usum, ne pro *consequendi* verbo positum putemus (cfr. ad II, 71). [*Aut non dolendi* etiam B.]

20. *Expositis iam igitur*) Sic [B,] ex edit. prima Manutius et deinceps ceteri. Alii (ut Mars., Crat.) cum ed. R. *igitur iam*, quod Gzius in quattuor suis esse ait; Ox. U omittebat *igitur*. Carneadis finem attigit Cicero II, 35 et 42 et nos supra ad IV, 15.

hi principes: voluptatis Aristippus, non dolendi Hieronymus, fruendi rebus iis, quas primas secundum naturam esse diximus, Carneades non ille quidem auctor, sed defensor disserendi causa fuit. Superiores tres erant, quae esse possent; quarum est una sola defensa eaque vehementer. Nam voluptatis causa facere omnia, cum, etiamsi nihil consequamur, tamen ipsum illud consilium ita faciendi per se expetendum et honestum et solum bonum sit, nemo dixit. Ne vitationem quidem doloris ipsam per se quisquam in rebus expetendis putavit, nisi etiam evitare posset. At vero fa-

6. *tum* (pro *cum*) L *consequantur* L 7. *tum ipsum* LR 8. *et* ante *solum* om. E *dicit* LPCROr. 10 *putant* E *ne si* (pro *nisi*) omnes, Or. cum nota mendi *possit* L

Nam voluptatis causa facere omnia cet.) Sic orationem ab infinitivo orsus est, quasi subiecturus esset: *nemo expetendum putat*, *nemo summum bonum dicit* aut simile quid; deinde, quod interposuerat illa: *cum — solum bonum sit*, oblitus initii posuit *dixit*. Itaque Lambinus scripsit *facienda esse*. [Lenius erat: *se facere omnia*, et fortasse sic Cicero scripsit.] In particula *cum*, in qua Th. Bentleius et Dav. haeserunt, Gzius erravit, ita significatur causa omnia propter voluptatem faciendi, ut simul in hanc secundariam sententiam includatur id, quod proprie cum infinitivo coniungi debebat: *etiamsi nihil consequamur*. [Quod est in Erl. et B, *dixit* coniectura praeceperat Lambinus, et praecedit *est defensa*, sequitur *putavit*. Repugnant illa: *cum — consequamur — sit*; sed hanc temporum inconstantiam facile ferimus; cfr. ad I, 63; itaque post Baiterum recepi.]

nisi etiam evitare posset) In altera sententia summum bonum ponebatur *facere omnia non dolendi causa, etiamsi id assequi nequeas*, hoc est, ut aliis verbis idem dicatur, *dolorem vitare, etiamsi evitare non possis*. (Nam *evitare*, ut *effugere*, significationem habet effectus, *vitare* conatus; Seneca Ep. 93, 12: *Quid autem ad rem pertinet, quam diu vites, quod evitare non possis?*) Itaque qui hanc sententiam non probat et plus requirit, is negat, vitationem doloris bonum esse, nisi quis eum etiam evitet, hoc est, nisi vacuitatem doloris consequatur. Copia quaedam naturalis orationis in eo est, quod addita illa *ipsam per se* iam significationem habent eius, quod praeterea requiratur, quae expletur hac sententia: *nisi etiam* cet. In codice archetypo pro *nisi* scriptum erat *ne si* (ut contra § 55 *nisi iucundissimis quidem* pro *ne si iuc. qu.*). Id mendum Ursinus correxit (codicis, ut solebat, specie utens), nec tamen, quia interpretationem non

cere omnia, ut adipiscamur, quae secundum naturam sunt. etiamsi ea non assequamur, id esse et honestum et solum per se expetendum et solum bonum Stoici dicunt.

VIII. 21. Sex igitur hae sunt simplices de summa bonorum malorumque sententiae, duae sine patrono, quattuor

1. *sint* LPCR 2. *etsi* LPCR 3. Post *expetendum* add *et assequendum* L 4. [*hee* Eh] *simplices* om L *summo* PC

addiderat, quisquam praeter Bremium sententiam eius intellexit. (Davisius, qui solus mentione dignatus est, ascribit: *Absurde.*) Plerique enim, quid inter vitationem et evitationem interesset, non tenuerunt. Itaque partim codicum scripturam miris modis explicare conantur, *ne* pro *ne — quidem* accipientes (de quo dixi ad I, 39), ut Gernhardus in Addendis edit. Cat. Mai. p. 320, quem Otto sequitur: *Ne tum quidem quisquam, si etiam evitare dolorem posset, hanc doloris evitationem* (sentin' pro *vitationem* eam subici?) *per se in rebus expetendis putavit.* At, o bone, paucis versibus ante Cicero narravit, hanc *evitationem doloris*, id est, vacuitatem Hieronymum summum bonum putasse. Alii autem scripturam mutant, ut Davisius ex El. (priore scilicet) dedit: *nisi etiam evenire posset.* Id quidem omnibus paene evenit, ut dolorem vitent; ut evitent, non contingit. Orellius altiorem latere putat corruptelam et hanc sententiam requiri: „etiamsi evitari non posset dolor". Id rectum esset, si affirmatio huiusmodi praecederet: *Fuit, qui vitationem doloris ipsam per se in bonis poneret.* Aliorum errores omitto, [etiam Handii in Turs. IV p. 71].

quae secundum naturam sunt) Sic etiam e Spir. [B] Gzius. et ita est § 19. Tum *etsi ea* codices deteriores (sex Davisii, Eξχ, Gzii, exceptis Spir. [B] et Erl.) et multae edd. (Crat., Vict., Dav.). Usum esse hac definitione Antipatrum Tarsensem, vidimus ad III, 22, qui cum Carneade vixit paulo fortasse inferior aetate. Fieri potest, ut iam magister eius Diogenes, qui ipse eadem contra Academicos certamina sustinens novis quibusdam formulis utebatur, in hanc quoque inciderit (cfr. ad IV, 14).

Cap. VIII, 21. *de summa bonorum*) Sic ex R et alii et Crat., restitueruntque Ern. et Gzius e tribus codd. Davisii, Ox. E, Spir. [B], Gud. 2, Bas. (Erl. oblitus est); Acad. II, 129: *ad quos et bonorum et malorum summa referatur.* Contra *de summo bonorum* ex C Man., Vict., ceteri, et sic mg. Crat. Deinde ex Erl. [et B] effici potest: *duae sine patrono, defensae quattuor* (vid. ad I, 57), sed incerta res est. Mox *Calliphonti* Schuetzius primus dedit; vid. ad II, 35.

defensae. Iunctae autem et duplices expositiones summi boni tres omnino fuerunt, nec vero plures, si penitus rerum naturam videas, esse potuerunt. Nam aut voluptas adiungi potest ad honestatem, ut Calliphonti Dinomachoque placuit, aut doloris vacuitas, ut Diodoro, aut prima naturae, ut antiquis, quos eosdem Academicos et Peripateticos nominamus. Sed quoniam non possunt omnia simul dici, haec in praesentia nota esse debebunt, voluptatem semovendam esse, quando ad maiora quaedam, ut iam apparebit, nati sumus. De vacuitate dolòris eadem fere dici solent, quae de voluptate.

1. Post *defensae* add. iterum *quattuor* E 2. [*teres* Eh] 4. *Calliphoni* LPCR *Callipho in* E 6. *nominavimus* E 9. *quoniam* L 10. *solent dici* LC *quae contra voluptatem dicta sunt* C Post haec verba omnes addunt: *Quoniam* (*quando* [Eh]LR) *igitur et* (om. *et* C) *de voluptate cum Torquato* (om. *cum Torq*. P) *et* (*etiam* C) *de honestate, in qua una omne bonum poneretur, cum Catone est disputatum, primum, quae contra voluptatem dicta sunt, eadem fere cadunt contra vacuitatem doloris* Or. uncis inclusit.

quando ad maiora) Etiam E§ *quoniam*. Suspicati sunt homines docti (Wunderus in praefat. cod. Erf. p. LXXVI, Orellius ad Brut. 201 ed. min., ad Tuscul. IV, 34), fortasse illis locis, ubi apud Ciceronem legatur *quando* in causa significanda, hanc vocem (*qn̄*) e compendio vocis *quoniam* (*quō*) ortam esse, quod aliquot locis factum esse constat. Parum enim probabile iudicatur, Ciceronem paucis quibusdam locis pro ea particula, qua fere uti soleat, alteram nullo omnino discrimine substituisse. Nondum tamen satis ubique antiquorum codicum notae et compendia considerata sunt; et praeter poëtarum auctoritatem et Sallustii atque Livii codd. (vid. Kritz. ad Sall. Iug. 102, 9, Drakenb. ad Liv. XXXIII, 2, 9, XL, 9, 1) obstat, quod non ita raro apud ipsum Ciceronem legitur *quando quidem*, tum quod, Augusti saltem aetate etiam in prosa oratione sic dici potuisse, fidem facit lapis alter cenotaphiorum Pisanorum (Orell. Inscriptt. Lat. I p. 163). Itaque codicibus nullius auctoritatis obsecutus non sum; cfr. 67. Si umquam ita *quando* Cicero posuit, hic eius ponendi causa erat post *quoniam* in initio periodi. [De pluralis numeri significatione in illis: *haec — nota esse debebunt* vid. exc. I, VII.]

quae de voluptate) Post haec verba vetus additamentum sustulimus, notatum post Nissenii dubitationem a Gzio et ceteris. Perverse Pisonem induci commemorantem eas disputationes, quae multo post habitae a Cicerone fingerentur, quam haec a Pisone dicta essent, animadvertit iam Muretus (Varr. Lectt.

22. Nec vero alia sunt quaerenda contra Carneadiam illam sententiam; quocumque enim modo summum bonum sic exponitur, ut id vacet honestate, nec officia nec virtutes in ea ratione nec amicitiae constare possunt. Coniunctio autem cum honestate vel voluptatis vel non dolendi id ipsum ho-

1. *Carneadeam* PCR 4. *amicitia* C 5. *vel non dolendi vel voluptatis* L

XIV, 20), sed Ciceronem oblitum putabat, Pisonem, non se loqui. Verum hoc ideo prorsus credi non potest, quod ipsa Torquati et Catonis commemoratio ostenderet, Ciceronem formae a se institutae memoriam tenuisse. Sed ut credi posset, restarent alia vitia: primum inanissima et manifestissima tautologia (*de vacuitate doloris eadem* cet. et: *quae contra voluptatem dicta sunt, eadem* cet.), deinde Stoicorum mentio ab hoc loco prorsus aliena, quoniam hic semoventur sententiae honestatis expertes, Epicuri, Hieronymi, Carneadis, deinde eae, quae honestatem cum humili accessione habebant, Calliphontis et Diodori; tum demum recte ad Stoicos pervenitur. Et quid illa cum Catone disputatio pertinet ad id, quod hic agitur, quae contra Epicurum dicantur, etiam contra Hieronymum et Carneadem sufficere? Itaque vox *primum* prorsus explicari nequit. Nam ea sic ponitur, ut, cum et secundi et quarti libri disputatio significata sit (*quoniam et* cet.), dici debeat, primum, quae cum Torquato disputata sint, contra Hieronymum et Carneadem converti posse, deinde, quae cum Catone, contra alios aliquos. Verum hi nec sunt ulli nec significantur; nec quidquam est, quod illi *primum* respondeat. Postremo Latine dicitur *in aliquam rem cadere* id, quod in ea quasi in fundo residat et locum habeat, *contra aliquid cadere* neque usitatum neque rectum est. Omnium autem maxime, haec a Cicerone scripta non esse, ostendit orationis in iis sententiis, quae honestatem non continent, semovendis sic apta et aequalis progressio, nihil ut addi possit aut includi. Apparet igitur, in veteris codicis margine aliquem annotare voluisse, ea, quae hic Cicero Pisonem omittentem inducit, ab ipso Cicerone alibi exposita esse, sed inscite Catonis etiam mentionem intulisse. Ea annotatio in Ciceronianae orationis ordinem recepta est eodem modo, quo illa in libro II, 108 [et III N. D. 77]. Similia additamenta in orationum Ciceronianarum codicibus notavi Opusc. Acad. I p. 148. Quod Gzius suspicatus est, ex priore editione libri quinti haec in secundam, quam nos habeamus, venisse, ne alia commemorem, pauca illa, quae Cicero in hoc libro, posteaquam describi coeptus est, mutavit (ad Att. XIII, 21, 4), non eiusmodi fue-

nestum, quod amplecti vult, id efficit turpe. Ad eas enim res referre, quae agas, quarum una, si quis malo careat, in summo eum bono dicat esse, altera versetur in levissima parte naturae, obscurantis est omnem splendorem honestatis, ne dicam inquinantis. Restant Stoici, qui, cum a Peripateticis et Academicis omnia transtulissent, nominibus aliis easdem res secuti sunt. Hos contra singulos dici est melius; sed nunc, quod agimus; de illis, cum volemus. 23. Demo-

1. *id* om. LPCROr. 3. *dicas* Or. 4. *obscuritatis omnem* (om. *est*) L 8. [*quid* Eb]

runt, ut in priore exemplo haec, quae toti formae libri repugnant. locum habere potuerint. Mox *Carneadiam* etiam Spir. [B].

22. *id efficit turpe*) Post sententiam relativam ex abundanti demonstrativum Cicero addidit, ut in eo magis notaretur propositi et effectus discrepantia, quod cum post substantiva saepissime fieri multi docuerint, velut enarratores Liviani ad XXV, 27, 1. Ciceroniani ad Off. I, 126, tum ipso quoque pronomine praecedente fieri, apparet ex Off. III, 13 (*illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur*, *id* cet.), Tusc. III, 71, Philipp. III, 7, Liv. XXXVIII. 51, 3; [cfr. Beierus ad Off. I. 137 p. 277]. Durius videri potest, post *id ipsum* superaddi *id*, sed priora pronomina extollunt vocem *honestum*, posterius sententias contrarias insignit. Itaque *id*, quod etiam Spir. [B] praebet, ascivi; nam editiones omittebant.

quarum — una dicat) Sententia eadem exposita est II, 41; sed haeremus merito in duritia et pravitate huius orationis: *una res* (vacuitas doloris) *dicit*, *si quis malo careat* (id est, habeat vacuitatem doloris), *in summo eum bono esse*. Cicero enim, instituta hac partitione (*quarum una* —, *altera* cet.), cum non succurreret verbum priori parti aptum nec in illa scribendi festinatione mutare, quae scripserat, et ab alia forma ordiri commodum esset, a rei notione transiluit ad sententiae, qua ea res probaretur, notionem (cfr. II, 35) et auctoris, eique accommodavit *dicat*. Atque is transitus iam apparet in illa condicione: *si quis* cet., quae cum ipsius illius rei significationem habeat, tum demum addi potest, si non de re ipsa, sed de sententia dicitur. Nam quod Gzius et recentiores e Gud. 2 (cuius codicis ab utraque familia desciscentis nulla minima auctoritas est) *dicas* scribunt, incidunt in formam orationis inexplicabilem; nam neque *una re* (in hac coniunctione: *una re dicere*) potest esse: *propter unam rem*, neque propter vacuitatem doloris illud dicitur.

criti autem securitas, quae est animi [tamquam] tranquillitas, quam appellant εὐθυμίαν, eo separanda fuit ab hac disputatione, quia ista animi tranquillitas ea est ipsa beata vita; quaerimus autem, non quae sit, sed unde sit. Iam

1. *severitas* C *animi tranquillitas tamquam quam* E; sine uncis Or. 2. *appellavit* ROr. [*enthuman eo* Eh] 3. *ea ipsa est* (P) *est ipsa* (om. *ea*) R *ipsa est* (om. *ea*) Or. 4. *sint* (utro loco?) E

23. *quam appellant* εὐθυμίαν) Cfr. § 87. Diogenes Laërt. IX, 45: *Τέλος δὲ εἶναι λέγει (Δημόκριτος) τὴν εὐθυμίαν, οὐ τὴν αὐτὴν οὖσαν τῇ ἡδονῇ, ὡς ἔνιοι παρακούσαντες ἐξεδέξαντο. ἀλλὰ καθ᾽ ἣν γαληνῶς καὶ εὐσταθῶς ἡ ψυχὴ διάγει, ὑπὸ μηδενὸς ταραττομένη φόβου ἢ δεισιδαιμονίας ἢ ἄλλου τινὸς πάθους· καλεῖ δ᾽ αὐτὴν καὶ εὐεστὼ καὶ πολλοῖς ἄλλοις ὀνόμασι.* Stob. Ecl. Eth. p. 76: *Τὴν εὐδαιμονίαν καὶ εὐθυμίαν καὶ εὐεστὼ καὶ ἁρμονίαν συμμετρίαν τε καὶ ἀταραξίαν καλεῖ.* Seneca de Tranquill. Animi 2, 3: *Hanc stabilem animi sedem Graeci* εὐθυμίαν *vocant, de qua Democriti volumen egregium est.* [Pro *appellant* Gzius e Spir. et Gud. 2 *appellavit* scripsit; Davisius *appellat* scribendum putarat; neque enim, quemadmodum omnes Graeci tranquillitatem animi appellavissent, sed quo nomine ipse Democritus usus esset, a Cicerone significari. De cod. Spir. admodum dubito, quoniam et Erl. et B dissentiunt; certe illius ab his discedentis exigua est auctoritas; et quamquam facile ex *appellavit* fieri *appellant* potuit, ut § 20 *putant* ex *putavit* in Erl. et B, revocat tamen a corrigendo Seneca et quodam modo ipse Cicero, qui sic *Democriti securitatem* dicit, ut primum propriam eius vocem significare videatur (sive ἀθαμβίαν sive ἀταραξίαν), deinde communem. Sed quod editum est adhuc sine suspicione, *tamquam tranquillitas* verum esse non potest. Quae enim aut vocis aut imaginis insolentia mollitur addito *tamquam*? Accedit, quod in Erl. et B (de ceteris melioribus tacetur) est *animi tranquillitas tamquam quam.* Aut, quod verius credo, *tamquam* ortum est geminatis et male coniunctis syllabis *tasquam*, aut latet substantivum, ut haec fuerit orationis forma: *animi tranquilli constantia, quam.*] .

ea est ipsa beata vita) Secutus sum, quod in Erl., [B,] Leid., ed. prima erat, nec dubito, quin in ceteris fere codicibus idem fuerit, etsi editum est inde a Victorio: *ea ipsa est* nec alter ordo e codicibus annotatus. Ut R, sic ed. a. 1480, Crat.; Gzius e Bas. *ipsa est*, omisso *ea*; Davisius malebat *re ipsa est.* Hos omnes offendit abundantia pronominis non vitiosa (modo *ipsa*, ut res postulat, cum *beata vita* coniungatur), qua cotidiani sermonis more gravius insignitur ea notio, quae in substantivo

explosae eiectaeque sententiae Pyrrhonis, Aristonis, Erilli, quod in hunc orbem, quem circumscripsimus, incidere non possunt, adhibendae omnino non fuerunt. Nam cum omnis haec quaestio de finibus et quasi de extremis bonorum et malorum ab eo proficiscatur, quod diximus naturae esse aptum et accommodatum, quodque ipsum per se primum appetatur, hoc totum et ii tollunt, qui in rebus iis, in quibus nihil aut honestum aut turpe sit, negant esse ullam

1. *Herilli* (LP)CROr. 5. [*quid* Eh] *dicimus* (P)ROr. *naturae etiam esse* C 6 *ipsum per se ipsum appetatur* C 7. *hi* LC *his* LC 8. Post *nihil* add. *quod non* omnes *nihil*, [*quod*] *aut* Or. *esse* om. L *etiam* (pro *esse*) C

inest, et ab aliis separatur (cfr. ad § 22). Nam etsi id tum fieri solet, cum aliquid post substantivum interpositum est, tamen II N. D. 27 dicitur: *Iam vero reliqua quarta pars mundi ea et ipsa tota natura fervida est* cet. et in Somnio Scipionis c. 8 (§ 26): *mens cuiusque is est quisque*, similiterque locutus est Plautus Poenul. V, 2, 109: *Pater tuus is erat frater patruelis meus*, et, addito *vero*, Sallustius noto loco, Catil. 37. Quod Cicero se, quae sit beata vita, negat quaerere, sed unde sit, id vero in omni veterum ethica disciplina requirimus, quod priorem illam quaestionem, qua illa quoque continebatur, possetne vita perfecte beata in singulis hominibus effici, nimis neglexerunt.

quod diximus naturae esse aptum) Dixit supra § 17 (*constitit autem*) et eius definitionis nunc nos admonet; aliter scriptum esset: *quod naturae sit aptum.* Itaque perfectum tempus, quod Manutius et Lambinus ex edit. prima tenuerant, revocavi e codicibus, etiam [B,] E$\chi\psi$. Ceteri fere *dicimus* tacite.

hoc totum et ii tollunt — et Erillus) Sic a communi initio horum reprehensionem Piso orditur et sic post voces *hoc totum* partitionem instituit, ut et sententia et oratio hunc exitum postulare videatur: *et Erillus* (hoc totum tollit), *qui* cet. Sed nescio quomodo fluctuans reprehensionem in Erillo, inflexa leviter oratione, alio avertit, quod consilii capiendi et officii principium sustulisset. Atqui id eodem iure in Aristonem et Pyrrhonem dici poterat nec ad hunc locum pertinebat.

in quibus nihil aut honestum) Antiquiores fere ediderant, ut est in codd. (Pall., Davisii, $\xi\chi\psi$, Gzii): *in quibus nihil quod non aut* cet., nulla prorsus sententia. Itaque Dav. e Par. 2 edidit: *in quibus nihil, quod aut honestum*, idque recentiores tenuerunt. Gzius ab Erl. et Spir. confirmari tradit, meo etiam collatore silente; [sed Baiterus et Erl. et B ut ceteros *quod non* habere scribit]. Pravissime hoc: *in quibus nihil*, *quod* accipitur pro eo,

causam, cur aliud alii anteponatur, nec inter eas res quidquam omnino putant interesse, et Erillus, si ita sensit, nihil esse bonum praeter scientiam, omnem consilii capiendi causam inventionemque officii sustulit. Sic exclusis sententiis reliquorum, cum praeterea nulla esse possit, haec antiquorum valeat necesse est. Igitur instituto veterum, quo etiam Stoici utuntur, hinc capiamus exordium.

IX. 24. Omne animal se ipsum diligit ac, simul [et] ortum est, id agit, ut se conservet, quod hic ei primus ad

1. *quicquid* E 2. *Herillus* (LP)CROr *in his* (pro *nihil*) C 6. *Ergo* LPCROr. 8. *simul ut* (P)Or. *simul ac* C 9. *se ut* LPR *quod hic — conservet* om R

quod necessario scribendum erat: *in quibus nihil sit*, *quod*. Verum ipsa haec verborum inanis copia (*nihil est*, *quod sit*) ineptissima est. Recte igitur Lambinus sic, ut ego, edidit probavitque Orellius. Quod Lambinus duos codices hanc scripturam „adiuvare atque adeo prae se ferre" narrat, Lallemandus autem, in codice regio voces *quod non* punctis notatas esse, penes ipsos fides esto.

Sic exclusis sententiis reliquorum) Eas Piso magis, ut paulisper discederent, rogavit quam exclusit. Itaque ab hoc ipso loco eam sententiam a naturae initiis repetere et confirmare aggreditur, quam divisione illa et ceterarum remotione stabilitam dicit.

quo etiam Stoici utuntur) de prima constitutione animalis et commendatione naturae disputantes, ut III, 16 vidimus. [*Igitur* pro *ergo* etiam B et mg. Crat., quod restitui.]

Cap. IX, 24. *Omne animal se ipsum diligit*) Stob. Ecl. Eth. p. 246 de Peripateticis: *Καὶ πρῶτον μὲν ὀρέγεσθαι τοῦ εἶναι (τὸν ἄνθρωπον λέγουσιν)· φύσει γὰρ ᾠκειῶσθαι πρὸς ἑαυτόν, διὸ καὶ προσηκόντως ἀσμενίζειν μὲν ἐν τοῖς κατὰ φύσιν, δυσχεραίνειν δὲ ἐπὶ τοῖς παρὰ φύσιν.* Eadem disputatio exposita est IV, 16 sqq. Mox *simul et* codices (Pall., Davisii, Gzii, [B]). nisi quod e CCC Davisius annotat *simul ac*. Lambinus (et vetus cod. in margine repetitae editionis) atque alii *simul ut*; vid. ad II, 33.

id agit, ut se conservet) Davisius tacite *se ut conservet*, qui ordo e Gud. 1 annotatur. In proximis verbis et redundantia quaedam verborum et repetitio reprehendi potest, et recte Bremius animadvertit, ampliores, quam oportebat, fines primo appetitui dari; nam in prima illa et obscura constitutione conservatio sui continetur; studium optimae affectionis secundum naturam post oritur, cum iam naturae voluntas enucleari et

omnem vitam tuendam appetitus a natura datur, se ut conservet atque ita sit affectum, ut optime secundum naturam affectum esse possit. Hanc initio institutionem confusam habet et incertam, ut tantummodo se tueatur, qualecumque sit; sed nec quid sit, nec quid possit, nec quid ipsius natura sit, intellegit. Cum autem processit paulum et, quatenus quidquid se attingat ad seque pertineat, perspicere coepit,

3. *constitutionem* LPCROr. 4. *ut tamen modo* L 6. Post *intellegit* add. *quam ad causam habet eum quem diximus* E 7. *se* (om. *que*) E *seseque* C

perspici coepta est, ut et mox significatur et § 42 sqq. Sed tamen nihil est, quod ita discrepet, ut interpolationis indicium habeat, ac ne excogitari quidem potest, cur quis aut unde extrema illa de optima affectione addere voluerit. Ea autem Cicero ut adiungeret, priora (*se ut conservet*) repetiit. (Itaque qui haec parenthesis notis defendere conati sunt, deteriorem causam fecerunt.)

institutionem) Sic etiam Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor., ut IV, 32 et 41 locutus est; editiones *constitutionem*.

et quatenus quidquid se attingat) Est hic locus ex iis, in quibus *quisquis* pronomen neutro genere etiam apud Ciceronem, deposita relativi natura, eam singularum rerum significationem accipit, quae est in *quisque*; nam quod Frotscherus ad Quintil. X, 5, 23 cavere tamen nos iubet, ne pro *quisque* positum putemus, non est ausus libere confiteri, in vetere quoque sermone interdum vocum terminos aliqua ex parte perturbari. Nec meliore artificio usus est Stuerenburgius ad orat. pro Arch. p. 102 (ed. 1), qui vellem conatus esset id ad Lucretianum illud *primum quidquid* pro *primum quidque* accommodare, de quo ad II, 105 dixi. Et in vita cotidiana interdum *quidquid* ita dictum esse et scriptores eo usos esse, certissimum est et ex eo, quod *unumquidquid* pro *unoquoque* apud Plautum et Terentium (Adelph. IV, 2, 51) dicitur, et ex multis Lucretii locis, apud quem ita frequens hic usus est, ut eum eo delectatum esse suspicari possimus; (vid. praeter ea, quae ad II, 105 ascripsi, II, 957: *in suos quidquid meatus*, IV, 145: *summum quidquid*, V, 131: *certum ac dispositum est*, *ubi quidquid crescat*, 773: *qua fieri quidquid posset ratione*, 1454: *unumquidquid*). Itaque permirum est, nuper R. Klotzium, cum ad Tusc. IV, 44 non de Cicerone, sed de omni hoc usu, adhibito uno Plauti loco et uno Catulli, ita disputaret, ut, haberetne is certam auctoritatem, ambigeret, Lucretii, quem et Manutius et Fabricius et Davisius ad Tusc. V, 98 commemorassent, prorsus esse oblitum. Catonem (de R. R.

tum sensim incipit progredi seseque agnoscere et intellegere,

1. *tum* om. C *sensu* E

57: *uti quidquid operis facient*) ne ceteri quidem adhibuerunt. neque certissimum testimonium legis agrariae in aere conservatum (Mommsen. C. I. L. I n. 200 v. 27): *utei quicquid quoieique ante h. l. r. licuit*, *ita* cet. Apparet, facile credi posse, quod et antiquiores et Ciceronis aequales interdum fecerint, ut *quidquid* non recte pro *quidque* ponerent, id etiam Ciceroni aliquando accidisse; eritque hoc ex iis reliquiis vetusti sermonis, quae post Ciceronem non reperiuntur, quale erat illud, de quo ad I, 60 dixi, nec pauca alia. Sed tamen, num reapse acciderit et quibus locis, difficile est iudicatu, quod et librarii pro *quidquid* id, quod postea unum in usu erat, substituere potuerunt, et rursus facili errore *quidquid* scribi pro *quidque* (cfr. ad IV, 13): et sane in hoc ipso libro 89 et in Verr. IV, 31 et 132 meliores codices habent *ubi quidque* et *unumquidque*, deteriores alterum. Sed ut meliores ibi praelatos esse prorsus probo, ita et in Tusc. V, 98 *ut quidquid* retineo et ibd. IV, 44 e codicibus omnibus fide dignis (de Paris. testes mihi sunt Gudius et Krarupius) restituendum censeo: *ubi enim quidquid* cet. Ceteros locos Frotscherus et interpretes ad Tusc. V, 98 indicant. [Add. ad Herenn. II, 47 *ut quidquid*.] Sed quod de N. D. II, 58 contra Heindorfium defensum est, etiam a Stuerenburgio: *ceterae naturae suis seminibus quaequae gignuntur*, id non ideo tantum eiciendum est, quod Cicero [nam de VI ad Fam. 1, 1 Mediceo non credo] et alii solo neutro genere sic utuntur nec Cicero in aperta distributione post *unus*, *suus* aut post superlativum, sed quod femininam hanc formam *quaequae* inauditam esse ostendi ad III, 45. [Apud Livium VIII, 38, 11 librarii *quisquis* pro *quisque* scripserunt nec, opinor, minus XXXVIII, 17, 13 *quidquid*. Quod Lachmannus ad Lucretium V, 264 a *quidquid*, quod relationem notet, separat *quicquid*, quod pro *quicque* dicatur, id vero totum leviter confictum est; unum est enim pronomen geminando natum *quisquis*, *quidquid*, pronuntiando factum *quicquid*; inter hoc et *quisque*, *quidque*, *quicque* tertium interponi nihil potest, quod oriendi nec causam nec rationem habet nec significationi locum. Itaque totum eo redit, utrum rectius ad originationem *quidquid* an ad pronuntiationem *quicquid* scribatur; codices quidem hoc habent non minus in relativa significatione, et vellem ab initio sic scripsissem. Nec quidquam proficitur, quod in lege Iulia municipali lapicida semel eadem pronominum confusione *quemquem* pro *quemque* incidit.] Paulo post *habet* codd. etiam aliorum [B]. Correxit Lamb.; vid. ad IV, 67.

quam ob causam habeat eum, quem diximus, animi appetitum, coeptatque et ea, quae naturae sentit apta, appetere et propulsare contraria. Ergo omni animali illud, quod appetit, positum est in eo, quod naturae est accommodatum. Ita finis bonorum existit, secundum naturam vivere sic affectum, ut optime affici possit ad naturamque accommodatissime. 25. Quoniam autem sua cuiusque animantis natura est, necesse est, finem quoque omnium hunc esse, ut natura

1. *quam ad* E *habet* omnes 2 [*coeptetque* Eh] *temptatque* C *vere* (pro *naturae*) C *apta sentit* (P) *apta* om. C 5. *consistit* C 6. *quod* (pro *ut*) R 8. *quoque finem omnium* LP *quoque omnium finem* R *omnium finem*, om. *quoque*, C

ut optime affici possit) *Possit* eo modo poni in sententia generali, quem breviter commemoravi ad I, 67, dico propter Ernestium, qui *possis* requirebat, et Gzium.

25. *finem quoque omnium hunc esse* cet.) Sic post Reizium Gzius etiam e Spir. [B]; transpositum enim erat *quoque*, ut saepe alibi (vid. ad II, 108); Bas. et ed. Crat. *quoque omnium finem.* Totius huius periodi initium (*quoniam sua cuiusque* cet.) satis aperte spectat ad differentiam finium, quae ex singularum animantium natura oriatur, significandam; sed Cicero primum id ponit, quod commune est, idque confirmat (*nihil enim prohibet* cet.); id, quod initio instituerat dicere, absolvitur in illis: *sed extrema illa* cet. Itaque haec non per se posuit, sed ex superioribus apta: *dispertita sint — desideret.* Ac proprie quidem haec non ad *ut* referri debebant (neque enim *hic est omnium finis, ut — extrema dispertita sint* cet.), sed ad *necesse est*, hac forma: *necesse est, finem* (quidem) *omnium hunc esse, ut natura expleatur, sed extrema illa — distincta et dispertita esse* cet. Verum interposita parenthesi minus diligenter superioris orationis seriem persecutus est, cum praesertim post *necesse est* interdum, etiam ubi nihil aliud perturbetur, ab infinita oratione ad coniunctivum transeatur aut contra, ut haec continuari possint: *necesse est, finem — hunc esse —, sed extrema — distincta sint.* Sic enim Acad. II, 39 dixit: *Ante videri aliquid, quam agamus, necesse est, eique, quod visum sit, assentiatur*; de N. D. III, 36: *Quidquid est, quod sensum habeat, id necesse est sentiat et voluptatem et dolorem, ad quem autem dolor veniat, ad eundem etiam interitum venire.* In editionibus haec sic distingvebantur: *ut natura expleatur.* (Bremius requirebat: *ut natura sua expl.*, quia hic finiri periodum putabat.) *Nihil enim prohibet — communis. Sed extrema — dispertita sunt — desiderat.* Sed *sint* et *desi-*

expleatur (nihil enim prohibet, quaedam esse et inter se animalibus reliquis et cum bestiis homini communia, quoniam omnium est natura communis), sed extrema illa et summa, quae quaerimus, inter animalium genera distincta et dispertita sint et sua cuique propria et ad id apta, quod cuiusque natura desideret. 26. Quare, cum dicimus, omnibus animalibus extremum esse secundum naturam vivere, non ita accipiendum est, quasi dicamus unum esse omnium extremum; sed ut omnium artium recte dici potest commune esse, ut in aliqua scientia versentur, scientiam autem suam

2. *et* ante *cum* om. C 3. *illa* om. C 5. [*dispartita* Eh] *sunt* LPCROr. 6. *desiderat* LPCROr. 7. *esse* om. E 10. *versetur* LPCROr.

deret etiam Spir. [B]; *desideret* etiam Gud. 1, Bas. Probarat Gzius, sed prava ratione. Totam autem hanc disputationem de simili omnium animantium summo bono, non eodem, declaravi ad IV, 32. [Schoemannus Opp. Acad. III p. 399 prorsus aberravit, qui inter haec: *ut natura expleatur* —, *sed extrema* — *dispertita sint* copulative interici voluerit: *nihil etiam prohibet*. Baiterus in ed. min., quocum consentit Heinius Ann. Philol. XCIII p. 251, scripsit *ut sua cuiusque natura expleatur; nihil enim prohibet* — *communis*, *sed extrema illa* — *dispertita sunt* — *desiderat*. Non probo; nam neque facile illa, quae adduntur, excidere potuerunt, et ne aptum quidem videtur ad finem *omnium* illud *sua cuiusque*. Cicero cum non recta ad id, quod propositum erat, pergeret, sed similiter atque in iis, quae ad I, 15 et ad I, 18 annotavimus, aliquid interponeret (in quo ad nostrum sensum addi *quidem* poterat), in oratione continuanda verba accommodavit nonnihil ad interiectam parenthesin.]

omnium est natura communis) At nuper dixerat, *suam cuiusque esse*. Scilicet minus diligenter naturam, quo vocabulo supra et mox singularum animantium proprietatem significat, hic appellat commune id omnis vitae principium, quo omne animal ad suam proprietatem (naturam) tenendam impellitur. Parum subtiliter haec dici, Bremius viderat, qui attendere solebat.

26. *ut in aliqua scientia versentur*) Potestne quidquam apertius dici quam hoc? Omnes artes recte dici possunt in aliqua scientia versari; hoc earum commune est. Itaque cum in deteriorum codicum principe scriptum esset *versetur*, idque in editionibus retentum, Man., Lamb., Dav. (illi tacite in re eiusmodi) scripserant *versentur*. Gzius contra, cum hoc ex Erl. [B]

cuiusque artis esse, sic commune animalium omnium secundum naturam vivere, sed naturas esse diversas, ut aliud equo sit e natura, aliud bovi, aliud homini, et tamen in omnibus summa communis, et quidem non solum in animalibus, sed etiam in rebus omnibus iis, quas natura alit, auget, tuetur; in quibus videmus ea, quae gignuntur e terra, multa quodam modo efficere ipsa sibi per se, quae ad vivendum crescendumque valeant, ut suo genere perveniant

1. *animalium commune* C *omnium* om. LC 2. *omnes* (pro *esse*) C 3. *e* om. LPROr. *e natura* om. C 5. *his* LC *alet* E 6. *et tuetur* LPCR 8. *et suo* omnes, Or.

annotasset (et videtur esse in Eξ; nam e solo χ alterum profertur), alterum tenuit et ita enarravit: „omnium artium dici potest aliquid esse commune, ita ut hoc commune versetur in scientia aliqua.“ Et persvasit recentioribus. Multorum criticorum dici potest commune esse, ut in incredibili inscitia — dicamne *versentur* an *versetur?*

ut aliud equo sit e natura) id est, ad eius naturam aptum et accommodatum sive secundum naturam. Sic dixit § 47: *hic status, qui est maxime e natura*, et III, 33: *status e natura absoluto*, et II, 34 atque IV, 26 *e virtute vivere* (κατ' ἀρετὴν ζῆν Clem. Alex. Strom. II p. 179 Sylb., Diog. Laërt. VII, 87 cet.), *e virtute agere* IV, 35, *e natura vivere* hic paulo post et III, 68; paulo autem insolentius IV, 15: *ea vita, quae ex summo bono degitur*, hoc est, ita ut summum bonum in ea assit. Quod ex Erl. [et B] dedi, a Gzio non annotatum, non dubito, quin in omnibus melioribus codicibus fuerit; sed nemo attendit. Et tamen quam absurdum est et per se et ad Latinas aures: *hoc* (*aliud*) *equo natura est* pro eo, quod dicitur: *haec equi natura.* Sed ex ipsarum naturarum diversitate sequitur, ut diversum sit τὸ κατὰ φύσιν. Paulo post: *alit, auget, tuetur* Gzius etiam e Spir.; ceteri *et tuetur*; [B *alet tuetur*, om. *auget*]. Dixi ad IV, 56. [Vellem in transitu ab infinita oratione ad finitam scriberetur: *summa communis est, et quidem* cet.]

ut suo genere cet.) Codd. et editt. *et suo genere.* Atqui non illa, quae efficiuntur et quae ad vivendum crescendumque valent, ad extremum pervenire debent, sed ideo a stirpibus efficiuntur, ut hae ipsae ad extremum perveniant. Id Bremius sentiens scribi volebat: *et ut suo* cet., probavitque Beierus ad Off. I, 10 p. 24. Sed *et* orationis structuram perturbat. Aliter Dav. tentarat, a sententia tamen aberrans. Una littera cum Th. Bentleio mutanda erat. Klotzius tamen in Quaestt. Tullianis p. 67 sqq., cui Otto

ad extremum; ut iam liceat una comprehensione omnia complecti non dubitantemque dicere, omnem naturam esse servatricem sui idque habere propositum quasi finem et ex-

2. *dubitemque* CR *dubitarem* L *dubitanterque* Or. cum nota mendi *esse* om. P 3. *conservatricem* COr.

assentitur, sic codicum scripturam tuetur, ut ex *quae* in altero membro audiatur *quibus*, hac sententia: *et quibus* cet. Primum in hoc genere structurae minus accuratae (de quo post alios dixi nuper quaedam distinctius Opusc. Ac. II p. 177) e specialioris significationis casu (genetivo, dativo, ablativo) intellegitur casus nominativus aut accusativus [addo dura Livii exempla in genetivo et dativo IX, 1, 9, X, 26, 6], interdum ex accusativo nominativus (hic IV, 33, Terent. Adelph. I, 2, 4. Sall. Iug. 101, 5), ex nominativo ne accusativus quidem, nisi ubi casuum formae non differunt (ut apud Cic. de Orat. II, 43: *quod et a Crasso tactum est et Aristoteles adiunxit*, Orat. 8, apud Varr. R. R. I, 1, 7: *quae non inerunt et quaeres*, et de L. L. IX p. 128 Bip., apud Horatium Sat. II, 6, 72), nedum ceteri illi casus, quorum propria significatio nota carere nullo modo potest. Nam ex nomine aliqua nota insignito nomen sine illa nota erui potest, ex nomine ipso nota propria sumi non potest. [Off. II, 23 ex *quem* audiri *cui* ostendit additum *mortuo*.] Deinde ita auditur alius casus pronominis, si reliqua orationis structura, priorem aperte respuens, mutationis indicium facit; sic autem loqui: *quae valent et veniunt*, ut sit: *quae valent et quibus veniunt*, vetat sermonis natura.

non dubitantemque dicere) hoc est, et sine ulla dubitatione dicere; eodem modo Cicero scripsit de Divin. I, 125: *quin etiam hoc non dubitans dixerim* et ad Fam. V, 16, 4: *hoc tamen non dubitans confirmare possum* et pro Mil. 68: *haud dubitans cessisset patria.* Sic autem edidit Victorius eumque sequens Davisius et confirmant omnes Gzii codices, qui ipse id improbat; [de Erl. et B accedit testimonium Baiteri]. Hinc natum est, omissa una syllaba propter similitudinem et compendium, *non dubitemque*, quod editores ceteri tenuerunt. Inepte in hac expositione veterum sententiarum subito Piso ex sua persona loqueretur. Gzius, soloecum putans *dubitantem* dicendumque fuisse *dubitanti*, substituit *non dubitanterque.* Cum *licet* non ad certam personam referatur, infinitivo ad significandum actionis modum necessario accusativum addendum esse, Klotzius Quaestt. Tull. p. 70 docet, et pueri probabiliter instituti scire debent. Mox *conservatricem* ex ed. prima Man., Lamb., ceteri. Alterum revocarat Dav. e Parr. 1, 2, Mead., El. „aliisque“ (Oxx. [B] et omnino omnibus codicibus).

tremum, se ut custodiat quam in optimo sui generis statu; ut necesse sit, omnium rerum, quae natura vigeant, similem esse finem, non eundem. Ex quo intellegi debet, homini id esse in bonis ultimum, secundum naturam vivere, quod ita interpretemur, vivere ex hominis natura undique perfecta

1 *in quam* Or. 2. *natura al' ingerat vigeant* E 3. *et* (pro *non*) E 5. *interpretamur* C *undique* om. L

quam in optimo) Gzius, nullum, ut ait, sensum in hac scriptura videns, scripsit: *in quam optimo*, ut antea Ascens. et Man. et Lamb. fecerant, non illi de sententia dubitantes, sed an inter *tam* vel *quam* et adiectivum, cui particula adiuncta esset, non recte praepositio [interponeretur. Non dubitarant supra IV, 13: *quam multae quamque de variis rebus*, id est: *quamque variis de rebus*; nec debebant. Nam eodem modo Cicero scripsit Verr. IV, 96: *nequaquam ex tam ampla neque tam ex nobili civitate*, ubi duo codices et Lambinus contra praestantissimos: *ex tam nobili*, et V, 127: *tam in paucis villis*, et ad Attic. III, 10, 2: *tam ex amplo statu*, *tam in bona causa*, ubi veteres editores hunc ordinem non tulerunt; item pro Cael. 12: *tam ex contrariis diversisque — studiis cupiditatibusque conflatum*, Acad. II, 83: *videte*, *quam in parvo lis sit.* Atque etiam in eodem libro § 68, ubi codices habent: *ut tamen in praecipitem locum non debeat se sapiens committere*, scribi debuit: *ut tam in praecipitem*, non: *ut tam praecipitem in locum.* [Philipp. II, 104: *quam ab dispari tenebantur*; Off. II, 67, R. P. I, 26.] Aliter *tam* ab adiectivo separatur Brut. 40: *tam idem ornatus in dicendo* cet. Nec solus Cicero ita loquitur, sed Terentius Adelph. II, 4, 10: *Tam ab parvolam rem paene e patria!* [et Livius VII, 2, 13 et 37, 8, XXIII, 34, 11 quosque praeterea posui locos in Emendd. Liv. p. 411 not., et Curtius IV, 35 (9, 2). Graecos saepe dicere: *ὡς μετὰ πλείστης συγγνώμης*, *ὡς ἐν ἀρίστῳ*, notum est; vid. Schaeferi Appar. ad Demosth. II p. 362, Matth. Gr. Gr. § 461 c. Livius etiam *quamvis in praecipitia consilia* dixit II, 51, 7, pro eo, quod est: *in quamvis praecipitia.* Mox B: *natura al' ingerat*, om. *vigeant.*]

quod ita interpretemur) Primam et brevissimam formulam, qua Polemo usus dicitur (IV, 14) et quam Stoici retinentes in unam aliquam partem inclinabant, Piso. id est, Antiochus interpretando ad Peripateticorum finem propius accommodat. Nam in perfecta natura et nihil requirente et virtus inest, quae animi et rationis absolutio perfectioque definitur, et eorum, quae secundum naturam sunt, usus non impeditus, quibus duobus ille finis expletur. Verba autem ipsa ducta sunt a *βίῳ τελείῳ*, qui

et nihil requirente. 27. Haec igitur nobis explicanda sunt; sed si enodatius, vos ignoscetis. Huius enim aetati et huic, nunc haec primum fortasse audienti, servire debemus. Ita

1. *Haec igitur — aetati* Nonius p. 15 2. *cuius*, om. *enim*, Nonius 3. *nunc hic* E *nunc hoc* cett, Or. (*nunc primum hoc* C) [*audiendi* Eh]

apud Peripateticos commemorando celebratur, non tamen ut ipse in summa ponatur, sed ut virtuti adiungatur, quemadmodum facit ipse Cicero II, 38 (*totius perfectione vitae locupletatam*). Nota est et ipsa Aristotelis definitio in Eth. Nicom. I, 7, 14 et 15: *ψυχῆς ἐνέργεια κατ᾽ ἀρετὴν ἐν βίῳ τελείῳ*, et quae hinc derivatae cum aliqua varietate et adiectione apud alios sub eius et Peripateticorum nomine ponuntur, velut apud Diog. V, 30: *χρῆσις ἀρετῆς ἐν βίῳ τελείῳ*, et apud Stobaeum Ecl. Eth. p. 68 et 70 (*χρῆσις ἀρετῆς τελείας ἐν προηγουμένοις* et *ἐνέργεια κατ᾽ ἀρετὴν τελείαν ἐν βίῳ τελείῳ προηγουμένη* et *χρῆσις ἀρετῆς τελείας ἐν βίῳ τελείῳ προηγουμένης*) et p. 276 et 278 (*χρῆσις ἀρετῆς τελείας ἐν βίῳ τελείῳ προηγουμένη ἢ ζωῆς τελείας ἐνέργεια κατ᾽ ἀρετήν*). Sed apud ipsum Aristotelem *βίος τέλειος* ad temporis diuturnitatem refertur, eademque significatio ei subicitur apud Stobaeum p. 72, ubi *ἡ διάστασις τῆς χρήσεως τῶν ἀγαθῶν* est duratio (*die Ausdehnung*) huius usus, non, ut vertitur sine ulla sententia, discrimen, et apertissime p. 280. Verum tamen, cum satis appareret, Aristotelem bona externa et corporis aliqua ex parte requirere (vid. quae ascripsi ad § 12 et Eth. Nicomach. I, 8, 15-17) et ea instrumenti necessarii loco habere, posteriores partim aliquid, in quo eorum significatio esset, vitae perfectae appellationi addebant, ut illud *προηγουμένη* aut *ἐν προηγουμένοις*, quod Stobaeus p. 72 addi dicit, ut significetur, *τὴν χρῆσιν ἐν ἀγαθοῖς γίγνεσθαι καὶ μὴ ἐν κακοῖς*, et p. 280 ad *τα κατὰ φύσιν ἀγαθά* refert, partim pro vita perfecta commemorationem commodorum substituebant, velut apud Stobaeum p. 268: *κατ᾽ ἀρετὴν ζῆν ἐν τοῖς περὶ σῶμα καὶ τοῖς ἔξωθεν ἀγαθοῖς ἢ πᾶσιν ἢ τοῖς πλείστοις καὶ κυριωτάτοις* et p. 278: *χρῆσιν ἀρετῆς ἐν τοῖς κατὰ φύσιν ἀνεμποδίστον*, partim in ipsa perfectae vitae appellatione illam significationem inesse volebant, verborum natura non sane repugnante, quo illa apud Stobaeum p. 70 definitio spectare videtur, qua *ἡ εὐδαιμονία* dicitur esse *βίος καλὸς καὶ τέλειος προηγούμενος*. Antiochum saltem vitam perfectam sic enarrasse, ex Ciceronis locis apparere videtur.

27. *Huius enim aetati et huic* cet.) Mire aetatis mentioni superadditur copulative communis eiusdem hominis notatio (*huic*), quod sentiens, opinor, Kernius duos homines significari voluit,

prorsus, inquam. Etsi ea quidem, quae adhuc dixisti, quamvis ad aetatem recte isto modo dicerentur.

X. Exposita igitur, inquit, terminatione rerum expetendarum, cur ista se res ita habeat, ut dixi, deinceps demonstrandum est. Quamobrem ordiamur ab eo, quod primum posui, quod idem reapse primum est, ut intellegamus, omne animal se ipsum diligere. Quod quamquam dubitationem non habet (est enim infixum in ipsa natura, comprehendituR*que* suis cuiusque sensibus, sic, ut, contra si quis dicere velit, non audiatur), tamen, ne quid praetermittamus, rationes quoque, cur hoc ita sit, afferendas puto. 28. Etsi qui potest intellegi aut cogitari, esse aliquod animal, quod se oderit? Res enim concurrent contrariae. Nam cum appetitus

3. [*inquit* om. Eh] *determinatione* C 4. *res se habeat ita* L *res ita se habeat* C (*se* bis) 5. *modo* (pro *primum*) C 6. *re ab se* [Eh]CR *re a se* L 7. *diligi* E 9. *que* om. omnes *ut* om. P 11. *ita* om. C *quid* EL *quidem* C 13. *cur* (pro *cum*) E

prius L, deinde M. Ciceronem. Sed ut omittam, M. Ciceronem de una aetatis commemoratione respondere, neque ipsum pronomen sic ad diversos trahi potest, neque. cur tum magis M. Cicero quam aut Q. aut Atticus intellegatur, apparet; et in Marcum omnium minime hoc cadit, qui praeter ceteros harum disputationum peritus non iniuria inducitur (§ 6, 7, 76, 81 cet.). Dicent, alteram quoque rem specialem significari, sed substantivo Latino carentem, hac sententia: *sein Alter und der Umstand, dass er* cet. Sed orationis inconcinnitas neque tollitur neque minuitur; et hoc ipsum alterum propter aetatem accidit, de qua una respondetur. Itaque aut Cicero male scripsit aut ab eo positum erat: *huius enim aetati, nunc — audientis, servire* cet., deinde, cum exclusa esset littera *s* (*audienti*), additum est: *et huic.* [Sic Baiterus in ed. min.] *Haec* (id est, hanc totius disciplinae expositionem) necessario Manutius et Dav. et sic Gud. 2. *Hoc* unam aliquam rem aut dictum aliquod significaret. [*Hic* etiam B.]

Cap. X. *comprehenditurque*) Coniunctionem Crat., Lamb., Gzius addiderunt; asyndeti figura in hac continuatione superioris sententiae ne speciem quidem habet. [Alanus et Baiterus *ac comprehenditur.* Initio capitis etiam B omittit *inquit.*]

28. *concurrent*) Cod. Mor. *occurrent*; male Davisius • CCC (et Ox. χ) *concurrerent.* Paulo post haec verba: *cum id sua causa faciet* non hanc habent sententiam: *si quando id* cet. (quasi aliquando non sua causa id faciat, quo omnis disputatio

ille animi aliquid ad se trahere coeperit consulto, quod sibi obsit, quia sit sibi inimicus, cum id sua causa faciet, et oderit se et simul diliget, quod fieri non potest. Necesseque est, si quis ipse sibi inimicus est, eum, quae bona sunt, mala putare, bona contra, quae mala, et, quae appetenda, fugere et, quae fugienda, appetere; quae sine dubio vitae est eversio.

2. *faciat* R 3. *diligit* E *necesse est quod si* P *necesse est eque si* L *Nec. est quidem si* CROr. 4. *ipsi sibi* E *sibi ipsi* cett. *est* om. E *ea quae* LC 5. Post *appetenda* add. *sunt* L 6. *petere* E *vitae sunt* omnes, Or.

everteretur), sed semper id sua causa fieri dicitur et ex eo concluditur. Manifesta est igitur in *cum* causae significatio; et tamen sequitur *faciet*; itaque, si nihil est mendi, ut *quoniam* scribendum sit, utendum est ea excusatione in futuro tempore, cuius nullus est simplex coniunctivus modus, quam commemoravi in disputatione de formis quib. verbi Lat., Opusc. Acad. II p. 102 not. 2; eadem opus esse videtur ad Att. XII, 25, 1: *HS DC exprimes ab Hermogene, cum praesertim necesse erit*, ubi *cum* mutari non potest propter *praesertim*. [Futurum compositum (*facturus sit*) alienam habiturum erat significationem; nam tum ipsum, cum faciet, sua causa faciet.]

Necesseque est) Hoc [quod nunc constat esse in Erl., in quo putabam *que* omitti, et B] significabatur ceterorum codicum vestigiis (Pal. 6 *necesse est que*, Pal. 2 *necesse est aeque*: Gzius in pluribus codicibus partim *necesse est quod* scribi ait, partim id ipsum, quod edidi). *Est*, quod exciderat, alieno loco restitutum erat. In eo, quod vulgo editur, quo spectet particula *quidem*, nemo dixerit; cfr. ad III, 28. Deinde erat *sibi ipsi*; invertit Gzius, Spir. [B] et Erl. sequens. Scribendum esse *ipse* (ut paulo post *inimicus ipse sibi*, et mox: *ipsi sibi bellum indixissent* et 30 *ipse se oderit*) viderat Ernestius, cui Orellius paruit; nam et postulat significatio odii in ipso illo, qui odio sit, sedem habentis et in hoc, qui restitutus est, ordine semper ita Ciceronem loqui, recte ab aliis animadversum est.

quae sine dubio vitae est eversio) Codices et editiones: *vitae sunt eversio*, neque quisquam dubitationem movit. Sed Latine non dicitur: *haec sunt eversio*, neque ad hunc soloecismum defendendum quidquam valent pauci illi loci, in quibus scriptores (nec tamen Cicero) retento neutro genere singularis numeri (*nec sopor illud erat; quod segnitia erat*, *sapientia vocabatur*) ipsam infinitam rei notionem significant [cfr. Nipperd. ad Tac. Ann. I, 49], aut pauciores illi, in quibus definita personae notio in pronomine retinetur (ut apud Senec. ad Helviam 19, 3 propter

Neque enim, si nonnulli reperiuntur, qui aut laqueos aut alia exitia quaerant, aut, [ut] ille apud Terentium, qui de-

2. *aut* om. L *ut* sine uncis Or.

reliquam orationem: *Haec — est solatium*, *quo reficiaris; illi*, *quantum potes*, *te iunge*, *illius* cet.). (Sallustius Cat. 10 dixit: *ea quasi materies omnium malorum fuere*, sed ut duas res (avaritiam et ambitionem) substantivis appellatas, ad quae pronomen refertur, distingveret; atque etiam apud Livium III, 38, 4 *eam* ad substantivum proxime praecedens refertur.) Et si posset hoc loco *quae* neutro genere poni, tamen verbum substantivum non praedicato propius admotum, sed inter duas praedicati voces, quae unam notionem continent (*vitae eversio*), receptum necessario ad praedicatum accommodaretur. Quam saepe librarii ex *st*, scribendi rationem ignorantes, fecerint *sunt*, quamque id antiquum mendum aliquot locis sit (ut in cod. Parisiensi Catonis § 63 *morata sunt* et in Vaticano Philipp. V, 47), dixi in Opusc. Acad. I p. 184. In orat. II de leg. agr. 95 cum Cicero scripsisset: *ex hac copia — primum illa capta est arrogantia*, *quae* cet. —, *deinde ea luxuries*, *quae* cet., in codicibus partim scriptum est *apta sunt*, partim *apta fuit*, deinde ab editoribus factum *nata sunt* aut *fuit*. (*Capere arrogantiam* dicitur ut *animos capere*; verbum ad prius et propius aptatum est.)

aut, [*ut*] *ille apud Terentium*) Menedemus Heautontimorumenos. Verba ipsius Menedemi (act. I, 1, 95) a se referri Piso significat: *ut ait ipse*. Non recte Bremius: *ut ait*, *ipse dum* cet. Sed admodum perturbatam esse orationem, Davisius sensit; nam post *aut* (*aut*, *ut ille*), interposito exemplo, nihil sequitur, quod sententiam et generis definitionem absolvat; nec tantum exitus orationis ad exemplum accommodatur numero (*inimicus ipse* cet.), sed, in quo concludi et perfici oratio debebat, id in exemplum ipsum ita includitur (*ut ille apud Terentium — inimicus ipse sibi putandus est*), ut instituta sententia negativa (*Neque* cet.) prorsus evertatur. Haec tanta perversitas, cuius praesertim nulla omnino causa ex implicatione orationis appareat, frustra anacoluthi nomine defendi videtur a Gzio et Ottone, qui vitii minimam partem perspexerunt. Deleto *ut* omnia recta erunt: *Neque enim*, *si — quaerant*, *aut ille apud Terentium* cet. Pro alterius generis definitione cum exemplo (*aut*, *si qui laboribus se vexant*, *ut ille* cet.) ipsum exemplum Cicero substituit, et, cum duo essent subiecta (*neque enim illi*, *si qui* —, *aut ille*), ad propius, ut saepe, orationem accommodavit: *inimicus* cet. (Davisius *aut* tollebat, deinde scribi iubebat: *inimici ipsi sibi*

crevit tantisper se minus iniuriae suo nato facere (ut ait ipse), dum fiat miser, inimicus ipse sibi putandus est. 29. Sed alii dolore moventur, alii cupiditate; iracundia etiam multi efferuntur et, cum in mala scientes irruunt, tum se optime sibi consulere arbitrantur. Itaque dicunt nec dubitant:

Mihi sic est usus; tibi ut opus est facto, face.

Qui ipsi sibi bellum indixissent, cruciari dies, noctes torqueri vellent, nec vero sese ipsi accusarent ob eam causam,

1. [*tantum per se minus* Eh] *noto* E *gnato* Or. 2. *ipsi sibi* E *ipse* om. C 3. *est* om. E 5. *ruunt* LC *tamen se* LPCR *sibi* om. R 7. *si* C *usus est* (LP)CROr. *fac equi* E *face:* (*fac* LC) *velut* (*vel* P) *qui* LPCROr. 8. *si* (pro *sibi*) E *sibi ipsi* R *bellum sibi* L 9. *accusari vellent* L

putandi sunt (!), nec videbat, Menedemum non ex eorum genere esse, qui exitium quaererent.)

29. *cum — irruunt, tum*) *tum ipsum, cum.* Sic recte Gzius etiam ex Spir. [B] et Gud. 2; edebatur enim *tamen.* Pro *irruunt* etiam U$\chi\psi$ et Pall. praeter 4 et quaedam editiones e prima *ruunt.* Quod sequitur: *dicunt nec dubitant* (dicere, id est. dicunt non dubitantes) inutiliter coniecturis tentatum est. Dicit sic apud Terentium Menedemus act. I sc. 1 v. 28. *Est usus* etiam [B et] codices Terentii.

Qui ipsi sibi bellum indixissent, — vellent) Postquam Piso ostendit, eos, qui vulgo inimici ipsi sibi habeantur, non esse eiusmodi, significat condicionali oratione, quales illi futuri fuerint, si qui reapse sibi inimici essent sibique bellum indixissent. Ii noctes diesque torqueri vellent nec se, ut Menedemus facit, accusarent cet. Sanaverunt hunc locum Erl. et Spir. [B]; nam de ceteris bonis tacetur. Deteriores codices, addita voce (— *face: velut qui ipsi* cet.), sententiam prorsus pessum dederunt. Nisi forte haec sententia est ac non inanis verborum strepitus: „Hi non vere ipsi sibi inimici sunt; itaque (!) sic loquuntur, velut qui ipsi sibi bellum indixissent“ (id est, velut qui ipsi sibi inimici essent; Piso dicit, eos sic loqui, ut appareat, eos sibi consulere velle) „et velut qui se non accusarent“ (nam haec omnia ad *velut* referri necesse est; atqui hoc ipso Menedemum argui Piso dicit non esse sibi inimicum, quod se accuset). Mitto alia. Gzius nescio quid offensus est, sed nec vitium vidit nec veram scripturam se in suis codicibus habere intellexit. (Gud. 2 *vel quae ipsi*; Bas. om. *qui*; Marsus *velut etiam qui.*) Paulo post *sese* (ante *male*) et *rebus suis* et *haec est* ex ed. prima ad plures alias propagata erant; duo postrema correxit Gzius e codd.

quod se male suis rebus consuluisse dicerent; eorum enim est haec querela, qui sibi cari sunt seseque diligunt. Quare, quotienscumque dicetur male quis de se mereri sibique inimicus esse atque hostis, vitam denique fugere, intellegatur, aliquam subesse eiusmodi causam, ut ex eo ipso intellegi possit, sibi quemque esse carum. 30. Nec vero id satis est, neminem esse, qui ipse se oderit, sed illud quoque intellegendum est, neminem esse, qui, quomodo se habeat, nihil sua censeat interesse. Tolletur enim appetitus animi, si, ut in iis rebus, inter quas nihil interest, neutram in partem propensiores sumus, item in nobismet ipsis, quemadmodum affecti simus, nihil nostra arbitrabimur interesse.

XI. Atque etiam illud, si qui dicere velit, perabsurdum sit, ita diligi a sese quemque, ut ea vis diligendi ad aliam rem quampiam referatur, non ad eum ipsum, qui sese diligat. Hoc cum in amicitiis, cum in officiis, cum in virtutibus dicitur, quomodocumque dicitur, intellegi tamen,

1. *quod sese* COr. *rebus suis* C 2. *est* om. P *haec est* C 3. *diceretur* C *de se quis* LPCROr. 4. *esse inimicus* LPCROr. 6. [*possint* Eh] *id satis* (om. *est*) E *satis est id* LPCROr. 8. *quo se* P 10. *sed* (pro *si*) E *his* LC *est* (pro *interest*) E 11. *simus* omnes *item* — *simus* om. R 12. *sumus* E *arbitremur* C *arbitramur* L 13. [*si quid* Eh] *si quis* ceteri, Or. *absurdum* E 15. *ipse* E 16. *hoc non in* C *in* ante *officiis* et ante *virtutibus* om. P 17 *quoquomodocumque* E *quomodocumque dicitur* om. R

Tum *quis de se* (pro *de se quis*) etiam Spir. [B], *inimicus esse* non annotatum est; [sed ex B annotatur].

30. *id satis est*) Sic, nescio unde, Manutii, Lamb., Grut., et confirmatur, omisso tamen *est*, ab Erl. [B] recteque praeponitur *id*; vid. ad 19. Ceterae fere edd.: *satis est id.* Gzius *id* delevit, Bas. sequens. *Est* post *intellegendum* om. Spir. [non B]. Prorsus Stoicorum et maxime Chrysippi ratione et via disputandi Piso utitur, negans naturam *ἀλλοτριῶσαι τὸ ζῷον ἑαυτῷ*, nec concedens, ut dicatur *μήτ' ἀλλοτριῶσαι μήτ' οἰκειῶσαι*. sed prorsus tenens, *οἰκειῶσαι αὐτὴν τὸ ζῷον ἑαυτῷ*. Vid. ad III, 16.

propensiores sumus) Sic recte Lamb. et Dav. (Oxx. tantum ex ξ annotant *simus*.) Coniunctivus in hac coniunctione: *si, ut* — *simus, item* — *arbitrabimur* ferri nequit. Codicum quae in his formis (*simus*, *sumus*, *sint*, *sunt*) fides sit, ostendunt Erl., Spir., Gud. 1, in quibus soloece scribitur: *quemadmodum affecti sumus*. Secutus est Gzius. Pro *item* duo codd. Gzii *ita*; vid. ad III, 48.

quid dicatur, potest; in nobismet ipsis autem *ne* intellegi quidem, *ut* propter aliam quampiam rem, verbi gratia propter voluptatem, nos amemus; propter nos enim illam, non propter eam nosmet ipsos diligimus. 31. Quamquam quid est, quod magis perspicuum sit, *quam* non modo carum

1. *quicquid* R *nobismet autem ipsis* PROr. *nobis autem ipsis* LC *ne* om ELCR 2. *quid* E *ut* om. ELCR 3. *not propter* (pro *non p.*) E 5. *quam* om omnes, Or.

Cap. XI. *in nobismet ipsis autem* cet.) Sic Erl. [B], Crat., Vict. Ut R (*in nobismet autem ipsis*) Pal. 4, El., Parr. 1 et 2 (hi duo *aut*), Gud. uterque, Bas., modo satis editores attenderint. Manutius et deinceps ceteri ante Gzium ex C: *in nobis autem ipsis*. Deinde in cod. arch. (Pall., EUχψ) sic scriptum erat, *ne* et *ut* omissis: *intellegi quidem* (*quid* [B et] Gud. 2, *quod* reliqui Gzii, ipso teste, et Pal. 4, *tibi* U; nihil significatur nisi *quidem*; vid. ad I, 39) *propter aliam causam* cet. Quod Aldus Manutius edidit, ita et a forma reliquae orationis (*quidem — amemus*) et a superioribus (*intellegi tamen*) requiritur, ut dubitationem non habeat. (*Ut* Dav. ait esse in CCC et Ball., sed de ψ (Ball.) negant Oxx. Lambinus: *intellegi qui potest, ut propter* cet.) Qua ratione dicatur: *ne intellegi quidem potest, ut — amemus*, dixi ad II, 6 (*qui probari potest, ut* cet.). [Initio capitis etiam B *si quid dicere*, e quo Bait. *si qui*. Editt. *quis*. Idem cod. *absurdum*.]

31. *Quamquam quid est, quod magis perspicuum sit, quam non modo* cet.) Exciderat *quam* in codice archetypo. Restituerunt Manutius et Lambinus [et ante is, qui cod. Glogav. scripsit]. Ceteri editores quasi sanissimum locum taciti praetereunt, Orellius etiam annotata et improbata illa Manutii scriptura. Et tamen nemini eorum in mentem venit credere, Latine pro his: *nihil est magis perspicuum, quam solem lucere* dici etiam posse: *nihil est magis perspicuum, solem lucere*; sed, ut saepe, nemo attendit ad orationis formam. (Wesenbergius et attendit et recte iudicavit, is quoque sui similis.) Quamquam quod dico, nemini illud in mentem venisse, non prorsus certum mihi est, neminem id defensurum. Neque enim longe ab hac similitudine remotum est et in eadem pravitate, quod in alio genere dicendi accidere video. Cum enim Cicero saepe sic dicat: *quid est aliud furere?*, ut intellegatur: nisi hoc est, quod tu facis, alibi autem plene: *quid est aliud furere nisi falsa rerum specie semper ludi?*, exorti sunt, qui defenderent, a Cicerone pro hoc posteriore dici etiam: *quid est aliud furere, falsa rerum specie semper ludi?* Putant autem sic eum dixisse Phil. II, 7, ubi si vera est codicum scriptura, manifestum est, *tollere* propter

sibi quemque, verum etiam vehementer carum esse? quis est enim aut quotus quisque, cui, mors cum appropinquet, non

refugiat timido sangven atque exalbescat metu?

Etsi hoc quidem est in vitio, dissolutionem naturae tam valde perhorrescere (quod item est reprehendendum in dolore); sed quia fere sic afficiuntur omnes, satis argumenti est, ab interitu naturam abhorrere; idque quo magis quidam ita faciunt, ut iure etiam reprehendantur, hoc magis intellegendum est, haec ipsa nimia in quibusdam futura non fuisse, nisi quaedam essent modica natura. Nec vero dico eorum metum mortis, qui, quia privari se vitae bonis arbitrentur aut quia quasdam post mortem formidines extime-

2. *quotus quisque — metu* Nonius p. 224 (*quotus quisque est*) 3. *fugiat* Non. *sangvis* codd. praeter Nonium 5. *quid est* E 7. *sic quia* E *satis* om. E 8. *naturam* om. P *itaque quo* C *quia* (pro *quidam*) E 9. *reprehendatur* [Eb]L *hic magis* E 10. *minima* P *non* om. C 11. *modica natura essent* E

gravitatem orationis geminari et hanc esse sententiam: quid est aliud tollere e vita vitae societatem et amicorum colloquia nisi hoc, quod tu facis, cum epistulas familiariter scriptas palam recitas? Deinde addunt locum corruptum ex orat. in Pis. 47, qui olim hanc habuit formam: *Quid est aliud furere* (nisi hoc, quod tu fecisti)? *Non cognoscere homines? G r a v i u s e s t non cognoscere leges, non senatum, non civitatem. Cruentare corpus suum? Maior haec est vitae, famae, salutis suae vulneratio.* Quaerit Cicero, in quo situs sit furor; ostendit, graviora furoris indicia esse in iis, quae Piso fecerit, quam in iis, quae vulgo furorem arguere credantur. Conatur Orellius mutando addere III Philipp. 21, de Off. III, 55. [Cfr. Wesenbergius ad Tusc. I, 75.]

sangven) Recte hanc formam a Victorio aut Manutio e Nonio repositam esse (a Crat. in mg. annotatur addito Nonii nomine), fidem facit, qui eundem versum e Ciceronis Hortensio laudat, Priscianus p. 708 et ipse Cicero III de Orat. 218, ubi videmus, hunc versum ex eodem Ennii Alcmaeonis loco sumptum esse, ex quo alium libr. IV, 62 Cicero sumpserat. Codd. *sangvis* (Oxx. omnes, Gzii). Paulo post [*satis* etiam in B] excidit, *naturam* ante *abhorrere* etiam in Pal. 4 et Gud. 2. Pro *quod item* videri possit scribendum *quod idem* (ut III, 50; cfr. Gernhardus et Klotzius ad Lael. 14); eiusdem enim rei magis quam eiusdem modi reprehensionem significat, nimii horroris.

scant aut si metuant, ne cum dolore moriantur, idcirco mortem fugiant; in parvis enim saepe, qui nihil eorum cogitant, si quando iis ludentes minamur, praecipitaturos alicunde, extimescunt. Quin etiam ferae, inquit Pacuvius,

quibus abest ad praecavendum intellegendi astutia,

2. *saepe* om. L *horum* L 3. *his* ELPCOr. *aliunde* EPCR [*extumescunt* Eh] 6. *astutias* E

in parvis enim) Hoc quomodo dictum putarem, exposui ad IV, 75. Lamb. *parvi enim saepe*, ut volebat etiam Dav. [De coniunctivo *fugiant*, pro quo Lamb. *fugiunt* malebat, cfr. ad II, 15.]

minamur, *praecipitaturos alicunde*) Non videtur hoc recte aliter intellegi posse nisi hac sententia: *minamur. nos eos praecipitaturos* (deiecturos) *esse*; nam ne praecipitaturos ipsos pueros intellegamus, ut intransitivum verbum sit, obstat minandi verbum, quod eorum, qui minantur, actionis significationem requirit. Quod autem Handius (ad Wopk. p. 14) sic verba ordinat: *si ludentes minamur*, *extimescunt praecipitaturos alicunde*. perverse prorsus actionis significatio separatur a minandi verbo et (addito etiam *alicunde*) cum extimescendi coniungitur. cum hoc dici debeat, ad speciem periculi timorem oriri; nec *extimesco praecipitaturum* pro eo, quod est: *extimesco*, *ne quis me praecipitet*, Latine dicitur. Si igitur locus recte scriptus est (nec ullum est mendi indicium neque, quae alia scriptura esse potuerit, facile excogitatur). omissum est ante infinitivum pronomen eiusdem personae, cuius verbum praecedit, quod in hoc genere infinitivi compositi apud Ciceronem ita raro fit. ut dubitationem habeat. Ex iis locis, quos olim (Emendatt. Tull. p. 112) protuli, unum (ad Att. XVI. 11, 8) codicum indicia alio trahunt; alter (ad Att. X, 7, 1) eiusmodi verbum habet (*puto*), in quo multo insolentior ea omissio sit; et facillime excidere potuit *me*, [ut *se* hic II, 88]. Restant, qui nullum mendi indicium habeant, praeter hunc locum duo Verrinarum, I, 97 et II, 93, tum pro Cluent. 176: *De hoc Stratone — quaesituram esse dixit*, in quo tamen id est insoliti, quod additur *esse*, [et pro Mil. 96 in codicum scriptura, sed ad corrigendum facillima]. (Recte enim a Kruegero de attractione p. 338 sqq. observatum est, rarissime id apud historicos, qui hoc genus frequentant, addi, apud Liv. XXVIII, 23, 6. XXXIII, 49, 4, XL, 4, 8, XLII, 10, 15; nam XLII, 24, 7 aliam habet rationem.) Sed quamvis haec pauca sint exempla, non audeo tamen a Cicerone abiudicare id genus, quo Caesar saepe utitur et ante Terentius (Andr. II, 3, 27). In futuro condicionali (*dicturum fuisse*) pronomen omittit cod. Vat. Philipp. VIII, 2.

iniecto terrore mortis horrescunt. 32. Quis autem de ipso sapiente aliter existimat, quin, etiam cum decreverit

1. Ante *iniecto* add. *sibi* LPCBOr. *horrescente* E 2 *qui etiam* ROr.

ferae, *inquit Pacuvius*) Apparet. etiam hanc sententiam: *ferae* ... *horrescunt* Pacuvii esse; neque enim aliter recto loco positum esset *inquit*; et fidem facit *horrescendi* verbum, quo Cicero et prosae orationis scriptores fere abstinent, etsi Cicero I de R. P. 63 et Varro (apud Nonium p. 423) *mare horrescere* dixerunt de colore et specie. Itaque nulla est causa, cur *quibus* a versu seiungatur. In verbis *iniecto terrore mortis* Cicero Pacuvii sententiam in brevius contraxisse videtur; nec tamen ideo non recte ponitur *inquit Pacuvius*, qua forma Cicero tum demum utitur, si ipsa poëtarum verba nihil inflexa ascribit (de Divin. II, 127, Off. III, 84), quoniam et superiora, ubi illud intericitur, non mutavit et hic quoque tantum aliquid addidisse, sententiae autem primariae ipsa verba (*ferae* — *horrescunt*) retinuisse videtur. Uno et altero loco librarii recentissimorum codicum nudum poëtae nomen addiderunt (Tusc. I, 31, N.D. I, 13), hac forma (*inquit Pac.*) nusquam.

iniecto terrore mortis) *Sibi*, quod praeponebatur, omittit etiam Spir. [B], id est, meliores. Et loco inepto positum erat, nec recte dicitur: *iniecto sibi terrore horrescunt*, pro eo, quod est: *cum est iis terror iniectus*. Delevit etiam Otto. Ortum est ex mendo cod. archetypi [B] *astutias*. [*Astuties?*]

32. *Quis* — *aliter existimat*, *quin*) Recte, significata contraria sententia, cum ea tollatur, *quin* particula subicitur, ad quam ipsam *aliter* refertur, quemadmodum et supra Cicero locutus est IV, 32 et similiter Tusc. V, 17: *alterum* (una ex duabus contrariis sententiis significatur) *dici non potest*, *quin* cet. et prorsus eodem modo Caesar B. G. VII, 44: *nec iam aliter sentire* —, *quin paene circumvallati viderentur*. Illi autem Tusc. loco simile est, quod Varro dicit IX de L. L. p. 129 Bip.: *alterum non conceditur*, *quin ita dicatur* (hoc est, alterum, quod nos ponimus, non ita dici debere, non conceditur, sed ita dici posse defenditur). Atque eandem causam ex contrariae sententiae significatione negando sublata habet particula II de leg. agrar. 19: *quod nemo imminuit*, *nemo mutavit*, *quin ii*, *qui populo agros essent assignaturi*, *ante acciperent a populo beneficium quam darent*, et apud Tac. Ann. XV, 44: *non decedebat infamia*, *quin iussum incendium crederetur*. Et hic quidem (exceptis Tusculanarum et Varronis locis, ubi poterat subici oratio infinita negans) aliter dici non poterat; sed omnino, quoniam in omni negatione tollenda quasi quaedam recusatio tollitur, paulo longius serpit usus particulae

esse moriendum, tamen discessu a suis atque ipsa relinquenda luce moveatur? Maxime autem in hoc quidem genere vis est perspicua naturae, cum et mendicitatem multi perpetiantur, ut vivant, et angantur appropinquatione mortis confecti homines senectute et ea perferant, quae Philoctetam videmus in fabulis; qui cum cruciaretur non ferendis doloribus, pro-

3. *etiam mendicitatem* E 4. *agant ad apropinquacione* E 5. [*perforant* Eh]

quin post verba negativa negando in contrarium versa, etiam ubi infinitae orationi proprius locus erat, ut post has formas orationis: *quis ignorat? negari non potest*, *non me fallit* (*fugit*), *non eo infitias*, *dissimulari non potest*, *non est obscurum*; exempla e Cicerone, Caesare, Quintiliano, Gellio collegit Otto ad IV, 32. Quod apud Senecam legitur de Benef. VI, 7, 2: *quin nos non obliget*, *manifestius est*, sic coepit, quasi subiecturus esset: *non est dubium*; eademque ratione ponitur *non quaeritur* apud Quint. IV, 4, 4. Addo, apud Ovidium Trist. V, 6, 27 pro eo, quod soloece scribitur: *Nec procul a vero est*, *quod vel pulsarit amicum*, scribendum esse cum tribus apud Merkelium codicibus: *quin vel pulsarit.* (Quod soloecum alterum dixi, eam causam egi in Admonitionibus de locis quib. gramm. Lat., Opusc. Acad. II p. 232 sqq.) Ut ad Ciceronem redeam, male Gzius et recentiores, eiecta vera scriptura, quam habet etiam [B et] mg. Crat., eam secuti erant, quae ex ed. R in alias quasdam (Mars., Crat.) propagata est, ex qua absurda sententia efficitur, item de sapiente existimari, quemadmodum de infantibus et feris.

propagabat tamen vitam aucupio) Sic Erl. perspicue [et B], nec dubito de Spir. Miro errore, sed ceterorum simili Gzius in utroque narrat esse *aucupio feras*. Deteriores codices et editiones: *aucupio sagittarum*, quod quid esset, Davisius se ignorare fatebatur. Nam si quod est sagittarum aucupium, id eiusmodi est, ut sagittas capere studeamus, quomodo *verborum aucupia* dicuntur, cum verba aucupamur, et *delectationis*, cum delectationem. Suis autem verbis (quorum similia leguntur de Inv. I, 2: *sibi victu fero vitam propagabant*) Cicero universe ea significat, quae apud Attium poëticis coloribus picta erant, deinde ipsa quaedam Attii verba acute dicta addit, ut appareat, operam lusisse G. Hermannum, cum (Opusc. Acad. III p. 121, de Aeschyli Philocteta) e corrupta praesertim scriptura hunc versum efficeret: *Vitam sagittarum aucupio propaginat.* Attii hunc locum expressum fuisse ad eorum similitudinem, quae in Sophoclis Philoct. v. 164 sqq. leguntur, manifestum est.

pagabat tamen vitam aucupio; configebat tardus celeres, stans volantes, ut apud Attium est, pennarumque contextu corpori tegumenta faciebat. 33. De hominum genere aut omnino de animalium loquor, cum arborum et stirpium eadem paene natura sit? Sive enim, ut doctissimis viris visum est, maior aliqua causa atque divinior hanc vim ingenuit, sive hoc ita fit fortuito, videmus ea, quae terra

1. Post *aucupio* add. *sagittarum* LPCROr. *tardus caelo feras volantes* L 2 *apud* om. L *pinnarumque* Or. 3. *corporis* C 4. *aut* om E 5. *enim* om. LPCR 6. *viris* om. L 7. *sit* ECR *fortuitu* ELOr. *videamus* omnes

configebat tardus celeres, stans volantes) Haec etsi Attii sunt, tamen nonnihil esse deflexa a Cicerone, praeter imperfectum verbi tempus ostendit proximus Attii versus, qui in fragmento veteris grammatici post Censorinum c. 14 servatus est, a Cicerone immutatus (*pro veste pinnis membra textis contegit*). Quod autem Scaliger ab Attio scriptum putabat: *configo tardus celeres, stans volatiles*, neque *volatiles*, quod non inusitatum erat vocabulum, Cicero mutasset, et multo acutius et rectius stanti volantes contrarii sunt quam volatiles.

33. *De hominum genere — natura sit?*) Recte Manutii, Davisius, Orellius [etsi is ad Tusc. IV, 69 p. 346 sententiam mutavit] interrogationem notaverunt. Leniter enim Cicero quasi mirando se corrigit; atque propter negativam illam significationem, quae in huiusmodi interrogatione et in ironia inest, recte poni potest *aut omnino*, quemadmodum II, 55 et I Legg. 36, quos locos Handius Turs. I p. 539 cum aliis non similibus coniunxit ad singularem significationem parum recte constituendam; quid enim simile habet illud ex hoc opere IV, 15: *omnibus aut* (si non omnibus, saltem) *maximis* aut illud, quo is utitur, *aut potius?* De Legg. I, 40 non corrigitur superius, sed, quod negando dictum erat, explicatur affirmando; itaque, ut olim docui, necessario scribendum est *atque.* Hoc tamen loco particulam tres Gzii codices omittunt (puto, Erl., Spir. [B], Gud. 2), ut possit aliquis legere *et omnino* et *ἀποφαντικῶς* haec dicta putare; verum tum Cicero vix hac forma usus esset: *cum arborum* cet., sed hac: *quid? arborum nonne — est?* (ut I N. D. 98, Tusc. I. 34) aut hac: *sed arborum* cet. Mox *enim* post *sive* Dav. addidit ex El.; confirmant etiam Spir. [B] et cod. Mor.

fit fortuito) *Fortuitu* Gzius etiam e Spir. [B]; sed recte de hac voce Handius disputavit Turs. II p. 743, cuius iudicium antiquissimi codices confirmant, Paris. Tusc. (I, 99), Vaticanus Philipp., meliores librorum de officiis. Erl. cod. bonitas non

gignit, corticibus et radicibus valida servari, quod contingit animalibus sensuum distributione et quadam compactione membrorum. Qua quidem de re quamquam assentior iis, qui haec omnia regi natura putant, quae si natura neglegat, ipsa esse non possit, tamen concedo, ut, qui de hoc dissentiunt, existiment, quod velint, ac vel hoc intellegant, si

2. *quadam* om. L 3. [*qua quid* Eh] 5. *possint* LCOr. *sentiunt* P

antiquitate nec recta in huiusmodi rebus consvetudine censetur. Nemo *gratuitu* finxit. *Fit* Lamb., Grut. e Pal. 4, recentiores; *sit* etiam Gzii quattuor, [B]; (vid. ad IV, 30). Tum in cod. archetypo fuit *videamus*; correxerunt Mars., Lamb., tum Gzius, Bas. et Gud. 1 auctoribus utens, modo recte viderit; sed auctoritate nihil opus est; cfr. Opusc. II p. 24.

regi natura putant) et, ut II de N. D. 75 ait, *omnes res subiectas esse naturae sentienti ab eaque omnia pulcherrime geri.* Itaque haec eadem est, quam paulo ante *maiorem causam atque diviniorem* appellavit, providentia. Mox pro *possint* (quod Gzius ait ab „optimis suis" confirmari, sed redarguitur in Erl. [B]) etiam Eξψ, Bas., Gud. 1 habent *possit*, [quod nunc demum intellexi pro eo, quod ex C propagatum contra longe plurimos, opinor, codices editores retinuerunt, revocandum esse. Apparet id iam ex *ipsa*, pro quo in altera scriptura et sententia *ipsa per se*, *sua vi* dicendum erat, et ex *esse*, pro quo *sustentari* aut simile aliquid. Esse res inanimas, satis constabat; esse eas sine naturae tutela non posse, dicere, et ex eo confirmare natura regi, id vero est sine ulla argumenti specie sumentis, quod velit. Piso, si natura has res neglegat, ipsam, qualis quidem intellegatur et qualem intellegi oporteat, sentientem et omnia complectentem, tolli ait nec habere, quod agat aut in quo ipsa consistat. Dicturi fortasse erant adversarii, ad se, qui illam naturae notionem non tenerent, illud argumentum nihil pertinere. Sed sic reprehendi multa argumenta, quae hic ponuntur, possunt; eoque pertinet ipsum, quod Piso concedit, ut, si velint, naturae notionem et vocem prorsus excludant.]

ac vel hoc intellegant) id est, atque etiam, si ita maluerint, hoc modo rem sibi informent cet. *Intellego* enim eo modo ponitur, quo I, 17, IV, 38. Ipsa haec concessio, non admodum perspicuum est, quo spectet. Nam cum proxime de rebus inanimis dixisset, nunc hominem commemorat. Deinde adversarii non singularum rerum naturam aliquam esse negabant, ut de hominis natura dici nollent, sed communem ac diviniorem, quae per omnia permearet. Sed hoc ipsum Piso adver-

quando naturam hominis dicam, hominem dicere me; nihil enim hoc differt. Nam prius a se poterit quisque discedere quam appetitum earum rerum, quae sibi conducant, amittere. Iure igitur gravissimi philosophi initium summi boni a natura petiverunt et illum appetitum rerum ad naturam accommodatarum ingeneratum putaverunt omnibus, quia continentur ea commendatione naturae, qua se ipsi diligunt.

1. *quid* (pro *quando*) E *quam* P *hominem* (pro *hominis*) P 2. *hoc* om. Or *poterit a se* (P)C 3. *committere* L 5. *a natura* LCR 6. *etiam ingeneratum* L [*putauerim* Eh] *qui* (pro *quia*) omnes, Or.

sariis permittere videtur, ad ipsum hominem, de quo maxime agitur, orationem transferens, ut in eo quoque communis cuiusdam naturae, quae ipsum quoque complectatur, notionem omittant. Atqui si hoc conceditur, ruit omnis disputatio; nisi enim aliquod est communis naturae in rebus gignendis consilium, quae, quo singulae niti debeant, constituat, nihil est ulli rei propositum nec quidquam, quo ullius rei habitus aestimetur, maximeque tollitur omne virtutis initium rationisque illa absolutio, nihil visurae, quod ad se pertineat. Nimirum non licet huiusmodi quaestiones, qualis est haec de fine bonorum, sic tractare, ut de reliquis philosophiae locis, qui fundamenta contineant, nihil certi statuatur.

hoc differt) hominem dicere, ab illo altero, hominis naturam. Mars. et Crat.. tum Gzius Bas. et Gud. 1 testans pronomen omiserunt, non necessario. Tum *poterit a se* Man., Lamb., Grut. ex ed. prima; invertit Dav. tacite, tum Gzius, omnes suos codd. [B] sequens.

omnibus, quia continentur) Ex eo, quod inde ab initio capitis decimi disputavit, omne animal se ipsum diligere, confirmari dicit, quod capite nono exposuerat, communem omnium finem esse secundum naturam vivere et cum appetitu rerum ad naturam accommodatarum coniunctum. Ineptam esse illam quasi generis comprehensionem, quae est in codicum et editionum omnium scriptura (*omnibus, qui*), Davisius sensit, cum nullos esse, qui non se diligant, Piso ostenderit; et necessario in illa sententia scribi debuit: *qui contineantur.* [Fortasse illud quoque eum moverat (nam sine explicatione rationis coniecturam posuit), quod Schoemannus aperte et recte exposuit, Opusc. Acad. III p. 399, non posse homines dici *contineri prima commendatione naturae*, sed ea tantum, quae commendentur a natura et in commendatione insint.] Itaque scribendum coniecit: *quia continentur*, verbo, si recte sensit, relato ad *res ad*

XII. 34. Deinceps videndum est, quoniam satis apertum est, sibi quemque natura esse carum, quae sit hominis natura. Id est enim, de quo quaerimus. Atqui perspicuum est, hominem e corpore animoque constare, cum primae sint

2. *quemque a natura* C

naturam accommodatas. [Schoemannus *qui continetur* scribi maluit de appetitu. Sed nec relativa haec orationis forma per se ad argumentationem apta est et debuit saltem alio ordine scribi (*et appetitum* — *accommodatarum*, *qui continetur* — *diligunt*, *ingeneratum esse omnibus*). Itaque *quia* necessarium est; *continetur* vix necessarium, etsi aptius.] Paulo ante *ad naturam* editur inde a Man., et confirmant mg. Crat., Mor., Gzii omnes (?) praeter Gud. 2, qui duas voces omittit, [B]; deteriores (Oxx.) *a natura*.

Cap. XII, 34. *Atqui perspicuum est* cet.) Comparant, Ursinum sequentes, Aristotelis Polit. I, 2, 10: *Τὸ δὲ ζῷον πρῶτον συνέστηκεν ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος, ὧν τὸ μὲν ἄρχον ἐστὶ φύσει, τὸ δ' ἀρχόμενον.* Verum ibi pervagata haec sententia ad longe aliam disputationem accommodatur Cicero secutus est Antiochum, cuius totam hanc expositionem a Varrone adumbratam Augustinus in librum XIX de Civit. Dei c. 3 rettulit: *Primum, quia summum bonum in philosophia non arboris, non pecoris, non dei, sed hominis quaeritur, quid sit ipse homo, quaerendum putat* (Varro, auctore Antiocho, magistro suo et Ciceronis, ut ait Augustinus). *Sentit quippe, in eius natura duo esse quaedam. corpus et animum, et horum quidem duorum melius esse animum longeque praestabilius, omnino non dubitat.* Deinde eandem sententiam persequitur longius, quae transcribere nihil opus est. Apud Stobaeum autem in ea parte, ubi iam ante significavi Peripateticam sententiam Antiochio more tradi mihi videri, p. 256 haec leguntur: *Εἰ γὰρ ὁ ἄνθρωπος δι' αὑτὸν αἱρετός, καὶ τὰ μέρη τοῦ ἀνθρώπου δι' αὑτὰ ἂν εἴη αἱρετά· μέρη δ' ἐστὶν ἀνθρώπου ὁλοσχερέστατα σῶμα καὶ ψυχή· ὥστε καὶ τὸ σῶμα δι' αὑτὸ ἂν εἴη αἱρετόν.* Deinde p. 258: *Ὥστε, εἰ καὶ τὰ σωματικὰ τῶν ἀγαθῶν δέδεικται εἶναι δι' αὑτὰ αἱρετά, καὶ τἀναντία τούτων κακὰ δι' αὑτὰ φευκτά, καὶ τὰ τῆς ψυχῆς ἀναγκαῖον μέρη δι' αὑτὰ αἱρετὰ ὑπάρχειν καὶ τὰς ἀρετὰς αὐτῶν καὶ τῆς ὅλης ψυχῆς.* (Cfr. § 37 et 38 apud Ciceronem.) *Τὴν γὰρ εἴσοδον ἡ ἀρετὴ λαβοῦσα, καθάπερ ὑπεδείξαμεν, ἀπὸ τῶν σωματικῶν καὶ τῶν ἔξωθεν ἀγαθῶν, καὶ* (hoc commodius abesset aut *εἶτα* scriberetur) *πρὸς ἑαυτὴν ἐπιστρέψασα καὶ θεασαμένη, διότι καὶ αὐτὴ τῶν κατὰ φύσιν πόλυ μᾶλλον τῶν τοῦ σώματος ἀρετῶν, ᾠκειώθη πρὸς ἑαυτὴν ὡς πρὸς δι' αὑτὴν αἱρετήν. καὶ μᾶλλόν γε πρὸς ἑαυτὴν ἢ πρὸς τὰς τοῦ σώματος ἀρετάς.* (In his postre-

animi partes, secundae corporis. Deinde id quoque videmus, et ita figuratum corpus, ut excellat aliis, animumque ita constitutum, ut et sensibus instructus sit et habeat praestantiam mentis, cui tota hominis natura pareat, in qua sit mirabilis quaedam vis rationis et cognitionis et scientiae virtutumque omnium. Nam quae corporis sunt, ea nec auctoritatem cum animi partibus comparandam et cognitionem habent faciliorem. Itaque ab his ordiamur. 35. Corporis igitur nostri partes totaque figura et forma et statura quam apta ad naturam sit, apparet, neque est dubium, quin, frons, oculi, aures et reliquae partes quales propriae sint hominis,

1. *sedere* E *denique* (pro *deinde*) R [*ad quoque* Eb] *quoque id* P *et id qu.* L *videamus* C 2. *et id* P *aliis* — *constitutum* om. E 5. *cogitationis* L 8. *ab iis* R 11. *et* ante *reliquae* om. C *sunt* omnes, Or. (*sunt proprie* L)

mis, quae apud Ciceronem hac forma non exponuntur, sed insunt magna ex parte in iis, quae c. 15 de virtutis ortu et progressu dicuntur, mire Heerenius aberrat. Verti sic debent: Virtus initio propter corporis et externa bona introducta, cum ad se ipsa oculos convertit animadvertitque, se quoque in rebus naturalibus esse magis etiam quam corporis commoda, sibi ipsa conciliatur tamquam per se expetendae (ut se propter se expetendam statuat) et magis etiam sibi cet. Cfr., quae Cicero dixit III, 21 et 22: *Est tamen ea* (virtus) *secundum naturam*, h. e., *κατὰ φύσιν* et *τῶν κατὰ φύσιν*.) Eandem, quae hic instituitur, disputationem brevius significatam vidimus IV, 16 sqq.

cum primae cet.) id est: *ita* (*tamen*). *ut primae* cet. Eodem modo dixit § 40: *cum longe multumque praestet mens atque ratio.* Pluribus exemplis hunc particulae usum declaravi in disputatione de oratt. de provinc. cons. et pro Balbo, Opusc. Acad. II p. 8. [Etiam B *sedere*; nihil puto subesse.] Mox *et* ante *ita figuratum* Lamb. omisit, Dav. in *esse* mutari volebat; vid. ad § 64. [B om. *que*, unde Baiterus *et animum*, non improbabiliter.]

Nam quae corporis) [Aptius scriberetur: *Iam, quae* cet.]

35. *quin, frons* — *partes quales propriae sint hominis, intellegatur*) Intellegi cogitando potest, qualis frons, quales oculi proprii sint hominis, et sic in ceteris partibus, ut non temere haec, quae habemus, nobis data esse videantur, sed ea, quae nobis apta essent et ad naturam accommodata, electa esse. Significat enim Piso, ad universum hominis habitum singula apta esse. Edebatur *sunt.* Sed nec *frons intellegitur* nec *frons. qualis propria est hominis*, nec soloecismo hoc caret: *frons* — *reliquae*

intellegatur; sed certe opus est, ea valere et vigere et naturales motus ususque habere, ut nec absit quid eorum nec aegrum debilitatumve sit. Id enim natura desiderat. Est autem etiam actio quaedam corporis, quae motus et status naturae congruentes tenet; in quibus si peccetur distortione et depravatione quadam ac motu statuve deformi, ut si aut manibus ingrediatur quis aut non ante, sed retro, fugere plane se ipse et hominem exuens ex homine naturam odisse videatur. Quamobrem etiam sessiones quaedam et flexi fractique motus, quales protervorum hominum aut mollium esse solent, contra naturam sunt, ut, etiamsi animi vitio id eveniat, tamen in corpore mutari hominis natura videatur. 36. Itaque e contrario moderati aequabilesque habitus, affectiones ususque corporis apti esse ad naturam

3. *dubitatumve* E 4. *autem* om. LPCROr. *et* (pro *etiam*) L *enim* PC 6. *aut motu* LPCR 7. *gradiatur* L 8. *exuens* transp post *homine* LPCR, ante *hominem* Or. 9 *et sessiones* L *quum etiam sess.* C *quaedam* om. C 11. *cum* (pro *animi*) L 12. *veniat* C *immutari* LPCROr. 14. *apta* LPCROr.

partes — *intellegitur*, quem frustra Gzius excusare conatur. Lamb. in curis secundis: „Fortasse *sint*"; et probavit Matthiaeus.

Est autem etiam actio) Sic Erl., Spir. [B], Mor. (errat Orellius); quam sit aptum et rectum, declaratum est ad I, 61. Cum ederetur: *Est enim actio* (etiam apud Crat., Vict., Lamb.), Aldus Man. et in postrema editione Paulus scripserunt: *Est etiam actio*, et sic Grut. ceterique cum mg. Crat., Pall. 2, 5, El., Mead., Eξ. Gzius *enim* e Gud. 2 enotavit. Mox *ac motu* pro *aut motu* [B,] Gzius ex omnibus (?) suis, excepto Gud. 2.

non ante, sed retro) Notabiliter *ante* dixit, quod Plautus et Terentius *prorsus* sive *prorsum ire* aut *cedere*; nec scio, quis praeterea sic dixerit; nam apud Verg. Georg. III, 552 *ante* est *ante se*. Simile est apud Plinium in H. N. XI, 249: *priora genua post curvantur, posteriora in priorem partem*; paulo post dicit *in posteriora*, § 248 autem: *quae animal generant, genua ante se* (in priorem partem) *flectunt*. Paulo post *hom. exuens ex hom.* dedi ex Erl. [et B]. Gzius tamquam ex eo et Spir. dedit: *exuens hom. ex hom.* [Paulo post *mutari* etiam B; edd. *immutari*.]

36. *apti esse*) Sic etiam Spir. [B], Mor., ex El. Davisius, et recte probavit Wesenbergius ad Sestianam p. 16; nam in unius notionis partibus adiectivum ad extremam accommodatur.

videntur. Iam vero animus non esse solum, sed etiam cuiusdam modi debet esse, ut et omnes partes suas habeat incolumes et de virtutibus nulla desit. Atque in sensibus est sua cuiusque virtus, ut ne quid impediat, quo minus suo sensus quisque munere fungatur in iis rebus celeriter expediteque percipiendis, quae subiectae sunt sensibus. XIII. Animi autem et eius animi partis, quae princeps est quaeque mens nominatur, plures sunt virtutes, sed duo prima genera, unum earum, quae ingenerantur suapte natura ap-

1. *cuius* (pro *cuiusdam*) E 2. *esse debet* ROr. *suas* om. LP 3. *Atqui* LPCROr. 4. *sui cuiusque* R *ut* om. E 5. *his* L 6. *percipiendum* P 7. *partique* (pro *partis quae*) E *est et quaeque* L 9 *sua parte natura* R

omnes partes suas) *Suas* omiserunt Vict. et Grut., hic Pal. 4 auctore. Revocavit Dav., quinque codd. testans. (Oxx. EUχ), Gzius ex Erl., Spir. [B], Mon., Bas. (*Esse debet* Crat., Gzius, *debet esse* [B,] Grut., Dav.) In *atque* secutus sum Erl. et Spir. [B]; progreditur oratio explicando (*Ac primum in sensibus*).

Cap. XIII. *sed duo prima genera*) Eandem rem Cicero in Acad. I, 20 significans ait in animo a veteribus ea laudata esse, *quae essent ad comprehendendam ingeniis virtutem idonea, eaque ab iis in naturam et mores divisa esse.* Apparet enim naturae nomine significari, quae hic *suapte natura* (id est, ipsa singulorum hominum natura et sua sponte) *ingenerari* dicuntur. Exponitur divisio in (Aristotelis) Magnis Moralibus I c. 5, quo loco Morelius usus est (nam in Eth. Nicom. I, 13 extr. brevissime divisio τῶν διανοητικῶν καὶ τῶν ἠθικῶν ἀρετῶν significatur): Ἔστι δ' ἡ ψυχή, ὥς φαμεν, εἰς δύο μέρη διηρημένη. εἴς τε λόγον ἔχον καὶ ἄλογον. Ἐν μὲν δὴ τῷ λόγον ἔχοντι ἐγγίνεται φρόνησις, ἀγχίνοια, σοφία, εὐμάθεια, μνήμη καὶ τὰ τοιαῦτα· ἐν δὲ τῷ ἀλόγῳ αὗται αἱ ἀρεταὶ λεγόμεναι, σωφροσύνη, δικαιοσύνη, ἀνδρία, ὅσαι ἄλλαι τοῦ ἤθους δοκοῦσιν ἐπαινεταὶ εἶναι. Κατὰ γὰρ ταύτας ἐπαινετοὶ λεγόμεθα, κατὰ δὲ τὰς τοῦ τὸν λόγον ἔχοντος οὐδεὶς ἐπαινεῖται. Sed quod hic aperte et neglegenter hae virtutes ἐν τῷ ἀλόγῳ ponuntur, apud Stobaeum p. 294 cautius περὶ τὸ ἄλογον γίγνεσθαι dicuntur. Nam μετὰ λόγου τὰς ἠθικὰς ἀρετὰς εἶναι, Aristoteles docebat (Eth. Nicom. I, 13, 18 et VI, 13). Et in Magnis Moralibus et apud Stobaeum φρόνησις et σοφία in priore genere ponuntur, apud Ciceronem autem *prudentia* in altero; et ipse Aristoteles satis confirmat, τὴν φρόνησιν neque ab ethica virtute posse seiungi neque sine nostra voluntate et laudabili studio ingenerari (Eth. Nicom. VI, 5, VI, 13, 6 cet.). Itaque divisionem in libris Aristotelis et veteris familiae Aristoteliae minus dili-

pellanturque non voluntariae, alterum earum, quae, in voluntate positae, magis proprio nomine appellari solent, quarum est excellens in animorum laude praestantia. Prioris generis est docilitas, memoria; quae fere omnia appellantur uno ingenii nomine, easque virtutes qui habent, ingeniosi vocantur. Alterum autem genus est magnarum verarumque virtutum, quas appellamus voluntarias, ut prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam et reliquas generis eiusdem.

37. Et summatim quidem haec erant de corpore animoque dicenda, quibus quasi informatum est, quid hominis natura postulet; ex quo perspicuum est, quoniam ipsi a nobis diligamur, omniaque et in animo et in corpore perfecta ve-

1. Post *alterum* add. *autem* [Eh]P 3. *maiorum* (pro *in animorum*) E *in animarum* C 4. *memoriaque* L 6. *autem* om. L 7. *qua appellans* E *et* (pro *ut*) ELR 8. *eiusdem generis* LPCROr. 10. *quod* omnes, Or. 11. *postulat* R 12. *et* ante *in animo* om. L *in* bis om. E, posterius L

genter expositam (et notum est, Aristotelem in his quaestionibus ethicis non summam subtilitatem secutum esse) is, quem Cicero ducem habet, sic expolivit et mutavit, ut in priore genere sola ingenii bona a natura data (*naturam*) poneret et alterum genus prorsus rationale faceret (cfr. § 38: *propterea quod ex ratione gignuntur*). Haeserat hic Lambinus, cui Davisius non satis respondit.

alterum earum) Dav. e Par. 1 (P) et El. interposuit *autem*. Gzius, etsi improbat, scribit, „e suis nescire *autem* Bas. et Mon., Oxx. E et ξ"; putes ceteros habere; sed in E et ξ, ut in nostro L, non hic omitti notatur *autem*, sed infra (*Alterum autem genus* cet.). [Baiterus ex Erl. *autem* addidit. In B verba *alterum* — *voluntate* omittuntur.] Proxima verba sic intellegi posse puto: magis proprium habent id nomen, quod habent (*virtutes*), ut necesse non sit cum Davisio scribi velle: *magis proprie eo nomine* aut cum Schuetzio: *magis proprio nomine virtutes*; durius tamen dicitur; aliter enim II, 7 in verbis *cum appellaretur* auditur *sapiens*. [*Generis eiusdem* etiam B; edd. inverse.]

37. *quid hominis natura postulet*) *Quid* pro *quod* post Man. scribi Bremius iussit; flagitat et verbi modus et sententia; nam quaerendo adumbratum esse dicitur, quid sit. Vid. ad I, 18.

et in animo et in corpore) Praepositio utraque excidit etiam in Spir. [B]. Longe aliud est, omnia (omnes *res*) animo et corpore perfecta esse. Mox Gzius et recentiores e tribus codicibus *et in his*; et tamen praecedit *ea*. Ex huiusmodi sal-

limus esse, ea nobis ipsa cara esse propter se et in iis esse ad bene vivendum momenta maxima. Nam cui proposita sit conservatio sui, necesse est huic partes quoque sui caras esse, carioresque, quo perfectiores sint et magis in suo genere laudabiles. Ea enim vita expetitur, quae sit animi corporisque expleta virtutibus, in eoque summum bonum poni necesse est, quando quidem id tale esse debet, ut rerum expetendarum sit extremum. Quo cognito, dubitari non potest, quin, cum ipsi homines sibi sint per se et sua sponte cari, partes quoque et corporis et animi et earum rerum, quae sunt in utriusque motu et statu, sua caritate colantur et per se ipsae appetantur. 38. Quibus expositis, facilis est coniectura, ea maxime esse expetenda ex nostris, quae plurimum habent dignitatis, ut optimae cuiusque partis, quae per se expetatur, virtus sit expetenda maxime. Ita fiet, ut animi virtus corporis virtuti anteponatur, animique virtutes non voluntarias vincant virtutes voluntariae, quae quidem proprie virtutes appellantur multumque excel-

1. *his* ELCOr. 2. *momenta* om. E *proposita est* R 4. [*duo perfectiores* Eh] 7. [*quando quid* Eh] 11. *sua e caritate* E 13. *a nostris* E 16. *virtus* om. R

tem locis intellegi debebat, quam nulla esset codicum in illo casu (*his*) auctoritas. Sed Gzius ne id quidem intellexit, *ea* esse animum et corpus. Paulo post quod post *vitae* appellationem sequitur *in eoque*, neutro genere, de eo dixi ad III, 21. In omni autem hoc loco conclusionem argumenti saepius quasi in eundem orbem revolvi et copia quadam verborum implicari, perspicuum est.

et earum rerum) Rectius, opinor, Cicero dixisset: *et eae res*. Nam animi et corporis et partes et affectiones (*quae sunt in motu et statu*) carae sunt; affectionum partes non apte dicuntur. Illo modo Stobaeus p. 248: *Φίλον γὰρ εἶναι ἡμῖν τὸ σῶμα, φίλην δὲ τὴν ψυχήν, φίλα δὲ τὰ τούτων μέρη, καὶ τὰς δυνάμεις καὶ τὰς ἐνεργείας* (non *τῶν δυνάμεων*). Mox sine dubio etiam Spir. *sua e car.* [B], non *sua et car.*

38. *quae plurimum habent dignitatis*) Rectius esset, quod Ernestius requirebat, *habeant*. Post enim demum definitur, quid plurimum dignitatis habeat; hic generalis notio includitur in sententiam infinitam. Sed Cicero certae rei notionem praecepit. Cfr. ad I, 55 (*existimant*).

lunt, propterea quod ex ratione gignuntur, qua nihil est in homine divinius. Etenim omnium rerum, quas et creat natura et tuetur, quae aut sine animo sunt aut *non* multo secus, earum summum bonum in corpore est; ut non inscite illud dictum videatur in sue, animum illi pecudi datum pro

2. *est enim* (pro *etenim*) C 3. *tuetur* om. P *sint* omnes, Or. *non* om. omnes 4. *eorum* omnes *non inscite* — *putisceret* Nonius p. 161 5. *animam* — *datam* Or.

quae aut sine animo sunt) In aperta hac generis definitione (nam distingvuntur arbores stirpesque et bestiae ab homine, in quo summa animi est), cum nulla extrinsecus causa modi mutandi accederet, coniunctivum (*sint*) ferendum non esse, recte Ernestius iudicavit. (Gzius *quae* vult esse *licet eae*, quasi, *etiamsi* animum non habeant, *tamen* in animo summum bonum non habeant!) Illud dubium est, potueritne Cicero, cum commune *rerum* nomen posuisset, transire in demonstrativa sententia ad neutrum genus pronominis; nam in codice archetypo fuisse *eorum*, ostendunt etiam [B,] codices Oxx. (Eξχ) et editiones veteres (Crat., Man.), etsi de aliorum codicibus tacetur. Fieri potest, ut neutrum posuerit, tamquam si hac forma usus esset: *ex rebus a natura creatis omnia ea* cet., non hac: *omnes res a natura creatae*, *quae* cet. In codice archetypo omissum fuisse *non* ante *multo*, ostendunt [B] et Pall. (praeter 6) et Oxx. (EUχψ) et editiones veteres (Crat., Vict.); addidit Aldus Manutius.

dictum videatur) a Chrysippo, si Ciceroni credimus de N. D. II, 160; Stoicis quibusdam tribuit Plutarchus in Quaestt. Convival. V, 10, 3 p. 685 C, Cleanthi Clem. Alex. Strom. VII p. 304 Sylb.

animum — *datum*) Lambinus *animam datam*, et secuti sunt post Gruterum fere recentiores; Gzius (et Or.) e Nonio sumptum narrat, quod ne quis crederet, ipse Lambinus caverat. Non spernendam fuisse coniunctam codicum et Nonii auctoritatem, Davisius intellexit, quamquam non satis subtiliter disputavit. Cum enim in Graeco dicto ψυχή nominaretur, recte Latini plerumque in eo reddendo *animam* nominarunt, hoc significantes, suem ab inanimorum genere separatam et in eorum positam, quae viverent et animam ducerent, ut ipse Cicero de N. D., Varro de R. R. II, 4, 10, Plinius H. N. VIII, 207. Sed in hac disputatione, cum de animi et corporis discrimine et utriusque bonis agatur, cumque significatum sit, quaedam animalia non multum abesse, quin sine animo sint (ex quo tamen simul, ea animum habere, significatur), necessario *animus* etiam in sue nominatur, negaturque huius pecudis bonum in *animo* esse

sale, ne putisceret. XIV. Sunt autem bestiae quaedam, in quibus inest aliquid simile virtutis, ut in leonibus, ut in canibus, *ut* in equis, in quibus non corporum solum, ut in

1. *putresceret* omnes praeter Nonium 2. *aliquod* [Eh]R *ut* ante *in canibus* om. LROr. 3. *ut* ante *in equis* om. ELPROr

posse; *animae* bona nulla cogitari poterant. *Animos bestiarum* (*die Thierseelen*) et Tusc. I, 80 Cicero appellavit et hic paulo post, in bestiis animorum motus esse dicens; nec quidquam obstabat, quo minus sic diceretur, modo in cogitando ea se notio obtulisset.

putisceret) Nonius: *Putidum, non putrem, sed odoris mali. M. Tullius de fin. bon. et mal. lib. V: Non inscite — ne putisceret.* Eam scripturam inde a Lambino sequuntur, Davisio excepto. Odoris mali nomine Nonius *τὴν σηπεδόνα* significat, carnis corruptae foetorem; putre dicit, quod non firmiter cohaeret facileque comminuitur et dissolvitur (*morsch und locker*). Quod ad priorem significationem *putisco* verbum adiungit, confirmatur hactenus, quod et in hoc dicto in libro II de N. D. et in Theodori Cyrenaei verbis (*Τί Θεοδώρῳ μέλει, πότερον ὑπὲρ γῆς ἢ ὑπὸ γῆς σήπεται;*) in Tusc. I, 102 optimi codices (illic ABC Moseri et alii, hic Parisinus et Gud. 1) *putesco*, non *putresco* habent. Omninoque, quamquam adiectiva, quae sunt *puter* et *putidus*, ut *ruber* et *rubidus*, ab eadem radice (*put*, *πύθω*) profecta [nam correptam in *putris* raro vocalem obstare non puto nec Lachmannum probo ad Lucret. III, 871 *puter* cum substantivo, quod *puteus* est, coniungentem], non valde certis finibus ab initio secreta fuisse puto (nam naves parietesque ab antiquis putida dicta reperiuntur), tamen ea, quae corrupta foeterent, tantum *putida* appellata puto (ut *putidam carnem* Cicero dicit) et ob eam causam hoc ut *rancidus* translate dictum esse, cum eo autem coniungi *putesco*, quod Nonius *putisco* scripsit, ut *delitisco*, *lucisco*, *obmutisco* in antiquissimis quibusdam Ciceronis et Terentii codicibus, recteque apud Horatium Sat. II, 3, 119 *putrescat*, 194 *putescit* scribi, et apud Lucretium III, 871 *putescat* (codd. *putes*) de corpore sepulto. In substantivo, quod est *putor*, discrimen nullum videtur esse. [Itaque nunc *putisceret* restitui cum Baitero.]

Cap. XIV. *ut in leonibus* cet.) In codice archetypo [B] erat: *ut in leonibus, ut in canibus, in equis*, quod Victorius tenuit. Librarii pauci deteriorum codicum (Mead., Eξ, Gud. 2, Bas., Mon.) alterum *ut* sustulerunt, quos Crat. et Gzius secuti sunt (et dixit Cicero IV, 37: *ut in equis, in canibus*, sed in duobus membris); contra editio prima et ex ea Man. et alii *ut* addiderunt tertio loco contra codd. (Pall., Dav., EUξχ, Gzii), recte, ut videntur;

suibus, sed etiam animorum aliqua ex parte motus quosdam videmus. In homine autem summa omnis animi est et in animo rationis, ex qua virtus est, quae rationis absolutio definitur, quam etiam atque etiam explicandam putant.

39. Earum etiam rerum, quas terra gignit, educatio quaedam et perfectio est non dissimilis animantium; itaque et vivere vitem et mori dicimus, arboremque et novellam et vetulam et vigere et senescere; ex quo non est alienum, ut animantibus, sic illis et apta quaedam ad naturam putare et aliena, earumque augendarum et alendarum quandam cultricem esse, quae sit scientia atque ars agricolarum, quae circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculet, ut, quo

1. *motus aliquos* C 4. *que* (pro *quam*) P 8. Post *vetulam* add. *dicimus* E 9. *animalibus* E *aptare* (pro *putare*) PR *amputareque* C *reservare amputareque* L 10 Prius *et* om. C 12. *circumdat* E *adminiculetur* LPCBOr.

III, 51: *ut in valetudine*, *ut in integritate sensuum*, *ut in doloris vacuitate.* Paulo post Dav. e Parr. 1 et 3: *quae* — *explicanda putant.* In virtutis, ad quam ascendendo perventum est, explicatione omnem operam collocandam Peripatetici putant.

39. *ad naturam putare*) Sic Erl., Spir. [B], El., mg. Crat. (Morelius non codicem appellat, sed „alios"), restituitque Gzius post Lambinum, qui se codices secutum profitetur. Hinc repetitione litterarum factum est *ad naturam amputare* et, addita particula, *amputareque* (in Pall. praeter 4, Davisianis sex, Oxx.. Gud. 1, Mon.), alia autem correctione *aptare*, quod habet Pal. 4, ex R Vict., tum editiones post hunc pleraeque, editoribus improbantibus. Quod ex *ad naturam* ad *aliena* intellegitur *ab ea*, notam habet figuram et brevitatem. Matthiaeus comparat III, 49, ubi ex *ad quas* ad *continere* auditur tantum *eas*. Paulo ante cod. Mor. *et vivere et vigere et mori.* [Mox *animalibus* etiam B, minus apte ad id, quod praecedit, *animantium.*]

adminiculet) [Edebatur: *adminiculetur.*] Propter cod. Erl. in suspicionem terminatio verbi deponentis venit a librariis orta esse, ut *lacrimari* in Verr. V, 121 (cfr. Opusc. nostra Acad. I p. 372); nam Varro et ceteri *adminiculo.* Formam tamen in verbis intransitivis primae coniugationis, quae a nominibus ducuntur, tam usitatam [et in hoc ipso verbo confirmatam a Prisciano p. 791 et 927, cuius Freundius admonuit,] mutare non ausus sum, cum de ceteris melioribus codicibus non constaret. [Nunc accedente B cum Baitero mutavi.] Deinde *possint ire* Davisium sequens Ernestius scripsit; nam si natura arborum

natura ferat, eo possint ire; ut ipsae vites, si loqui possint, ita se tractandas tuendasque esse fateantur. Et nunc quidem, quod eam tuetur, ut de vite potissimum loquar, est id extrinsecus; in ipsa enim parum magna vis inest, ut quam optime se habere possit, si nulla cultura adhibeatur. 40. At vero si ad vitem sensus accesserit, ut appetitum quendam habeat et per se ipsa moveatur, quid facturam putas? An ea, quae per vinitorem antea consequebatur, per se ipsa curabit? Sed videsne accessuram ei curam, ut sensus quoque suos eorumque omnem appetitum, et si qua sint adiuncta ei

1. *possit* omnes *ut* om. C *possent* omnes 3. [*debite*, in marg. *de vite* Eh] 4. *id* om E [*partim* Eh] *est* (pro *inest*) LPCROr. 7. *ipsam* omnes, Or. [*quod* Eh] 8. *ante* E *et per se* LP *ipsam* omnes, Or. 9. [*et sensus* Eh] 10. *omnium* LPCROr. *sunt* LC *ei membra adiuncta* LPCOr. *adiuncta* om. R

pro arboribus diceretur, quod ipsum hoc loco incommode fieret, necessario scribendum erat *feratur*. (Ad *artem agricolarum* hoc rettulit Gzius; ita ars sibi adminiculat, ut ars possit ire, quo natura eam ferat.) Paulo post *possent* pro *possint*, repugnante *fateantur*, [B,] Davisii codices editionesque veteres (Crat., Vict.). Correxit Aldus Manutius; Gzius in quattuor suis *possint* esse testatur; nec ex Oxx. ad *possint* quidquam notatur. Postremo *inest* ex uno Erl. [et B] posui. [*Id* om. etiam B.]

40. *et per se ipsa moveatur*) Et hic et paulo post (*per se ipsa curabit*) [ubi antea Erl. *ipsa* habere putaram] in cod. archetypo propter *se* scriptum erat *ipsam*, hoc loco eo facilius, quod sequebatur *m*. Utroque loco recte Cratander, quem priore loco omnes secuti sunt, donec Gzius *ipsam* reduxit, altero solus Ern. Ipsa vitis sentiens per se movetur. Interrogatio haec: *An — curabit?* sic subicitur superiori, ut Piso suspicando praecipiat id, quod responderi necesse sit, et affirmet, de quo genere dixi in Epist. ad Orell. p. 77 et Opusc. Acad. II p. 230 et 231; neque enim Handius (Turs. I p. 345 et 353) prorsus mihi satisfacit. [Etiam B *ante*.]

eorumque omnem appetitum) Sic etiam Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor. pro *omnium*. Tum *adiuncta ei membra* etiam Spir. [B]. Editiones deteriores codices sequuntur, nisi quod Gzius, quod in Gud. 1 et Bas. erat: *ei membra sint adiuncta*, delevit *membra*, propter instabilem sedem suspectum, non improbante Orellio. Id genus argumenti quale sit in huiusmodi locis, ubi verborum et participiorum positus leviter mutatur, scire debet, qui per decem capita librorum scripturas perlustravit, quamquam

membra, tueatur? Sic ad illa, quae semper habuit, iunget ea, quae postea accesserint, nec eundem finem habebit, quem cultor eius habebat, sed volet secundum eam naturam, quae postea ei adiuncta est, vivere. Ita similis erit ei finis boni, atque antea fuerat, neque idem tamen; non enim iam stirpis bonum quaeret, sed animalis. Quid, si non sensus modo ei datus sit, verum etiam animus hominis? non necesse est,

1. *iungit* LC *iungat* R 3. *eius* (pro *eam*) E 4. *sit* omnes, Or. *et* (pro *ei*) EPCR om. L 5. *et* (pro *atque*) P 6 *Quod si* LPCROr. *modo sensus non* E *ei modo* R 7. *sit datus* LPCROr. *verum animus est etiam animus* E *verum etiam animus, et animus* Or.

in vocibus *ei membra* ordo constat, in *adiuncta* variat. Post *sensus* rectius definite *membra* commemorantur quam infinite *si qua*; debebat saltem addi *alia*. Gud. 2 *sunt*, quod quamquam huic obliquae orationi vehementissime repugnat, ex ed. prima ad alias quasdam propagatum est. Contra paulo post, ubi recta oratione Piso loquitur (*habebit* — *volet*), necessario dicitur *adiuncta est*; fingit enim ipse, adiunctam esse (ut ante dicit: *quae habuit*), non arboris sententiam significat; itaque sic scripsi, correcto eo errore, de quo dixi ad III, 58.

erit ei finis) Sic Th. Bentleius correxit, quod in cod. arch. erat: *erit et finis*; est enim mendum pervagatum (cfr. § 69). Manutii et Lamb. *et* delerant, nec Oxx. annotant nisi ex ξχ. Mire Handius Turs. II p. 514 *et* eodem modo accipi vult, quo in comparando dicamus *sic et hoc* pro *etiam*. Primum saltem sic scribi debuit: *Ita et finis* cet., deinde sic hoc diceretur, tamquam si de alia re ante dictum esset; atqui praecessit: *nec eundem habebit finem* cet. Sic apices defendantur, ut aliqua tamen sententiae et sermonis ratio ducatur.

Quid, si non sensus cet.) Vividiorem hanc orationis formam in ascensu ad maius, quam etiam e Spir. [B] Gzius posuit, quamquam exiguum est in hac re codicum momentum (cfr. § 47), cur Orellius a loci sententia alienam dicat, non video; commendat eam subiecta cum vehementia quadam interrogatio; cfr. II, 79; de Divin. II, 83: *Quid, quod — utuntur? non necesse est* cet.? [*Datus sit* etiam B. Edd. inverse.]

verum etiam animus hominis) In Erl. [et B], ut non raro alibi, repetitione vocis scriptura confusa est. Nescio, unde Marsus (si Hertelii silentio credi potest) et, quod miror, Vict. sumpserint, quod ab iis acceptum Orellius posuit: *animus et animus hominis*; (cod. Stephani nullus est). Sed speciem tantum illa interpolatio habet, non veritatem. Videtur enim a sensu transiri

et illa pristina manere, ut tuenda sint, et haec multo esse cariora, quae accesserint, animique optimam quamque partem carissimam, in eaque expletione naturae summi boni finem consistere, cum longe multumque praestet mens atque ratio? Sic extitit extremum omnium appetendorum atque

1. *ut* (*ad* E) *tuendas inter haec* EP *ut* (*et* C) *tuenda inter haec* LCR
5. *sicque extremum* E *sic et extremum* LPCR *Sic* [*et*] *extr.* Or.

debere ad animum, qui universe etiam in bestiis intellegatur, tum ad humanum animum perveniri. Verum animus ille, qui in bestiis intellegi potest, a Pisone significatus est ipsa sensus mentione; quod enim eum habet, id animal est, ut ipse dicit (*sed animalis*). Itaque a sensu necessario statim venitur ad humanum animum.

ut tuenda sint, et haec multo cet.) Sententia aperta est, et eorum, quae antea fuerint in vite, quoniam maneant, curam adhibendam esse et multo magis animi. Scripturam Orellius restituit, quae in Erl. et Spir. [B] una littera aberrabat et prava vocum separatione (*tuendas inter haec*); ex P apparet, etiam in deteriorum paulo integrioribus sic fuisse. In ceteris *s* littera sublata est, ne *pristina tuendas* diceretur. Editores, ut oratio cohaereret, *et* ante *inter* addiderant (inde ab Ascensio 1511, contra EUξψ, Gzianos, id est, contra omnes); quam nulla sententia, viderat iam Th. Bentleius, qui: „Inter quae?“ inquit; „non enim video. Fortasse delendum *inter*.“ Nam *inter pristina* (debebat dici *inter ea*) *cariora esse nova*, ridicule dicitur. [*Ad* pro *ut* etiam B.]

Sicque extremum cet.) [Sic edebatur.] Gzius e Spir. annotat *sicque*, ex Erl. *sitque extimum*; [Baiterus ambiguum dicit esse, Erl. et B *sicque* an *sitque* habeant; *extimum* neque meus collator neque Halmius repperit]. Non minus prave deteriores codices et editiones: *Sic et extremum* cet. Particulae *et* nihil hic esse loci, senserat Ursinus et nuper Gzius, quam frustra Handius Turs. II p. 514 eodem artificio, de quo paulo ante (*erit et finis*) dixi, tueri conatur. Neque enim hic ulla est comparatio aut in comparando adiunctio, sed iter superioris disputationis quod fuerit, indicatur. *Sicque* e Latino ore non magis auditum est quam *hicque* aut *nuncque*, spernente etiam particula, quae demonstrationem gravem habet, copulae adiectionem. (Quod legitur de leg. agr. II, 56, mendosum esse, omnes nunc consentiunt; neque enim modus significari debet, sed, cui agro vectigal imponatur; *s* adhaesit ex praecedente voce; Cicero scripserat: *eique agro.*) Sed est aliud orationis vitium; nam coniunguntur et subiectum sententiae continent haec: *extremum*

ductum a prima commendatione naturae multis gradibus ascendit, ut ad summum perveniret, quod cumulatur ex integritate corporis et ex mentis ratione perfecta.

XV. 41. Cum igitur ea sit, quam exposui, forma naturae, si, ut initio dixi, simul atque ortus esset, se quisque cognosceret iudicareque posset, quae vis et totius esset naturae et partium singularum, continuo videret, quid esset hoc, quod quaerimus, omnium rerum, quas expetimus, summum et ultimum, nec ulla in re peccare posset. Nunc vero a primo quidem mirabiliter occulta natura est nec perspici

1. *doctum* EP *commutatione* E *communitate* LPCR 2. [*quid* Eb]
8. [*expetemus* Eb]

omnium appetendorum atque ductum cet. Verum *extremum appetendorum* (ut *summum bonorum*) certam habet notionem, de qua dici aliquid possit, *ductum a prima commendatione* descriptionem alius notionis adeo manifestam, ut ne grammatica quidem ratio patiatur sic dici: *ductum a prima commendatione* (i.e., *id, quod ductum est*) *ascendit* cet. Id sentientes Lambinus et Ernestius, cum animadvertissent, quod facile erat videre, hoc *ductum a prima commendatione* in parte praedicati esse, ut significaretur extremi appetendorum et initium et ascensus, *atque* eiciebant. Et profecto rectissima haec et oratio et sententia erit: *Sic extremum omnium appet., ductum a prima commendatione naturae, multis gradibus ascendit* cet. Verum in initio sententiae aperta sunt mendi vestigia (in *sicque*, *sic et*), in *atque* nulla. Itaque haec fuit orationis forma: *Sic e x t i t i t extremum omnium appetendorum atque*, *ductum* — *naturae*, *multis* cet. Ipsum quoque verbum, quod exciderit, a me repertum puto; aberravit enim librarius codicis archetypi in litteris *ext.* [Itaque nunc praeeunte Baitero restitui.] (Gzius *atque* vult esse *et quidem*, *sane*, quid hic illae particulae agant aut ubi sic ponatur *atque*, securus.) Deinde Marsus et Lambinus, quamquam scriptura meliorum codicum (Erl., Spir. [B], mg. Crat., El.) *commutatione* carebant, facile, in re praesertim totiens in hoc opere commemorata et eodem etiam nomine saepe notata (ut II, 35, hic 33, 41, 46), verum reppererunt, quos Ern. et Gzius secuti sunt; deteriores (Pall., ceteri Dav., ξχψ, Gziani reliqui) et ceterae editionès *communitate*. *Cumulatur* est *completur et absolvitur*.

Cap. XV, 41. *Nunc vero a primo*) Cod. Mor.: *Nunc vero quod mirabiliter occulta nat. est. nec* cet., licenter mutata scriptura. *Nec cognosci* eo modo negative adiungitur, de quo dixi

nec cognosci potest; progredientibus autem aetatibus sensim tardeve potius quasi nosmet ipsos cognoscimus. Itaque prima illa commendatio, quae a natura nostri facta est nobis, incerta et obscura est, primusque appetitus ille animi tantum agit, ut salvi atque integri esse possimus; cum autem dispicere coepimus et sentire, quid simus et quid *ab* ani-

3. *illa prima* LPCROr. 4. *obscura et incerta* LC *ille appetitus* LR *tantum* om. R 6. *despicere* [Eh]LR *coeperimus* (P) *ceperimus* [Eh]CR *quid* (altero loco) om. L *ab* om. omnes, Or.

ad I, 30. [Paulo post *prima illa* etiam B.] Deinde *incerta et obscura* etiam Gzii codd., Crat., Vict., Dav. tacite, Gzius; alter ordo ex C ad Man. et ceteros propagatus erat. Recte iam Crat. *nobis* prioribus adiunxerat; significatur enim: qua nos nobismet ipsis commendati sumus; plerique: *facta est, nobis.*

tantum agit) hoc est, nihil plus nec maius quidquam spectat; quomodo saepissime dici *tantum*, ut non augendi, sed certi modi et finis significationem habeat, notum est expositumque olim a Manutio ad epist. ad Fam. I, 7, 4, nuper a Beneckio ad orat. de imp. Pomp. 14; [cfr. supra II, 38]. Illis, qui nostri sermonis more falluntur, adverbium *tantum* minuendi causa ad demonstrationem rei addendum videtur fuisse, ut hoc loco Th. Bentleio et Bremio scribendum visum est: *tantum id agit*, quod nusquam eos legisse arbitror (etsi memini *tantum illud vereor*, alia paulo sententia); verum eodem modo § 90 dicitur *tantum refert*, non *tantum id refert*, ne vulgare illud *tantum dico* ponam. Nec necessario huic verbo *ago* hac significatione pronomen illud addi, ostendit, quod Acad. II, 7 scribitur: *neque nostrae disputationes quidquam aliud agunt, nisi ut* cet. Quod Orellius vult *agit* esse *incitat*, neque accusativus omitti poterat nec dicitur usitate: *res me agit, ut faciam.*

cum autem dispicere coepimus) Sic Ernestius et, Gzio repugnante, Orellius e codicibus regiis, quos Lallemandus commemorarat; praestantior est auctoritas cod. Moreliani; [nam de Erl., quocum consentit B, falsus eram]. Sed quam non firmiter animo comprehenderint, sic necessario scribendum esse, ostendit, quod paucis versibus post reliquerunt: *cum autem paulum firmitatis accesserit, et animo utuntur*, ubi ego ex Erl. [et B] scripsi *accessit.* (Gzius Erl. *accessit* „peccare" narrat.) Causam exposui in praefatione Catonis et Laelii a me editorum p. XX [Opusc. Acad. II p. 281 sqq.]. Ubi enim aliquid certo tempore fieri solere significatur, idque tempus actionis praegressae absolutione notatur (in quo Latini, antiquiores praesertim, diligentius

mantibus ceteris differamus, tum ea sequi incipimus, ad quae

1. *incepimus* E

actionum tempora distingvunt, nos fere, tamquam eiusdem temporis utrumque sit, bis praesenti tempore utimur, quod Livius etiam saepe facit), ibi Latini sic loquuntur: *Cum* (id est, quotiens) *huc veni*, *hoc ipsum*, *nihil agere me delectat* (de Orat. II, 24); *cum sensus accessit ad naturam*, *tuetur illam* (supra IV, 38; significatur enim ea praegressio, quam in omnibus factam esse et fieri solere intellegitur). [Gr. Lat. § 335 not. 1.] Coniunctivo modo nullus locus est in hac simplici temporis notatione neque magis futuro exacto, quoniam nulla omnino futuri temporis significatio est. Librarii tamen, quibus post *cum* coniunctivus modus magis placebat, non raro aut *u* litteram in *i* mutarunt aut notam illam, qua *er* significatur, addiderunt, ut hic in plerisque codicibus (*coeperimus* pro *coepimus*; cfr., quae ad I, 23 dixi), editoresque habuerunt obsequentes; [*cum aspexi*, *cum aspexisti* non fere corrumpitur]. Recte scribitur hoc libro 24 (*cum processit — et coepit*, *incipit*), Tusc. II, 27 (*cum accesserunt*, *elidunt*), III, 3 (*cum tulerunt*, *audiuntur*; veteres tamen aliquot edd. *tulerint*; si causa significaretur, scribendum erat *ferant*), eodem libro 33 (*cum cecinit receptui*, *impellit*), IV, 54 (*cum domum rediit*, *qualis est?*) V, 77 (*cum ad flammam se applicaverunt*; sic codices; editiones quaedam *applicaverint*), 102 (*vident*, *cum in sua rura venerunt*), Cat. Mai. 51 (*cum semen excepit*, *primum id cohibet*; sed paulo post pro hoc: *cum emersit*, *fundit frugem*, quod optimi codices habent, deteriores aliquot substituerunt *emerserit*, et secuti sunt multi, etiam Ernestius; etiam 76 aliquot deteriores: *cum evenerit*), de Off. II, 19 (*reflavit*), de R. P. I, 63 (*cum mare coepit horrescere*, *unius opem implorat*), pro Quint. 47 (*rettuli*), Catil. IV, 12 (*proposui*), pro Deiot. 4 (*recognovi*), Philipp. II, 68 (*aspexisti*). Erratur in hoc ipso libro § 55 (*cum paulum processerint*, *delectantur*) et 61 (*efferuntur laetitia*, *cum vicerint*); utrumque correxi, prius e Nonio; Tusc. V, 85 (*quam cum ad caelum extulerint*, *reliqua ex collatione facile est conterere*); de Divin. II, 56 (*an illae aves*, *nisi cum vicerint*, *canere non solent?* codices boni *vicerunt*; eiusdem operis II, 31, ubi pro *cum — factus est* substitutum est *factus esset*, alibi emendavi); [II, 24 et 145 post meam admonitionem e codd. recte scriptum est;] de R. P. I, 66 mirum est, non haesisse editores in hac coniunctione: *cum populi fauces exaruerunt libertatis siti malisque usus ille ministris nimis meracam libertatem sitiens hauserit*, *tum magistratus et principes insequitur*; et tamen, quod paulo ante § 65 scriptum erat: *cum rex iniustus esse coeperit*, *perit illud illico genus*,

nati sumus. 42. Quam similitudinem videmus in bestiis,

corrigendum esse Moserus et Orellius senserant. De Off. quoque I, 26 sic corrupit Stuerenburgius (*adducuntur*, *cum inciderint*), codicem a se electum sequens; oblitus est eodem auctore mutare, quod II, 54 recte legitur: *cum* — *coeperunt*, — *coguntur*. [Pro Rosc. Amer. 56 recte Whittius: *si qui* — *venerunt*.] Apud Varronem in libris de R. R. vitiosus hic perfecti coniunctivus saepe a Victorio sublatus est codicum admonitu, cum in primis editionibus haereret, ut II, 4, 8 et 20, II, 5, 15 et 16, II, 7, 7 et 10; apud Caesarem expellendus est B. G. IV, 33 (*cum* — *insinuaverint*) et VI, 27 (*si conciderint*; *cum est animadversum* —; *cum reclinaverint*); recte scribitur VI, 19. [De Livio dixi Emendd. Livv. p. 621. Multa restant apud alios corrigenda, pleraque bonorum codicum auxilio; nam, ut his utar, apud Senec. Quaest. Nat. V, 4, 3, ubi editur foede: *cum coacervata sunt*, *deinde* — *coeperint*, cod. B habet *coeperunt*, et VI, 28, 1 is cum duobus aliis *si* — *inciderunt*; apud Quintil. I, 2, 7 optimi codd. *si terram attigerunt* pro *attigerint*; in Valerio Max. nuper attendit Halmius VI, 2 init., VII, 3 init.] Ab hoc genere illi loci separandi sunt, ubi generaliter loquentes secunda persona verbi utimur, quae de incerto subiecto posita ipsa coniunctivi causa fit [Gr. Lat. § 370]; itaque dicitur frequentissimo exemplo, ut hic IV, 74: *quid habent admirationis, cum prope accesseris?* (Tusc. V, 13, Cat. M. 9, de Off. I, 32, de Or. III, 201, al.).

quid ab animantibus ceteris differamus) Praepositionem in codicibus [B?] omissam recte editiones inde a Veneta 1494 ad Lambinum addiderant. Neque *differre* neque *diversum esse*, neque *dissidere* neque *dissentire* cum dativo Cicero aut quisquam huius aetatis scriptor prosae orationis dixit; ne Augusti quidem aetate in prosa oratione audita puto; Horatius haec omnia habet, tum, ut alia a poëtis orta, posteriores in prosam orationem receperunt, saltem *diversum esse* et *dissentire*, ubi de dissimilitudine dicitur. In Timaeo c. 12 si Cicero scripsit: *et iis etiam contrarie dissidentes* (codd. *contrarios*, Plato: ὁπόσα ἐναντίως πέφυκε διεστηκότα), dativum maxime rettulit ad *contrarie*.

42. *Quam similitudinem videmus*) hoc est, *cuius rei simile aliquid videmus*; et paulo post *quae similitudo* intellegitur *quiddam huic simile*. Eodem modo Cicero locutus est his locis: de Orat. II, 53: *hanc similitudinem scribendi* (id est, genus scribendi huic simile) *multi secuti sunt*; N. D. II, 27 (*quam similitudinem cernere possumus in iis aquis* cet.), Off. I, 14 (*quam similitudinem transferens* cet.). Prope accedit, quod huius operis libr. II, 47 legitur; prorsus eiusdemmodi esset, si scriberetur:

quae primo, in quo loco natae sunt, ex eo se non commovent; deinde suo quaeque appetitu movetur; serpere anguiculos, nare anaticulas, evolare merulas, cornibus uti videmus boves, nepas aculeis, suam denique cuique naturam esse ad vivendum ducem. Quae similitudo in genere etiam humano

1. *loco* om. E 2. *serpere* — *ducem* Nonius p. 145 3. *natare* Non. [*aneticulas* Êh] *anaticulos* Non. *volare* Non. *videamus* Non. *boves videmus* E 4. *vespas* (pro *nepas*) omnes praeter Non. *ad vivendum ducem esse* L

qua similitudine perspecta; nunc in eodem gradu manet, quo Tusc. IV, 23: *morbis corporum comparatur morborum animi similitudo*, id est, morbi animi similes. Nam et in substantivi usu proprietas quaedam est et in pronomine ad id accommodando, quod genus attigi in vulgaribus exemplis ad II, 66.

suo quaeque appetitu movetur) Dav. e Parr. 2 et 3 *moventur*, et potest hoc placere, ut Cicero (praesertim in membris sic coniunctis *primo* — *commovent*, *deinde* cet.) communiter pluralem posuerit, appositione autem interiecerit, ut fieri solet, *suo quaeque*. Sed nihil mutandum esse, docebit multo durior in eodem membro transitus ad singularem verbi numerum post vocem *quisque* in I Off. 147: *ut enim pictores et ii, qui signa fabricantur, et vero etiam poëtae suum quisque opus a vulgo considerari vult*; cui geminum est, quod hic § 72 extr. legitur. [Cfr. Caes. B. C. III, 37, Sallust. Cat. 37, Liv. VII, 33, 12.] Non possum igitur probare, quod II N.D. 121 editur: *quanta ad eam rem vis, ut in suo quaeque genere permaneant* (animantes), cum in omnibus bonis codicibus sit *permaneat*. (Neque enim minus recte hoc de unaquaque animante quam de singulis generibus dicitur, ne quis dicat, et illic et hic ipsum *quaeque* necessario pluraliter intellegendum esse.) In eodemque libro 127 restituendum est, quod ante Heindorfium et Moserum legebatur et a codicibus confirmatur: *suis se armis quaeque defendat*.

nepas) Hic quidem dubitari non potest, quin Nonius, qui propter hanc vocem locum profert, veram scripturam servarit, in codice autem archetypo pro minus noto nomine (nam scorpionem non ignorabant) notius alius animalis subiectum fuerit. In Gud. 1 in mg. scriptum erat *al' nepas scorpiones*, similiterque in Pal. 4, ab aliquo nimirum, qui Nonium nosset. „Etiam vetus Scaligeri liber agnoscit *nepas*“, eodem, opinor, modo.

Quae similitudo cet.) Parum eleganter in orbem quendam revertitur haec similitudinis notatio, ut, cum hominum similes bestias dixerit, dein bestiarum similitudinem in hominibus apparere dicat. *Primo ortu* sic dicitur ut *primo aspectu*, *adventu*

apparet. Parvi enim primo ortu sic iacent, tamquam omnino sine animo sint; cum autem paulum firmitatis accessit, et animo utuntur et sensibus, conitunturque, sese ut erigant, et manibus utuntur, et eos agnoscunt, a quibus educantur; deinde aequalibus delectantur libenterque se cum iis congregant dantque se ad ludendum fabellarumque auditione ducuntur, deque eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt, animadvertuntque ea, quae domi fiunt, curiosius, incipiuntque commentari aliquid et discere, et eorum, quos vident, volunt non ignorare nomina, quibusque rebus cum aequalibus decertant, si vicerunt, efferunt se laetitia, victi debilitantur animosque demittunt; quorum sine causa fieri

2. *accesserit* LPCROr. 3. *ut sese* PCROr. 4. *utantur* omnes *cognoscunt* R 5. *libenturque — ducuntur* Nonius p. 113 et 191 *his* E (aut *hiis*) LPC Non. Or. 6. *dantque — ducuntur* Non. p. 282 8. *advertuntque* R *curiosiusque incipiunt* L 10. *volunt* om. C *nolunt* (om. *non*) L *cum* om EP 11. *vicerint* E *vincunt* LPCR *victique debilitanturque* R 12. [*animos*, om. *que*, Eh]

meo [Gr. Lat. § 276 not. 2]. Supra 17 et infra 59 praepositionem Cicero addidit.

et manibus utuntur) Sic pro eo, quod in codicibus scriptum est *utantur*, scribitur iam in Iuntina editione, tum apud Manutium et Lambinum, quos Orellius iure secutus est. Neque enim nituntur pueri, ut manibus utantur, sed reapse iis utuntur, cum eas, quamvis incerto motu, huc illuc iactant. Nec, ut pedibus utantur, conituntur, sed hic ipse pedum usus est, quod se erigere conantur. [*Sese ut* etiam B].

quibusque rebus) verbi causa, luctando, currendo; dico, quia iniuria multis placuit, quod Lambinus scripsit: *quibusque de rebus*; non significantur lites aut iurgia. Deinde cum ederetur *vincunt*, Ernestius scribi maluit *vicerint*, quod Erl. et Spir. [B] confirmant; cur *vicerunt* scripserim, declaratum est paulo ante (ad § 41); nam quod ibi de *cum* particula dixi, idem de *si* iudicandum esse, ostendi et confirmavi in illa Catonis et Laelii praefatione. Senecae exempla aliquot collegerat I. F. Gronovius ad Epist. 114, de tempore verbi agens, modum non attingens. Paulo ante cod. Mor. *commentari aliquid facere et eorum* cet. [*Que* post *animos* om. etiam B; itaque Baiterus in ed. min. scripsit: *victi animos demittunt.* Multo probabilius est ad *debilitantur* ascriptum esse *animos demittunt* aut ad *debilitantur animo* ascriptum *demittunt* factumque *animos*.]

nihil putandum est. 43. Est enim natura sic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur. ob eamque causam parvi virtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrina moventur; sunt enim prima elementa naturae, quibus auctis virtutis quasi germen efficitur. Nam cum ita nati factique simus, ut et agendi aliquid et diligendi aliquos et liberalitatis et referendae gratiae principia in nobis contineremus atque ad scientiam, prudentiam, fortitudinem aptos animos haberemus a con-

1. *fieri* transp. post *putandum est* E [„sed librarius ante *nihil* ponendum esse significavit“ Eh] 3. *parvis* L 5. *natura* E *carmen* omnes Or. 9. *fortitudinemque* LPCR

43. *natura sic generata vis hominis*) *Vim corporis animique* dicit § 44; de N. D. II, 30 *omnem vim mundi natura divina contineri* scribit. Non differt sententia, quod § 66 legitur: *cum sic hominis natura generata sit.* Nec tamen hoc loco vocem *vis* tollendam esse, ipse ordo verborum, qui ea sublata efficitur. admonere dubitantes debebat.

virtutis quasi germen efficitur) [Edebatur *carmen.*] Mire hoc dicitur nec facilem explicationem habet. Ernestius concentum virtutis interpretatur; elementa esse quasi singulos versus, virtutem tamquam carmen ex iis compositum. Sed neque carmen rei pro concentu dici posse videtur, neque elementa versuum imaginem habere, neque carminis ex versibus compositio similis esse elementorum augescentium. Nec magis satisfacit Gzius, qui *carmen* vult esse *formulam.* Atqui verborum formula carmen est, non rerum, id est, lex et norma, ne alia persequar. Mihi recte iudicare videntur, qui aliud a Cicerone positum putant, correctio autem veri simillima I. F. Gronovii, qui *germen* scribi vult, in quo apta est imago virtutis se iam a radice tollentis et suam propriamque formam ostendentis. [Eam nunc recepi cum Baitero.] (In elementorum voce nullam esse significationem litterarum, quas vix Cicero Lucretii exemplo (I, 197, 824, 913) nude elementa appellasset, vix dicerem, quoniam absurdissima inde imago nascitur, nisi venisse quibusdam in mentem viderem.) Cod. Mor. *quibus actis.*

prudentiam, *fortitudinem*) Sic Gzius ex Erl., Spir. [B], Gud. 2, Bas. Antea erat *fortitudinemque.* Parum scite concludendo fere id ipsum efficitur (*non sine causa — videmus*), quod initio positum erat et ex quo illud (nos ita natos esse) aliqua ex parte intellectum est. [*Scintillas* etiam B, nec alibi Cicero deminutivo utitur.]

trariisque rebus alienos, non sine causa eas, quas dixi, in pueris virtutum quasi scintillas videmus, e quibus accendi philosophi ratio debet, ut eam, quasi deum, ducem subsequens ad naturae perveniat extremum. Nam, ut saepe iam dixi, in infirma aetate imbecillaque mente vis naturae quasi per caliginem cernitur; cum autem progrediens confirmatur animus, agnoscit ille quidem naturae vim, sed ita, ut progredi possit longius, per se sit tantum inchoata. XVI. 44. Intrandum igitur est in rerum naturam et penitus, quid ea postulet, pervidendum; aliter enim nosmet

2. *scintillulas* LPCROr. 5. *in* om. R *infima aetate* E *infirmitate* C 6. *quasi* om. LPCR *animus confirmatur* L 7. *cognoscit* R *quidem ille* LPR [*quid ille* Eh] 8. *tamen* omnes, Or. 9. *est igitur* LPCROr. 10. *providendum* E add. *est* R

ut eam — ducem subsequens) Ratio enim ex illis scintillis, quae naturae elementa sunt, accensa philosophum ad naturae extremum deducet. Paulo post *quasi per caliginem* Gzius ex Erl., Spir. [B], Gud. 1, ed. Crat.; antea *quasi* omittebatur. Tum *ille quidem* editur ex C inde a Manutio; Crat., Vict., Dav. *quidem ille*; [B ut Eh;] vid. ad IV, 43. [*In infima* etiam B. Sed infimam aetatem de prima nemo dixit.]

sed ita, — tamen inchoata) [Sic edebatur.] Si haec recte scripta sunt, ei, quod ipsum rei diligentius finiendae causa ponitur (*sed ita tamen, ut* perfecta ea vis non sit, sed *possit* cet.), superadditur nova cautio, ne illa priore ipsa res sublata videatur (et *tamen* rursus *sit per se inchoata*). Sed et supervacanea haec cautio videtur et incommode adiuncta, ut oratio obscura et implicata sit, quasi haec sit sententia: *sed ita, ut progredi quidem possit longius, sed tamen* cet., quod ferri nequit, quoniam hoc: *per se sit inchoata* non est contrarium illi: *agnoscit vim naturae.* (Nam *inchoata est* in hac coniunctione necessario initium factum significat, non perfectionem deesse.) Itaque fortasse scribendum est: *per se sit tantum inchoata*, ut continuetur eadem sententia. Idem Wesenbergio in mentem venerat. [Id nunc cum Baitero in ordinem recepi. Verba *sed ita, ut progredi possit longius* ad animum referri debere per se ultra id, quod natura inchoaverit, nitentem disputat O. Heinius (Ann. Phil. XCIII p. 247 sq.) et ob eam causam tollendum totum hoc putat *per se — inchoata.* Sed cum animus progreditur, ipsa vis naturae explicatur et absolvitur; itaque haec Cicero non distinxit, minus sane accurate. Sed si a Cicerone scripta haec non essent, quis addidisset quave de causa et sic ceteris grammatice accommodasset? Nimis incuriose haec de librariis finguntur.]

ipsos nosse non possumus. Quod praeceptum quia maius erat, quam ut ab homine videretur, idcirco assignatum est deo. Iubet igitur nos Pythius Apollo noscere nosmet ipsos; cognitio autem haec est una nostri, ut vim corporis animique norimus sequamurque eam vitam, quae [rebus] iis perfrua-

2. [*est de eo* Eh] 4. *nostri ut* (om. *vim*) E *ut vim nostri* cett., Or. 5. *rebus* sine uncis Or. *hijs* E *ipsis* cett , Or.

Cap. XVI, 44. *quam ut ab homine videretur*) Desiderant participium (*ortum videretur* aut simile quoddam); nam quod Gzius narrat, saepe Latinos dicere: *hoc a Terentio est* pro *Terentii*, potest sic dici de re traducta alicunde, quomodo [I, 21: *infinitio ab illo est*;] IV, 7: *habes enim a rhetoribus*; aliter nemo posuit. Sed cum ambigua sit vocis *praeceptum* natura, ut et praeceptum aliquid ab aliquo dicatur et eius esse praeceptum, videtur Cicero, cum pro substantivo posuisset, deinde alteram rationem secutus esse. (Eodem modo interpretantur Matthiaeus et Moserus.) Non habeo eiusdem generis exemplum; sed ambiguam illam, quam dixi, naturam declarat, quod apud Henrichsenium ad Cic. de Orat. II, 302 exposui, participia, quae ipsa pro substantivis non ponantur, substantivorum vice fungi, si cum substantivo ex participio facto coniungantur, ut praeter illa, quae ibi citavi, de Legg. II, 9 et III, 10: *iussa ac vetita populorum*; nam *vetita populi* non dicuntur. Eodem modo Cicero Off. I, 27 scripsisse videtur *consulto et cogitato*, etsi alibi *cogitato* pro adverbio non ponit. [Initio capitis *igitur est* etiam B; edd. inverse.]

cognitio autem haec est una nostri, ut vim corporis) Hanc scripturam restitui ex Erl. et Spir. [B], in quibus *vim* (*vi*) excidit post *ut*. Quaeritur enim, non quae sit una cognitio (sunt enim infinitae rerum infinitarum), sed quae sit una ratio nos cognoscendi, quod praeceptum est ut faciamus. Vix opus est addi, in vulgata scriptura prave sic praeponi *nostri*, quasi cavendum sit, ne ex alienis corporibus animisque nostri cognitionem hauriendam putemus. (Et tamen Gzius, cum in veras litteras casu incidisset, coniungebat *nostri ut vim corporis*, mirabili positu verborum.) Eξ, Mon. *est una, ut cum vim nostri.*

quae [rebus] iis perfruatur) Edebatur *rebus ipsis*, quod nihil aliud significare potest, nisi inanibus rerum umbris fruendum non esse, sed ipsa rerum veritate; verum hoc neque ipsum quale sit aut quae illae res sint aut quae inanis species caveri iubeatur, intellegitur, neque ullam habet Peripateticae et veterum sententiae propriam significationem neque ad corporis animique cognitionem pertinet. Recte Bremius vidit hoc dici,

tur. Quoniam autem is animi appetitus a principio fuit, ut ea, quae dixi, quam perfectissima natura haberemus, confitendum est, cum id adepti simus, quod appetitum sit, in eo quasi in ultimo consistere naturam atque id esse summum bonum; quod certe universum sua sponte ipsum expeti et propter se necesse est, quoniam ante demonstratum est, etiam singulas eius partes esse per se expetendas. 45. In enumerandis autem corporis commodis si quis praetermissam a nobis voluptatem putabit, in aliud tempus ea quaestio differatur. Utrum enim sit voluptas in iis rebus, quas primas secundum naturam esse diximus, necne sit, ad

1. [*hijs* Eh] *his* LB 2. *a natura* LCR 4. *in* post *quasi* om. LPCROr. 6 *quoniam — est* om. E *autem* (pro *ante*) LPR 7. *per se esse* R 9. *ea* om. LPCROr. 10. *his* LC

cum animum et corpus norimus, dandam esse operam, ut utriusque, id est, totius hominis bonis perfruamur, in quo omnis haec disputatio versatur. Sed Piso pro bonis animi et corporis, quae alibi dici solent, hic, ubi de naturae cognitione agit, ex qua finis bonorum ducatur, brevius animo et corpore frui iubet, significans, cum eorum bonis fruamur, nihil nisi nostra natura perfecta nos frui. Iure igitur Bremius *rebus* tolli volebat; neque id minus tollendum est nunc, restituto e cod. Erl. *iis* [*hijs* B]; nam *res eae* inepte animus et corpus, quae paucis verbis ante nominata sunt, appellantur. Tum codices multi deteriores (Pall. 2, 3, 5, El., Oxx. omnes, Mon.) *perficiatur*, quod miror in mg. Crat. annotari. Ad meliores [B] adiunguntur deteriorum minime mali, P et Pal. 4; Pal. 6 *perferatur*.

quam perfectissima natura) Sic Gzius etiam ex Spir. [B] et Gud. 2, sed non intellexit; nam *perfectissima* accusativum esse putat. Cum de appetitu agitur, non quaeritur, qualia a natura, id est, cum nascamur, habeamus, sed quali natura, hoc est, qualia. Itaque *perfectissima natura* coniungitur (*von der vollkommensten Natur und Beschaffenheit*); maluit autem Cicero sic dicere quam tantum *perfectissima* (accusativo casu), ut illam perfectionem absolutionem naturae esse significaret. [*In* ante *ultimo* etiam B.]

45. *ea quaestio*) Sic etiam Spir. [B] et ed. Crat. Ne usitate quidem dicitur: *num ita sit, quaestionem differo* (*die Frage, ob*). Ipsam quaestionem attigit Cato III, 17; alia dicentur in excursu de primis naturae.

id, quod agimus, nihil interest. Si enim, ut mihi quidem videtur, non explet bona naturae voluptas, iure praetermissa est; sin autem est in ea, quod quidam volunt, nihil impedit hanc nostram comprehensionem summi boni; quae enim constituta sunt prima naturae, ad ea si voluptas accesserit, unum aliquod accesserit commodum corporis neque eam constitutionem summi boni, quae est proposita, mutaverit.

XVII. 46. Et adhuc quidem ita nobis progressa ratio est, ut ea duceretur omnis a prima commendatione naturae. Nunc autem aliud iam argumentandi sequamur genus, ut

1. [*id quid* Eh] *mihi quid* E 2. *in re praetermissa* [Eh]C 3. *sin est* (om. *autem*) LPCROr., hic cum nota mendi *quod quidem* [Eh]C 4. *nostram hanc* LPROr. 6. [*aliquid* Eh] 7. *praeposita* R 8. *nobis progressa ratio nobis est* E 10. *genus sequamur* C

Si enim — non explet bona naturae —; sin autem cet.) Si voluptas non explet (*συμπληροῖ*) bona naturae, ut sine illa eorum numerus absolvatur, id est, si in iis non est (vid. ad III, 41), iure praetermissa est; sin autem in ea est id (tantum momenti et dignitatis), quod quidam volunt, ut in iis numeranda sit (vid. ad IV, 59), id nihil impedit cet. Postrema haec verba (*est in ea*, *quod*) cum Davisius non recte coniunxisset, *est* referens ad voluptatis nomen, ceteri quoque aberrarunt, Gzius autem etiam priora verba et omnem sententiam incredibiliter pervertit. Recte locum enarravit [Ingerslevius nostras et] Klotzius in Quaestt. Tull. p. 79, quem Otto secutus est. *Bona naturae* Piso dicit, quae alibi prima; nam a Peripateticis bonis annumerabantur. Pro *si enim* Bas. *si enim est*, Gud. 2 *si enim sit. Autem* post *sin* ex Erl. [et B] addidi. Tum pro *nostram .hanc* in Spir. Gzius ait esse *vestram hanc nostram*, in Erl. *nostram hanc nostram*, in Gud. 1 *vestram hanc esset*. [Baiterus Erl. et B *hanc nostram* habere scribit, itaque edidi.] *Quosdam* illos Piso Epicurum, Calliphontem, Diodorum significat. Mox in verbis *unum aliquod accesserit* cet. significatur effectus futurae actionis ipsi tempore aequalis, noto usu futuri exacti, de cuius ratione dixi in disput. de formis quibusdam verbi Lat., Opusc. Acad. II p. 82 sqq.

Cap. XVII, 46. *Nunc autem aliud iam argumentandi sequamur genus*) Mire novum genus Cicero putat, quod prorsus idem est. Quis enim non videt, non ideo, quod singularum naturae partium sua vis sit, nos moveri, sed, quod nos totos diligamus, ideo partes etiam diligere et id expetere, quod ad illam cuiusque partis vim aptum sit? Itaque mox Piso hoc

non solum quia nos diligamus, sed quia cuiusque partis naturae et in corpore et in animo sua quaeque vis sit, id-

1. [*diligamur* Eh] 2. *est* (pro *sit*) C

ipse aperte dicit: *Etenim cum omnes natura totos se expetendos putent* cet., totaque, quae hic instituitur, disputatio ab eodem prorsus initio eadem ratione in corporis et animi explicationem dividitur atque illa, quam c. 12 et 13 legimus, et aliquot locis prope in eadem verba incurrit. Sed ibi, postquam ad virtutes animi ventum est, iis breviter nominatis, summa aliqua concluditur (§ 38), hic (inde a § 48) uberius, quemadmodum virtutum semina et initia in animo insint, exponitur. Itaque non minus haec a prima commendatione naturae ducuntur, sed quod Piso § 34 dixerat, videndum esse, quae esset hominis natura, id cum § 44 iterum ita posuisset, ut accuratiorem expositionem promitteret (*Intrandum est igitur — penitus pervidendum*), nunc exequitur; in § 45 paulisper cursum disputationis interruperat voluptatis mentio. Non recte igitur hic oratio novum exordium capit, quae cum iis, quae § 44 dicta sunt, proxime cohaeret. Videtur Cicero non satis attendisse ad continuationem et tenorem disputationis Antiochi, quam in compendium mittebat. [De *ut — moveamur* cfr., quae dicta sunt ad I, 14.]

sua quaeque vis sit) Quoniam in singulas partes vis distribuitur, ut suam quaeque habeat, videtur dicendum fuisse *sua cuiusque*, quod Bremius requirebat; sed obstat, quod iam dictum est *cuiusque partis*; itaque Ernestius maluerat *sua quaedam*. Neuter meminerat, quid Dukerus ad Liv. III, 22, 6 scripsisset contra I. F. Gronovium; quamquam tractanda est res paulo distinctius, quam ab eo factum est. Nam cum Latini consvessent in distribuendo res personasque inter se relatas pronominibus *suus* et *quisque* significare, primum etiam ibi, ubi aliquid de singulis rebus personisve intellegendum esse tantummodo ita significabant, ut ea divisio ad nullas alias res certa distributione referretur, tamen *suus* addebant, cumque id, cui grammatice adiungeretur, non haberet, *suus quisque* eodem casu quasi pro una voce coniungebant. Huiusmodi est, quod bis in tabula Heracleensi (lege Iulia munic.) scriptum est (v. 92 et 101; libenter enim in tali re aeris lapidumque testimonio utor): *quae stipendia in castris inve provincia maiorem partem sui quoiusque anni fecerit*; tum illa apud Ciceronem Acad. II, 19: *in sensibus sui cuiusque generis*, et Tusc. IV, 28: *haec proclivitas ad suum quodque genus*, et apud Tac. Ann. XIV, 27: *universae legiones deducebantur cum tribunis et sui cuiusque ordinis militibus.* (Vitiose scriberetur, quod Bekkero in mentem venisse video,

circo in his rebus summe nostra sponte moveamur. Atque

1. *summa* omnes, Or.

quibusque; recte diceretur, verbo addito, ut distributio facta intellegeretur: *militibus suum quibusque ordinem tenentibus.*) Eodem modo Svetonius Aug. 40: *concessit* (plebi) *rursus, ut sui cuiusque mensis* (frumentum) *acciperet*, hoc est, in singulos menses; nec aliter Livius XXXIII, 46, 9: *pecunia, quae in stipendium Romanis suo quoque anno penderetur*; ne *quaeque* scribatur, ipsum id prohibet, quod communiter unam pecuniam comprehendit. [Add. XXIV, 8, 5 et XLV, 29, 9.] Verum, ut sunt mirae orationis in alias atque alias formas se vertentis inflexiones, haec consvetudo ad ipsam illam, unde erat orta, mutandam interdum valuit. Nam propter huius generis similitudinem etiam in vera distributione, in qua aliud alio relatum significaretur, interdum *suus quisque* coniunctim dictum est, cum *quisque* alio casu poni deberet; ita divisionis et separationis significatio eminet, relationis obscuratur. Huiusmodi illud est apud Livium in lib. III, 22, 6: *equites item suae cuique parti post principia collocat*; debebat scribi *suos*; Gronovius, cum *suae* non ferret, *suos* nimis violenter substitui videret, *sua* scribi volebat, quod et pravissimum verborum ordinem habet et sententiam falsam; nam *post principia* communiter locum significat; distributio ea est, ut suos quaeque pars equites habeat. Eodem modo Livius scripsit XXV, 17, 5: *cum motibus armorum et corporum suae cuique genti assvetis*, et Caesar B. C. I, 83: *aliae totidem* (cohortes) *suae cuiusque legionis subsequebantur.* [Alia ex Varrone et Vitruvio collegit Lachmannus ad Lucret. II, 371.] Cicero autem hoc loco in hanc incidit formam, quod et *suus* poscere videbatur, ut *quisque* adderetur, et tamen, praecedente *cuiusque partis*, eundem casum iterum ponere nequibat. (Gzio „sua sponte patet, *quaeque* notare *quaecumque*".)

summe nostra sponte moveamur) Secutus sum veterem M. Bruti correctionem; edebatur enim *summa nostra sponte.* Sed *sponte*, quod legitimi substantivi vim non habet (nam posteriores demum ausi sunt *sponte alicuius* dicere), adiectivum sibi non adiungit, frustraque in frequentissimi et certissimi usus, incertae originis voce communem substantivorum naturam commemorant, quam ea non sequitur. (De Legg. I, 45 Cicero contraria posuit *sua sponte*, *non aliena*; per se *aliena sponte* non dicitur; sed tamen *aliena* pro pronomine est; quaeritur, dicaturne *summa aliena sponte.*) Deinde neque magis neque minus nostra sponte aliquid facimus; Clericus (Art. Crit. III, I c. 11, 21) et eum sequens Gzius comparant Graecum *μάλιστα ἑκουσίως*,

ut a corpore ordiar, videsne, ut, si quae in membris prava aut debilitata aut imminuta sint, occultent homines? ut etiam contendant et elaborent, si efficere possint, ut aut non appareat corporis vitium aut quam minimum appareat, multosque etiam dolores curationis causa perferant, ut, si ipse usus membrorum non modo non maior, verum etiam minor futurus sit, eorum tamen species ad naturam revertatur? Etenim, cum omnes natura totos se expetendos putent, nec id ob aliam rem, sed propter ipsos, necesse est eius etiam partes propter se expeti, quod universum propter se expetatur. 47. Quid? in motu et in statu corporis nihil inest,

1. [*ordear* Eh] *ut* om. E *qua que in* LC *qua in* BOr. 2. *debita* E *immutata* C 3 *laborent* C *possent* L 5. *curationis causa dolores* R 8. *doctos* (pro *totos*) R 11. *quod in* omnes *motu etiam in* E *nihilne est* (P)C

sed quis sic scripserit, non dicunt. Itaque ne *valde sua sponte* quidem dicitur. Summe autem nos in his rebus moveri nostra sponte. recte Piso dicit; itaque, quantum in iis studium sit, exequitur. Sed occurrendum est alii dubitationi. Video enim ab homine intellegenti negari, recte nos nostra sponte moveri dici, cum hoc significetur, res sua sponte et propter se nobis caras esse (37, 44, 68 cet.); illud enim ad nostram voluntatem, hoc ad causam, quae in ipsis rebus insit, referri. Verum hic cum ea, quae homines movent, hominum sint partes, sic confunduntur cogitando, qui expetunt et quae expetuntur, ut, res sua sponte nos movere nec propter aliam causam, satis intellegatur, cum nos nostra sponte nec aliunde impulsi moveri dicamur. Paulo post *ut, si quae* Gzius e quattuor suis codd., et sic Parr. 2, 3 Davisii. [B, sed om. *ut*, ut Erl.]; ceteri fere (Pall. 2. 3. 5, 6, Mead., Uχψ, Bas.): *ut si qua quae* (*que*).

ut, si ipse usus membrorum cet.) Haec, et quae paulo post de pulchritudine dicuntur, simillimis verbis exponuntur apud Stobaeum illo, quem dixi, loco p. 258: *Καὶ γὰρ ἄλλως οὐδεὶς ἂν εὖ φρονῶν δέξαιτο ἄμορφος καὶ λελωβημένος εἶναι κατὰ τὸ εἶδος, κἂν εἰ μηδεμία μέλλοι δυσχρηστία τὸ παράπαν ἐπακολουθεῖν διὰ τὴν τοιαύτην εἰδέχθειαν· ὥστε καὶ δίχα τῆς δυσχρηστίας εὔλογον φυγὴν φαίνεσθαι τοῦ αἴσχους. Εἰ δὲ δι᾽ αὐτὸ φευκτόν ἐστι τὸ αἶσχος, καὶ τὸ κάλλος οὐ μόνον διὰ τὴν χρείαν αἱρετόν, ἀλλὰ καὶ δι᾽ αὐτό. Ὅτι γὰρ ἐξ αὐτοῦ προσκλητικόν τι ἔχει τὸ κάλλος, ἐμφανές.*

47. *Quid? — nihil inest*) *Quod* codices (Grut., Dav., Oxx., Gzii, [B]) pervagato mendo (cfr. § 40); correctum est iam

quod animadvertendum esse ipsa natura iudicet? quemadmodum quis ambulet, sedeat, qui ductus oris, qui vultus in quoque sit? nihilne est in his rebus, quod dignum libero aut indignum esse ducamus? Nonne odio multos dignos putamus, qui quodam motu aut statu videntur naturae legem et modum contempsisse? Et quoniam haec deducuntur de corpore, quid est, cur non recte pulchritudo etiam ipsa propter se expetenda ducatur? Nam si pravitatem imminutionemque corporis propter se fugiendam putamus, cur non etiam, ac fortasse magis, propter se formae dignitatem sequamur? Et si turpitudinem fugimus in statu et motu corporis, quid est, cur pulchritudinem non sequamur? Atque etiam valetudinem, vires, vacuitatem doloris non propter utilitatem solum, sed etiam ipsas propter se expetemus. Quoniam enim natura suis omnibus expleri partibus vult, hunc statum corporis per se ipsum expetit, qui

1. *qui* (pro *quod*) E *esse* om. L 3. *est* om. L *iis* R 4. *dignos multos* (P)CROr. 10. *non iam et hanc fortasse* E 11. *fugiamus* omnes 13. *etiam* om. C 14 *sed* om. E

in edit. a. 1480. Deinde *nihil inest* Erl. et Spir., mg. Crat., cod. Mor., Pall. 2, 3, 5, 6, plerique Dav., χψ, recteque sic Man., Lamb., Gzius; ceteri codd. (Pal. 4, Parr. 1, 3, Mead., Uξ, tres Gzii) *nihil non est*, ut edidit Victorius; E *nihil non inest*; [B *nichil* omisso verbo]. Editiones fere *nihilne est*. Post *quid* recte sequitur in interrogando *nihil*, ut supra § 40 et alibi *non*; deinde a novo initio Piso interrogat: *nihilne est in his rebus* cet. Tum *multos dignos* omnes Gzii codices [B]; edd. invertunt.

haec deducuntur de corpore) hoc est, ut Ernestius enarrat. homines haec de corpore removere student, quemadmodum Horatius *febres aegroto corpore deducere* dixit. Mox Gzius in Erl. et Spir. ait esse *fugienda putamus*, errans de Erl. [Etiam B ut ceteri.]

si turpitudinem fugimus) Sic Lambinus e Manutii emendatione, Ernestius, Schuetzius, Orellius; codd. *fugiamus*, quod non solum ideo ferri non potest, quod hoc respondet superiori: *si — fugiendam putamus*, sed quod, si Piso *fugiamus* diceret, significaret, nos non fugere, quaereretque, quid eventurum esset, si fugeremus. Nunc concludit ex eo, quod fieri significat.

est maxime e natura, quae tota perturbatur, si aut aegrum corpus est aut dolet aut caret viribus.

XVIII. 48. Videamus animi partes, quarum est conspectus illustrior; quae quo sunt excelsiores, eo dant clariora indicia naturae. Tantus est igitur innatus in nobis cognitionis amor et scientiae, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Videmusne, ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur? ut pulsi recurrant? ut aliquid scire se gaudeant? ut id aliis nar-

1. *si autem* EC 2. *opus est* E 3. *videmus* E *adspectus* LPCROr. 4. *sint* L 5. *iudicia* [Eh]C *natura* E *in* om. C 9. *aut pulsi* [Eh]LPCR 10. *requirant* LPCR [*aliquid*, om. *ut*, Eh] *et aliquid* LPCR *et* C *id* om. LPCR

Cap. XVIII, 48. *conspectus*) Sic etiam Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor. Alibi tamen *conspectus* tantum de conspiciendi aut actione aut facultate poni solet; (facultas significatur, cum in conspectum aliquid venire dicitur;) forma et species rei oculis subiectae ter saltem a Cicerone *aspectus* appellata est, II N. D. 158, Cat. IV, 11, Philipp. II, 73. Natura tamen sua utrumque nomen aeque facile ab actione et facultate conspicientis sive aspicientis ad rem conspectam sive aspectam transferri potuit.

ut pulsi recurrant) In cod. arch. [B] fuit *aut*, quod inde a Manutio correctum Gzius reduxit; *recurrant* cum Erl. [et B] cod. Mor., id est, melior familia; iure Orellius probavit. In eo, quod Gzius edidit, haec debebat esse sententia: aut, si verberibus cedunt, tamen iterum ad quaerendum redeant; verum ut omittam ipsam diiunctionis pravitatem (quasi pueri interdum ne minimum quidem cedant verberibus), nemo *requirere* ita dixit, ut esset *iterum quaerere et interrogare.* (Proferunt ex Gellio XV, 22: *cerva — postea requisita perisse credita est*, quasi non recte dicatur: *und als man sie nachher suchte*; nec melius Plautum producunt testem.) Itaque haec efficitur sententia: quaerunt aut pulsi quaerunt. Ne illud quidem recte et apte dicitur: *pueri requirunt*, non addito nec significato, quid requirant. (Longe aliter quaerenti dicitur: Recte requiris.) Dixi pluribus verbis, quod hic quoque deteriorum codicum patrocinium Handius susceperat Turs. I p. 542.

ut aliquid) Sic e cod. Mor. Orellius, in quam scripturam Gzius quoque coniectura inciderat. Non recte in unum coniunguntur *recurrant* et *aliquid scire se gaudeant*; nam qui pulsi

rare gestiant? ut pompa, ludis atque eiusmodi spectaculis teneantur ob eamque rem vel famem et sitim perferant? Quid vero? qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis nec rei familiaris habere rationem omniaque perpeti ipsa cognitione et scientia captos et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant, voluptatem? 49. Mihi quidem Homerus huiusmodi quiddam vidisse videtur in iis, quae de Sirenum cantibus finxerit. Neque enim vocum svavitate videntur aut novitate quadam et varietate cantandi revocare eos solitae, qui praetervehebantur, sed quia multa se scire profitebantur, ut homines ad earum saxa discendi cupiditate adhaerescerent. Ita enim invitant Ulixem (nam verti, ut quaedam Homeri, sic istum ipsum locum):

O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulixes,
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus?

1. *aut pompa* E 2. *et famem* L *aut famem aut sitim* C *vel sitim vel famem* R 3. [*quid ingeniis* Eh] *ingeniis studiisque* C 6. *laboribus et curis* L 8. *quoddam* E *quidquam* C [*videatur* Eh] *his* LC *de Sirenum* om R 9. *finxerint* · *videantur* L 13. *invitabant* L *Ulyssem* C *Ulyxem* R [*aut quaedam* Eh] 14. *ipsum* om. C 15. [*qui* Eh] 16. *Ulixe* Or. *Ulysses* C *Ulyxis* R

recurrunt, nihildum sciunt; et manifesto tres sunt quasi gradus: cognoscere aliquid student, cognosse se gaudent, aliis cognitionem impertire gestiunt. [B ut Erl., om. *ut*, addit postea *id.*]

49. *finxerit*) Cod. Bas. et Vindob. Gzii *finxit*; et sane non apertissima est coniunctivi causa. Gzius significari putat, incertum videri Pisoni, id est, Ciceroni, ipsene Homerus haec finxerit an ab aliis acceperit, quod et parum credibile est Ciceronem curasse, nec ea significatio ex modo verbi sententiae relativae efficitur. Cicero vim orationis pendentis ad sententiam relativam pertulisse videtur, quod non solum de Homeri consilio iudicat, sed, quid ab Homero fictum sit, aliter, ac fieri solet, interpretatur, in cognitionis pollicitatione summam narrationis verti dicens. [B *finxerint.*]

nam verti) ex Odyss. XII v. 184 sqq. Ad Pisonem Cicero hoc (*quaedam Homeri*) transtulisse videtur a sua persona.

Ulixes) Sic [B,] codices Dav., Uχψ (E§ *Ulixis*), quattuor Gzii, Davisius; edebatur *Ulysses* et ante *Ulyssem* (contra Dav. codd., E, Gzii quattuor). Gzius *Ulixe.* Sed et Tusc. II, 49 et Acad. II, 89 et de Orat. III, 162 omnes codices *s* litteram tuentur, ut

Nam nemo haec umquam est transvectus caerula cursu,
Quin prius astiterit vocum dulcedine captus,
Post, variis avido satiatus pectore musis,
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli clademque tenemus,
Graecia quam Troiae divino numine vexit,
Omniaque e latis rerum vestigia terris.

Vidit Homerus, probari fabulam non posse, si cantiunculis tantus irretitus vir teneretur; scientiam pollicentur, quam non erat mirum sapientiae cupido patria *esse* cariorem. Atque omnia quidem scire, cuiuscumquemodi sint, cupere curiosorum, duci vero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiae summorum virorum est putandum.

XIX. 50. Quem enim ardorem studii censetis fuisse in Archimede, qui dum in pulvere quaedam describit attentius,

1. *cursus* C *cursu est* L 2. [*qui* Eh] 3. *sociatus* EL 5. *canemus* LCR 7. *regum* [Eh]PCR 9. *vir irretitus* LPCROr. 10. *esse* om. EPCR, transp. ante *patria* L 11. *sunt* (P) 12 Post *curiosorum* add. *est* R 13. [*suorum* Eh] 14. *cum* (pro *enim*) E 15. *attentus* LCR

in *Socrates* ad Att. XIV, 9, 1; nam *Patrocles* Tusc. II, 38 minus est certum. Contra *Sophocle*, *Pericle*, *Cleanthe*, *Damocle*, *Socrate* codices Off. I, 144, Tusc. III, 77, V, 61, fragm. Protag. bis a Prisciano laud. (IV, 2 p. 477 Or.), *Carneade* Acad. II, 137, *Charmide* hic 94. Apud Ovidium *Ulixe* scribitur Heroid. I, 1, Metam. XIII, 83.

tenemus) *ἴδμεν*. Sic etiam Spir. [B], mg. Crat., editiones inde a Victorio, excepta Gruteri; deteriores (Pall., Dav., ξχψ, reliqui Gzii) *canemus*. Mox *rerum vestigia* (*ὅσσα γένηται*) Mars., Vict., Man., ceteri, excepto Grutero, qui codices secutus est (Pall., Davisii, ξχ, Gzianos, [B]); Morelius *rerum* pro coniectura tantum ponit. [*Irretitus vir* etiam B.]

patria esse cariorem) Exciderat *esse* in cod. archetypo, ut § 11 (cfr. § 83); aberat enim a Davisii codicibus, ξχ, Spir. [B], Gud. 1. In Gud. 2 et Bas. dicitur fuisse; restituit Lambinus. Tum *sunt* Man., Lamb., Grut., quod Dav. corrigens duos codd. testatur, cum omnes posset; nam *sint* etiam EUχ et Gziani; pars est infinitae notionis.

Cap. XIX. 50. *attentius*) Deteriorum plures (Parr. 2, 3, Mead., CCC, Ball., Gud. 2) *attentus*. Correxit Aldus Manutius,

ne patriam quidem captam esse senserit! quantum Aristoxeni ingenium consumptum videmus in musicis! quo studio Aristophanem putamus aetatem in litteris duxisse! Quid de Pythagora, quid de Platone aut de Democrito loquar? a quibus propter discendi cupiditatem videmus ultimas terras esse peragratas. Quae qui non vident, nihil umquam magnum ac cognitione dignum amaverunt. Atque hoc loco, qui propter animi voluptates coli dicunt ea studia, quae dixi, non intellegunt, idcirco esse ea propter se expetenda, quod nulla

1. *quidem* om. ELC 3. *aetatem* post *duxisse* L 4. *de* ante *Democrito* om. LPCR 6. *peragratas esse* P *magna cognitione* omnes, Or. 9. *ea esse* LR *ea* om. Or.

annotatumque verum in mg. Crat. Tum *quidem* abest etiam a [B et] ξχ, nec alii tacerentur, si saltem Gzius attendisset, qui I, 39 omissionem probabat. Deinde *ingenii* pro *ingenium* cod. Mor., χ. Mox *ducendi* verbo Cicero de aetate utitur, qua significatione alibi *traducere* ponit; illud Vergilium, Horatium, Ovidium posuisse, lexica ostendunt, et est propinquus transitus, cum aetas quasi trahatur. (Quod *in litteris* additur, nihil ad insolentiam locutionis molliendam pertinet.) Aristoxeni Tarentini, Aristotelis discipuli, musicae studium, quod cum philosophia coniungebat (Tusc. I, 19), nunc quoque ἁρμονικὰ στοιχεῖα et alia testantur; Aristophanis Byzantini studia grammatica omnibus nota sunt.

aut de Democrito) Sic etiam Spir. [B], recteque Gzius restituit. Paulo post *quae qui non vident* paulo brevius dicitur hac sententia: qui haec, quae illi viri fecerunt, non animadvertunt nec, qualia sint, intellegunt. Davisius et alii coniecturis inutilibus locum vexarunt. Sed in *magna cognitione* iure haerent, quae perversissime cum adiectivo *dignum* coniungitur; nam res cognitione (ea, quae ad eam intellegendam sufficiat) digna est aut, si augere velis, magno opere digna, non magna cognitione. Deinde, cum aliquem nihil omnino tale amavisse dicas, perverse sic rem augeas (*nihil magna cognitione dignum*), ut significes, aliquid tamen fortasse cognitione dignum, si non dignissimum eum amavisse. Verum, opinor, invenit Bremius: *magnum ac cognitione dignum*. Erroris origo aperta est. [Id nunc recepi. Dav. *magnum aut cogn.*]

idcirco esse ea) Praeter meum L fortasse unus et alter praeterea habuit *ea esse*, ut ex R editiones quaedam ante Vict. et Man. Ex Eξ, Monac. Gzii excidit *ea*, quos Gzius secutus est,

utilitate obiecta delectentur animi atque ipsa scientia, etiamsi incommodatura sit, gaudeant. 51. Sed quid attinet de rebus tam apertis plura requirere? Ipsi enim quaeramus a nobis, stellarum motus contemplationesque rerum caelestium eorumque omnium, quae naturae obscuritate occultantur, cognitiones quemadmodum nos moveant, et quid historia delectet, quam solemus persequi usque ad extremum; praetermissa repetimus, inchoata persequimur. Nec vero sum nescius, esse utilitatem in historia, non modo volupta-

1. *obiecta* om. P   *delectantur* L   2. *incommoda datura* LPCR 6. [*cognitionesque admodum* Eh] 7. *prosequi* ELOr. 9. *inscius* LPCROr. *etiam* (pro *esse*) E   *nullo* (pro *non*) E

e Vindob. *esse*, e Bas. utrumque. Nocuit similitudo pronominis et verbi compendio notati. Paulo post *obiecta* excidit etiam e Pal. 4 et Gud. 2.

incommodatura) Sic mg. Crat., Lambinus e tribus codicibus, Dav. ex El., Gzius ex Erl. et Spir. [B]. Ceteri *incommoda datura*, inusitato loquendi genere. Eodem modo hoc verbum librarii corruperant apud Gell. I, 25, 15; in epist. ad Q. Fr. I, 2, 10 substituerunt *incommoda laturum*.

51. *persequi ad extremum; praetermissa* cet.) Universae rei significationi superadditur ἀσυνδέτως modi notatio; sed incommode Cicero eodem verbo (*persequi*) et primo loco et in altera e duabus partibus uti videtur; itaque Gzius e tribus suis (et videntur meliores fuisse) *prosequi ad extremum* (Eξ *sequi*). [B *persequi.*] Verum nihil aliud esse potest *historiam ad extremum prosequi* nisi *persequi*; itaque, si ita Cicero scribere potuisset, inani praepositionis variandae lusu orationis vitium magis notabile fecisset. Non potuit autem, quod perficiendae et peragendae rei significationem *prosequendi* verbo neque compositionis ratio neque usus tribuit; quamquam unus et alter locus in editionibus aut omnibus aut aliquot mendose scribitur. (Pro Rosc. Am. 83 multi correxerunt, ad Herenn. I, 14 et alii et Orellius, codicem Turicensem testans.) Melius Cicero pro altero *persequimur* posuisset *absolvimus*.

sum nescius) Sic etiam in ceteris bonis codicibus fuisse, sed neglectum esse, eo facilius credo, quod etiam de Erl. Gzius tacuit. [Sic B.] Quinque Ciceronis locis, uno scriptoris ad Herennium scribitur hac forma: *non sum nescius hoc ita esse*, nusquam: *non sum inscius*; contra a Cicerone dicitur *homo inscius*, id est, artis disciplinaeque expers (Acad. II, 22, Legg. II, 13),

tem. Quid, cum fictas fabulas, e quibus utilitas nulla elici potest, cum voluptate legimus? 52. Quid, cum volumus nomina eorum, qui quid gesserint, nota nobis esse, parentes, patriam, multa praeterea minime necessaria? Quid, quod homines infima fortuna, nulla spe rerum gerendarum, opifices denique delectantur historia? maximeque eos videre possumus res gestas audire et legere velle, qui a spe gerendi absunt confecti senectute. Quocirca intellegi necesse

1. *nulla dici* EC *nulla duci* (P)R 2. *tum voluptates* E 3. [*qui quod* Eh] 5. [*infima* Eh] 6. *delectentur* LPC

inscius omnium rerum, inscius faciendi, feci inscius, factum est me inscio, nusquam *nescius.*

elici potest) Cum in cod. archetypo esset *dici* (ut in [B.] aliquot Pall., Mead., CCC, Oxx. Uχ, Gzii, excepto Gud. 1), dupliciter id correctum est, ut aut *duci* esset (Pal. 4), quemadmodum ante Gzium scribebatur, aut *elici*, quod ex uno Pal. (puto secundum fuisse, nostri L simillimum) et Gud. 1 is ascivit. Tenui, quod eum codicem, e quo nostri ducti sint, sic scriptum fuisse credo, ut ex *el* facile *d* nasci posset. Simillimo errore in Tusc. II, 27 pro *eiciuntur* (sed in antiquissimis codicibus saepissime scribi *eicuntur* et cetera similiter, sciunt, qui haec tractarunt) factum est *dicuntur* (quod in optimis, Gud. 1 et [ut nunc scimus] Parisino prima manu scribitur), deinde *ducuntur* (quod fere in ceteris est; in Parisino et Gud. *u* supra scribitur); editur *educuntur*, verbo ad rem minime apto; vera vox in duobus Davisii et fortasse aliis felici coniectura restituta est. In hoc, quem tractamus, loco offendor nonnihil in temporis significatione (*quid, cum fictas fabulas* et *quid, cum volumus*); nam neque per se apta videtur, quoniam ante non ea forma Cicero usus est, ut, cum hoc vel illud faceremus, tum aliquid intellegi diceret. et sequitur: *quid, quod homines* cet. Neque tamen mutare audeo.

52. *delectantur*) E codicibus deterioribus (Oxx.) et ed. prima Victorius, Manutius, Gruterus proximique *delectentur* contra regulam sermonis. Indicativum, quem ex R Crat. et Lambinus tenuerant, probavit Ern., revocavit Gzius e tribus suis codd., quos meliores fuisse, nunc ex Erl. [et B] apparet. Quae sequuntur, *maximeque* cet., non videntur superiori interrogationi uno tenore continuari, sed interrogativae affirmationi recta affirmatio de alio genere (senibus) adiungi copulativa particula, ad nostrum sensum durius, ad Latinorum, qui particula *que* liberius utebantur (cfr. ad III, 73), non item.

est, in ipsis rebus, quae discuntur et cognoscuntur, invitamenta inesse, quibus ad discendum cognoscendumque moveamur. 53. Ac veteres quidem philosophi in beatorum insulis fingunt qualis futura sit vita sapientium, quos cura omni liberatos, nullum necessarium vitae cultum aut paratum requirentes, nihil aliud acturos putant, nisi ut omne tempus inquirendo ac discendo in naturae cognitione consumant.

1. [*invita mente* Eh] 3. *beatorum quidem insulis* C 4. *natura* (pro *futura*) ELPR *naturae* C 5. *omni* om. P 6. *esse acturos* LPCR *ut* om. C 7. *in quaerendo* PCR

53. *qualis futura sit*) Recte sic Clericus (ad Aeschinis Axioch. 17) et Th. Bentleius emendaverunt id, quod in codd. est, *natura*, probatumque Davisio et Ernestio secutus Orellius est; nam et futurum tempus (*futura sit*, non *sit*) postulat id, quod sequitur, *acturus*, et ineptissime additur *natura* eo etiam loco, ut magni ad sententiam momenti esse videatur, quasi talis sapientium vita sit natura, sed arte aut culpa aliter agant. Qualiscumque vita fingitur, natura talis esse fingitur. Gzius „Notatur“ inquit „sapientiae conveniens“. Mirum, ni finxerunt, qualis sapientium vita non sapientiae conveniens esset. Quamquam quomodo potest illud ea voce significari?

aut paratum) Hoc nomen neque a Cicerone neque ab aliis huius aetatis scriptoribus positum reperitur, nisi quod Sallustius *militum et armorum paratum* pro comparatione dixit (de Sertorio apud Gellium II, 27; Plutarchus in Sertor. c. 4 datum ei narrat *στρατιώτας τε καταλέγειν καὶ ὅπλα ποιεῖσθαι*); hic non de actione dicitur, sed de instrumento et rebus necessariis, [quomodo Livius X, 41. 3 *occulti paratum sacri* posuit, si codicibus credimus]. Non sine causa igitur Lambinus hic quoque *aut apparatum* scripsit. Sed fieri potest, ut Ciceroni *cultus et paratus* (ex duobus verbis simplicibus) aptius visum sit quam *cultus et apparatus*; et fingendi huiusmodi substantivi veniam facile datam esse, dixi ad IV, 41. *Acturos* pro *esse acturos* Gzius ex Erl., Spir. [B], Bas. In Gud. utroque erat *acturos esse*.

inquirendo ac discendo) Sic recte etiam Spir. [B], ediditque Gzius; vitiose enim coniungebatur *in quaerendo in naturae cognitione*; nunc gerundia significant, quomodo in illa cognitione tempus consumatur. *In* ante *quaerendo* iam Morgensternius tolli voluerat. Quod olim in epist. ad Orell. p. 112 negavi Ciceronem umquam dicere *tempus consumi re* pro eo, quod est *in re*, recte dixi; nam qui a Zumptio (ad Verr. V, 64)

Nos autem non solum beatae vitae istam esse oblectationem videmus, sed etiam levamentum miseriarum; itaque multi, cum in potestate essent hostium aut tyrannorum, multi in custodia, multi in exilio dolorem suum doctrinae studiis levarunt. 54. Princeps huius civitatis Phalereus Demetrius, cum patria pulsus esset iniuria, ad Ptolemaeum se regem Alexandream contulit. Qui cum in hac ipsa philosophia,

1. *esse* om. LPCR *esse oblectationem esse videmus* E 2. [*lavamentum* Eh] *ita* E 4. [*in* om. Eh] *studio* R 5. *levaverunt* LPCROr. [*Phalerius* Eh] 6. [*Phtolomeum* Eh] 7. *Alexandriam* LPCROr. *ipsa* om. E

post Nizolium profertur locus ex Timaei initio (*primum quidem tempus salutationibus*, *reliquum percontatione consumpsimus*), eum aliter a Cicerone scriptum fuisse, et codices (ut omnes tres Orellii) et res ostendit: *Primum tempus salutationis in percontatione consumpsimus* (nescio quarum rerum; deinde ad litteras sermo conversus est). [Sic nunc cod. Leid. A.] Paulo post *esse* (ante *oblectationem*), quod e deterioribus codd. exciderat (cfr. § 49), Lamb. tacite, ex Erl. et Spir. Gzius addidit. [B ut Erl.]

54. *ad Ptolemaeum se regem Alexandream contulit*) Pulsus Athenis a Demetrio Poliorceta olympiadis 118 anno secundo (Clintoni Fast. Hell. p. 184 edit. Lat.) primum Thebas abiit, deinde in Aegyptum ad Ptolemaeum Lagi filium (Diod. Sic. XX, 45). Hermippus apud Diog. Laërt. V, 78 Cassandro demum mortuo (ol. 120, 3) in Aegyptum profectum esse scribit, sed dubitationem affert addita apud Hermippum Antigoni mentio (vid. Wess. ad Diod. l. c.). Non statim eo profectum esse, ex eo etiam concluditur, quod Plutarchus (Demetr. Pol. 9) tantum Thebas nominat. Quae praeterea de eo exilio narrantur, ad Ciceronem non pertinent; libros eius ibi compositos esse, nemo, quod sciam, tradit. *Alexandream* scripsi sequens Erl. et Spir. [B], Ciceronem et ceteros antiquiores, ut *Laudiceam*, *Apameam*, sic *Antiocheam*, *Heracleam*, *Alexandream* constanter dixisse ratus, eodemque modo *Dareum* (§ 92); sed codicum in singulis locis testimonia, et quae favent et quae adversantur, persequi eo magis omitto, quod multis locis tam pusillam rem non animadversam esse certum est. [Persecutus est Ellendtius ad I de Orat. 98.] Paulo post codex archetypus ([B,] Eξχψ) habuit *scribit*. Emendatum est [in cod. Glog.,] in editt. inde a Veneta 1494. (Grut., Dav., Gzius tacent.) Usus, quo Piso Demetrium orbatum fuisse dicit, in re publica erat. At praecepta et artes, ut alii utantur, scribuntur. [*Ipsa* om. etiam B.]

ad quam te hortamur, excelleret Theophrastique esset auditor, multa praeclara in illo calamitoso otio scripsit non ad usum aliquem suum, quo erat orbatus; sed animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis cibus. Equidem e Cn. Aufidio, praetorio, erudito homine, oculis capto, saepe audiebam, cum se lucis magis quam utilitatis desiderio moveri diceret. Somnum denique nobis, nisi requietem corporibus et medicinam quandam laboris afferret, contra

1. *quam* om. C *hortor* L 2. *scribit* omnes 7. *corporis* C

saepe audiebam) Aptum hoc ad Pisonis personam, qui Cicerone aliquot annis maior erat; nam puero Cicerone senior iam Aufidius erat (Tusc. V, 112). Quod ad certos annos Aufidii magistratus referunt (praeturam ad a. 108 a. C.), eius rei auctoritatem in Pighii coniectura positam arbitror.

lucis magis quam utilitatis desiderio) Quoniam Piso ostendere conatur, homines cognitionem per se ipsam expetere, remota utilitatis ratione (50), negat Aufidium, cum lucem expeteret, utilitatis desiderio, quam ex oculis ad commoda sua et ad rem familiarem tuendam et ad rem publicam gerendam habiturus esset, commotum esse, quemadmodum Demetrium dixerat ea, quae scripsisset, non ad usum aliquem suum scripsisse. Utilitati contraria ponenda erat alia quaedam res, quam ex oculis percepturus esset, vel potius una cognitio; nam ea agitur; iucunditas etiam in utilitate erat. Sed sentiebat Cicero, subabsurdum fore *cognitionis desiderio*, quasi nunc nihil Aufidius cognosset, qui *videret in litteris* (Tusc. V, 112), et quasi, si lucem haberet, cognitionem non esset desideraturus; et praeterea in illa facultate cognoscendi ipsa utilitas non obscure inerat. Itaque hic, ut alibi, cum incidisset in sententiam et argumenti formam rei propositae non satis aptam, dum incommodum mutatione aliqua vitare studet, in aliud maius incurrit. Nam *lucis* posuit; at lux non est contraria utilitati lucis. Debemus igitur intellegere: *lucis per se et ad solum rerum cognitionis fructum*. Sensit difficultatem Orellius; sed infeliciter corrigendo tollere conatur, pro *utilitatis*, quae vox necessaria est, *consulatus* scribens. Si talia librarius codicis archetypi permutasset, actum esset de critica. *Requietem corporibus* (propter primae edit. et aliarum mendum) annotatur in mg. Crat. et e cod. Mor. Extremo capite *quin etiam* pro *qui etiam* Gzius in aliis quoque praeter Erl. repperisse videtur; de nullo scribit nominatim. [B ut Erl.] Redarguit coniunctivus causalis (*soleamus*).

naturam putaremus datum; aufert enim sensus actionemque tollit omnem; itaque si aut requietem natura non quaereret aut eam posset alia quadam ratione consequi, facile pateremur, qui etiam nunc agendi aliquid discendique causa prope contra naturam vigilias suscipere soleamus.

XX. 55. Sunt autem etiam clariora vel plane perspicua minimeque dubitanda indicia naturae, maxime scilicet in homine, sed in omni animali, ut appetat animus agere semper aliquid neque ulla condicione quietem sempiternam possit pati. Facile est hoc cernere in primis puerorum aetatulis. Quamquam enim vereor, ne nimius in hoc genere videar, tamen omnes veteres philosophi, maxime nostri, ad incunabula accedunt, qui in pueritia facillime se arbitrentur na-

3. *quadam alia* C *putaremur quin etiam* E 4. *etiam* om. P *nunc in agendi* P 6. *etiam* om. L(P)C *et* R *clariora* om. E 7. *nec* (pro *minimeque*) LPCROr. 7. *iudicia* [Eh]L 8. *aliquid agere semper* LPCROr. 9. [*aliquod* Eh] *pati possit* L 10. *haec* C [*puerorum etalis* Eh] 11. [*quaquam* Eh] *enim* om. E 13. *quod* LPCR *arbitrantur* LR

Cap. XX, 55. *autem etiam*) Posteriorem vocem ex Erl., Spir. [B], Bas. Gzius addidit; aliquot vett. edd. (Crat.) ex R habent *et*. Deinde *minimeque dubitanda* etiam mg. Crat. [et B], id est, melior familia; nam Gzius etiam de Erl. tacet. Paulo post ordinem verborum (*agere s. al.*) e solo Erl. [et B] sumpsi. *Haec* (pro *hoc*) *cernere* ex C ad Man., Lamb., Grut. propagatum est contra [B,] codd. Dav. (Parr. 1, 3, Mead.), Oxx. EUξχ, Gzii.

qui — arbitrentur) Sic Gzius ex Erl., Spir. [B], Monacensi; *qui* etiam ξ. Edebatur enim *quod — arbitrentur*; in Eχ, tribus Gzii erat, ut in LR, *quod — arbitrantur*, itaque Victorius edidit, quod quamquam corrigendo natum est, haud scio an verius sit. Nam pronomine relativo sic adiungitur per coniunctivum verbi modum notatio et descriptio aut perpetuae cuiusdam naturae ipsius personae reive aut status cuiusdam eius et affectionis, ut occasio actionis aut iudicii significetur et sentiatur, non aperte indicetur (quod fit particula *cum*), multo minus causa per se (obiectivam nunc appellamus) loquentis iudicio declaretur. Itaque supra § 54 (*qui etiam soleamus*) apparet dici potuisse: *cum etiam soleamus*, sed recte poni *qui* (hoc est: *nos*, *qui tales sumus*, *ut soleamus*); de Off. autem III, 112 rectissime dicitur: *Pomponius*, *qui illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur*, *surrexit* cet. Pomponii enim personae adiungitur notatio, quomodo is affectus

turae voluntatem posse cognoscere. Videmus igitur, ut conquiescere ne infantes quidem possint; cum vero paulum processerunt, lusionibus vel laboriosis delectantur, ut ne verberibus quidem deterreri possint. Eaque cupiditas agendi aliquid adulescit una cum aetatibus. Itaque, ne si iucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari, idque si accidat, mortis instar putemus. 56. Quin etiam inertissimos homines, nescio qua singulari nequitia praeditos, videmus tamen et corpore et

1. *voluptatem* omnes 2. *cum vero* — *delectantur* Nonius p. 211 (*cum hi vero*) 3. *processerint* omnes praeter Non., Or. *et* (pro *vel*) E *ne* om. P 4. *quidem* om. C 5. *nisi* omnes 6. *quam* (pro *quidem*) E *vigiliis* (pro *nos somniis*) L 7. *nolimus* C *si* om. EC 8. *qui* E 9. *segnitia* (*e* C) EC *et* ante *corpore* om. E *et animo et corpore* C

fuerit, et ex eo actio quaedam expectatur. Muta ordinem sententiarum: *Pomponius e lectulo surrexit et ad se adulescentem venire iussit*, *qui* — *arbitraretur*; sentias, pravum esse *qui*, quod, illo modo indicata iam actione, expectatur aperta, cur ita Pomponius fecerit, causae declaratio. Iam hoc loco philosophorum illud iudicium (*arbitrantur se posse* cet.) neque proprietatem aliquam naturae eorum neque affectionem quandam certi temporis talem, qualem dixi, habet. Itaque mihi prorsus aut *cum* — *arbitrentur* aut *quod* (*quia*) — *arbitrantur* dicendum fuisse videtur. Pro *voluntatem*, quod Lambinus et eum sequens Davisius restituerunt, cod. archetypus habuit *voluptatem*; quod alterum Gzius ab Erl. et Spir. confirmari dicit, errat, ut solet. [Etiam B *voluptatem*.] (Cfr. *voluntarius* pro *voluptarius* II, 65.) Quod deinde e Nonio restitui *processerunt*, de eo dixi ad § 41. Paulo post *una cum aetatibus* (plurali numero) dicitur de gradibus aetatis, ut § 41: *progredientibus aetatibus*. Fuerunt enim, qui haererent.

ne si iucundissimis) Cod. archetypus *nisi* (mg. Crat., cod. Mor., [B,] Eξχψ, Gziani; in solo Gud. 2 supra scriptum *ne si*); Mor. *nolimus* pro *velimus* et *id* pro *idque*; in Ox. ψ supra *ve* scriptum *no*.

56. *Quin etiam* — *videmus*) Cod. Mor. *quia etiam notissimos* — *videamus* (cfr. § 33). Tum idem cum Erl. [et B] et duobus aliis Gzii (Spir., Gud. 2?) *segnitia*, CCC, χ, cod. Urs. *segnitie*; in ψ erat: *nequitia al. segnitia*. Adversatur cum ceteris mg. Crat., in quo pro illo notatur *nequitia*. Cum igitur utraque familia a se ipsa dissentiat, non dubium videtur, quin verum sit *nequitia*, in quo vocabulo inertiae et segnis mollitiei significatio-

animo moveri semper et, cum re nulla impediantur necessaria, aut alveolum poscere aut quaerere quempiam ludum aut sermonem aliquem requirere, cumque non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos et sessiunculas consectari. Ne bestiae quidem, quas delectationis causa concludimus, cum copiosius alantur, quam si essent liberae, facile patiuntur sese contineri motusque solutos et vagos a natura sibi tributos requirunt. 57. Itaque ut quisque optime natus institutusque est, esse omnino nolit in vita, si gerendis negotiis orbatus possit paratissimis vesci volup-

1. *re ut illa* E 3. *cumque enim habeant* E 4. *aliquos et semicirculos* LPCR 5. *quin te* (pro *ne*) E *nec* C 8. *requirit* E *quaerunt* L 10. *si* — *voluptatibus* Nonius p. 416 (*gerundis* et *possit orbatus*)

nem inesse, librarii ignorarint; Cat. I, 4 et 29 iam Davisius laudavit. Deinde primae editionis ordo (*et animo et corpore*) propagatus est ad Man., Lamb., ceteros; alterum Gzius e suis codicibus (Mor. [et B]) revocavit.

sessiunculas) id est, consessus certis in locis paucorum hominum confabulantium. Hoc e vetere libro Scaligeri et El. Dav. restituit; confirmant Erl., Spir. [B], mg. Crat., cod. Mor. Deteriores omnes ridicule *semicirculos*, et apparet origo. Defendit tamen Gzius, ut decebat. Quid enim perversius excogitari potest hac notatione figurae geometricae aut sedilium certae figurae, ex qua necessario consequatur, ut circulos quoque non coetus hominum, sed figuras geometricas nescio ubi descriptas aut contrariae figurae sedilia intellegamus? Hemicyclia Graeco nomine appellari rem Graecam a Cicerone, semicirculos a nullo, paene pudet addere; ineptum est enim talia serio refutare, veritate inventa.

Ne bestiae quidem) Ex Erl. effici posset: *Quin ne bestiae* [quod ipsum est in B], nisi consvetudo coniunctionem particularum *quin* et *ne* — *quidem* respuere videretur; nam in *ne* — *quidem* ea significatio iam inest, quae ex adiecto *quin* oriri debebat. [Apud Quintilianum I, 1, 31 in corrigendo interponitur *immo*. Ex superiore loco: *Quin etiam inertissimos* huc tractum puto. Klotzius scripsit: *Quid? ne bestiae quidem* —. Sed tum scribendum erat: *Quid, quod ne bestiae quidem* —?] *Concludimus* absolute dicitur, quemadmodum in Verr. IV, 54 (e melioribus codicibus: vid. Opusc. nostra Acad. I p. 360): *Eos concludit, magnam hominum multitudinem.*

tatibus. Nam aut privatim aliquid gerere malunt aut, qui altiore animo sunt, capessunt rem publicam honoribus imperiisque adipiscendis, aut totos se ad studia doctrinae conferunt; qua in vita tantum abest ut voluptates consectentur, etiam curas, sollicitudines, vigilias perferunt, optimaque parte hominis, quae in nobis divina ducenda est, ingenii et mentis acie fruuntur, nec voluptatem requirentes nec fugientes laborem; nec vero intermittunt aut admirationem earum rerum, quae sunt ab antiquis repertae, aut investigationem novarum; quo studio cum satiari non possunt, omnium ceterarum rerum obliti nihil abiectum, nihil humile cogitant; tantaque est vis talibus in studiis, ut eos etiam, qui sibi alios proposuerunt fines bonorum, quos utilitate aut voluptate dirigunt, tamen in rebus quaerendis explicandisque naturis aetates conterere videamus.

XXI. 58. Ergo hoc quidem apparet, nos ad agendum esse natos. Actionum autem genera plura, ut obscurentur

1. [*aliquod* Eh] 4. *quia in* P 5. *ut etiam* LR *solitudines* E *per-erant* R 7. *nec* — *requirentes* om. E *voluptates* — *labores* C 8. *vero ostri mittunt* P *rerum* om. P 9. *sunt sub antiquis* E *investigationi* E 0. *studio consaciari* L 12. *eos et qui* E

cum satiari non possunt) Hoc si recte scriptum est, ita niuncta est temporis et causae significatio, ut illa emineat *dem*), de quo genere dixi ad I, 10. Verum sic dicitur, cum id ex una aliqua actione ipso actionis tempore intellegitur *m hoc dicis*, *significas* cet.), quod in hunc locum non cadit. que credo Ernestium recte scripsisse *possint*; nam *quoniam*, d Otto posuit, hic minus aptum est; neque enim occasio catur. Paulo post Davisius scribi malebat *in rerum quaeis explicandisque naturis*, vitioso verborum ordine et sine causa; nam ut *cognitio rerum* saepissime universe dicitur, etiam *in rebus quaerendis tempus conterere*, nec minus recte ae absolute de singularum rerum proprietatibus.

Cap. XXI, 58. *Actionum autem genera plura*) Verba proxima iora (*ergo hoc quidem apparet* cet.) conclusionem habent lisputationis, quam Piso § 55 instituerat; in particula *autem* tur ad novam disputationem, quae illam consequitur. e apparet, assumi *sunt*, non, ut Gzius putabat, e superio- *esse*; nec ex *esse natos* ad *genera plura* audiri poterat *esse*. verbum (*sunt*) in huiusmodi sententia initio posita duris-

etiam maioribus minora, maximae autem sunt primum, ut mihi quidem videtur et iis, quorum nunc in ratione versamur. consideratio cognitioque rerum caelestium et earum, quas a natura occultatas et latentes indagare ratio potest, deinde rerum publicarum administratio aut administrandi scientia, tum prudens, temperata, fortis, iusta ratio, reliquaeque vir-

1. *maioribus minoribus* E *minora maioribus* LPCROr. *maxima* R 2. *his* ELCOr. *versantur* E 3. *cognitiove* (*ne* E) omnes 4. *occultas* R 5. *administrandi sciendique prudens* LPCR 6. *forti si iusta* E *fortis et iusta* PCROr. *fortisque et iusta* L

sime omitteretur, si ea hic consisteret; nec facile quisquam in
§ 36 ferret, omisso *sunt*, sic dici: *Animi autem — plures virtutes.* Hoc senserant, qui in duobus Gzii codd. addiderunt *sunt*, nescio quo loco; sed sic haec continuantur, quod interpungendo significavi, ut ex hoc membro verbum *sunt* tantum in proximum differatur. [Etiam B *maioribus minoribus*; ed. Crat. *maioribus minora.*]

cognitioque) In cod. arch. erat *cognitiove* (ut in Oxx., excepto ξ, Gzianis, si ipsi credimus, excepto Gud. 2) aut *cognitione* (ut cum Erl. [B] Ox. ξ et Gud. 2); in cod. Mor. erat *cogitatiore*, solita confusione, in Scaligeri *cogitatione*. Recte post Asc. (1511) et alios Orellius; nam *consideratio cognitioque* (quae e consideratione oritur) necessario coniunguntur, ut § 11: *in contemplatione et cognitione rerum*, Off. I, 153: *cognitio contemplatioque naturae*; ridicule Piso optionem daret, utrum quis considerare caelestia an cognoscere vellet. Longe aliter paulo post dicitur: *aut* (si rem publicam non reapse administres, saltem) *administrandi scientia.* Paulo post *occultatas* annotatur in mg. Crat. (nam in contextu erat, quod in R) et e cod. Mor.

scientia, *tum prudens*) Hoc e melioribus codicibus (Erl. et Spir. [B], e quibus Gzius profert *scientia cum*, mg. Crat., codd. Mor. et Scal., vetere libro Manutii, El., tum Pal. 6) restituit Davisius, Manutio monente; priores *sciendique prudens*, nulla sententia. Minime eleganter actionum genera sic dividi, ut primum mentis agitatio, tum certae agendi materiae (rei publicae) tractatio ponatur, postremo quattuor illae agendi qualitates, quae primae virtutes sunt, facile apparet. *Ratio prudens*, *temperata* pro prudentia, temperantia paulo insolentius et brevius dicitur; sed nimis absurdum erat in actionum generibus enumerandis *prudentem agendi rationem* ponere; aliud non suppetebat.

fortis, *iusta ratio*) Quod in Erl. est, ex quo unam litteram male geminatam detraxi, non dubito, quin, si editores attendissent, in ceteris bonis reperturi fuerint; [est in B;] quid in altera scriptura esset vitii, dixi ad IV, 56. Paulo post *et cogni-*

tutes et actiones virtutibus congruentes, quae uno verbo complexi omnia honesta dicimus; ad quorum et cognitionem et usum iam corroborati, natura ipsa praeeunte, deducimur. Omnium enim rerum principia parva sunt, sed suis progressionibus usa augentur; nec sine causa; in primo enim ortu inest teneritas ac mollitia quaedam, ut nec res videre optimas nec agere possint. Virtutis enim beataeque vitae, quae duo maxime expetenda sunt, serius lumen apparet, multo etiam serius, ut plane, qualia sint, intellegantur. Praeclare enim Plato: Beatum, cui etiam in senectute

2. *etiam cognitionem* LPCR 3. *iam* om. P 4. *progressibus* LP 5. *et* (pro *nec*) E *in primo — quaedam* Nonius p. 495 s. v. *teneritas* 6. *temeritas* omnes praeter Non. *et mollities* LPCROr. 7. *possunt* E 9. *intelligatur* L

tionem Gzius ex Erl. et Spir. [B]; erat *etiam cognitionem*. Deinde *progressibus* pro *progressionibus* Ox. χ, Gud. 1, Mon.

teneritas ac mollitia) Prius nomen servavit Nonius; in codicibus (Davisii, Oxx. EUξχ, Gzii) unius lineolae adiectione factum est *temeritas*. Illud iam apud Ascensium (1511) restitutum est et ab uno eiectum Gzio, quem ne Schuetzius quidem secutus est. Tenera ac mollis est prima aetas ac natura nondum confirmata (cfr. Tusc. III, 12, de Legg. I, 47: *teneros et rudes animos*), non temeraria. *Mollitia* ut scriberem, etsi alterum magis probo (vid. ad III, 61), evicit Nonii et cod. Erl. [et B] consensus; [iidem *ac* pro *et*]. In verbis *in primo ortu* (hominum) sic transiit Piso a rebus ad homines eas res habentes, ut illi in verbo *possint* intellegantur, in quo Ernestius haesit. Paulo post figura quaedam orationis est, e priore sententiae parte communius verbum ad posteriorem eruentis quasi ἀπὸ κοινοῦ. Nam ex his: *virtutis lumen apparet* (hoc est: fit, ut virtus conspiciatur) in his: *multo etiam serius*, *ut* cet. sumitur *fit*. In *intellegantur* familiarissima est forma, qua sola Cicero utitur, eius attractionis, quam post alios tractavit Kruegerus in libro de attractione 441 sqq. Nam poterat etiam non adiecto *quales sint* dici *intellegantur*; cfr. II de Orat. 137 et 243, de N. D. II, 115. De Fin. II, 128 *collata* non pertinet ad *partem*, sed ad *observantem*.

Plato) II de Legg. 653 A: Φρόνησιν δὲ καὶ ἀληθεῖς δόξας ιίους εὐτυχὲς ὅτῳ καὶ πρὸς τὸ γῆρας παρεγένετο, ubi quod contra codices edebatur, βεβαιοῦν, commendatur sane Ciceronis interpretatione et numero verbi παρεγένετο.

contigerit, ut sapientiam verasque opiniones assequi possit! Quare, quoniam de primis naturae commodis satis dictum est, nunc de maioribus consequentibusque videamus. 59. Natura igitur corpus quidem hominis sic et genuit et formavit, ut alia in primo ortu perficeret, alia progrediente aetate fingeret, neque sane multum adiumentis externis et adventiciis uteretur; animum autem reliquis rebus ita perfecit, ut corpus; sensibus enim ornavit ad res percipiendas idoneis, ut nihil aut non multum adiumento ullo ad suam confirmationem indigeret; quod autem in homine praestantissimum atque optimum est, id deseruit. Etsi

2. *incommodis* L 5. *ut alia — fingeret* Nonius p. 308 (*perficere — fingere*) 10. *conformationem* (P)

de primis naturae commodis) Ernestio, cui suspectum erat *commodis*, Matthiaeus opposuit II Acad. 138; nec de scriptura ulla potest esse dubitatio. Et tamen parum recte Cicero dixit. Nam primum, illone genere primorum naturae omnino ea, quae hoc loco tractantur, actionum et virtutum initia recte comprehendantur, non sine causa dubitatur (cfr., quae dixi ad § 18 et in exc. ad II, 33); deinde certe commodorum nomen non habent; id enim pertinet ad ea, quae in corpore et extra id vitae statum adiuvant, quaeque praeter cetera prima naturae appellantur, valetudo, vires, cetera. In commodorum nomine ponendo Cicero se etiam IV, 59 implicarat.

59. *adiumentis externis et adventiciis uteretur*) Obscure eloquitur, quod vult. Hoc enim dicit: ut non multum relinqueret, quod homo ipse sua opera et arte adderet ad id, quod natura perfecisset; quod contra est in animo.

ad suam confirmationem) ad id confirmandum et perficiendum, quod (in hac parte, quae sensibus continetur) a natura accepisset. Minus diligenter Cicero ea, quae parenthesi inclusa addidi, omisit. ex quo fit, ut plus de animo dici videatur, quam vere dici possit; nam in altera parte eum multum adiumento indigere ipse ait. (Bremius *indigerent*, cuius coniecturae causam ne Orellius quidem perspexit; sed de animi indigentia adiumentorum tota disputatio est.) *Confirmationem* [sic B] recte Orellius restituit ex editionibus ante Manutium; debuit addere testimonium codicum Oxx. EUξψ; *conformationem*, quod in ed. a. 1480 esse dicitur, quodque inde a Manutio omnes tenuerant, in nullo aut paucissimis codicibus est; formam natura dederat; confirmari ea postea debebat.

dedit talem mentem, quae omnem virtutem accipere posset, ingenuitque sine doctrina notitias parvas rerum maximarum et quasi instituit docere, et induxit in ea, quae inerant, tamquam elementa virtutis. Sed virtutem ipsam inchoavit; nihil amplius. 60. Itaque nostrum est (quod nostrum dico, artis est) ad ea principia, quae accepimus, consequentia exquirere, quoad sit id, quod volumus, effectum; quod quidem pluris sit haud paulo magisque ipsum propter se expetendum quam aut sensus aut corporis ea, quae diximus, quibus tantum praestat mentis excellens perfectio, ut vix cogitari possit, quid intersit. Itaque omnis honos, omnis admiratio,

1. *iam accipere* LCR 4. *quasi elementa* L 5. *nihil itaque amplius nostrum* LC *nihil ita amplius nostrum* PR 7. *quo assit id* EP *nolumus* R *quid quidem* C 8. *sit* om. E 10. *profectio* E 11. *quod* E

omnem virtutem accipere) *Iam*, quod interponebatur, Ernestius sustulit, parens Parisino 1 Davisii (nostro P); accedunt quattuor Gzii, id est, ut ex Erl. [B] apparet, meliores et deteriorum pars; nec *iam* hic apte intellegi potest eo modo, quo dicitur de rebus paulo post futuris. Proxima Pisonis verba (*ingenuit notitias parvas rerum maximarum*) eiusmodi sunt, ut innatas et nsitas notiones homini aperte tribuat, quod idem facit Cicero pse Stoicorum sententias exponens I de Legg. 26: *natura reum plurimarum obscuras nec satis claras intellegentias inchoavit* cfr. ibd. 27: *prima et inchoata intellegentia*, et 59: *quoniam rincipio rerum omnium quasi adumbratas intellegentias animo ac ente conceperit*), quamquam eodem loco (§ 30: *quaeque in ani-s imprimuntur inchoatae intellegentiae*) propius accedit ad sam Stoicorum doctrinam, qui in animo tabulae purae simili ines notiones visis extrinsecus oblatis imprimi statuebant. roque loco Cicero Antiochum secutus videtur, Antiochus em Platonicae sententiae de ideis et *ἀναμνήσει* (Tusc. I, 57) ticulas cum Stoica doctrina coniunxisse.

60. *inchoavit; nihil amplius. Itaque nostrum est*) Sic a Mao locum constitutum esse narrat Gzius; illud non addit, um apicem aliter scriptum esse in codice Erl. (et cur de . non affirmem?). [Sic etiam B.] Ceteri codices et editiones Manutium: *inchoavit. Nihil itaque* (*ita* Pal. 4) *amplius no-t est.* Gzius quidem, in „plerisque omnibus“ scribit ita ut in Pal. 4, in uno Mon. *itaque.* De melioribus fallitur; terioribus non curo, quid dicat. [Paulo post *sit* om. etiam B. *consentaneae sunt* ex Erl. et B restitutum.]

omne studium ad virtutem et ad eas actiones, quae virtuti consentaneae sunt, refertur, eaque omnia, quae aut ita in animis sunt aut ita geruntur, uno nomine honesta dicuntur. Quorum omnium quae sint notitiae quaeque significentur

2. *sunt consentaneae* LPCROr. 4. *quaeque* (pro *quae*) omnes, Or. *sunt* LC [*significent* Eh]

Quorum omnium quaeque cet.) [Sic edebatur.] Gzium cum Ottone dimittamus, qui narrant *quaeque* bis poni pro *quaecumque*, tertio loco pro *et quae*; nam *quaecumque* interrogativum non esse, nec dici Latine: *videbo, quaecumque sint notitiae*, pueri norunt; *quaeque* non esse *quaecumque* ostendi in exc. ad III, 51. Restat. ut *quaeque* omnibus tribus locis accipiamus pro *et quae*. Sed *quique* — *quique* pro *et qui* — *et qui* in pronomine relativo Livius, Velleius, Quintilianus dixerunt, Cicero non dixit. Qui enim unus laudari solet locus, de Orat. I, 119, prorsus respuit huiusmodi duorum generum partitionem (*et illi qui* — *et illi qui*). recteque et olim nonnulli et nuper omnes e codicibus scripserunt: *qui optime*. In interrogativo pronomine ne illi quidem scriptores sic posuerunt *que* — *que*. Recte igitur Matthiaeus scribi voluit: *quae sint notitiae*, idem mendum corrigens, quod III, 51 sustulimus. [Ita nunc edidi.] Sed haeremus in proximis. Primum enim *rerum vocabula* communiter dicuntur, quibus res appellantur, ut, cum honesta nominata sint, si quis de *eorum* nominibus interroget, perverse dicat: *quid significant rerum vocabula?* Itaque Ernestius *rerum* tolli volebat. Sed sunt alia vitia; nam, omisso etiam *rerum*, tamen Piso hoc se visurum dicere videtur, quae vis et natura honestorum ex ipsis vocabulis, hoc est, ex eorum origine et cognatione appareat. Atqui haec vocabulorum significatio ad hunc locum, ubi de notione et generibus honestorum per se explicandis agitur, omnino non pertinet; et sequitur: *quaeque cuiusque vis et natura sit.* Longe alio ducit ipse rerum ordo. Perventum est enim ad universam et generalem honestorum notionem. Restat, ut exponatur, quae sint honestorum notitiae et definitiones, quae nomina et appellationes; hoc mox se visurum Piso dicit. Recte igitur Davisius vidit, hoc requiri: *quibusque significentur vocabulis.* (Quod *queisque* scripsit, facile condonamus. Probarunt Ernestius et Matthiaeus.) Et in hac orationis forma ferri posse videtur *rerum.* Nam cum Piso notitias animi nominasset, sic addere videtur *quibus rerum vocabulis* (hoc est, quibus ex illis vocabulis, quibus res notamus), ut significet honesta, quae reapse sint et in vita animadvertantur. Cogit igitur ratio, ut *quibusque*

rerum vocabulis quaeque cuiusque vis et natura sit, mox videbimus; XXII. 61. hoc autem loco tantum explicemus, haec honesta, quae dico, praeterquam quod nosmet ipsos diligamus, praeterea suapte natura per se esse expetenda. Indicant pueri, in quibus ut in speculis natura cernitur. Quanta studia decertantium sunt! quanta ipsa certamina! ut illi efferuntur laetitia, cum vicerunt! ut pudet victos! ut se accusari nolunt! quam cupiunt laudari! quos illi labores [non] perferunt, ut aequalium principes sint! quae memoria

1. *quaeque cuiusvis et* E 2. *haec — dico* om. C 3. *que* (pro *quod*) P 4. [*iudicant* Eh] 6. [*decertantum* Eh] *sint* E 7. *vicerint omnes*, Or. 8. *volunt* EC 9. *non* sine uncis Or.

'iceronem scripsisse putem; et tamen admiror, qui inde fac-
ım sit *quaeque*. Quod Orellius *quaeque* vult esse *qualesque*,
ısum vehementer loquendi usui repugnat (quis enim audivit:
: *significatur*, pro eo, quod est: *significatur talis esse?*) et cetera
ːommoda relinquit. [Nunc tamen et correctionis violentia et
'um nomen, quocumque te vertas, incommodum, et vesti-
m codicum ante ignotum (nam etiam B *significent*) faciunt,
ɔutem Ciceronem scripsisse: *quaeque significentur eorum voca-*
s, promittique et notionum (notitiarum) virtutum expositio-
ı et nominum, quibus appellentur, enarrationem ad virtutum
ɔrietates et discrimina magis intellegenda accommodatam et
iorem de singularum vi et natura disputationem. Ex
icentur eorum facile oriri poterat *significent rerum*. Quod
se visurum Piso dicit, brevissime rem attingit § 67.]
Cap. XXII, 61. *praeterquam quod nosmet ipsos diligamus,*
rea cet.) Eodem modo *praeterquam — praeterea* coniungi-
II Legg. 45, *praeter — praeterea* ad Q. Fr. I, 1, 28. [Hand.
IV p. 551.] Non dissimiliter autem Piso atque supra § 46
distrahit, quod unum est. Sic enim amorem nostri supra
ıit, ut is referretur ad naturae nostrae et optimae eius partis
ionem, quam in virtute positam iudicaremus. Itaque in eo
ːime honesta suapte natura et per se expetuntur. Neque
·ctant illa, quae in pueris apparere dicit, indicia. Pro
ɔst *decertantium*) etiam Spir. [B] *sint*. De *vicerunt* a me
ı dixi ad § 41.
s illi labores non perferunt) Qui sic interrogat: *Quod*
uod facinus parricida non edidit? (Philipp. XIII, 21), is
ɔmnino (genere) esse nominarive posse significat, quod
n ediderit; qui autem admiratur, multa magnaque ali-

est in iis bene merentium, quae referendae gratiae cupiditas! Atque ea in optima quaque indole maxime apparent, in qua haec honesta, quae intellegimus, a natura tamquam adumbrantur. 62. Sed haec in pueris; expressa vero in iis aetatibus, quae iam confirmatae sunt. Quis est tam dissi-

1. *his* LPCOr. (*hiis* E) 2. [*eam* pro *ea in* Eh] *indole quaque* E *quoque indole* P *apparent maxime* L *maxime approbarent* P 3. *tamquam* om. P 4. *pueris expressa in iis* (*his* LC) *vero* LPCR *pueris. In iis vero* (om. *expressa*) Or.

quem edidisse, ei notissimum est dicendum esse Latine: *quae facinora parricida edidit!* In quo genere memorabile est, quod supra II, 76 legitur: *quem clamorem contionis aut quam spem consulatus — futuram putas?* quod ibi haec cum exclamatione augendi significatio (*magnus erit clamor contionis*) et altera negandi (*nulla erit spes consulatus*) coniunguntur. Si igitur recte hic, quem nunc tractamus, locus scriptus est, Piso dicit, nullos labores a pueris vitari. Verum nec optime huic *non perferunt* subici videtur: *ut sint*, et singularis numerus tum paene requiritur. (De Legg. tamen III, 19 editur: *Quae enim ille non edidit?* ut sit: nihil non edidit. Sed ne is quidem locus dubitatione carere videtur.) Accedit, ut superiores et inferiores exclamationes similem in hac laborum commemoratione formam postulare videantur. Itaque equidem Ciceronem scripsisse opinor: *quos illi labores perferunt*, *ut* cet. *Ferunt* pro *perferunt* Victorius. [In Erl. sic esse, quod mihi annotatum erat, negat Baiterus, sed in Glog. esse. Vix credo.]

62. *Sed haec in pueris; expressa vero* cet.) Quae in pueris adumbrentur, ea in confirmatis aetatibus expressa esse dicit, quae comparatio adumbratarum imaginum et expressarum atque solidarum formarum saepissime ab artibus transfertur ad alia, ut Tusc. III, 3 (*solida quaedam res et expressa*, *non adumbrata*) et pro Cael. 12 (*non expressa signa*, *sed adumbrata virtutum*). Restitui hunc locum ex Erl. [et B]. Nam antea edebatur, ut est in deterioribus codicibus: *Sed haec in pueris expressa. In iis vero aetatibus*, *quae iam confirmatae sunt*, *quis est* cet., simili transpositione eius, quae § 59 et 60 in iisdem codicibus acciderat. Itaque iure Ernestius offendebatur, quod in iisdem haec et adumbrata et expressa dicerentur, et *expressa* tolli volebat, violento remedio; neque enim satis est stolidum glossema appellare, quod cur quis addiderit, dici nequit. Eam coniecturam Marsus praeceperat, quem sequi Gzius maluit quam Erl. et Spir. inspicere.

milis homini, qui non moveatur et offensione turpitudinis et comprobatione honestatis? quis est, qui non oderit libidinosam, protervam adulescentiam? quis contra in illa aetate pudorem, constantiam, etiamsi sua nihil intersit, non tamen diligat? quis Pullum Numitorium, Fregellanum, proditorem, quamquam rei publicae nostrae profuit, non odit? quis urbis conservatorem Codrum, quis Erechthei filias non maxime laudat? cui Tubuli nomen odio non est? quis Aristidem non mortuum diligit? An obliviscimur, quanto opere in audiendo

1. *et* ante *offensione* om. E 5. *diligatur* E *Numitorem* (P)C *Numi-n* R 6. *numquam* (pro *quamquam*) E *quis* om. E *verbis* (pro *urbis*) C *rectei* E 8. *cur* (pro *cui*) R

Pullum Numitorium) Sic etiam Spir. [B], restitueratque Ur- admonitu Ernestius; superiores *Numitorem*. Par. 1, Mead., ii Gzii *Numitorum* (Gud. 2 *iumentorum*). Erat Q. Numi- Pullus (de Invent. II, 105). Quod Dav. e scriptura cod. (*Fregellatium*) in mentem venit, *Fregellarum*, nullam habet itatem, nec tamen improbabile est; nam incommode pa- et sceleris significatio separatur; nec, quod III Phil. 17 Antonii patris uxorem primum Fregellanam, tum pro- filiam appellat, ad coniecturam refellendam pertinet. post Ciceronem scripsisse puto: *quis huius urbis con- em*, ut § 54 scripsit: *princeps huius civitatis* et § 88 *urbe*. Nam si de urbe sic Piso loqueretur, ut eam con- poneret ei loco extra urbem, in quo nunc esset, recte ellatione Athenae significarentur (ut extremo libro dicit *um*); nunc cum conservatam urbem Romanus inter Ro- icat, nisi aliquid addatur, necessario suam illorumque ignificare videatur. [Klotzius: *quis suae urbis*.] De filiabus, quarum cum pater minimam natu in bello eusinios et Eumolpum ex oraculo ob victoriam immo- erae se mortis comites addidisse narrantur, scripto- collegerunt Meursius de regib. Ath. II, 9, Lectt. 1 et Heynius ad Apollod. III, 15, 4, Observ. p. 339 Tubulo dictum est ad II, 54.

ortuum diligit) Bas. et Gud. 1 et editiones quaedam t., Man., Lamb.) *mortuum non diligit*, pravo ordine; sic rte causa amoris esse videatur; nunc hoc dicitur: *ost mortem, diligit?* Paulo post *in audiendo legendoque* ditiones, excepta Victorii, ante Davisium pleraeque, r, etsi contra cod. arch.; attigi rem ad I, 34.

[in] legendoque moveamur, cum pie, cum amice, cum magno animo aliquid factum cognoscimus? 63. Quid loquor de nobis, qui ad laudem et ad decus nati, suscepti, instituti sumus? Qui clamores vulgi atque imperitorum excitantur in theatris, cum illa dicuntur:

Ego sum Orestes,

contraque ab altero:

Immo enimvero ego sum, inquam, Orestes!

Cum autem etiam exitus ab utroque datur conturbato errantique regi: Ambo ergo una necarier precamur, —

1. *in* om. CR, sine uncis Or. 2. [*aliquod* Eh] *loquar* omnes, Or. 3. *qui ad* (pro *et ad*) E 4. *quid clamores* LC [*imperatorum* Eh] 9. *etiam* om. C 10. *ambos* LPCROr. *sunaneganum* (pro *una necarier*) E *una vivere* LPCROr., hic cum nota mendi

63. *Quid loquor de nobis*) Reprimit Piso cursum eius orationis, in qua iam est, negans (apte ad nobilitatis Romanae sensum) de se et sui similibus opus esse dici. Itaque scripsi, ut Morgensternius et Matthiaeus scribi voluerant: *quid loquor?* Nam *quid loquar?* de futuro tempore dicitur, cum aut novam rem attingentes dubitamus, commemorandane sit, aut de ea, quae iam tractatur, sintne plura dicenda, ut pro Sull. 64: *Sed quid ego de hoc* p*lura disputem?* Notam rem declarant inter alios Matthiaeus et Beneckius ad Catilin. IV, 16; illud addendum, ubi ita oratio iam coepta inhibeatur et reprimatur, ut statim eodem complexu verborum adiungatur, quid potius dici possit ac debeat, ibi in hac posteriore parte talem esse futuri temporis et futurae orationis significationem, ut ea etiam ad priorem transferatur. Recte igitur dicitur Tusc. I, 108: *Sed quid singulorum opiniones animadvertam, nationum varios errores perspicere cum liceat?* et de Orat. III, 29: *Sed quid ego vetera conquiram, cum mihi liceat uti praesentibus exemplis atque vivis?* Nam utroque loco corrigitur, quod iam fieri coeptum est. [*Qui ad* etiam B.]

Cum autem etiam exitus cet.) Profectum est aliquid ad huius loci tractationem iis, quae ad II, 79 dixi; apparet enim, in quo post Scaligerum multi haeserunt, et quae illa conturbatio errorque regis sit et qualis exitus ei ostendatur, quo se expediat. Ipsorum Pacuvii verborum formam meliores codices nisi in una vocula vix dubiam relinquunt. Sic enim scribitur: *ambo* (sic etiam Spir. [B], cod. I. F. Gronovii, Pal. 6) *ergo sunaneganum* ([etiam B;] cod. Gron. *sunanegamum*, Spir. *sunaniganum*, Bas. *summa negarim*) *precamur.* In hoc monstro latere *una necari* (pro quo facillimo errore scriptum est *negari*), certum est;

quotiens hoc agitur, ecquandone nisi admirationibus maximis?

1. *hic* E *et quandone* E *et quandove* PC *ecquandove* L *et quando mihi* R

neque *precor necari* apud Pacuvium durum videri potest, cum etiam Ovidius dicat *precor esse tua.* In extremis litteris utrum significetur antiqua infinitivi terminatio, quae versus pedes ex- ›let, an aliud quid, obscurum est. [*Necandi* verbum subesse 'iderat Davisius, infinitivum Gzius.] Litteram *s* initio equidem rrore ortam puto; Gzius scribendum putavit: *ambo sic una*, ıod in codice Vindobonensi pro *ergo* erat *igitur*, apud Marsum *70 et* (etsi hoc Hertelius non annotat). Quam ridicule vulga- ı *illa* menda librorum prorsus aliam scripturam sequentium c trahantur, ut ex *ergo* fiat *sic*, inaudita permutatione, non ıs est exponi; ne illud quidem, barbarum esse *sic precor* pro *'or igitur.* Numeros turbabit, quidquid inter *ergo* et *una* rponetur. Deteriores codices et editiones *ambos* (*ambo* Dav., , Gzius) *ergo una vivere precamur.* In Pal. 4 ad marginem n uno cod. regio Lallemandi, si credimus) scriptum erat: ' *ergo sibi unam necem imprecantur.*
ecquandone nisi admirationibus maximis) Plerique codices 3, 4, 5, Davisii tres, EUψ, Gziani praeter tres) et edd. *et quandove*; in cod. Gron. et tribus optimis Gzii [B] erat *ndone*, quod nihil est nisi ipsum, quod Davisius restitui *ecquandone* sic scriptum, ut in codicibus plerisque scribi solet. rariorem praeter Velleii locum maxime Propertii versus similiterque *ne* ex abundanti additur in *utrumne* et *anne.* eisigii Schol. Lat. § 277.] Inde a Manutio edebatur *quan- ıisso et*, nulla sententia; neque enim Pisoni satis erat alte- ıobus, aut saepe hoc agi aut cum maxima admiratione. ›ium videri possit, utrum sic verba interpungi debeant: *hoc agitur! ecquandone nisi adm. maximis?* an, ut ego cum :ripsi. Nam post illud: *cum autem etiam* cet. expecta- smodi sententiae exitus: *quantae admirationes excitari* igitur priorem rationem sequimur, Piso orationem poëtae verborum interruptam, quae nullo vinculo ıis coniunguntur, non eadem forma absolvit, sed pri- ımat: *quotiens hoc agitur!* deinde addit, tamen num- maximis admirationibus agi. [Sed inanis videtur ıtis actionis significatio.] In altera quoque ratione s subsistit nonnihil oratio nec superiorem formam se- ıe enim apte haec cohaerent: *cum exitus datur, quotiens 'lamores fiunt.* Recte tamen in hac ratione e sen- ›a praecedente (*quotiens agitur*) auditur verbum idem primaria, quod fit etiam Tusc. I, 18: *Qui discedere*

Nemo est igitur, quin hanc affectionem animi probet atque laudet, qua non modo utilitas nulla quaeritur, sed contra utilitatem etiam conservatur fides. 64. Talibus exemplis non fictae solum fabulae, verum etiam historiae refertae sunt, et quidem maxime nostrae. Nos enim ad sacra Idaea accipienda optimum virum delegimus; nos tutores regibus misimus; nostri imperatores pro salute patriae sua capita voverunt; nostri consules regem inimicissimum moenibus iam appropinquantem monuerunt, a veneno ut caveret; nostra

1. *qui non hanc* LPCR 3. *Talibus — refertae* Nonius p. 309 (*sed etiam*) 5 [*et quid* Eh] 6 *misimus regibus* LPCROr. 8. [*nouerunt* Eh] *regem* om. E 9. *a veneno* om. P

animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper (censent), et Orat. 45: *Nam quoniam, quidquid est, quod in controversia aut in contentione versetur, in eo aut, sitne, aut, quid sit, aut, quale sit, quaeritur, sitne, signis* (quaeritur), *quid sit, definitionibus, quale sit, recti pravique partibus:* [Cfr. Off. III, 55.] Paulo post *quin* Gzius ex Erl. et Spir. [B]; ceteri *qui non.*

64. *Nos enim ad sacra* cet.) Duo prima exempla non commodissime delecta videntur. Senatus cum oraculo obtemperans optimum virum deligeret (a. 204, P. Cornelium Scipionem Nasicam), in qua re utilitati suae honestatem praeposuerit aut pie magnove animo egerit, non apparet. Virtuti honorem habitum esse, aliud est. Tutorum commemoratio pertinet ad M. Aemilium Lepidum, cuius tutelae Alexandreae gestae memoriam conservat denarius gentis Aemiliae. Eum Iustinus (XXX, 2 et 3), Ptolemaeo V Epiphane pupillo, Aegyptum tutorio nomine administrasse significat, quem Eckhelius (Doct. Numm. vol. V p. 123 sq.) sequitur; Pighio et Champollioni-Figeac (Annales des Lagides II p. 95 et 131) probabilius videtur. Aemilium mortuo Epiphane (a. 181) Ptolemaeo VI Philometori et eius fratri Physconi tutorem fuisse. Val. Max. VI, 6, 1 post duos consulatus (a. 187 et 175), cum pontifex maximus iam esset, in Aegyptum missum scribit, fortasse dignitatem postea auctam ab illa, quam iam tum consecutus esset, non distingvens. Tacitus (Ann. II, 67) *liberis* Ptolemaei tutorem datum narrat, nullam aliam temporis notam addit. Ad Ciceronem haec quaestio minus pertinet. Sed ut concedamus Romanos in hac re non praecipuam suae potentiae rationem duxisse, certe honestatis cum utilitatis contemptu retentae nihil admodum inesse videtur. Deciorum et C. Fabricii et Q. Aemilii Papi (a. 278) egregia facinora omnibus nota sunt.

in re publica et quae per vim oblatum stuprum voluntaria morte lueret, inventa est, et qui filiam interficeret, ne stupraretur; quae quidem omnia et innumerabilia praeterea, quis est, quin intellegat, et eos, qui fecerint, dignitatis

1. *Lucretia et quae* omnes *pium* (pro *per vim*) E 2. *interficeret filiam* LPCROr. 3. *ne* (pro *quae*) E 4. *qui* E *qui non* cett., Or. *fecerint* om. L

et quae per vim) Iam in codice archetypo nomen feminae Pisone significatae, cui ne verborum quidem ordo locum llum relinquit, additum erat; nam *Lucretia et quae* Spir. [B]. xx. omnes, editiones ante Vict. et Man., ac, ni fallor, codices nnes; quod enim Gzius significat, in ceteris suis fuisse: *Lu- ɛtia quae* (quomodo pravitatem occultare conatur ed. Crat.), valde dubitem, facit Oxx. et meorum consensus. *Regibus rimus* et *filiam interficeret* e solo Erl. [et B] dedi, ex eiusdem em [et B] perspicuo vestigio *quin*. Gzius tacet. [In ed. min. terus Bakium secutus *elueret* scripsit. Neque *stuprum* elui- sed *macula* (in Philipp. XII, 12 a *sangvine* verbum trans- m est etiam ad *praedicationem*), nec morte quidquam *elui* st. Lucretia etiam per vim oblato stupro sic se quasi celeratam putavit, ut morte luendum piaculum esset.]

et eos, qui fecerint — nosque) Cicero post accusativum initio um (*quae quidem omnia*) sic subiecti in duo genera tributi *s — nosque*) priorem partem posuit, ut putemus huic to adiunctum iri eiusmodi verbum, a quo accusativus endere possit (velut hac ratione: *et eos, qui fecerint, sine ɔe utilitatis fecisse*). Nunc durius omnino nec sine per- ione aliqua orationis accusativus pendet a relativae sen- verbo, propterque eam causam in altero membro additur *demus*), quod aliter melius abesset. Illud quidem mani- est, hic in duarum partium notatione et distinctione lae *et* subici *que*, ut huius loci ratio habenda fuerit qui Turs. II p. 527 sq. hoc omnino a Cicerone abiudi- blitus est etiam eius, quod I ad Fam. 5 b, 1 legitur: *am Pompeius et apud populum a. d. VIII Id. Febr., Milone diceret, clamore convicioque iactatus est in sena- Catone aspere et acerbe nimium (?) magno silentio est ac- isus est* cet. Alios autem locos non recte enarravit; cul. I, 4 nemini persvadebit, *igitur et Epaminondas etiam* vel *adeo Epaminondas*, ac non in particula *et* signi- alterum Themistoclis exemplum. Ne illud quidem, tur pro Rosc. Am. 48 (*et ipsi incensi sunt studio, quod colendum attinet, vitamque hanc rusticam — honestissi-*

splendore ductos immemores fuisse utilitatum suarum, nosque, cum ea laudemus, nulla alia re nisi honestate duci?

2. *ducti* E

nam arbitrantur), sic removeri potest, ut *et ipsi* sint *ipsi quoque* (sua sponte); nam *et ipse*, [quod apud Ciceronem legitur incerta fide pro Caec. 58, ad Att. VIII, 7, 1,] significat, praeter alios etiam hunc idem facere, non, hunc sua sponte, praeterquam quod ab aliis moneatur, aliquid facere, ut cum dicimus: *Romulus et ipse turba actus est.* De Legg. quoque I, 31 frustra Handius p. 510 alio traducere conatur. Apertum est enim, cum Cicero pravitates communiter nominarit, subiciaturque *nam et*, hoc *et* significationem habere plurium exemplorum, quae deinceps enumeraturus sit; itaque huic *voluptate capiuntur omnes* respondet: *similique inscitia mors fugitur*, tum: *propterque honestatis et gloriae similitudinem. Etiam* ineptum est; nihil enim ante nominatum est, quo homines capiantur. (De R. P. I. 69 cur non numerem, apparet. Ne de huius quidem libri § 34 confido: nam et in tam propinquis membris ea, quam exponam, ratio locum vix habet [et suspicionem movet cod. B].) Constat igitur. Ciceronem aliquotiens in duabus sententiis, cum instituisset geminata particula diversitatem rerum notare, neglegentia quadam (neque enim recte fit), quasi prioris particulae oblitum. alterum membrum priori particula *que* subiunxisse. Neque hoc non simillimum est eis, quae multis aliis modis in oratione bipertita accidere videbimus in exc. ad I, 23; ac prorsus ex eodem genere est, cum dicitur interdum *neque — que* (I. 48. III, 3 [Hand. Turs. IV p. 137]); nam etiam *neque* talem separationem significat, ut alterum, si ex negativa in affirmativam formam transitur, tamen particula *et* notari, non per *que* priori adiungi debeat. Eadem autem, qua Cicero, libertate usus est Horatius Sat. I, 3, 139 (nisi quis *at* scribi malit; nam illa quidem sententia: *dum tu rex superbis, nullo praeter Crispinum stipatore, mihi etiam amici ignoscent, si quid peccaro*, ineptissima est, [neque eorum artificio uti possumus, qui a *neque te* apodosin incipere statuunt, prave distractis, quae ad *dum* pertinent]). et certe Svetonius Ner. 33 (*nam et morari eum inter homines desisse, producta prima syllaba, iocabatur, multaque decreta et constituta ut insipientis atque deliri pro irritis habuit*) et Tacitus Ann. XIII, 7 (*Nero et iuventutem proximas per provincias quaesitam supplendis Orientis legionibus admoveri legionesque ipsas propius Armeniam collocari iubet*). Haec igitur certa sunt et rationem habent; illud valde incertum est, num duo nomina sic umquam Latini coniunxerint, ut dicerent: *officia et servata praetermissa-*

XXIII. Quibus rebus breviter expositis (nec enim sum

1. *expositis breviter* LPCROr.

ue (Cic. Acad. I, 37), nec tamen ea dubitatio magis ad Cice-
onem quam ad ceteros pertinet. In Acad. I, 43 (*Et breviter*
me minimeque obscure) *et* ortum esse e *dixisset* iam Manutius vi-
it. Eorum, quae Varro dixerat, continuatio perverse fingitur.
uod in hoc opere V, 15 a Gzio natum erat exemplum, sustu-
nus, nec de IV, 19 dubium iudicium esse potest. Restat
ut. 302, ubi verba *memor et* suspectissima fiunt propter
itionis formam (*partitiones*, *quibus de rebus* — *collectiones*,
ie essent dicta cet.), et quod in Bruti epistula legitur, ad
m. XI, 13, 5: *quam paratissimi et ab exercitu reliquisque rebus.*
Caesare nullus locus profertur (nam de B. C. III, 26 Elber-
ium meum pridem sententiam mutasse credo); e Livio
uot, sed, si propius aspexeris, infirmissimi. In II, 4, 5
te sic scribi et Dukerus et Handius (Turs. II p. 529) vide-
; in V, 46, 10 illa verba, quibus utuntur, neque in bonis
ibus neque in malis leguntur; in XXIV, 2, 9 in nullo co-
scribitur, ut editur, *raras et*; puto *raras* verum esse, ex
stationes ortum *parasset stationes*; in XXIX, 12, 5 nullus
enborchii codex, nulla vetus editio habet *et*, quod errore
onovianam irrepsit; in XXXII, 32, 13 et pars codicum
ittit, et id certe apparet, si huic responderet *que*, dicen-
fuisse: *ex propinquo et dicamus audiamusque*; itaque Gro-
, qui *et* addidit, longe aliter verba coniungebat. Restat
locus, ubi mendum non clarissimo indicio coarguatur,
3; nam quos alios Handius apud Drakenborchium ad
, 12, 5 videri iubet, nulli sunt. In Taciti Agr. 2 recte
us et Walchius *et* pro *etiam* (quod Lipsius scribi volebat)
i esse viderunt; in Ann. XI, 25 *et* novam sententiam
ri adiungit. Apud Ovidium in Metam. VIII, 497 sic
oniungenda sunt: *pereat sceleratus ille et trahat spemque*
gnique patriaeque ruinam. Quod Handius p. 527 scribit,
Plauti comoediis reperiantur loci, nihil probare, vel-
indicasset; probarent enim, sermonis naturam et usum
iunctionem non respuisse; sed scriptum illud puto, quod
(ad Brut. 302) ascripserat Amphitr. I, 1, 111, quem
ii inspexerit, reperiet *et* esse *etiam* (*quoniam formam et*
oi, *decet etiam facta moresque item similes habere*). Ap-
im illam coniunctionis formam, quod ad duo nomina
positam esse in paucorum locorum mendis, aliorum
rratione.

XXXIII. *breviter expositis*) Sic Erl. confirmans [cum

copiam, quam potui, quia dubitatio in re nulla erat, persecutus), sed his rebus concluditur profecto, et virtutes omnes et honestum illud, quod ex iis oritur et in illis haeret, per se esse expetendum. 65. In omni autem honesto, de quo

1. *dubitatio* om. C *nulla in re erat* R *nulla erat in re* L 3. *ex* om. P *hiis* E *his virtutibus exoritur* LPCROr. *his* (pro *illis*) LPCROr *esse per se* (P)C 4 *omni enim* E

B], quod inde a Crat., Victorio, Manutio editum erat. Gzius e suis quinque (atqui praeter Erl. et Spir., quem ab hoc discrepuisse non puto, quattuor habuit), Oxx. ξχψ, Vindob. invertit. Paulo post *nulla in re* Gud. 1, Bas., Marsus. *Nulla* nominativus est.

quod ex iis oritur) In excludenda voce *virtutibus* secutus sum Erl. et Spir. [B]; Gud. 2 et Par. 1, si Davisio credimus, et eam et *ex* omittunt. Si Cicero nomen repetisset, pronomen (*his*) omisisset, quemadmodum facit 58: *virtutes et actiones virtutibus congruentes*; neque enim aliae ullae erant. [Obiicitur ab Alano Verr. III, 76.] Pronomen sine auctore mutavi, nisi quod in Gud. 2 [et B] dicitur esse *hiis*; prava prorsus demonstratio erat. Quod *oritur* ex Erl. [et B et sine dubio Spir.] scripsi, praeter auctoritatem rationem secutus sum; nam ubi tantum origo et fons significatur, Cicero solet dicere *oriri ex* vel *ab aliqua re*, non *exoriri*, quod de iis ponitur, quae subito aut ex adverso surgunt et apparent atque assunt. Itaque de Off. I, 15 dicit: *omne, quod est honestum, id quattuor partium oritur ex aliqua* (cfr. hic 69). Quod Parad. V, 40 dicitur: *et alius est dominus exortus ex conscientia peccatorum, timor*, significatur dominus exurgens (*das Auftreten*), adiuncta notione originis in verbis *ex conscientia peccatorum*. Ne *illis* quidem ex aliis codd. annotatur [nisi ex B].

65. *In omni autem honesto* cet.) Etiam mg. Crat. [et B]: *In omni enim* cet. Quae hic de iustitiae inter virtutes principatu et de eius per ceteras virtutes quasi fusione (§ 66) dicuntur, apud Antiochum orta esse videntur ex iis, quae apud Aristotelem Ethic. Nicom. V, 3 (Magn. Mor. I, 34) disseruntur, quatenus virtus in convictu hominum legi satisfaciat, omnem quodam modo sub iustitiae notionem cadere, ut ἡ δικαιοσύνη sit *οὐ μέρος ἀρετῆς, ἀλλὰ ὅλη ἀρετή*. Sed hic ad eam, quae magis proprie iustitia appellatur, transferuntur. Accesserunt enim colores e Stoicorum decreto de omnium virtutum conspiratione ac consensu, de quo Ciceronis locos collegit Beierus ad Off. I, 15 p. 36, ascripto etiam Diog. Laërt. testimonio (VII, 125 et 126). Nam quamquam Aristoteles (Eth. VI, 13. 6), sed a

loquimur, nihil est tam illustre nec quod latius pateat quam coniunctio inter homines hominum et quasi quaedam societas et communicatio utilitatum et ipsa caritas generis humani, quae nata a primo satu, quod a procreatoribus nati diliguntur et tota domus coniugio et stirpe coniungitur, serpit sensim oras, cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus, tum civibus et iis, qui publice socii que amici sunt, deinde totius complexu gentis humanae;

1. *nec* om. E 3. *et* ante *communicatio* om. L 4. *satu, quo* LPCROr. *tum* om. P *deinde cum amicitiis* E 7. *post in civitatibus* PC *cum* *bus* CR *his* LC

identia, communi virtutis ethicae fundamento, proficiscens, *τῇ φρονήσει μιᾷ οὔσῃ πάσας ὑπάρξειν (τὰς ἠθικὰς ἀρετάς)* t, hanc tamen sententiam non persequitur uberius.

societas et communicatio) Spir. [non B] *commutatio*, Gud. 2 et *communitas*. De huius societatis initiorum descriptione dicest ad III, 62; cfr. II, 45. [Deinde *quod* ex Erl. et B restitui; e enim recte ablativus poni hic videtur relatus ad *satum*; diceretur *a primo amore, quo.*] Tum minus accurate Cicero coniunctionum nomina (*amicitiis, vicinitatibus* cet.) addidit: *tum* pro *cum* Manutius et confirmant [B,] Pall. 4 et 6, CCC, quam Oxx. ex ξψ *cum* annotant, Gzii praeter Bas. et Mon.) *et iis* cet. pro huiusmodi oratione: *tum civium coniunctione* cet. *deinde totius complexu* cet.) Expectari poterat *denique*, non on alibi quoque Cicero postremi membri notam omittat o Rosc. Am. 130), sed quod hic per cetera membra ad num, quod rem continet, pervenitur. *Gentem humanam* nere neque Cicero alibi dixit (sed longe aliter *gentem* *humanam atque doctam* de Divin. I. 2) neque, quod alii nisi poëtae (ut Horatius Od. I, 3, 26 et 12, 49). hunc locum in lexicis praetermissum miror. *Gentem* *ere* de eo, qui alicunde genus duceret, Vergilium dixisse 228, notum est, sed dixit exemplo Catulli, quem carm. et 24 sic scripsisse: *Heroës, salvete, deum gens! o bona Progenies, salvete iterum! Vos compellabo*, intellegi potest s ad Verg. Aen. V, 80. Non minus inusitate Cicero, *munifice* simile adverbium requirens neque in hac conambiguitatem timens, *aeque* ausus est dicere, quod nquam fecisset, pro eo, quod est *cum aequitate*, quem icographi, hoc loco neglecto, e Sidonio Apollinari Freundius prorsus omittit. Quod Forcellinus Plaut. V, 22 addit, ibi scribitur recte e cod. vetustissimo:

quae animi affectio suum cuique tribuens atque hanc, quam dico, societatem coniunctionis humanae munifice et aeque tuens iustitia dicitur, cui sunt adiunctae pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas, quaeque sunt generis eiusdem. Atque haec ita iustitiae propria sunt, ut sint virtutum reliquarum communia. 66. Nam cum sic hominis natura generata sit, ut habeat quiddam ingenitum quasi civile atque populare, quod Graeci πολιτικόν vocant, quidquid aget quaeque virtus, id a communitate et ea, quam exposui, caritate ac societate humana non abhorrebit, vicissimque iustitia, ut ipsa fundet se usu in ceteras virtutes, sic illas expetet. Servari enim iustitia nisi a forti viro, nisi a sapiente non potest. Qualis est igitur omnis haec, quam dico, conspira-

3. *bonitas* om. R 6. *statura* C 7. *quoddam* ER *innatum* LPCROr. 8. *πολιτικόν* om., spatio relicto, C 9. *id a communitate* om. E *comitate* (pro *communitate*) C *atque* LCOr. 11. *se fundet* LPCROr. *usu* om. E 13. *igitur est* L

vapularim, iureque id factum arbitror. Paulo post, ubi *comitas* scribitur, Eξ, Mon. *communitas*, de quo mendo dixi ad II, 80.

66. *ingenitum*) Sic Erl., Spir. [B], mg. Crat. (Bas., si Gzio credi potest, *ingenatum*); deteriores codices substituerunt, editiones tenuerunt vulgarius *innatum*. Participium illud apud Ciceronem alibi non legitur, indicativus (*ingenuit*) ter. Praeterea etiam Spir. [B] et duo alii Gzii, tum Eξ *quoddam*, perpetua illa permutatione; vid. ad I, 38. De re Aristoteles Pol. I, 1, 9: *ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῶον*, et similia saepe et copiose. *Ac societate* dedi e meis codicibus [B].

ut ipsa fundet se usu) *Usu* aberat etiam in Spir. [B]. Non audeo tamen tollere; nam neque, quomodo addi potuerit, video et sententiam bonam habet. Nam iustitia notione a ceteris virtutibus distingvitur; ubi ad agendum ventum est, cum homines virtutibus utuntur, tum illa in reliquas se fundit. [*Fundet se* etiam B. Edd. invertunt.]

Qualis est igitur cet.) Ultra perfectum haec trahuntur et a proposito nonnihil aberrant. Nam et de honesto supra (65) Piso dixerat et vitae naturae congruentis notio parum ad rem pertinet, nec illa, quae de virtutum proprietate adduntur, necessaria sunt; haec autem omnia efficiunt, ut minus appareat argumentationis progressio in illo, quod sequitur (§ 67): *Quando igitur inest* cet. Coniunguntur enim haec cum iis, quae de societate generis humani dicta sunt.

tio consensusque virtutum, tale est illud ipsum honestum; quando quidem honestum aut ipsa virtus est aut res gesta virtute; quibus rebus vita consentiens virtutibusque respondens recta et honesta et constans et naturae congruens existimari potest. 67. Atque haec coniunctio confusioque virtutum tamen a philosophis ratione quadam distingvitur. Nam cum ita copulatae connexaeque sint, ut omnes omnium articipes sint nec alia ab alia possit separari, tamen prorium suum cuiusque munus est, ut fortitudo in laboribus riculisque cernatur, temperantia in praetermittendis voptatibus, prudentia in delectu bonorum et malorum, iutia in suo cuique tribuendo. Quando igitur inest in omni tute cura quaedam quasi foras spectans aliosque appetens ue complectens, existit illud, ut amici, ut fratres, ut proqui, ut affines, ut cives, ut omnes denique (quoniam unam tatem hominum esse volumus) propter se expetendi sint. i eorum nihil est eius generis, ut sit in fine atque ex-

[*quando quid* Eh] 3. *in rebus* LPCROr. 7. *connexaeque sunt* LPCR *cipes sunt nec ab alia alia* L 9. [*minus* Eh] 13. *foris* E 15. *quando* r. *unam* om. L 16. *volumus esse hominum* R *sint* om. C *ue* LPCROr. *in extremo* LR

bus rebus vita consentiens) Secutus sum Erl., de quo icet, cum ipse „*in* deletam mallet", ut de Spir. cetebere suspicari liceat; [om. etiam B]. Res autem Ci- eas, quae virtute gerantur, ad quas singulas transit a rei alicuius *honestae*) commemoratione, multo minus niam additur nomen (*rebus*), quam in eo loco, quem de Legg. ascripsi ad II, 61. His honestis consentit us respondet vita honesta.
onnexaeque sint) Sic recte Crat., Vict., Dav., Gzius, t etiam Spir. [B]; ceteri *sunt*. Paulo post *ut* (post uberius rem declarandi vim habet, ut frustra Davi- scribi voluerit.
igitur inest) Gud. 1 *quanto est*, om. *igitur*, Mon. *ur est*, Eξ *quoniam est igitur*, Bas. *quomodo est igitur* t etiam Gud. 2, Vindob.). Ex paucis deterioris icibus *quoniam* reponere nolui; vid. ad 21; contra Erl. [et B] parui.
rum nihil est eius generis cet.) Omnis hic locus ve-

tremo bonorum. 68. Ita fit, ut duo genera propter se ex-

stigia habet propriae Antiochi sententiae aut saltem argumentationis de externis bonis, sed parum aut per se acute excogitatae aut hic perspicue expositae. Primum ex eo, quod in virtute insit cura quaedam foras spectans (quod ipsum quomodo de prudentia, temperantia, de ipsa denique fortitudine affirmetur, difficile est dicere, nec rationem Piso exposuit nisi de iustitia), mire efficit, homines omnes propter se *expetendos* esse, quasi ipsi nobis bonorum loco, quae teneamus, sint. Deinde hoc, quod de omnibus conclusum erat, contrahitur ad propinquos, amicos, patriam, eaque sic summo bono excluduntur, ut ideo tantum ad id pertinere dicantur, quod materiem habeant recte faciendi. Itaque si hanc rationem constanter persequimur, has res (velut amicos) habere et iis frui ipsum per se in parte beate vivendi non est, modo ne desit omnino recte agendi materies. Praeterea hoc loco haec, quae nobiscum hoc officii et caritatis vinculo connectuntur, non modo sola nominantur in externorum bonorum genere, sed, quod hoc fundamento illud genus constituitur, sola nominari possunt. Atqui (ut hinc ordiamur) non solum reliqui Peripatetici (apud Sext. Emp. adv. Math. XI, 45, apud Ioann. Stobaeum p. 264) Aristotelem ipsum sequentes (Eth. Nicom. I, 8), sed etiam Cicero postea (§ 81), Pisone permittente, alia in hoc genere numerat, divitias, honores, opes. Et haec autem et illa superiora non propter officia, quibus ea tueamur, in bonis ponuntur, sed quod praesidia habent vitae sine molestia degendae et virtutis libere exercendae; in amicis, parentibus, liberis, quos non solum omnino habere, sed bonos habere expetendum est, illud quoque valere videtur, quod, cum hi naturali nobis caritate commendentur, eorum aut privatio aut pravitas nos dolore afficiat. Itaque etiam ipsa summo bono ita continentur, ut, ipsius Antiochi sententia, sine iis vita beata esse possit, non beatissima (81), extremumque sit *κατ' ἀρετὴν ζῆν ἐν τοῖς περὶ σῶμα καὶ τοῖς ἔξωθεν ἀγαθοῖς ἢ πᾶσιν ἢ τοῖς πλείστοις καὶ κυριωτάτοις* (vid. ad § 26, et alibi). Videtur Antiochus eo loco, quem hic Cicero ante oculos habuit, eam disputationem, qua utebantur Stoici, cum iustitiae et amicitiae a natura, non ab utilitatis spe repetebant originem, transtulisse ad bonum, quod in amicitia et in ipsis amicis esset, cuius transitus simile aliquid notavi in Stoicis ad III, 55 (p. 438 ima), deinde ad totum genus externorum bonorum, oblitus, in eo quaedam non eiusdemmodi numerari. Non dissimilem formam habent, quae de copulatione hominum et de amicitia disseruntur apud Ioannem Stobaeum p. 250 ad p. 254. Quod autem externorum nihil

petendorum reperiantur, unum, quod est in iis, in quibus ompletur illud extremum, quae sunt aut animi aut corporis; aec autem, quae sunt extrinsecus, id est, quae neque in nimo insunt neque in corpore, ut amici, ut parentes, ut beri, ut propinqui, ut ipsa patria, sunt illa quidem sua onte cara, sed eodem in genere, quo illa, non sunt. Nec ro umquam summum bonum assequi quisquam posset, si

1. *his* LC *in* ante *quibus* om. Or. 2. *illud extremum* om. C 3. [*nec in* *no* Eh] *neque in animis* LCR 4. *sunt* (P)C *ut liberi ut propinqui* om. R *nquam* E *quisquam* (pro *umquam*) CROr. (*summum bonum quisquam* L) *uam* (pro *quisquam*) (P)CROr. *numquam* L

ur esse in fine atque extremo bonorum, id ortum ex eo ur, quod interdum beatam vitam ex his *συμπληροῦσθαι* bant (vid. ad III, 41), quamquam id etiam ad corporis pertinebat, et quod in ipsa vita beatissima non omnia requirebantur, sed externorum et corporis bonorum plu- et maxima, ut nullo uno horum necessaria pars conti- r. (Recte igitur hactenus illud dicitur extremo capite: *ia illa* cet.) *Atqui* (in conclusione praeparanda) posui [et B]. [Apud Baiterum errore scribitur *in fine extremo* e quis hic erratum putet.]

3. *unum, quod est in iis, in quibus* cet.) hoc est: in ipsis minibus, in quibus completur et perficitur finis bonorum, erum genus extra eos sit (*extrinsecus*). Cum de genere adiungit de singulis huius generis bonis: *quae sunt* cet., gura eius, quam attigi ad III, 70. Putidum enim erat e: unum (genus expetendorum), quod est in iis, in ompletur illud extremum, cuius generis expetenda sunt inde, quod poni debebat contrarium (*alterum, quod est s*). id Cicero cum iis, quae additurus de hoc altero at. coniunxit; vid. exc. ad I, 23. A sententia loci ilis aberrantes Manutius et Davisius, cum *iis* et *quibus* nere dicta putarent, hic scribi malebat: *in iis, e qui- in iis, quibus*, cui, Ernestio assentiente, inde a Gzio uerunt. Debebat saltem dici: *unum eorum, quibus* cet. genus in illis non est (praeter alia), sed complec- Paulo post *in animo insunt*, quod ex R aliquot ve- es tenuerant (Crat., Vict.), revocavit Dav. ex Parr. (ξχ, quattuor Gzii, Vindob., [B]); priores inde a ed. prima *sunt*.

ro umquam — quisquam) Secutus sum Erl., cuius (*inquam — quisquam*) Gzius e Gud. 2 profert, in

omnia illa, quae sunt extra, quamquam expetenda, summo bono continerentur.

1. [*illa* om. Eh] 2. *continerentur* E *continentur* L

Erl. et Spir. ait esse *quisquam* — *quisquam*; e deterioribus Gud. 1 et Bas. *umquam* — *quisque*, si modo hoc homo socors verius dixit. [B ut Erl.] (*Nihil quisquam umquam* de Orat. II, 122; *si umquam quidquam* ad Att. XIII, 25, 3; citavit Gzius: Lael. 82: *neque quidquam umquam.*) [Etiam B om. *illa.*]

quamquam expetenda) Ex circumlocutione relativa (*illa, quae sunt extra*) verbum in hac concessione, quae ex primaria sententia nascatur et cum ea coniungatur, non commode audiri facile apparet. Itaque, si nihil est mendi, Cicero hic ea forma orationis usus videtur, qua posterioris aetatis scriptores, Quintilianus, Tacitus, alii, non raro utuntur, ipse eiusque aequales, quod sciam, nusquam alibi, ut *quamquam* particula sine verbo cum adiectivo participiove aut adverbio vocibusve pro adverbio positis coniungatur (Quintil. IX, 2, 53: *immanitatem parricidii, quamquam per se manifestam, tamen etiam vi orationis exaggerat*; alia e Quintiliano Bonnellus habet; Tacit. Ann. VI, 30: *haec, mira quamquam, fidem ex eo trahebant* cet.; Iuven. IV, 79: *Interpres legum sanctissimus omnia, quamquam Temporibus diris, tractanda putabat inermi Iustitia*). Neque enim ad hanc formam quidquam pertinet, quod et Cicero et alii omnes *quamvis* et *etiamsi* et *etsi* sic ponunt, ut id, quod subiciatur, cum eo, quod contrarium sequatur, commune verbum habeat (*etiamsi sine ulla suspicione, at non sine argumento maledicere*; *etsi* in hac forma apud Ciceronem legitur hic II, 45, V, 88, Acad. II, 3, Tusc. I, 84, de Orat. III, 14, pro Deiot. 17, ad Att. XIII, 28, 3, *quamquam* Partt. Oratt. 88, Philipp. VII, 7, de Divin. I, 28). Huiusmodi oratione: *Externa bona, etiamsi* (*quamquam*) *expetenda, non tamen continentur summo bono* Cicero numquam usus est. Sed quamquam magnam dubitationem haec orationis forma habet facileque ante *summo* excidere potuit *sunt*, non audeo tamen corrigere, quod ex alia quoque parte concinnitas orationis hic desideratur. Concessio enim refertur ad hanc negationem: *non continentur summo bono*; verum ea latet inclusa in condicionali orationis forma (*si continerentur, numquam quisquam summum bonum consequeretur*), concessio autem interposita est ipsi condicioni, ad quam apta non est; itaque *tamen* addi non potest; sic enim potius dicendum videtur fuisse: *si externa, quod expetenda sunt, ideo etiam summo bono continerentur, numquam quisquam* cet. In hac igitur minus diligenter conformata oratione fieri potest, ut in illa quoque

XXIV. 69. Quomodo igitur, inquies, verum esse poterit, omnia referri ad summum bonum, si amicitiae, si propinquitates, si reliqua externa summo bono non continentur? Hac videlicet ratione, quod ea, quae externa sunt, iis tuemur officiis, quae oriuntur a suo cuiusque genere virtutis. Nam et amici cultus et parentis ei, qui officio fungitur, in eo ipso prodest, quod ita fungi officio in recte factis est, quae sunt orta *a* virtutibus. Quae quidem sapientes sequuntur

2. *si amicitiae* om. C 3. *continerentur* CR 4 *his* LC 6. *et qui* nnes, Or. cum nota mendi 8. *a* om. EPCROr. *in* L [*que equidem* Eh] *entes sequuntur* omnes

ncessione Cicero insolito modo locutus sit, etsi equidem, quid : ad *sunt* excludendum valere potuerit, non video.

Cap. XXIV, 69. *ei, qui officio fungitur, in eo ipso prodest*) que ei, qui amicos et parentes colit, amicos et parentes ere et colere atque tueri ita prodest, ut id, quamquam :i et parentes inter externa sint, tamen, quod cum virtute ungitur, ad summum bonum referatur. Quam infirma haec rgumentatio, in qua amicus et amici cultus confunduntur rmutantur, expositum est paulo ante (ad § 67); sententia in apparet, quam levissimum codicum mendum, in quibus tur: *et qui* cet., ita obscurarat, ut mirae coniecturae nasce-. Quid scribi deberet, Orellius vidit; cfr. de mendi genere 7 et 73. Deinde scripsi *orta a virtutibus* cum Lambino, ut ante legitur: *oriuntur a suo cuiusque genere virtutis* et II, 78: *um a se oritur.* Numquam Cicero illo modo apud hoc ı praepositionem omittit, ne cum liberorum quidem ori-significat, ut Topic. 29, pro Planc. 67; Livius dicit *filia* ·allustius contra Iug. 108 *ex concubina ortus*), *Sabina tus.* similia. Longe aliter dici *equestri loco ortum esse* nemo non videt. [Paulo ante expectabatur: *a suo genere virtutis.* Nunc Cicero primum ea forma, de qua ixi, finxit *a sua quaque virtute*, deinde *a suo cuiusque tutis.*]

e quidem sapientes cet.) Inde ab initio § 65 Piso, pro-.b iustitiae foras spectantis notione, externa bona, dixi, hic in amicis ceterisque hominibus, qui diligan-a ponit, cum bonis iis, quae in ipso homine sint, um honesto. copulare conatus est. Itaque ea dispu-ıfecta, cum extremo loco recte facta nominasset, in d id, quod § 64 extr. dixerat, honestum per se ex-gloriae comparatione confirmat. (Haesit Bremius,

[utentes tamquam] duce natura; non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria, quae habet speciem honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent, quonam gaudio complerentur, cum tanto opere eius adumbrata opinione laetentur? 70. Quem enim deditum voluptatibus, quem cupiditatum incendiis inflammatum in iis potiendis, quae acerrime concupi-

1. *tamquam* transp. post *natura* E; sine uncis Or. 2. *spe gloriae* CR 3. *formam honestatis* LPCROr. 4. *et absolutam* LC 8. *que enim* E *quem* ante *cupiditatum* om. LPCR 9. *his* LC *cupiendis* E *corripuisset* PCR

cuius dubitationem adeo perverse Gzius tollere studuit, ut *quae* pronomen a *recte factis* ad *externa* transferret.) Deinde omnes codices (etsi Gziani soli nominantur; ex Oxx. verborum ordo fere nusquam annotatur) [etiam B] et editiones veteres (Crat., Vict.): *utentes sequuntur*; in E𝔖 pro *utentes* corrector posuit *veteres*. Mutavit ordinem Manutius, tum ceteri; nec sane ferri alter ille potest. *Tamquam* in E𝔖 et in Bas. et Monac. omittitur; in Erl. transponi Gzius non notavit, ut suspicari liceat, etiam in Spir. transpositum id fuisse, [ut est in B]. Eo manifestior fit interpolatio, quod non tamquam dux, sed reapse vera dux natura sapientes in hanc viam trahere dici debet. [Verum unde haec ascribere ad *duce natura* cuiquam in mentem venit? et qui sic distracta et transposita verba sunt, alterum in omnibus, alterum in melioribus codicibus? Latet aliquid huiusmodi: *Quae quidem sapientes videntes sequuntur duce natura eam viam.*]

saepe gloria) Sic mg. Crat., codd. Mor. et Scaligeri, El., Spir. [B], etiam Pal. 6, itaque scripsit Lambinus, cum in suis repperisset *spe gloria*, quod erat etiam in Pal. 4, Parr. 1 et 3 et aliquot Gzii; Oxx. omnes et aliquot Gzii, editiones ante Lambinum *spe gloriae*. Tum *speciem*, de quo Gzius et ceteri tacent, in meliorum codicum omni familia esse, ostendit Morelianus consentiens cum Erl. [et B]. Paulo post *et absolutam* (pro *atque*) Man., Lamb., ceteri ex ed. prima; correxit Gzius e quattuor suis, Vindob. [B. Ad sententiam cfr. II, 52.]

70. *quem cupiditatum incendiis*) Hoc alterum *quem*, quod orationi crescenti et imaginem proprio addenti aptum est, habet Crat. in oratione contexta, Gzius ex Erl. et Spir. [B], ceteri omittunt. *Concupivisset* Cicero sic posuit, tamquam dicturus esset

visset, tanta laetitia perfundi arbitramur, quanta aut superiorem Africanum Hannibale victo aut posteriorem Carthagine eversa? Quem Tiberina descensio festo illo die tanto gau-

1. Ante *tanta* add. *est* E 3. *dissensio* LC *decursio* PROr. *sexto illo* L

perfusum esse (umquam); nam ad *perfundi* aptius erat *concupiverit*; mira haec est in tam aperta oratione, in tanta propinquitate discrepantia. *Corripuisset* etiam E$\xi\chi\psi$ et sine dubio omnes deteriores, nisi unus et alter, ut L noster, emendatus est, tum editiones ante Aldum Manutium. Mg. Crat. rectum habet, [ut B; sed is ut Erl. *est* addit].

Tiberina descensio) Significat diem Fortis Fortunae, ut Varro appellat L. L. VI p. 56 Bip., qui erat a. d. VIII Kal., non Sextiles, ut Camerarius, nec Septembres, ut Ernestius et Gzius dicunt, sed Quintiles; (Ovid. Fast. VI, 774, Calend. vett. apud Orell. Inscriptt. Latt. II p. 392). Eo die inter alia iuvenes laeta convivia in cymbis agitantes secundo flumine navigabant, id est, descendebant, ut Propertius loquitur II, 4, 19 (*Tranquillo tuta descendis flumine cymba*; cfr. Sveton. Tib. 10). Nam *descensionem*, ut Davisius edidit, hanc Ciceronem appellasse, optimi codices estantur, Erl., Spir. [B], mg. Crat., El., a quibus vix discedunt, qui *dissensio* habent (cod. Mor., meliores Victorii, Pall., excepto 4,)avisiani plures, χ, Monac.; $\xi\psi$ *dissentio*, cod. Gron., U, Vindob. *iscensio*). Pro hoc in aliis (Maffaei et Tertii, quattuor Lamini, Pal. 4, Parr. 1 (P) et 3, Gud. utroque, Bas.) substitutum it *decursio*, quod post Manutium plerique probarunt propter vidii de hac re versum: *Pars pede, pars etiam celeri decurrite mba.* Et aptum sine dubio decurrendi verbum erat ad hanc dicram navigationem significandam; propriam eam huius rei pellationem fuisse, minime ex illo versu conficitur; nec minus tum alterum erat, cui praesertim contrarium responderet nomen ectionis (adverso flumine). Qui scriptores decursionis et censionis nominibus usi sint, ad huiusmodi controversiam mendam frustra quaeritur, cum utrumque usitata et comni forma ab usitatis verbis ducatur. Iidem codices, in qui*descensio* scribitur, alteram veram scripturam habent, *invectio* L, Spir. [B]; nam de ceteris tacetur), quam Davisius conra invenerat. Hinc in deteriorum principe factum erat *to*, quod est in EU$\xi\psi$, Gzianis reliquis. Editores inde a . ad Ernestium tenuerunt *invectum*, sumptum ex aliquo e nostri L simili, sic quoque subiecto orationis carentes. *em* ex Erl. et B pro *Persen*.]

dio affecit, quanto L. Paulum, cum regem Persem captum adduceret, eodem flumine invectio? 71. Age nunc, Luci noster, extrue animo altitudinem excellentiamque virtutum; iam non dubitabis, quin earum compotes homines, magno animo erectoque viventes, semper sint beati; qui omnes motus fortunae mutationesque rerum et temporum leves et imbecillos fore intellegant, si in virtutis certamen venerint. Illa enim, quae sunt a nobis bona corporis numerata, complent ea quidem beatissimam vitam, sed ita, ut sine illis possit beata vita existere. Ita enim parvae et exiguae sunt istae accessiones bonorum, ut, quemadmodum stellae in ra-

1. *Persen* (LP)ROr. 2. *invecto* PCR *invectum* L *auge* E 7. *imbecilles* LCR 8. *complent eam* L 9. *beatam vitam* L *eis* R 10. [*sint* Eh] 11. *radio* LPCR

71. *et imbecillos*) Sic Lambinus (in editione repetita ascribitur: „et omnes veteres codices"), Gruterus, tum Gzius etiam e Spir. [B], qui recte negat altera forma Ciceronem usum esse; quae contraria erant exempla, pridem e codicibus correcta sunt. Paulo post dure admodum dicitur *certamen virtutis*, cum praesertim et *certamen rei alicuius* (ut honoris et gloriae, omnium rerum) aliter dici consueverit et licuerit Ciceroni usitate scribere *cum virtute* (Brut. 319; Davisius, Ciceronem corrigens, scribi volebat: *cum virtutibus in certamen*). Eandem duritiam habet in Catil. IV, 15 *dissensio huius ordinis*, id est, *ab hoc ord.*, similem, minorem tamen, illa in Lael. 20: *divinarum humanarumque rerum consensio* (id est, de divinis humanisque rebus) et ad Att. I, 19, 7: *ex rerum illarum dissensione*, [hic III, 44, pro Sest. 72], et ad Fam. III, 10, 9: *hominis nobilissimi atque honoratissimi coniunctio* et ibd. ep. 4, 2: *coniunctiones necessariorum tuorum*, (in Pison. 76, Philipp. II, 23), [et pro Mil. 34: *suffragatio consulatus*] et haud pauca similia. Quod post singulas virtutes una omnes complexa nominatur, nullam habet offensionem. Tum pro *existere* cod. Mor. *consistere*.

Illa enim — complent ea quidem beatissimam vitam) Supra III. 43 in Catonis oratione ipsam beatam vitam, non modo beatissimam, his compleri a Peripateticis tradi posuerat; vid. ad III, 41. Deinde ibi quoque, omissis externis, quae tamen nominarat, sola corporis commoda commemorat, sed hic constantius, quod externa (§ 67-69) prorsus a fine exclusit, modo ne infra ea non obscure comprehenderentur (vid. ad 67).

in radiis solis) Sic Gzius etiam e Spir. [B]. Non uno

diis solis, sic istae in virtutum splendore ne cernantur quidem. 72. Atque hoc ut vere dicitur, parva esse ad beate vivendum momenta ista corporis commodorum, sic nimis violentum est nulla esse dicere; qui enim sic disputant, obliti mihi videntur, quae ipsi fecerint principia naturae. Tribuen-

2. *haec* LR 3. *ista corporis commodorum* om. L 4. *nulla est* F
5. *egerint* omnes, Or. cum nota mendi

radio stellae obscurantur. [Ortum mendum corrigendo ex: *in radiisolis.*] Pronomen *istae*, etsi hic, quia intervenit *ita parvae sunt, ut* cet., minus redundantia animadvertitur, tamen, quoniam nemo sic dicit: *istae accessiones ita parvae sunt*, *ut istae — ne cernantur quidem*, additum est post *sic* ad comparationem otandam eodem modo, quo haec dicuntur (Tusc. IV, 32): *Inzniosi, ut aes Corinthium in aeruginem, sic illi in morbum incidunt rdius*, ubi alia demonstrant enarratores. [De Orat. II, 130, 257, 10.] Extra comparationem similiter post interpositam senttiam praecedenti pronomini relativo ad personam notandam eradditum est *illi* pro Sest. 69 (vid. Opusc. Acad. I p. 468) et ilipp. XIII, 44, quem locum prave sollicitarunt.

72. *Atque hoc ut vere dicitur*) Sic iam ed. prima, tum post ibini coniecturam (in mg. editionis repetitae) Gruterus e . 4 et 6; nam superiores cum aliquot malis codicibus actis fere" Davisii, EU; de Gzianis tacetur): *Atque haec, re dicitur* cet. Propter id mendum etiam in Pal. 2, nostri nino, omissa sunt tria verba (*ista corp. comm.*), ut sic oratio reret: *Atque ut vere dicitur*, *haec esse* cet. In aliis autem codicibus (Tertii, Mead., Ball.) scriptum est *commoda*, on intellegebatur, quod ne Davisius quidem intellexit, *a ista corporis commodorum* esse *momenta ista*, *quae corpomoda facerent.*

rint principia naturae) [Sic edebatur.] Hoc sic dictum Matputat, quemadmodum pro Milone 75 *agere fundamenta* pot sit *iacere*; Gifanius *iecerint* hic scribendum putarat (in quadam ad Scaligerum, Syllog. Burm. II p. 308). rimum *sic agere fundamenta* illic, ut etiam e proximis *(parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere)*, signim viam in iis aliquovorsum perducendis tenere, quemdicitur *agere cuniculos*, *agere cloacam* (pro quo ponitur *re*), ut ille locus ad hunc defendendum nihil pertineat. item in principiorum nomine nulla ex parte eadem quae in fundamentorum. ut *iacere principia* pro eo, *undamenta*, nullo modo dici possit; nam in principiis

dum est igitur his aliquid, dum modo, quantum tribuendum sit, intellegas. Est enim philosophi non tam gloriosa quam vera quaerentis nec pro nihilo putare ea, quae secundum naturam illi ipsi gloriosi esse fatentur, et videre, tantam vim virtutis tantamque, ut ita dicam, auctoritatem honestatis *esse*, ut reliqua non illa quidem nulla, sed ita

1. *igitur est* LPCR *iis* R [*aliquod* Eh] 2. *Est tamen philosophi* omnes, Or. 4. *fatebantur* LPCROr. 6. *esse* om. omnes, Or. 6. *nulla* om. E

prima pars, non ima intellegitur; recte contra dicitur *principia ponere* (*aufstellen*) Legg. I, 37, etiam *initia* ad Att. X, 18, 2; etiamsi autem sic diceretur *iacere principia*, non diceretur tamen *iacere principia naturae*, quia principia naturae, id est, prima naturae alio certo modo in his libris dicuntur (vid. exc. ad II, 33), qui illam imaginem prorsus respuit. Itaque praestat Lambini coniectura, *fecerint* pro *egerint* scribentis minima mutatione, hoc est, posuerint et esse voluerint, [quam nunc in textu posui]. (Dav. *dederint*, quod esse aliquid posset, si hoc ordine verba posita essent: *ipsi naturae principia dederint*, dativo casu.) Mox *tribuendum est igitur* Man. tacite, Gzius ex Erl. et Spir. [B]. Ceteri *igitur est.*

Est enim philosophi) Particulam *tamen* ineptam esse, Davisius vidit; neque enim haec ullo modo contraria superioribus sunt, sed ea confirmant et explicant, quantum illis rebus tribuendum sit. Itaque ille scribi vult: *Est enim*, et cum praecedat littera *t*, ex *.n.* fieri poterat *tn.* [Itaque recepi.] Minus apte Gzius *autem*; neque enim adiunctione continuatur oratio.

illi ipsi gloriosi esse fatentur) Quod sine ulla varietatis annotatione hactenus editum est, *fatebantur*, aut hoc significat, Stoicos olim, cum essent, hoc fateri solitos, nunc nullos esse, aut eos nuper in hoc sermone auditos esse hoc fatentes, quorum utrum pravius sit, nescio. Secutus igitur sum Erlangensem, in cuius scriptura genus rerum per se indicatur. Fieri tamen potest, [cum praesertim B cum ceteris consentiat,] ut *fatebantur* ortum sit ex *fateantur*, quo verbi modo hoc magis cum infinita oratione copulatur (*ea, quae videat ipsos illos fateri*). Deinde admodum vereor, ne in proximis verbis (*videre — honestatis*) exciderit *esse*, quod in hoc ipso libro bis in codice archetypo omissum fuisse vidimus (ad § 49). Longe enim aliter dicitur *video*, hoc est, animadverto alicubi *tantam vim virtutis*, *ut* cet., aliter: *video* et intellego, *virtutis*, quae universe dicitur, *tantam esse vim*, *ut* cet. [Addidi nunc *esse*.]

parva sint, ut nulla esse videantur. Haec est nec omnia spernentis praeter virtutem et virtutem ipsam suis laudibus amplificantis oratio; denique haec est undique completa et perfecta explicatio summi boni. Hinc ceteri particulas arripere conati suam quisque videri voluit afferre sententiam. XXV. 73. Saepe ab Aristotele, a Theophrasto mirabiliter est laudata per se ipsa rerum scientia; hoc uno captus Erillus scientiam summum bonum esse defendit, nec rem ullam aliam per se expetendam. Multa dicta sunt ab antiquis de contemnendis ac despiciendis rebus humanis; hoc unum Aristo tenuit; praeter vitia atque virtutes negavit rem esse ullam aut fugiendam aut expetendam. Positum est a nostris, in iis esse rebus, quae secundum naturam essent, non dolere; hoc Hieronymus summum bonum esse dixit. : vero Callipho et post eum Diodorus, cum alter volupta-

1. *hoc est non omnia* LCR 3. *denique haec est* om. P 6. *et Theoasto* LR 8. *Herillus* (LP)CROr. *sententiam* E 9. Post *multa* add. m L *sunt dicta* LPCROr. 12. *petendam* E 13. *his* LC *esse* om. (P)ROr. *Calliphon* Or.

Haec est nec omnia spernentis) Ante Manutium et Lambinum atur: *hoc est non omnia*, oratioque a nonnullis sic distingver: *et videre — videantur*, *hoc est — amplificantis. Oratio ue* cet. Pronomen correxit Manutius, particulam Lambinus, libros veteres in utroque testans, quibus Gruterus addit 4 et 6. Dav. tacet; *hoc* Oxx. omnes, Bas., Gud. 1, *non* , Bas. [Recte etiam B.]

Cap. XV, 73. *a Theophrasto*) Asyndeton non ferentes ediquidam substituerant *et Theophrasto* (etiam Man., Lamb.); *et a Th.* De Aristotelis et Theophrasti scientiae et vitae templatione et cognitione positae commendatione diximus ad § 11, de Erillo, Aristone, ceteris ad librum secundum r. [Mox *dicta sunt* ex Erl. et B restitutum.]

iis esse rebus) Sic quattuor Gzii codices (in quibus ut at, sic Spir. fuisse credo), [B,] Oxx. Eξψ, id est, et s et deteriorum multi, quibus parendum fuit, quamvis or et simplicior videri possit scripturae hactenus, si editionem et aliquot ab ea derivatas (usque ad Alexceperis, editae brevitas: *Positum est a nostris in — non dolere.* Recte tamen dici *positum est*, *esse*, non e iis, quae in sermone et oratione ponantur (ut II, 83 saepe), sed etiam de iis, quae sententia et docendo

tem adamasset, alter vacuitatem doloris, neuter honestate carere potuit, quae est a nostris laudata maxime. 74. Quin etiam ipsi voluptarii deverticula † quaerant et virtutes habeant in ore totos dies voluptatemque dumtaxat primo expeti dicant, deinde consvetudine quasi alteram quandam naturam effici, qua impulsi multa faciunt, nullam

1. *adamavisset* LPROr. *admovisset* C *honestate* om. P 3. *quaerunt* Or. (sine nota) *virtutem* L 4. *habent* Or. *primo dumtaxat* (LP)CROr. 5. *dicunt* Or. *quandam* om. LPCR *nullam — restant* Nonius p. 378

statuantur, intellegi, si opus est, potest ex II de Orat. 85, Brut. 165, Acad. I, 19 et 36, de N. D. II, 32; primo et secundo loco Schuetzius, quarto Ernestius, quinto Ernestius et Wyttenbachius offensi sunt.

74. *Quin etiam — quaerant — habeant — dicant*) Hanc orationem vitiosam esse, multi senserunt. Nam quod Gzius fingit: *quin quaerant?* esse: *warum sollten sie nicht auch suchen?*, neque *quin* interrogative nisi in exhortando cum prima et secunda persona indicativi dicitur aut cum tertia, si ea in oratione alius narranda in secundae locum successit, et, si scriptum esset *quidni*, ea ironia ineptissima esset, quoniam non, quid voluptarii prave faciant, sed quid hi quoque recte facere cogantur, ostenditur; et omnino in his verbis: *quin etiam ipsi voluptarii* manifestus est orationis ascensus in enumerandis philosophis, qui particulas veteris sententiae decerpserint. (Quod in orat. pro Milone 65 legitur: *quin etiam audiendus fuerit* cet., si sanum est, Garatonius recte exposuit; sed non est sanum.) Iam ter indicativum reponere cum Lambino et Ernestio audax videtur; et tamen non difficulter errorem in primo verbo propter *quin* commissum (cfr. Somn. Scip. c. 3 (14) *quin aspicias* pro *quin aspicis*) duo reliqua verba sequi potuerunt. Ad codices propius accedit, quod Davisio placebat: *quaerunt* (sic Ball.), *ut virtutes* cet. (hoc est, *ita ut*). Itaque cum ambigua esset correctio, mendum notatum reliqui. [*Dumtaxat primo* ex Erl. et B restitutum.]

consvetudine quasi alteram quandam) *Consvetudinem* post Ascensium et Aldum P. Manutius a. 1555, Lambinus codicesque Pall. meliores, si Grutero credimus, et fortasse (nam typothetae errasse videntur) Davisiani tres. Correxit ipse Man. postea e codd. Tertii et Sigonii (Oxx., quattuor Gzii, [B]). *Quandam*, quod ceteri omittunt, Crat. in contexta oratione, Man. in posteriore editione ex iisdem codicibus. Gzius ex Erl. et Spir. [B] restituerunt. Tum pro *faciunt* Th. Bentleius et Ernestius *faciant*, quomodo Cicero scribere debuit; neque enim hic de voluptariorum factis

quaerentes voluptatem. Stoici restant. Ei quidem non unam aliquam aut alteram *rem* a nobis, sed totam ad se nostram philosophiam transtulerunt. Atque ut reliqui fures earum rerum, quas ceperunt, signa commutant, sic illi, ut senten-

1. *Hi* LPCOr. 2 *rem* om. omnes [*rem*] Or. 3. *ut* om. P 4 *ceperunt* om. C *cleperunt* Or. *nostris sententiis* R

quaeritur, sed de decretis et sententiis; et utebantur Epicurei hoc colore maxime in amicitia (vid. I, 69), ut eam a voluptate et utilitate ortam postea consvetudine coli sine utilitatis ratione dicerent. Gzius haec ex Epicureorum sententia dici negat et „saepe a Cicerone contra Epicureos adhiberi" Ernestium docet; nam ne illud quidem ex his libris didicerat, contra Epicurum disputari, natura homines ad honeste agendum sine pretio impelli, consvetudinis illo perfugio ipsos Epicureos uti. Si indicativum Cicero posuit, neglegenter vitam et decreta Epicureorum permutavit. [*Ei* etiam B.]

alteram rem) Substantivum in codicibus excidit post syllabam simillimam; id Gzius addidit, Th. Bentleii coniecturam se-
juens; Bremius *partem* addi malebat (ut supra *particulae* di-
'untur), quod non tam facile excidere poterat. Quod autem
Clotzius (Quaestt. Tull. p. 80) codicum scripturam sic tuetur,
t Ciceronem primum *unam aliquam aut alteram* posuisse sta-
iat, tamquam subiecturus esset *omnes nostras rationes* aut simile
iquid, deinde orationem mutasse, id in huiusmodi oratione,
'ius ex paucis et non interruptis verbis constantis reliqua
rma diligentissime servatur (*non* —, *sed* — *transtulerunt*),
ɔrsus incredibiliter fingitur.

quas ceperunt) Verbum maxime commune posuit, quod, cum
es nominati essent, genus capiendi satis intellegeretur, ut
jue *surripuerunt* neque eiusmodi aliud ponere opus esset.
·es autem cur hoc modo capere dici nequeant, quae furen-
, cum et praedam aucupantes capiamus et spolia caesis
:ibus, nescio. Itaque sine ulla causa consentiens codicum
ɔtura sollicitatur; nam quod in uno illo nullius auctoritatis
ce, e quo editio prima ducta est, verbum obscure scriptum
'ur fuisse, prorsus neglegendum est. Muretus tamen Varr.
t. IX, 19 narrat, in veteribus libris (vereor, ne nimis
juiosis) se repperisse *clepserunt*, quod Lallemandus recepit,
ius autem, Davisio et Hermanno (Opusc. III p. 119 de
ıyli Philocteta, coll. vol. IV p. 269) auctoribus, *cleperunt*
it. Equidem primum nonnihil miror, quomodo sibi viri
persvaserint, Ciceronem in prosa oratione id verbum po-

tiis nostris pro suis uterentur, nomina tamquam rerum no-

1. *rerum nostra* L

suisse, quod quam a consvetudine huius aetatis remotum fuerit. e Varronis commemoratione de L. L. VII p. 98 intellegi potest. quodque, si Varronis e satira, in quo genere vel maxime verborum antiquitatem sectatus est, locum exceperis (apud Non. p. 20), solam poëtarum antiquorum, Attii, Lucilii priorumque, auctoritatem habet. (Apud Varronem R. R. II, 9, 6 sine ulla probabilitatis specie *transclepere* fingitur.) Nam quod omnes nunc tradunt, Nonio teste (p. 20), Ciceronem etiam in libro IV de R. P. scripsisse: *non modo ut Spartae, rapere ubi pueri et clepere discunt*, ipse verborum ordo (*Spartae, rapere ubi*) ostendit, idem hic Nonio accidisse, quod in proximo exemplo, e III de N. D. 68, [si tamen illud ab ipso positum est] accidit et alibi saepenumero, ut pro Ciceronianis haberet veteris poëtae verba a Cicerone posita. Deinde vix dubium est, quin semper dictum sit *clepsi*, non *clēpi*, quod praeter illos, quos dixi, alii quoque probant inde a Scaligero (ad Varr. de R. R. II, 9). Analogia priorem formam magis commendari apparet, etsi posteriorem e proximo tuetur *scābi*, tum e longinquo alia; auctoritatem autem si quaerimus, primum apud Varronem de L. L. p. 98, ubi de Lucilii versu agit, bis constantissime scribitur *clepsere*, eo graviore testimonio, quod ibidem bis infinitivus *clepere* ponitur. Deinde in Attii anapaestis apud Ciceronem in Tusc. II, 23 adeo constanter codices aut ipsum *clepsisse* retinent, ut optimi, aut leviter corrupti tamen *s* litteram habent (*dempsisse*), ut plane mirer libidinem eorum, qui substituunt *clepisse*. Apud Manilium quoque I, 27 omnes codices habere dicuntur: *clepsisset furto mundum*, pro quo non recte substitutum est *cepisset*. His non satis tuto opponitur *clepit* prima longa ex Pacuvii Hermionae versu septenario apud Nonium: *Sermonem hic nostrum ex occulto clepit, quantum intellego*; ubi Mercerius *clepsit* malebat. Non utor testimonio veteris rogationis apud Livium XXII, 10, 5, ubi est: *si quis clepsit*, quoniam, etiamsi perfectum esset *clepi*, nihilo minus futurum illud vetus *clepso*. *clepsim* esset, ut *axo*, *capso*, *recepso*, *effexis*, *respexis* cet., cuius formae rationem exposui in disputat. de usu et nat. form. quarundam verbi Lat. in Opusc. Acad. II. Contra me proferent Cic. de Legg. II, 22: *cleperit rapsitque*. Verum quoniam nulla causa excogitari potest, cur Cicero in altero verbo recentiore forma, in altero antiqua (*rapsit*, non *rapuerit*) uti voluerit, apparet, rectissime Lambinum scripsisse: *clepsit rapsitve*.

tas mutaverunt. Ita relinquitur sola haec disciplina digna studiosis ingenuarum artium, digna eruditis, digna claris viris, digna principibus, digna regibus. 75. Quae cum dixisset paulumque institisset, Quid est? inquit; satisne vobis videor pro meo iure in vestris auribus commentatus? Et ego:

4. *parumque* E [*quod* Eh] *satis* om. Ê (retento *ne*) *vobis* om. L *satisve videor vobis* R [*nobis* et mox *nostris* Eh] 5. *commendatus* [Eh]L

75. *Quid est? inquit*) Cod. Mor.: *Quid? inquit*, et paulo
nte omittit *digna principibus*. [*Parumque* etiam B, ex quo fieri
otest: *dixisset et parumper inst.* aut *dix. parumperque inst.*]
satisne — pro meo iure in vestris auribus commentatus?) Hoc
t: Satisne vobis videor iure meo (quod mihi concessistis,
m me dicere iussistis) usus esse et vobis audientibus quasi
ae exercitationis causa commentatus esse? Commentationem
m hanc fuisse significat, hominis has res mediocriter tenen-
nec eas exponere assveti, non accuratam et praeparatam ve-
s magistri scholam et orationem. *In auribus vestris* eodem
o dicitur quo *in ore atque in oculis provinciae aliquid gerere*
r. II, 81; cfr. Hand. Turs. III p. 250 et lexic.); atque etiam
ipsum *in auribus* legitur ad Q. Fr. I, 1, 9: *istam virtutem,*
rationem animi, temperantiam — in luce Asiae, in oculis cla-
ae provinciae atque in auribus omnium gentium ac nationum
positam. Tacitus dicit *apud aures alicuius* (Hist. I, 26,
44). *Satisne* non proxime cum solis illis verbis *pro meo*
ed cum tota complexione verborum coniungitur; *pro suo*
item agit (cui contrarium est *precario et cum venia*), qui
m tenet (Tusc. III, 20) et ita sibi agere licere conten-
niam non petens; (Ernestius: *libere, meum studium secu-*
rnius: *Meinet Ihr, ich habe hinlänglich meines Rechtes mich*
). Itaque in Verr. V, 2 haec dicuntur: *tum deprecabitur*
tum etiam pro suo iure contendet, ne patiamini cet., nec
re Hortensium id contendere posse Cicero confitebatur;
Flacco 95: *pro meo iure dico* (libere dico nec, ut cum
ia audiatis, precor); ad Fam. XIII, 50, 1, ad Att. III, 2
iure, id est, nullius gratia neque indulgentia utens),
II, 294 (non affirmat Antonius, iure se illa sumere,
sum ea libere et aperte tamquam sua vindicare),
d Herenn. IV, 48, Terent. Adelph. I, 1, 27 (ubi *omnia*
re agere est ita, ut mihi pro patria potestate licebat).
unc locum pluribus, quod et olim quidam haeserant
Gzii incredibiles errores, maxime in Addendis, ubi

Tu vero, inquam, Piso, ut saepe alias, sic hodie ita nosse ista visus es, ut, si tui nobis potestas saepius fieret, non multum Graecis supplicandum putarem. Quod quidem eo probavi magis, quia memini, Staseam Neapolitanum, doctorem illum tuum, nobilem sane Peripateticum, aliquanto ista secus dicere solitum, assentientem iis, qui multum in fortuna secunda aut adversa, multum in bonis aut malis corporis ponerent. Est, ut dicis, inquit; sed haec ab Antiocho, familiari nostro, dicuntur multo melius et fortius quam a Stasea dicebantur. Quamquam ego non quaero, quid tibi a me probatum sit, sed huic Ciceroni nostro, quem discipulum cupio a te abducere.

1. *alia* [Eh]LC *ista ita nosse* R *ista nosse* (om. *ita*) C 2. *tui copia nobis semper* LPCROr. 3. *multis* C 4. [*nemini istas eam* Eh] 5. *aliquando* [Eh]LCOr. 6. *his* LC 9. *nostro familiari* LPCROr. [*quam istas ea* Eh] 12. *ab te* E *a* om. C

se corrigit scilicet, et Schuetzii hariolationes satis alii rem expediverant.

ita nosse ista) Ita Gzius ex Erl. et Spir. [B], Gud. 2; ex Eξ, Mon. exciderat *ita nosse*. E scriptura ed. primae effectum erat (Crat., Vict., cett.): *ita ista nosse*. Tum *si tui nobis potestas saepius fieret* scripsi ex Erl. et Spir. [B]; in mg. Crat. tantum *potestas* annotatur, e cod. Mor. *tui potestas*, non animadversa transpositione (*nobis pot.*). In substantivo auctoritatem secutus sum; utrumque enim recte dicitur, etsi *copia hominis* de potestate colloquendi apud Ciceronem alibi non ponitur, alterum pluribus locis; in *saepius* ea accedebat ratio, quod id ad *fieret* aptius videbatur, *semper* autem requirere *esset*.

aliquanto ista secus) Staseas igitur Theophrastum sequebatur (§ 12), vel potius erat ex communi Peripateticorum schola, non Antiochius. Pro *aliquanto* etiam [B et] ξ *aliquando*, quod errore irrepsit in edd. Gzii et Or. Tum *familiari nostro* (pro *nostro fam.*) dedi ex Erl. et Spir. [B] (Vindob.). Postremo etiam Spir. [B] *ab te abducere*, in quo fortasse latet *abs te*, quod nonnumquam a librariis oblitteratum est (de Verr. vid. Zumptius in ind. v. *abs*); sed uno loco coniectura restituere, quod nusquam alibi codices horum librorum haberent, ratio nulla erat. Ipsum *ab te* Handius (Turs. I p. 6) certis exemplis Ciceronianis defendi putat; sed hoc unum ponit.

XXVI. 76. Tum Lucius: Mihi vero ista valde probata sunt, quod item fratri puto. Tum mihi Piso: Quid ergo? inquit; dasne adulescenti veniam? an eum discere ea mavis, quae cum plane perdidicerit, nihil sciat? Ego vero isti, inquam, permitto; sed nonne meministi, licere mihi ista pro-

2. *nihil* (pro *mihi*) L 3. *mavis ea* LC 4. *plane perdiderit* E *prae-*
lare (*praeclara* C) *didicerit* cett., Or. 4. *inquam isti* R 5. *in me* (pro
nne) E *lucere mihi* E *mihi licere* cett., Or. *probare ista* LPCROr.

Cap. XXVI. 76. *quod item fratri puto*) Poterat dicere: *to item fratri* (vid. ad II, 16), sed orationis vinciendae causa nomen posuit, nec tamen plenam orationem fecit (*quod item fratre evenire puto*, *ut ista ei probata sint*). Itaque eiusdem eris hoc est atque illud in Cat. 84: *cuius a me corpus est natum*, *quod contra decuit*, *ab illo meum* (cfr. Lael. 90, pro ıct. 87); neque dubitem, si sententia orationis ita ferat, di- : *mihi probata haec sunt*, *quod contra fratri puto*. (Cfr. Lu- us I, 82.) Prorsus eiusdem generis est, sed minus expe- ı rationem orationis ad plenam formam revocandae habet, § 83 scriptum est: *quod vestri non item* (efficiunt, ut sic ı connexa sint). [Ex eodem fonte natum: *quod nunc* Lucretium I, 221, Varr. R. R. III, 3, 8.]
lane perdidicerit) Hanc scripturam Gzius quoque intellexit ˈari in Spir., in quo erat: *plane perdidicit*, et Erl. [B]. s ad finem perductae disciplinae Carneadiae hanc sum- sse Piso dicit. Arcesilae et Carneadi sententiam, qui, perceptione, probabilitatem et verisimilitudinem defen- saepissime Cicero attingit, exposuit uberius Clitoma- quens Acad. II, 98 sq. (Cfr. Ritteri Hist. Phil. III qq. et p. 676 sqq.) Mox Manutius et Lambinus omit- ante *inquam*; in proximorum verborum ordine (*licere probare*) Erl. [et B] secutus sum. Tum pro *a te* x. $\chi\psi$, Vindob., Monac. *apte* (cfr. § 75 *ab te*), ut alibi ris *ante* pro *a te* scriptum vidimus. Paulo post ex- r potius hic ordo: *quae probabilia ei videantur*; nam ?, ubi *quod nollet* in parte primariae sententiae cen- imilibus locis *ei* extremum locum tenet. Deleri tamen quod Orellio visum est, vix potest; nam ad rem huic ipsi probabilia illa videri. Idem obstat Gzii (*potest*, *quae prob. videantur*, *ea*), ductae e Gud. 2 llius auctoritatis librorum, scriptura (*potest ea quae tur ea non probare*).

bare, quae sunt a te dicta? Quis enim potest ea, quae probabilia videantur ei, non probare? An vero, inquit, quisquam potest probare, quod perceptum, quod comprehensum, quod cognitum non habet? Non est ista, inquam, Piso,

1. *sunt apte* C *post* E 2. *vere* R *inquam* LPCR 4. *ita* C *inquit* P

cognitum non habet) Facile aliquis cum Ernestio scribendum putet *habeat*, quoniam haec sententia rei tantum ad explendam sententiam negativam (*nemo probat*) cogitatione conceptae significationem habere videtur. Verum Latini in huiusmodi sententiis eius generis definitionem, in quod aliquid cadere negant, per se conceptam indicativo modo efferunt: [I, 5: *Nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt*, Off. II, 38;] Lael. 59: *Quonam enim modo quisquam amicus esse poterit eius, cui se putabit inimicum esse posse?* Acad. II, 18: *Qui enim potest quidquam comprehendi —, quod est tale, quale vel falsum esse possit?* Ibid. II, 22: *Quid quisquam meminit, quod non animo comprehendit et tenet?* (Significat, ex quo genere id esse debeat, quod meminisse possimus; si dixisset: *comprehendat et teneat*, ut *quod non* idem esset atque *quin id*, significaret, quid necessario ex memoria sequeretur et ei adiunctum esset.) Tuscul. IV, 79: *An quidquam est secundum naturam, quod fit repugnante ratione?* Parad. I, 14: *Quidquam bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorem facit?* (Sumo a Wesenbergio, ut superius; scribe *faciat*; Latinum erit, sed sententia mutabitur.) Contra Acad. II, 48 recte scribitur: *si nulla visa sunt probabilia, quae falsa sint*; haec enim sententia est: *wenn es keine wahrscheinliche Vorstellungen giebt, die (der Art giebt, dass sie) in der Wirklichkeit falsch sind*, non haec: *wenn keine Vorstellungen, die falsch sind, wahrscheinlich sind.* Ad ipsam rem haec non differunt; nam si ex probabilitate non sequitur veritas (quod priore modo dicitur), ne veritas quidem condicio est necessaria probabilitatis (quod hoc altero modo: *quae falsa sunt*); ad argumentandi formam aliquantum interest. Paulo ante (*quae probabilia videantur*) coniunctivus modus, qui refertur ad *non probare*, significat, hanc esse sententiam: *ea, quae tamen ei probabilia videantur.* De Fato 4 (*An mihi, inquam, potest quidquam esse molestum, quod tibi gratum futurum sit?*) necessario scribendum puto *futurum est.* [Sed obstat Tusc. II, 65: *Nihil potest esse aequabile, quod non a certa ratione proficiscatur.* Ergo interdum valuit coniunctio cum infinitivo. Mox *Non est ita* Baiterus errore typorum.]

magna dissensio. Nihil est enim aliud, quamobrem mihi percipi nihil posse videatur, nisi quod percipiendi vis ita definitur a Stoicis, ut negent quidquam posse percipi nisi ale verum, quale falsum esse non possit. Itaque haec cum llis est dissensio, cum Peripateticis nulla sane. Sed haec mittamus; habent enim et bene longam et satis litigiosam

1. *enim est* LR 2. *nihil percipi* Or. (*nihil percipi mihi* C) *nec* (pro *i*) L 3. [*negant* Eh] *quid* L 4. Post *possit* add. (iterum) *nisi quod posse percipi* P 5. *sane nulla* R

Nihil est enim aliud, quamobrem cet.) *Enim est* etiam Victorius ortasse plures codices deteriores. Tum *mihi percipi nihil* n [B,] ex R Marsus, Crat. Manutius et ceteri ex ed. prima *percipi mihi*, pro quo Gzius tamquam ex omnibus suis et ob. dedit *mihi nihil percipi*, sed erravit. Stoicorum per- ndi definitionem, quae tota ex eo pendebat, quod omnes notiones extrinsecus visis (φαντασίαις) tamquam imagi- rerum effici docebant, Cicero in Academicis multis locis emorat (I, 41, II, 18 et 40 sqq., 54 sqq., 77, 112, 113); enim vexanda omnis recentiorum Academicorum velitatio ıbatur. Cum enim visum verum definissent id, quod ex od esset, sicut esset, impressum in animo et signatum cfr. Sext. Emp. adv. Mathem. VII, 248, Diog. Laërt. et 50), id demum visum verum percipi posse dicebant, ırta nota ab omni falso viso discerneretur, φαντασίαν ϰαὶ τοιαύτην, οἵα οὐϰ ἂν γένοιτο ψευδής (Sext. Emp. ?; οἵα οὐϰ ἂν γένοιτο ἀπὸ μὴ ὑπάρχοντος, Diog. VII, 50, *uale ab eo, quod non esset, esse non posset*, Acad. II, 77; Cicero id scribere debuit, non scripsit, quod Lambinus Eiusmodi autem notam Arcesilas et Carneades esse nega- ısque veri visi falsum tam simile esse posse, ut inter- possent. Cicero et hic et Acad. II, 113 visi nomen ıod alibi ipse addit; sed idem intellegitur, quoniam ad rum veritatem et perceptionem haec disputatio pertinet. n levitate Cicero et hic et Acad. II, 112 eo modo ınitione rem verti iudicat, ut Academicis suis recen- Carneadi cum Peripateticis, qui illa non utantur, ısio sit. Illa enim definitione Stoici tantum accom- sua de cognitionis origine decreta et ad ea, quae ıtur, certamina id comprehenderant, quod non minus eriores tenebant, percipi aliquid posse. Itaque de ıilosophiae fundamento nihilo minor cum illis Car- sio erat.

disputationem; 77. illud mihi a te nimium festinanter dictum videtur, sapientes omnes esse semper beatos. Nescio quomodo praetervolavit oratio. Quod nisi ita efficitur, quae Theophrastus de fortuna, de dolore, de cruciatu corporis dixit, cum quibus coniungi vitam beatam nullo modo posse putavit, vereor, ne vera sint. Nam illud vehementer repugnat, eundem beatum esse et multis malis oppressum. Haec quomodo conveniant, non sane intellego. Utrum igitur tibi, inquit, non placet, virtutisne esse tantam vim, ut ad beate vivendum se ipsa contenta sit, an, si id probas, fieri ita

2. *semper esse* R *semper* om. C 3. *quo* (pro *quomodo*) L *ita* om. L 5. *beatam vitam* LPCROr. *posse* om. L 6. *ne varia* L *repugnet* E 7. *esse beatum* C *et beatum esse* Or. *multis modis* E *quo* L [*quō* Eb] 9 *non placet inquit* LPCR *virtutis* (om *ne*) LPCR *tantam vim esse* LPCR 10. *ita fieri* LPCR

77. *Nescio quomodo*) Eξχ omnesque, si credi potest, Gzii *nescio quo*, de quo errore dixi ad II, 53. Sed Gzium meliorum codicum compendium non intellexisse, et ex Erl. [et B] apparet et e cod. Mor., e quo ipsum *quomodo* enotatur, cum Victorius et alii nescio qui *quo* scripsissent. Proxime ante Mars., Crat., Vict. *semper esse* ex R. Deinde in verbis *quod nisi ita efficitur* quomodo *ita* pronomini *quod* superaddatur, perspicitur ex iis, quae dixi ad II, 17. Davisius scribendum putabat: *quod nisi id efficitur*, Gzius: *ita esse efficitur*. [Mox *vitam beatam* etiam B.]

eundem beatum esse) Sic ante Man. plerique (Mars., Crat., Vict.) nec, ut opinor, minore consensu codices ([B,] Eξχ), etsi ceteri editores Manutium taciti sequuntur. Pro *malis* etiam [B et] mg. Crat. *modis*, ut id in codicum meliorum principe fuisse appareat. Sed longe aliter Ennius poëta dixerat (IV, 62): *multimodis sum circumventus*, *morbo* cet. Hic malorum et beatae vitae concursus necessario nomine ipso significari debet. Deinde *inquit*, *non placet* et *esse tantam vim* et *fieri ita* Gzius ex Erl. et Spir. [B] dedit, cum alius ordo esset, *quibusdam malis* ego ex Erl. [et B]. Post *virtutis* particulam *ne* Gzius addidit ex eisdem codicibus et ed. Crat. Neque tamen *utrum* — *ne* hic ex abundanti coniungitur. sed pronomini (*utrum e duobus*) deinde subiciuntur ipsae res diiunctae, eodem, quo nos loquimur, modo; Gzii et aliorum errorem attigi in Emendatt. Tull. p. 164. [Sed alterum membrum, quod proprie sic poni debebat: *an*, *fieri posse*, *ut* cet., Cicero seiunxit addito novo verbo (*negas*) et plenius posuit.] Postremo in his: *Ego vero volo* cet. omittitur *inquam* et iterum § 83: *Nihilo beatiorem* cet. Vid. ad II, 8.

›osse negas, ut ii, qui virtutis compotes sint, etiam quibus- !am malis affecti beati sint? Ego vero volo in virtute vim sse quam maximam; sed, quanta sit, alias, nunc tantum, ossitne esse tanta, si quidquam extra virtutem habeatur bonis. 78. Atqui, inquit, si Stoicis concedis, ut virtus la, si assit, vitam efficiat beatam, concedis etiam Peripa- icis. Quae enim mala illi non audent appellare, aspera tem et incommoda et reicienda et aliena naturae esse ıcedunt, ea nos mala dicimus, sed exigua et paene minima.

1. *hi* LC *malis quibusdam* LPCROr. 6. Post *beatam* add *et* C *dis et* P 7. *illi mala* L [*audient* Eh] *audent non* L 9. *et porro ıa* LPCROr.

78. *concedis etiam*) Sic fere editiones ex R et meliores es, Erl., Spir. [B]. Dav. e Parr. 1, 3 (Bas., Gud. 1) *lis et*; Mead., Oxx. omnes, Monac., ed. Vict. *et concedis* ut C; Gud. 2 tantum *concedis*.

ed exigua et paene minima) Semel, opinor, apud Cicero- Acad. II, 127, legitur: *ut exigua et minima*; hic, tamquam r in altero significatio sit, additur *paene*. Et opinor, in ›niunctione, cum index significationis accederet vox *paene*, nis idem fere intellegi potuisse, quod noster sermo *infi- rvum* appellat (Latini enim neque hoc modo loquuntur aliud habent, quod huic plane respondeat), cum prae- etiam id, quod *absolute minimum* nos dicimus. *minimum* one, Lucretio, aliis dicatur. Nam si veram compara- intellegemus, non paene minima, sed prorsus minima ınt bona, nec, si valde parva interpretabimur, minus erit *paene*; rectum esset *paene nulla* (*ita parva, ut nulla antur* § 72). Sic autem, ut edidi, scriptum erat in ı melioribus, Erl., Spir. [B], mg. Crat. Editiones e ›us tenuerunt: *et porro minima*, in quo eadem est du- ıui ascensus significetur, neque is, quem ostendi, ex- quitur; tum nullo prorsus exemplo *porro* in augendo *adeo*, ut accipiebat Ernestius, ponitur, quod si omnino oneretur adiectivis coniunctis (*bonus et porro fortis*), t, aliam rem adici, non eandem verbo et notione ›mo tamen, quod sciam, ita dixit, repugnante usu. i interdum in mentem ex *paene* facere *plane*, ut id ›oneretur, quo in Verr. IV, 6: *immo vero modo ac plane* in quo cum hoc significetur, prorsus illo vocabulo, iatur, uti licere et id rectum esse, etiam superlativo

Quare si potest esse beatus is, qui est in asperis reiciendisque rebus, potest is quoque esse, qui est in parvis malis. Et ego: Piso, inquam, si est quisquam, qui acute in causis videre soleat, quae res agatur, is es profecto tu. Quare attende, quaeso. Nam adhuc, meo fortasse vitio, quid ego quaeram, non perspicis. Istic sum, inquit, expectoque, quid ad id, quod quaerebam, respondeas.

XXVII. 79. Respondebo, me non quaerere, inquam, hoc tempore, quid virtus efficere possit, sed quid constanter dicatur, quid ipsum a se dissentiat. Quo, inquit, modo? Quia, cum a Zenone, inquam, hoc magnifice tamquam ex

1. *est* om. L 2. *is potest* C *est* om. C 3. *Et* om. E 4. *iis ex profecto* L 5. *in eo* (pro *meo*) R [*quod* Eh] 6. *istinc* L 7. *quaeram* omnes, Or. 9. *possit efficere* COr. 10. *Quo igitur, inquit, modo* LPCROr. 11. *hoc* om. L

minima adiungi posse *plane* videtur. Paulo post, ubi est: *quae res agatur* (et causam controversiamque faciat; cfr. II, 3), frustra Lambinus: *qua de re.*

quod quaerebam) paulo ante, *utrum tibi non placeret, virtutisne esse tantam vim* cet. Nam ad eam interrogationem parum sibi distincte responsum Piso iudicat. Itaque ad eandem interrogationem refertur Ciceronis responsum: *Respondebo* cet. In re manifesta correxi codicum mendum, quod editores ita tenuerunt, ut ne offendisse quidem eos quidquam videatur. Nam coniunctivus modus in hac oratione: *ad id, quod quaeram*, Pisone interrogationem certam a se ante expositam significante, ferri nullo modo potest; futurum autem tempus si intellegemus, prorsus ridicule Piso expectabit, quid Cicero ad ea, quae ipse nondum quaesivit, sed quaesiturus est, responsurus sit, Cicero autem ad id, quod Piso quaesiturus est, ante respondebit (*respondebo* cet.), quam, quid sit, audierit. Apparet *quaeram* ortum esse ex proximo (*quid ego quaeram*). In eandem sententiam venerat Wesenbergius, meae coniecturae ignarus.

Cap. XXVII, 79. *efficere possit*) Sic et codices (omnes Gzii, Vind., [B]) et aliquot vett. edd. (Mars., Crat.); alter ordo ex ed. prima ad Man. et ceteros propagatus est. Deinde ex Erl. et [B et] Bas. scripsi: *Quo, inquit, modo* (cfr. 86, IV, 75); neque enim conclusio ulla est. Particula, quam ab omnibus melioribus abesse puto (etsi e Spir. nihil notatum Gzius dicit), ex *inquit* orta videtur.

Quia, cum a Zenone cet.) *Quia* ad utrumque, quod Cicero dixerat, refertur, *quid constanter dicatur*, *quid ipsum a se dis-*

oraculo editur: „Virtus ad beate vivendum se ipsa contenta est“, Quare? inquit; respondet: „Quia, nisi quod honestum est, nullum est aliud bonum.“ Non quaero iam, verumne sit; illud dico, ea, quae dicat, praeclare inter se cohaerere. 80. Dixerit hoc idem Epicurus, semper beatum esse sapientem; quod quidem solet ebullire nonnumquam; quem quidem,

5. *hoc quidem* CR 6. [*quid* Eh] *qui* C *solet* om. E *ebullirem* E

ntiat; utriusque enim rationem et causam explicare debet. aque primum, absoluta hac protasi (*contenta est*), sequi debe- ıt apodosis, quae Zenonis constantiae declarationem contineret, inde autem, nova protasi posita, altera apodosis, quae cete- s a se dissentire ostenderet, hac fere orationis forma: „Quia, n a Zenone —, huic decreto convenit, quod iudicat, hone- *m solum* bonum esse; cum ab Epicuro vobisve idem illud itur, repugnant, quae de bonis et malis statuitis.“ Cicero tionem vividiorem efficiens ne in priore quidem parte illam uam tenuit, sed, inducta interrogationis et responsi figura, losin, si de grammatica ratione quaerimus, in verbo *inquit* uis) constituit, ad particulam *quia* non apte, quia nondum lvitur constantiae Stoicorum significatio. Itaque hic in eandem habemus figuram orationis non statim ad id, quod ula expectari iubet, progredientis, quam ad I, 18 in *enim que* declaravi. [Cfr. hic II, 6; Tusc. V, 32.] C. Sigonius ınutius *cum* abundare putabant, non animadvertentes, sic ı omnino eius, quam *quia* promittit, sententiae significa- ı esse. Recentiores inde a Davisio (qui scribi volebat: *inquirenti, respondet*) conantur apodosin in verbo *respondet* ıere (velut Bremius scribebat: *quare? si quaeris, respon-* ta prior pars absolvitur, alteram deesse non animad- . (Coniecturas illas ordinem verborum, praesertim in podosis, pravum et contortum habere, ex abundanti Orellius anacoluthon hoc esse putat, fortasse non mul- crepans ab ea ratione, quam exposui.

hoc idem) Sic [ut etiam B] Gruterus e Pall. 4 et 6; ea edebatur *quidem*, quod erat in Oxx. omnibus, Gud. 1;) et Gud. 2 omittebant vocem, quod Dav. probabat. ' *quidem solet ebullire*) Pro *quod* etiam Ox. χ et Gud. 1 *qui quod solet*). Insvaviter duae deinceps sententiae a particula *quidem* pronomini eidem subiecta (minus habet illud in Cat. 50: *Atque haec quidem —; quae* in utraque tamen per se apte particula additur. : *quod solet.*) [Sed quoniam etiam B *solet* omittit,

cum summis doloribus conficiatur, ait dicturum: Quam svave est! quam nihil curo! Non pugnem cum homine, cur tantum abeat in natura boni; illud urgveam, non intel-

3. *habeat* omnes, Or.

videndum, ne ex *quod quidem ebullirem* (sic B quoque) fieri debeat: *quod audet ebullire* aut: *quod video eum eb.*] *Ebulliendi* verbo de eo, quod quis inani sono temere effundat, iterum Cicero posuit Tusc. III, 42, ubi iure Wesenbergius meus miratur, cum Davisius aberrasset et Bentleium traxisset, neminem vidisse, hanc esse et apertam et necessariam Epicuri orationis sententiam: „Si ceteri philosophi, ut solent, virtutes et sapientias ebullire volent, re diligenter examinata nihil aliud dicere reperientur ac tantum viam voluptatis comparandae monstrare; ea est enim, ut ego doceo (cfr. huius operis lib. I c. 13 sqq.), vis et utilitas sapientiae et virtutis, ut ad voluptatem certissimam nos ducant, non ut per se expetantur.“ Nunc recepta etiam contra Nonium Davisii coniectura (*nolent*) hoc dicit Epicurus: Si ceteri philosophi nolent virtutes crepare (id est, si suas sèntentias deponere volent et fortasse nihil prorsus dicere), ostendent viam voluptatis comparandae.

cur tantum habeat cet.) [Sic edebatur.] Eξ *cum tantum*, Mon. *quum*, Bas. *cui*, in qua nullius auctoritatis codicum discrepantia nihil est momenti. Si nihil est mendi, sic haec intellegenda puto: non pugnem cum homine ita, ut quaeram, cur in natura tantum boni esse statuat (ut beata vita inter cruciatus constare possit). Nam quomodo verti a Kernio video (*warum er von der Natur einen so guten Grund habe*), ut significetur naturae bonitas in Epicuro doctrinae perversitatem vincens, id neque sic dici poterat (*habere multum boni in natura*), neque, *cur* tam bonam naturam haberet, quaeri et pugnari poterat. (Itaque Nodellus in Actis Societ. Traiectinae I p. 154, similem sententiam persequens, scribi malebat: *cum tantum habeat in*, vel potius, *a natura boni.*) Sed omnino de ipsius Epicuri natura non quaeritur. In ea, quam dixi, sententia valde vereor, ut recte dicatur: *habeo tantum boni in natura* pro eo, quod est: *in natura esse iudico*; longe enim aliter dicitur *habere aliquid in bonis*, id est, numerare. Praeterea in hac sententia nimis infinite *in natura* dicitur, cum naturae vim Epicurus non significarit, ut, humanane an universa intellegatur, non appareat. Itaque suspicor, Ciceronem scripsisse: *quid tantum* cet., id est, quodnam tantum bonum in natura rerum reperiat, quo id efficiat. (*Hoc tantum boni* de imper. Pomp. 49; Quintil. XII, 1, 33: *quid ergo tantum est*

legere eum, quid sibi dicendum sit, cum dolorem summum malum esse dixerit. Eadem nunc mea adversum te oratio est. Dicis eadem omnia et bona et mala, quae [quidem] dicunt ii, qui numquam philosophum pictum, ut dicitur, viderunt, valetudinem, vires, staturam, formam, integritatem ungviculorum omnium *bona*, deformitatem, morbum, debilitatem mala. 81. Iam illa externa parce tu quidem; sed

1. *sit dicendum* R 2. *malum dixit* (om. *esse*) E 3. *dicunt quidem* P Sine uncis Or. 4. *ii* om. PCROr. *hi* L 6. *bona* om. omnes, Or., hic nota nendi posita 7. *tu quid* E

rtis in eloquentia?) [Sed sic quoque naturae mentio inepta est tota interrogatio, quoniam in voluptate bonum esse Epicuri nstabat. Disputationis cursus hanc requirit sententiam: Non aeram, quam vera sit ipsa Epicuri de bono sententia; quaem, quam sibi constet. Ea efficitur detracta in uno verbo iratione: *cur tantum abeat* (tam longe a nobis discedat) *in ura boni*; *illud urgveam.* Hoc nunc invento et reposito, omitto llere, quae Graserus, incommodo loco Phalaridis taurum ssens, et Ieepius in Annal. Philol. LXXIII p. 297 tenta. Quae olim annotaveram, reliqui, ut appareret, circumisse et alios et me, ecquid ex *habeat* illo effici posset.]

quae quidem dicunt ii, qui) Restitui ex Erl. [et B] et Leid. omen, quod in hac comparatione paene necessarium est; ad II, 48. Quid particula *quidem* in hac forma orationis n, *quae quidem*) agat, nescio. [B *que que dicunt*; sustulit rus particulam, quae geminando orta videtur.]

valetudinem, vires cet.) Cum Cicero sic posuisset: *eadem et bona et mala*, exempla utriusque generis aut coniuncta, ne permiscerentur, addere poterat, quamquam aliquid, offendat, habet huiusmodi enumeratio: *valetudinem*, *vires* *gritatem ungviculorum omnium*, *deformitatem*, cet., aut bo- et malorum exempla additis his nominibus distingvere; lo codices hunc locum scriptum habent, Cicero neque scribere poterat neque in tam aperta et brevi duplicis rerum enumeratione neglegentia in id incidere. Multo robabilius est, *bona* in codice archetypo excidisse, cuius mendi multa exempla vidimus, quam *mala* additum esse; addere aliquid vellet, utrumque addidisset. Itaque coniecturam, quam etiam Ernestius secutus erat, prae-, qui *mala* deleri volebat.

Iam illa externa) Transit ad tertium genus bonorum um, quae extra animum et corpus erant; sed initio

haec cum corporis bona sint, eorum conficientia certe in

1. Ante *haec* mendi nota apud Or.

tantum bona sive commoda commemorat, ex quibus contraria mala simul intellegebantur: „Iam externa illa parce tu quidem (laudasti et assumpsisti), qui illa per se quidem expetenda esse, sed fine bonorum non contineri statueris (§ 67 et 68); sed cum haec, quae enumeravimus, valetudo, vires, cetera, bona sint et a te corporis bona appellata, certe ea etiam, quae eorum conficientia sunt (τὰ τούτων ποιητικά), in bonis numerabis, amicos, liberos, opes, ut tria genera bonorum et item malorum non effugias.“ In sententia id est molesti, in quo nemo offensus est, quod Cicero hic contra Pisonem et Antiochum constitutione quadam externorum bonorum utitur, quae in Pisonis disputatione posita non est, ut nihil necesse sit Pisoni id, quod ex ea definitione concludatur, probare. Nam bona corporis confici externis illis et ideo haec esse expetenda, Piso non dixerat, sed alio et singulari modo externa ita constituerat, ut amicos, liberos commemoraret, opes, divitias, quas hic Cicero ponit, non nominaret; vid. ad 67 et 68. Ne ceteri quidem Peripatetici, qui externa instrumentorum loco habebant, illa ratione saepe usi videntur, ut corporis commoda, valetudinem et integritatem sensuum, externis confici dicerent. Sed tamen rei a veteribus philosophis sic interdum expositae vestigia satis manifesta sunt in iis, quae III, 49 Diogenes Stoicus censuisse dicitur, divitias valetudinem bonam continere. In verbis unum notabile est, quod Cicero perspicuitatis causa *haec*, quod in demonstrativo pronomine licebat, ante *cum* posuit et, cum haec sententia subesset: *cum haec res ad corpus pertinentes bona sint*, tamen, quia non Latine diceretur *haec corporis*, *corporis* ad *bona* adiunxit. In his Lambinus haerens scripsit: *cum haec*, putabatque scribendum fortasse esse: *sed haec corporis cum bona sint.* Ernestius *haec* deleri volebat, ita sententiam enarrans: cum corporis quaedam bona statuas. Beierus ad Off. I, 41 p. 103 sic verba interpungebat: *sed haec* (externa), *cum corporis bona sint* (cum corporis bona re vera bona sint), *eorum conficientia* cet., non animadvertens, *illa* et *haec* contraria esse, nec ullo modo *haec* — *eorum conficientia* coniungi posse, tot verbis inter demonstrationem et id, quod demonstraretur, interpositis. Gzius plane incredibiliter aberravit, in eadem nota mox narrans, corporis bona conficientia esse amicorum, liberorum, opum (et sic verba interpunxit: *haec, cum corporis bona sint eorum conficientia*), mox contra, amicos, liberos, opes conficientia esse corporis bonorum. Orellii

onis numerabis, amicos, liberos, propinquos, divitias, hono- :s, opes. Contra hoc attende me nihil dicere; *illud dicere*, ista mala sunt, in quae potest incidere sapiens, sapien- n esse non satis esse ad beate vivendum. Immo vero, [uit, ad beatissime vivendum parum est, ad beate satis. imadverti, inquam, te isto modo paulo ante ponere, et

2. *Contra haec* LPCROr. *nihil* cum uncis Or. *illud dicere* om. es, Or. 4. *non* et *esse* om. P *satis* transp. post *vivendum* LPCROr. *me* (pro *beate*) L Post *beate* add. *vero* LPCROr., hic cum uncis

ıres, Ottonis ex omnibus confusos errores omitto. Kernius a recte.

me nihil dicere, illud dicere) „Animadverte igitur, me non psum reprehendere, quod tria genera bonorum et malorum , sed quod, cum hoc facias, tamen sapientem una sapien- virtute beatum esse dicas.“ Idem Cicero tenet, quod in oc loco, ut non ipsam sententiam falsam esse nunc dispu- d eam sibi non constare. In cod. arch. interciderant, quae stitui, verba *illud dicere*, manifesta causa, propter quam ɔost in P meo et Gud. utroque exciderunt *non esse*. Itaque ıus, Ernestius, Schuetzius a sententia longe coniecturis unt; Davisius autem et Gzius eam, quam ille perspicue, ɔribus implicatam vidit, sententiam efficere non potue- e scribens: *nihil dicere; sin ista* cet., hic, cum in Gud. 2 *sed* pro *si* scriptum esset, ita: *nihil dicere, sed si ista* cet. ɔrationis forma non, ut debebat, ex *nihil dicere* audire- *e*, sed sententia infinita post *sed*, ut superior, pende- lo *attende*. (Acad. II, 103: *a quibus numquam dictum ıd sit disputatum* cet. Eodem modo hic 79 *illud dico, ·rgveam*.) [Pro *mala sunt* fortasse scribendum *m. sint*, non sine causa suspicatur.] *Contra hoc* etiam Pall. [Baiterus tacite *haec*. *Non satis esse* etiam B.] E§ *satis*. *Vero*, quod paulo post inter *beate* et *satis* inter- , omittebat etiam Spir. [B]. Et saepissime librarii adversativas addunt, ubi Ciceroni in contrariis sine uxta positis maius pondus orationis esse visum est. *ante*) § 71. Antiochum huius distinctionis auctorem t etiam Acad. II, 134, nisi Antiochum pro Peripate- m decreta ab illo sumebat, nominavit; neque enim est, iam ante aliquos, orta praesertim Stoicorum uantem Aristotelis mollioremque Theophrasti sen- ınam formulam sic conflasse. Ab Antiocho etiam apud Augustinum de Civ. Dei XIX, 3: *Haec ergo quae virtute et aliis animi et corporis bonis, sine qui-*

scio, ab Antiocho nostro dici sic solere; sed quid minus probandum, quam esse aliquem beatum nec satis beatum? Quod autem satis est, eo quidquid accesserit, nimium est; et nemo nimium beatus est; † et nemo beato beatior. 82.
Ergo, inquit, tibi Q. Metellus, qui tres filios consules vidit, e quibus unum etiam et censorem et triumphantem, quartum autem praetorem, eosque salvos reliquit et tres filias nuptas, cum ipse consul, censor, augur fuisset *et* trium-

1. [»Ante *dici* in E nota est incerta, non *et.*« Bait.] [*quod* Eh] 2. *nec* — *beatum* om. E 4. *et nemo* sine nota mendi Or. 5. *tibi* om. L 6. Post *triumphantem* add. *vidit* E 8. *consul censor* (*censor consul* E) *esset augur fuisset* ER *consul censor esset augurque fuisset* P (*que* silentio) *consul censor etiam augur fuisset* LC *et* om. ELCR

bus virtus esse non potest, fruitur, beata esse dicitur; si vero et aliis, sine quibus esse virtus potest, vel ullis vel pluribus, beatior; si autem prorsus omnibus, ut nullum omnino bonum desit vel animi vel corporis, beatissima.

et nemo nimium beatus est; et nemo cet.) Conclusio argumenti quomodo procedat, apparet: (1) Si quis beatus est, satis beatus est; (2) quod satis est, eo quod accedit, nimium est; (3) nimium porro beatus nemo est; (4) ergo nihil accedere potest in eo, qui iam beatus est, nec quisquam beato beatior. Itaque in his verbis *et nemo nimium* cet. assumitur aliquid concludendi causa, quem usum particulae *et* attigit Handius in Turs. II p. 489 ima. Ipsa autem extrema conclusio et eius, quod ex superioribus efficiatur, quasi collectio ea particula prorsus vitiose annectitur, quasi pergat Cicero novas partes conclusionis adiungere. Merito ergo Davisius, etsi alia hic non recte tentavit, in his verbis: *et nemo beato beatior* mendum esse iudicavit. Sed quod scribendum putat: *ita nemo*, mihi potius post *nemo* excidisse videtur *ergo* additumque esse *et*, ut simile hoc superiori esset. [Klotzius: *at nemo n. b. est; nemo b. b.*]

82. *Q. Metellus*) Macedonicus, qui a. 143 a. Chr. consul fuit, de cuius rebus et felicitate praeter ea, quae e Ciceronis scriptis in indicibus collecta sunt, cetera peti possunt e Drumanni Hist. Rom. II p. 20. Filias ei tres dat etiam Val. Max. VII, 1, 1, Ciceronem sequens; verum non solum Plutarchus (de fort. Rom. 4 p. 318 C) ei duos tantum generos consulares dat (poterat enim tertius non consularis esse), sed Plinius H. N. VII, 59 sex tantum ei liberos tribuit. (Perizonii Animadv. Hist. c. 9 p. 406 ed. Harles.)

consul, censor, augur fuisset et triumphasset) Quod ex Erl.

hasset, ut sapiens fuerit, nonne beatior quam, ut item sa-ens fuerit, qui in potestate hostium vigiliis et inedia ne-tus est, Regulus?

XXVIII. 83. Quid me istud, inquam, rogas? Stoicos ;a. Quid igitur, inquit, eos responsuros putas? Nihilo tiorem esse Metellum quam Regulum. Inde igitur, inquit, iendum est. Tamen a proposito, inquam, aberramus.

Post *triumphasset* add. *modo* L ex correctione 2. *hostium* om. PC *jas, inquam* LPCROr. 5. *inquit* om. C 7. *audiendum est* omnes, Or. *ırimus* CR

] clare enotatur (nisi quod is [B] cum ψ *censor*, *consul*), t Crat. et Vict. ex R, idemque Dav. e Par. 1 annotat: *censor augur fuisset triumphasset*; Mead. *censor etiam esset a. fuis-* Ceteri deteriores (Eξχψ): *censor etiam augur fuisset trium-*, e quo Aldus Man. fecit: *censor etiam augurque fuisset* quod postea retentum est. Id, quod nunc editur, Gzius Erl. et Spir. sumpsisse falso narrat; sed tamen e codi-eliorum vestigiis hoc efficitur; *esset* enim ex *fuisset* nescio o ortum videtur. Si Hertelii silentio confidi potest, iam ita scripsit. In his verbis *ut sapiens fuerit*, quomodo um sit, dictum est ad II, 71. [Coepit Piso sic (*Ergo* ısi subiecturus esset: *nihilo beatior videtur?* deinde plu-erpositis de Metello aliter interrogavit.]

. XXVIII, 83. *audiendum est*) [Sic edebatur.] Cicero *ordiendum est.* Significat enim Piso, novae sibi ora-tium ab eo capiendum, in quo dissensus et controversia cfr. Legg. I, 21: *nam si hoc non probas, ab eo nobis enda est potissimum* [et supra III, 16: *hinc enim est*] Aggredientem igitur demonstrare, Metellum Re-orem esse, inhibet Cicero, non id agi dicens. In criptura, si similem sententiam efficere conamur, *itur* et Ciceronis responsum postulat, primum *inde* significatu, ut sit orationem inde incipientem au-ıus inusitate dicitur; deinde, si se dicturum Piso saltem *vobis* adderet; nam, hoc omisso, sibi alios ignificat. Relinquitur, ut se huius Stoicae senten-nem audire velle dicat; atqui tum et *inde* prorsus (itaque Kernius vertit *darüber*), neque *audiendum* dici potest ab eo, qui aliquid audire cupit, neque audire velit. Si quis autem (nam omnia effugia puto), si quis igitur *inde* intellegat *a Stoicis*, ut ndum fuisse *istinc* (ex iis, quos tu nunc mihi obi-obscure et infinite hic quoque dici *audiendum est.*

Non enim, [inquam,] quaero, quid verum, sed quid cuique dicendum sit. Utinam quidem dicerent alium alio beatiorem! iam ruinas videres. In virtute enim sola et in ipso honesto cum sit bonum positum cumque nec virtus, ut placet illis, nec honestum crescat, idque bonum solum sit, quo qui potiatur, necesse est beatus sit, cum augeri id non possit, in

1. *inquam* om. E, sine uncis Or. *cuiquam* E 2. *sit* om. L *diceret* L 6. *id augeri* LPCR

et Ciceronis responsum alio spectare, hoc unum ponam, non posse eum, qui Stoicorum orationem et disputationem flagitet, sic dicere: *ex Stoicis audire debemus*, nisi addat, quid audire velit, ut si dicat: *libenter ex Stoicis audiam*, *cur* cet. Omnino autem Piso, cum ad id, quod ipse quaesiverat, responsum sit, ad suam causam obtinendam non adversarios audire velle debet, sed ipse demonstrare, id, quod ab illis dicatur, ferri non posse. [*Ordiendum* nunc cum Baitero in textu posui.] (Quod Gzius ait *audiendum est* significare: *Stoicorum sententia vera iudicanda est*, quid voci *inde* fecerit, nescio; *audiendum est* foede errans sic accepit, quasi scriptum esset: *Stoici igitur potius audiendi sunt*: illud exputare nequeo, quomodo Pisonem inducat subito adversariorum sententiam probantem et omnia sua evertentem — ironiae enim nulla species est —, tum Ciceronem hoc accipere nolentem.) Paulo ante *inquam*, *rogas* ex uno Erl. [et B] posui.

Tamen, inquam — Non enim, inquam) Verbi *inquit* bis in eiusdem personae oratione positi Heindorfius ad I de N. D. 17 duo alia exempla ascripsit ex II de Orat. 13 et 298, cum Svet. Iul. 32; [duo, Verr. II, 127, pro Mil. 98, addidi in praef. Livii a me editi Vol. II, 1 p. XX; oblitus sum addere, quod huius libri § 6 legitur, tum Verr. IV, 13, Caes. B. C. II, 31;] *inquam* Cicero praeter hunc locum sic posuit hic III, 12, de Fato 3. Itaque unum Erl. [cui nunc adiungitur B] non secutus sum, cum de ceteris bonis nihil constaret. Illic tamen pluribus interpositis *inquam* ibi interponitur, ubi oratio quasi colligitur. *Aberramus* pro *aberravimus* restituit Dav. e Parr. 1 et 3, Gzius ex Erl. et Spir. [B], nec aliter, opinor, Pal. 4, e quo in Gruteri nota profertur *erramus*. In eo est, ut aberrent, idque ne fiat, Cicero cavet. In illis, quae sequuntur: *Utinam* cet. Academici personam Cicero tuetur, libenter alios refellentis.

augeri id) Sic etiam e Spir. [B] Gzius; ceteri *id augeri*. Mox in *concinendi* verbo deteriores codices aberrant, ut alibi

quo uno positum est beatum esse, qui potest esse quisquam alius alio beatior? Videsne, ut haec concinant? Et hercule (fatendum est enim, quod sentio) mirabilis est apud illos contextus rerum. Respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus; quid sequatur, quid repugnet, vident. Ut in geometria, prima si dederis, danda sunt omnia. Concede, nihil esse bonum, nisi quod honestum sit; concedendum est, in virtute positam *esse* vitam beatam. Vide rursus retro.

1. *uno* om. L *potest etiam quisquam* L 2. *concinnant* L *concinnantur* C *conveniant* R *et* om. E 3. *enim ut sentio* E 5. [*quod sequatur* Eb] *quid* ante *repugnet* om. E *videret* E *Ut* om. LPCROr. 8. *in* :*irtute sola positam* Or. *esse* om. ELPR *beatam vitam* LPCROr.

IV, 60); E *concinnant*, χ *continuant*, ψ *concinnant al. continuant*; 'zius in multis alterum utrum ex his esse scribit. Verum post ldum editur inde a Victorio.

Ut in geometria, prima cet.) Sic perspicue Erl., quem ne : quidem de manifesto mendo eiusque correctione a Davisio monitus Gzius inspexit, et, ut opinor, ceteri boni [B]; re- :ri particulam comparationis indicem, iam Lambinus viderat; d enim absurdius, quam prorsus extra reliquae orationis sum per se dici, quid in geometria fiat? In codicum de- orum principe excidit *ut* post *nt*. [*Quid* ante *repugnet* omit- :tiam B. Minus placet, quod effici potest: *quid sequatur gnetve, vident.*]

in virtute positam esse vitam beatam) Editiones inde a Ma- tacite: *in virtute sola*, quod vereor ut in ullo sit codice, forte in Eξ; nam χψ omittebant *sola*; neque id necessa- est; nam si in virtute posita est beata vita, sequitur, sola eam efficere possit. *Esse*, quod non magis in codi- repertum puto (om. Crat., Vict., Eξ, [B]), vix abesse potest; iam in his libris huius infinitivi in cod. archetypo non omissi exempla vidimus (ad § 49). *Vitam beatam* ex solo :t B] posui. Tum pro *dato* puto in cod. archetypo idem quod et in optimo meo [et B] et in deterioribus reperio, iam ex uno Ox. E annotatur *date hoc dato erit illud*; idit etiam Victorius; non recte; neque *dato* pro *da* licet, quod unum hic et propter superius *concede* et harum formarum discrimen poni poterat; Cicero ipse formam mutavit. [*Dandum est* ex Erl. et B; ali- n notatur.] De proximis verbis (*quod vestri* cet.) dixi

Dato hoc, dandum est illud. Quod vestri non item. 84. „Tria genera bonorum“; proclivi currit oratio. Venit ad extre-

1. *date* ELP *erit illud* LPCROr. 2. *proclivius currit* (P) *proclivis c.* C *procurrit* L *Venit — dicere* Nonius p. 177

84. *proclivi*) Sic Pall. et Gzii omnes, apud Dav. Parr. 1 (?) et 3, Mead., Ox. χ, nec aliud significant EUξ, in quibus erat *providi*, in ψ *providi al. proclivi*. Recte igitur hoc pro *proclivius* restituerunt Dav. et Gzius. (Lamb. *in proclivi*, prava correctione.) Eandem formam habent optimi codices (Par., Gud. 1. cett.) Tusc. IV, 42, ubi nonnulli ediderunt *proclive*, ut apud Lucretium II, 455 scriptum est. Gellius X, 24 et ex eo Macrobius Saturn. I, 4 et *praefiscine* et *praefiscini* et *proclivi* et *proclive* dictum esse testantur. Utro enim modo scripserimus, non ablativus erit, cuius natura ab hoc usu abhorret (aliter enim dicitur *recta ire*, ut *hac*, *ea* de viae tenore), sed, quod etiam e comparativo *proclivius* perspicitur, adverbium eiusdem formae atque *facile*, *sublime* (quod recte quidam comparant, sed frustra inde efficiunt *proclive* Ciceronem scripsisse), hoc est, quod, quemadmodum neutrum genus adiectivorum, nulla propria terminationis nota insigniatur, sed levem et communem litterae vocalis sonum pronuntiandi gratia asciscat (qui idem in *abunde*, *paene*, *prope*, *saepe*, ceteris est, quae *e* breve habent), eadem pronuntiandi ambiguitate in *i* vocalem transeuntem, qua antiquiores *heri* pro *here* dicebant et scribebant (Quintil. I, 4, 8, I, 7, 22). (Eadem vocali antiquissimi *die quarte* et *die quarti* dicebant, extrita propria declinationis nota.) Iam utra littera Cicero in scribendo usus sit, non multum interest, postquam res intellecta est; *proclivi* tamen libri ostendunt, et *heri* Augustus etiam tum scribebat (Quintil. I, 7, 22), sed idem antique *die quinte*. Nec obstat, quod *sublime* semper est, nusquam *sublimi*; nam huiusmodi veteris pronuntiationis reliquiae nulla certa lege in aliis verbis cito abolentur, in aliis diu manent, in aliis semper, quod factum est in *brevi*. Neque enim id ab hoc genere adverbiorum ideo separatur, quod *i* longum habet (apud Ovidium ex Pont. III, 4, 99), illa autem exilis et obscura vocalis, de qua dixi, corripi debere videtur. Nam etiam in *heri* Terentius Eun. I, 2, 89 secundam syllabàm produxit; et plures, opinor, locos reperient, qui nunc admoniti haec scrutabuntur; quicumque enim *i* vocalem in fine verbi Latini plane exprimebat (plerumque autem in his vocabulis nec *i* nec *e* prorsus audiebatur), necessario producebat. (Non ignotum mihi est, quo artificio nuper Benarius in libri de sonis Latinis (Roemische Lautlehre) vol. I p. 37 sqq. et haec adverbia, et quod multo est

mum; haeret in salebra; cupit enim dicere, nihil posse ad beatam vitam deesse sapienti. Honesta oratio, Socratica, Platonis etiam. Audeo dicere, inquit. Non potes, nisi retexueris illa. Paupertas si malum est, mendicus esse beatus nemo potest, quamvis sit sapiens. At Zeno eum non beatum modo, sed etiam divitem dicere ausus est. Dolere malum

3. *audebo* L *potest* omnes, Or. 4. *beatus esse* LPR *malus esse* C
5. *non* (pro *nemo*) C om. P [*cum non* Eh] 6. *dolor* R

magis mirandum, etiam ea, quae *e* longum habent, tertiae declinationis ablativos fecerit.)

haeret in salebra; cupit enim dicere) In his verbis Cicero .b eo subiecto, quod posuerat (*currit oratio*), sensim cogitatione ransit ad ipsum Peripateticum sic dicere cupientem. Itaque icero hoc eius studium laudat et quasi incitat: *Honesta oratio* t. (cfr. ad II, 68). Tum ille alter, qui ita dicere cupiebat, mpto animo: *Audeo*, inquit, *dicere*. Occurrit Cicero: *Non* cet. ırbant recentiores inde a Bremio, verba *audeo dicere* non inlegentes, quae apertissime respondent illi *cupit dicere*.

Non potest) [Sic edebatur.] Audiunt *fieri*; et notissimum sic non raro poni *potest*, ut id audiendum sit; exposuerunt eter lexica Heusingeri et Beierus ad Off. II c. 19, 68, Ochsıs ad Eclogas Ciceron. p. 102 ed. tertiae; (add. ad Att. 7, 4, XII, 23, 1; conferantur, quae ad IV, 48 diximus). ım id tum fit, cum universe de rei statu et habitu mur; cum eum, qui se aliquid facturum dixit, allotes, in ipso aliquid esse dicimus, cur id ei facere non , vix ea forma uti possumus. Itaque fere assentior Daqui *potes* scribi malebat. [Id nunc cum Baitero posui.] in tertiam personam totam orationem avertere cum Lam*non potest, nisi retexuerit*), id est omnem elegantiam loci are. Mox *esse beatus* pro *beatus esse* Gzius etiam e Spir. Monac.: *potest nemo beatus esse*, Bas. *esse nemo beatus*

lere malum est) Verbum addidi ex Erl., [B,] mg. Crat., r., Leid., ceteris tacentibus; recte in hoc primo membro, traria respondet longior et plena sententia (*in crucem* ditur, deinde in brevibus incisis omittitur (*Bonum liberi* um propria locutio: *in crucem qui agitur*, inde a Vict. in editionibus servatur, confirmata a mg. Crat., cod. ıraltino apud Lambinum, Scalig. (nisi quod hi duo *in* Erl., Spir., Gud. 2 Gzius ait esse: *in crucem* v. *in* *agitur*; [*quia igitur* etiam in B;] Dav. e Parr. 1 et 3

est; in crucem qui agitur, beatus esse non potest. Bonum liberi; misera orbitas; bonum patria; miserum exilium; bonum valetudo; miser morbus; bonum integritas corporis; misera debilitas; bonum incolumis acies; misera caecitas. Quae si potest singula consolando levare, universa quomodo sustinebit? Sit enim idem caecus, debilis, morbo gravissimo

1. *est* om. PCOr. (*est malum* R) *cruce* LPCR *qui angitur* PCR *quia igitur* E 2. *miserum orbitas* Or. 3. *bona valetudo* C *miserum morbus* LPCROr. *miser* om. E 4. *miserum debilitas* Or. *miserum caecitas* Or. 5. [*quō* Eh] *quo* P 6. [*sustinebis* Eh]

annotat: *in cruce quia agatur.* (Oxx. omnes *in cruce qui angitur*; in Gruteri nota erratum est.)

Bonum liberi, misera orbitas cet.) In codicibus deterioribus (nam de melioribus dubiam rem omittendo Erl. facit [et B]) pro verbis *miser morbus* propter sequentem litteram *m* scriptum est *miserum morbus*, idque a superioribus editoribus retentum est, donec Davisius, offensus hac inaequalitate, ut omnia membra eandem haberent formam, non semel *miser* scribi iussit, sed, cum in Par. (quo?) repperisset *miserum debilitas*, sine ulla probabilitate ter *miserum* pro *misera*; cui enim librario, cum quinquiens *bonum*, quinquiens *miserum* scriptum esset, ferretque et *miserum morbus* et *bonum integritas corporis*, in mentem venisset ter genus mutare? Tum ne recte quidem' neutrum genus ponitur; neque enim *miserum* (*etwas Unglückliches*) ita substantivum est ut *bonum* (*ein Gut*) neque ei plane respondet; responderet *malum*; neque de ipso harum rerum nomine et loco agitur (nam malum esse orbitatem ipse concedebat, qui liberos bonum esse docebat, sed tantulum malum, ut beatam vitam non tolleret), sed de earum vi et effectu eorumque, qui in iis sint, statu, ut haec sententia sit: Si liberi bonum est, miser est orbitatis status et, qui orbi sunt, miseri (ut beatae vitae ad eos aditus non sit). Davisii coniecturam Ernestius et deinceps omnes secuti sunt, Gzius adeo incuriose, ut quinto loco ab Ernestio *miserum* restitutum dicat et a Bas. et Gud. 1 (de quo ipso valde dubito) confirmari; quasi primo et quarto ab omnibus editum sit.

universa quomodo sustinebit?) sapiens, si, ut vos, haec mala putabit? Deinde nonnihil obscuratur orationis cohaerentia, quod sic Cicero incipit (*Sit enim idem* cet.), ut putes, eum id demonstraturum, quod dixit interrogando, Peripateticum haec universa sustinere non posse, deinde autem animum ad contrariam

affectus, exul, orbus, egens, torqueatur eculeo; quem hunc appellas, Zeno? Beatum, inquit. Etiam beatissimum? Quippe, inquiet, cum tam docuerim gradus istam rem non habere quam virtutem, in qua sit ipsum etiam beatum. 85. Tibi hoc incredibile, quod beatissimum; quid? tuum credibile? Si enim ad populum me vocas, eum, qui ita sit affectus, eatum esse numquam probabis; si ad prudentes, alterum ortasse dubitabunt, sitne tantum in virtute, ut ea praediti el in Phalaridis tauro beati sint; alterum non dubitabunt,

1. [*aculeo* Eh] 3. *tam* om. E *dum* P 4. *etiam ipsum* LCR *tunc* o *tibi*) P 5. *quod beatissimum* om. L *quia beatissimum* EPCROr. Post *dibile* add. *quia brevissimum* L 6. *sit ita* R 7. *esse* om. LPCROr. *dubitabunt fortasse* C 9 *Phalaris* L *sunt* E

itationem Zenonis haec omnia contemnentis avertit, ut in demum: *Tibi hoc* cet. ad superius illud redeat.

Quippe, inquiet, cum tam docuerim) *Quippe* non cum ironia enone dici, quasi se ipse irrideat, sed cum affirmatione, aene miretur, dubitari potuisse, Gzii et Ottonis causa dico. omittit etiam Spir. [B]; Gud. 1 (ut P) *dum*; Gud. 2 pro *cum locuerim* habet *dn dūcium*, et in margine *nescio*. Minus recto ponitur *tam*; verius enim erat: *cum doc. tam ist. rem gr.* tamen hic *tam* horum codicum auctoritate tollere, ut deinde a omnes addatur *magis* (*gradus istam rem non magis habere virtutem*), non audeo. *Ipsum etiam* pro *etiam ipsum* Gzius ex ue suis. *Ipsum beatum* est *ipsa* (quae Latine non diceba- eatitudo; recte Gzius comparat Tusc. V, 45.

15. *quia* [sic edebatur] *beatissimum*) quia Zeno non solum n, sed etiam beatissimum sapientem ita affectum dicit. im non tantum propter hoc incredibilis Zenonis sententia ed hoc ipsum in illa sententia incredibile est, poterat scribere et scripsisset fortasse rectius: *incredibile*, *quod num* (dicit), poterat etiam, ut Davisius volebat, ita: c *incredibile*, *beatissimum*, ut in ea una voce ex Zenonis excepta sententia significaretur; sed cur mutetur scrip- ausa nulla est. [Sed nunc B id ipsum *quod* obtulit, ı, ut solet, *quid.*] Paulo post *beatum esse* etiam Spir. [B]; deteriores et editiones verbum omittunt. Etiamsi codices auctores non haberem, dubitarem nonnihil, an ad utionem: *probo hunc beatum* defendendam non sufficeret, 8 legitur: *Metelli vitam negat beatiorem.*

quin et Stoici convenientia sibi dicant et vos repugnantia. Theophrasti igitur, inquit, tibi liber ille placet de beata vita? Tamen aberramus a proposito, et ne longius, prorsus, inquam, Piso, si ista mala sunt, placet. 86. Nonne igitur, inquit, tibi videntur mala? Id quaeris, inquam, in quo, utrum respondero, verses te huc atque illuc necesse est. Quo tandem modo? inquit. Quia, si mala sunt, is, qui erit in iis, beatus non erit; si mala non sunt, iacet omnis ratio Peripateticorum. Et ille ridens: Video, inquit, quid agas; ne discipulum abducam, times. Tu vero, inquam, ducas licet, si sequetur; erit enim mecum, si tecum erit.

XXIX. Audi igitur, inquit, Luci; tecum enim mihi instituenda oratio est. Omnis auctoritas philosophiae, ut ait

1. *nos* LPC 3. *de proposito* P *est* (pro *et*) L 4. *nonne inquit igitur* E *Nonne igitur tibi videntur, inquit, mala* LPCROr. 5 *id quaeres* ELPR *idque heres* C 6. *utrum respondebo* LPCR *respondebo utrum* E 7. *est* om. P 8. *in his* ELPCOr. *etiam* (pro poster. *erit*) P 11. *sequatur* LPCROr. 12. Post *enim* add. *ut ait Theophrastus* omnes, Or. 13. *est oratio* L *Omnis — comparanda* Nonius p. 256 *ut ait Theophrastus* om. Non. et omnes, Or.

86. *Nonne igitur, inquit, tibi videntur mala?*) *Inquit* in Erl. transponi Gzius annotat, de Spir. tacet, ut in eo locum servasse videatur; [sed ut Erl. B;] Gud. 2: *nonne igitur inquit* cet., et solet *inquit* ita particulam conclusionis aut causae indicem sequi (§ 69, 77, 83 bis, 85, 86; *non enim, inquam* 83); ubi in ceteris codicibus et edd. ponitur, non satis apte interici videtur et unum vocabulum *mala* nimis a ceteris divelli. Deinde *quaeris* recte Orellius cum Man. et Lamb.; iam enim quaesivit Piso; idem mendum (*quaeremus* pro *quaerimus*) erat IV, 31. *Respondero* pro *respondebo* Lamb., Dav., Ern. scribendum viderunt; neque enim hic, ubi significatur, qualis eventus secuturus sit, utrumcumque responsum fuerit, ullo modo utraque actio eiusdem temporis videri potest.

ducas licet, si sequetur) Sic etiam ex Spir. [B] Otto. Simpliciter condicio ponitur. Pro *ducas* Bas. et Gud. 1 *abducas*, nimis diligenter, cum praesertim haec brevitas: *ducas licet* non inscitam imitationem habeat eius formulae, qua in iure permittebatur, ut ducerent addictos.

Cap. XXIX. *Omnis auctoritas philosophiae, ut ait Theophrastus*) Dicturus Piso, quemadmodum in sua disciplina vita beata sapientis efficiatur, apte ostendit, hinc omnem dignitatem

Theophrastus, consistit in beata vita comparanda; beate enim

1. *constitit* Non. [*enim vivendi enim* Eh]

philosophiae duci (cfr. ad I, 62), aptissime autem hanc sententiam ab altero scholae Peripateticae principe, cuius notissimus erat περὶ εὐδαιμονίας liber, repetit et sine dubio ex ipsius illius libri exordio sumit. In tam perspicua re in vetustissimo errore tollendo non dubitavi Lambini coniecturam, quam ne Gruterus quidem „culpare" ausus est, Ernestius autem iure probavit, sequi contra codices, qui haec verba: *ut ait Theophra-*
stus paulo ante ponunt ineptissimo loco. [Nonius etiam, quo-
niam haec suo loco omittit, priore videtur habuisse.] Qui de-
endere conantur (conatus est autem paene unus Gzius; Ottoni
e admonitione quidem egere locus visus est), qui defendunt
itur, ne Theophrastum aliquot saeculis ante Pisoni, quocum
queretur, praecepisse statuant, imitationem propriae et singu-
ris cuiusdam Theophrasti vocis in verbis *instituenda oratio est*
Pisone significari putant; quos primum refellit verborum ordo;
n enim scribendum erat: *tecum enim mihi, ut ait Th., inst. or.*
; nunc necessario illa verba ad *tecum* et *mihi* pertinent et
m, quam dixi, incredibilem perversitatem continent. Deinde
ituere orationem cum aliquo adeo communem rei omnium per-
atissimae significationem habet, ut a Theophrasto hoc sump-
putare absurdissimum sit. Itaque Gzius e Gud. utroque
Bas. edidit *instituenda est ratio* (modo recte attenderit; alibi
ı nullum est eius scripturae vestigium; sed frequens est
dum), idque ita interpretatur: *ich habe mich, nach Theo-*
sts Ausdruck, mit dir zu berechnen. Omitto, *rationem insti-*
neminem hoc significatu neque dixisse neque dicere po-
; nam ratio subducitur, initur, conficitur, cum aliquo
rtur, non instituitur. Sed ut dicatur, nimirum Theophra-
verbo a rationibus traducto proprietatem quandam huius
ationis significare debuit. Quid est igitur huius com-
et rationum cum altero subductarum, ut, quid utrique
ur, appareat et paria fiant? (Velim etiam scire, quocum
hrastus has rationes contulerit.) Tum Piso hoc ideo a
hrasto sumere debuit, quod ad suam rem et orationem
esset. Iam quid haec oratio, in qua Piso, Lucio au-
nec quidquam de suo proferente, sententiam suam ex-
habet, in quo vel umbra sit rationis a Pisone cum
subductae? (Davisius tria haec verba deleri vult, „li-
m stupore invecta" putans. Mirum vero stuporem,
a sine causa excogitet! Oxx., qui cum Lallemando
m sequuntur, nihil annotant ex E (U non numero);
hoc quoque, qui codicem contulit, ad verbòrum ordi-

vivendi cupiditate incensi omnes sumus. 87. Hoc mihi cum tuo fratre convenit. Quare hoc videndum est, possitne nobis hoc ratio philosophorum dare. Pollicetur certe. Nisi enim id faceret, cur Plato Aegyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros et caelestia acciperet? cur post Tarentum ad Archytam? cur ad reliquos Pythagoreos, Echecratem,

1. *vivendi — convenit* Nonius p. 271 *sumus omnes* R *atque hoc* Non. 3. *haec ratio* LR 6. *ad ceteros* C

nem pertinere iudicavit et omisit.) Illud addam, in fine sententiarum apud Ciceronem hunc legitimum esse verborum ordinem: *instituenda oratio est*, non hunc: *instituenda est oratio*; cfr. § 8 *facta mentio est*, 15 *inventa vitae via est*, 46 *progressa ratio est*, Tusc. V, 5 *petenda correctio est*, 15 *adducta quaestio est*. N. D. II, 3 *detracta oratio est.* [Cfr. Wesenb. Emend. Cic. Epist. p. 109.]

87. *Quare hoc videndum est, possitne nobis hoc*) Prius pronomen, quod Gzium et Orellium offendit, recte et suo loco additum est, ut ei, quod conveniat, cum pondere aliquo contrarium ponatur id, quod quaeratur. In proximis duplex forma orationis condicionalis in unam conflata est non prorsus legitimam; nam aut sic dici videtur debuisse: *nisi — faceret, cur Plato peragrasset?* aut sic: *nisi — facit, cur Plato peragravit?* Cum priorem Cicero instituisset, vicit rei vere factae cogitatio. Zeugmatis quoque speciem habet, quod ex *peragravit* deinde auditur *profectus est* (*Tarentum ad Archytam*). Tum *ceteros* (pro *reliquos*) ex ed. prima ad Man., Lamb., alios propagatum est contra codd. (Dav. tres, Oxx., Gzii, [B]) et alteram sectam veterum editionum. Platonem primum in Aegyptum, deinde in Italiam venisse, Cicero scribit etiam I de R. P. 16, de qua omni re quae varie nec certissima fide a scriptoribus traduntur, post alios collegit Astius in libro de vita et libris Platonis p. 22 sqq. Sed illic tantum Archytam et Timaeum Cicero commemorat; Arionis ne nomen quidem ab aliis scriptoribus ponitur, nisi quod Valerius Max. VIII, 7 ext. 3 a Cicerone id sumpsit; Echecrates Phliasius, Pythagoreus, Euryti et Philolai auditor, appellatur apud Diog. Laërt. VIII, 46, idem, ut videtur, qui in Phaedone Platonis inducitur. In epistula nona ex iis, quae Platoni suppositae sunt, adulescens aliquis Echecrates Platoni commendatus nominatur. (*Arrionem* Gzius ex Erl. proferens, e Spir. et Bas. nihil annotari ait; Gud. uterque *Atrionem*, Monac. *Acionem*.) [B ut Erl. Restitui hoc cum Baitero etiam ex Val. Maximi codd. optimis pro nomine Graecis inaudito.]

Timaeum, Arionem Locros, ut, cum Socratem expressisset, adiungeret Pythagoreorum disciplinam eaque, quae Socrates repudiabat, addisceret? cur ipse Pythagoras et Aegyptum lustravit et Persarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit, tot maria transmisit? cur haec eadem Democritus? qui (vere falsone, *non* quaeremus) dicitur se

1 *Arrionem* E *Acrionem* (LP)CROr. 3. *cur et ipse Pythagoras Aegyptum* L 6. *vero* C *non* om. omnes, Or. *quaereremus* EPCROr., hic cum nota mendi *oculis se* LPCROr.

vere falsone, non quaeremus) Davisii coniecturam secutus sum. Quod in omnibus codd. [etiam B] est (nisi quod e Spir. ut ex L enotatur *quaeremus*), unus defendit Otto; *quaereremus* enim esse: *möchten wir fragen*, quae verba quoniam significant, animum eo inclinare, ut quaeratur, quod sententiae Pisonis vehementer repugnat, nescio unde contrarium audiri iubet: *sed nomus*. Latine *quaereremus* dici non potest nisi cum condicione, erbi causa: *si liceret* (etsi Piso, etiamsi liceat, non curat); ea item hic neque verbis exprimitur neque significatur. Quod idam *quaereremus* tolli volunt, falso huic formae: *vere falsone* m tribuunt significationem dubitationis, quae in hac inest: *ansne an ita sentiens* (Acad. II, 63); itaque Victorius (Varr. ctt. XV, 9) et Lambinus *vere falsove*; sed illa significatio criminis tollendi, quae in *ve* particula est, in huiusmodi sententiam declarativam non cadit, et subabsurde ipsa res ita ratur: „dicitur aut vere aut falso"; nam fama per se signiri debet, tum addi, nihil ad rem pertinere, quam vera sit. us scribi vult: *vere falso, ne quaeramus*, oratione, ut opinor, Latina; neque enim, quod *velit nolit* pro *velit an nolit* sermo liaris recepit (ad Q. Fr. III, 8, 4), progrediens ab eo, quod *nolit* pro *seu velit seu nolit* dicebatur, continuo idem ad alia a et adverbia traducere licet, neque ex illa celeri multocontrariorum sine particula enumeratione in interrogativa ne, quae Acad. II, 92 reperitur, [similique Livii loco VIII, 0] quidquam conficitur. Nec apta illa dehortandi forma Videtur *non* post *ne* excidisse et ex hoc ipso *ne* coniuncortus esse. Potius tamen expectari *non quaero* aut *quaenon* negaverim. Quae de Democriti caecitate (*luminibus* Tusc. V, 114) fabulose, de neglecta patrimonii cura ingendo exornata traduntur, collecta sunt a Menagio ad Laërt. IX, 35 et 39 et 43 et a Baelio in Lexico critico. post participium cum interrogatione in causa significabsolutae iam rei factae declarationi paene Graeco more

oculis privasse; certe, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit, agros deseruit incultos, quid quaerens aliud nisi vitam beatam? Quam si etiam in rerum cognitione ponebat, tamen ex illa investigatione naturae consequi volebat, bono ut esset animo. Id enim ille summum bonum *εὐθυμίαν* et saepe *ἀθαμβίαν* ap-

1. *privavisse* C 3. *beatam vitam* LPCROr. 5. *ut esset bono* LPCR *ideo enim* EOr. 6. Pro *εὐϑυμίαν* vac. spat. in LC *achamiam* R vac. spat. in LC

adiungitur (*τί ζητῶν*), ut Tusc. I, 31: *Serit arbores, quae alteri saeclo prosint, quid spectans, nisi* cet.? [Cfr. Phil. II, 86, Liv. VI, 23, 5, XXI, 30, 6.] Differt enim hoc a vulgari illa forma, in qua interrogatio et participium primum locum obtinent: *Quid quaerens tot regiones peragrasti? Vitam beatam* et paulo ante *se oculis* ex solo Erl. [et B] posui (Gzio tacente), ex eodem et Spir. [B] paulo post Gzius *bono ut esset* pro *ut esset bono.*

Id enim ille summum bonum cet.) Id enim (bono esse animo) summum bonum habet et *εὐθυμίαν* appellat cet. Brevitate quadam oratio nonnihil a legitima forma deflectit. Nam exorditur Piso declarans, cur ita posuerit: *bono ut* cet., quasi sic dicturus sit: *Id enim ille summum bonum censet*, deinde pronomini *id* apponit et superaddit Graeca ipsius Democriti vocabula et propterea alio verbo utitur. Neque tamen haererem (ut fecerunt Davisius et Ernestius, qui *etenim ille* scribi malebant, prorsus male pronomen *id* tollentes, quo oratio connectitur), nisi meliores codd. (Erl. et Spir. [B]) haberent *ideo enim*, quod ipsum iniuria Gzius et Orellius secuti sunt. Ineptissime enim hoc dicitur: *ideo enim* (ut bono esset animo) *summum bonum εὐθυμίαν appellat*, quasi, cum hoc ei nomen imposuisset, rem continuo habuerit. Sed in illa scriptura haec significari videtur: *Id est enim illi summum bonum; εὐθυμίαν* cet., ut primum de re, tum de nomine dicatur. Democriti sententiam et nominum usum attigimus ad § 23. *Ἀθαμβίαν* praeter Ciceronem commemorat etiam Clemens Alex. Strom. II p. 179 Sylb., *ἀκατάπληξιν* interpretans; Strabo p. 61 C *τὴν ἀθαυμαστίαν*, *ἣν ὑμνεῖ Δημόκριτος*, etiam *τῷ ἀθαμβεῖ* aptam dicit. Hic *ἀθαμβίας* nomen Iacobus Gronovius restituit e Pal. 6 (4 et Ox. χ *athamiam*, cod. I. F. Gron. *athabeam*); confirmant non soli optimi (tres Gzii, „propemodum“ Morel.); cum in aliis scriberetur *achamiam* (Pall. plerisque, Uψ), in aliis (Eξ) vox Graeca omitteretur, substitutum est *ἀκακίαν* (Crat., Vict., Grut.) aut *ἀταραξίαν* (Lamb.).

›ellat, id est, animum terrore liberum. 88. Sed haec etsi ›raeclare, nondum tamen perpolita. Pauca enim, neque ea ›sa enucleate, ab hoc de virtute quidem dicta. Post enim ıec in hac urbe primum a Socrate quaeri coepta, deinde hunc locum delata sunt, nec dubitatum, quin in virtute ınis ut bene, sic etiam beate vivendi spes poneretur. ıae cum Zeno didicisset a nostris, ut in actionibus prae- ;ibi solet, DE EADEM RE [FECIT] ALIO MODO. Hoc tu nunc

1. *sed etsi* (om. *haec*) L *sed et haec si* C 2. *tamen et perpolita* ROr., hic cum nota mendi 3. *ab hoc enucleate* E *quam* (pro *quidem*) E *int* E *dubitant* LCR *in* om. E 8. *de re eadem* LPCROr., hic cum mendi *fecit* sine uncis Or.

88. *etsi praeclare*, *nondum tamen perpolita*) Particulam *et*, : addebatur ante *perpolita*, Gzius ab omnibus suis, excepto acensi, abesse scribit; aberat saltem a melioribus [B]; ılerat eam etiam Lambinus; neque recte hic pro *etiam* retur neque *etiam* apte hic adderetur; (*nondum etiam* con- im aliter dicitur). In ceteris verbis offendit adverbii *prae-* (*dixit* s. *dicta sunt*) et adiectivi *perpolita* (*sunt*) concursus, quam utrumque per se recte dicitur; neque simile exem- novi. Lamb. in curis secundis *praeclara*; Davisius male *ite*; nam hoc quidem adiectivum esse debet. [Non satis loco, in quo comparatio fit nec idem verbum audiri potest, s sunt illi, in quibus cum adverbio coniungitur adiecti- ›ubiecto appositum (*invitus ac necessario*) aut pro obiecto em definiens, ut de imp. Pomp. 47: *timide et pauca dica-* Simile illud ad Att. XVI, 7, 2: *haec*, *etiamsi non pruden- nen ἀνεμέσητα sunt.*] Deinde Erl. et Spir. [B] *ab hoc te*; praestat vulgatus ordo; nam in illo altero admiscetur atio non apta, quasi fortasse alii iam tum illa enuclea- ıod post demum factum est. In verbis *de virtute qui-* ideo enim Gzii errores) particula significat, hanc saltem ıae Pisoni in summo bono praecipua videtur, a Demo- ›n enucleatam esse. *In hunc locum*, id est, in Acade- § 1).

dubitatum) Sic Manutius in editione a. 1560, nescio unde, e alia tentet; sed 'confirmant meliores ([B,] mg. Crat., ; Gzius omnes suos *dubitant* habere falso dicit) et praeter ım etiam Pal. 6; cod. Mor. '*dubium*, ceteri *dubitant* (Pall. Oxx.).

eadem re fecit alio modo) Quid fuerit in actionibus, quae et formulis, quae iudicibus dabantur, *praescribere*, vi-

in illo probas. Scilicet vocabulis rerum mutatis inconstantiae crimen ille effugit, nós effugere non possumus! Ille Metelli vitam negat beatiorem quam Reguli; praeponendam tamen;

1. *si* (pro *scilicet*) E 2. *fugit* L

dimus ad II, 3; haec autem praescriptio, quam a Cicerone etiam ad Fam. XIII, 27, 1 significari, Manutius annotavit (*sed tamen non parcam operae et, ut vos soletis in formulis, sic ego in epistulis de eadem re alio modo*), quantum coniectura assequor, data petitori videtur, ut excluderetur a parte eius, unde peteretur, exceptio rei iudicatae, si quis de eadem re, de qua iam antea, sed ex alia causa ageret. (Qui nondum Gaium norat, Manutius praescriptionem interpretabatur exceptionis rei iudicatae speciem quandam singularem, qua is actor repelleretur, qui eandem rem alio modo quasi aliam persequi conaretur. Quod ne cui posthac etiam placeat, praeterquam quod omnino incertum est, num Ciceronis aetate praescriptionis nomen pro exceptione dictum fuerit, certe *praescribere in actione* aut *in formula* de danda exceptione neque tum neque posthac dictum est; et longe aliter tum comparatio institui debebat in hunc modum: *quod in actionibus ne fiat praescribi* (excipi) *solet, de eadem* cet. Sed Manutius et ceteri tantum, quantum ante Gaium inventum poterant, viderunt; si quis autem intellegere velit, quid sit in summa ignorantia impudenter nugari, is mihi legat, quae Gzius hic de „formulis veterum iurisconsultorum praescribentibus vel prohibentibus“ Davisium refellens narrat.) In verbo *fecit* iure haerent; nam neque ad Zenonem aliter eadem docentem aptum est *facere* neque ad formulam; neque enim petitor *faciebat* alio modo, sed agebat. Itaque Davisio placebat *egit*; verum parum apte id, quod actionibus (universe) simile dicitur, ipsum agendi verbo notatur (*egit, ut in actionibus* cet.); recte Manutius, quem Ernestius et Gzius sequuntur, comparato illo loco ex epist. ad Fam., ubi neque *faciam* neque *agam* ponitur, *fecit* tolli iussit, additum a librariis ad orationem explendam. (Orellius mire scribi vult: *V. F.*, quod sollemniter de magistratu ad senatum referente dicitur, a iure et litigatore remotissimum est.) *De eadem re* (pro *de re eadem*) ex Erl. [et B] sumpsi, ut in epistula illa scribitur. Mox Gud. uterque *imitatis* pro *mutatis*, si recte Gzius ductus (totidem enim sunt) distinxit. [In *scilicet* ex B nihil notatur.]

praeponendam tamen) dicit; vid. ad II, 25. Tum ex ed. pr. (correcto mendo) ad Man., Lambinum, ceteros propagatum erat *reiciendam Reguli*; Gzius omnes suos codices [B] sequens eum

nec magis expetendam, sed magis sumendam et, si optio esset, eligendam Metelli, Reguli reiciendam; ego, quam ille praeponendam et magis eligendam, beatiorem hanc appello, nec ullo minimo momento plus ei vitae tribuo quam Stoici. 89. Quid interest, nisi quod ego res notas notis verbis appello, illi nomina nova quaerunt, quibus idem dicant? Ita, quemadmodum in senatu semper est aliquis, qui interpretem postulet, sic isti nobis cum interprete audiendi sunt. Bonum appello, quidquid secundum naturam est, quod contra, malum; nec ego solus, sed tu etiam, Chrysippe, in foro, domi; in schola desinis. Quid ergo? aliter homines, aliter philosophos loqui putas oportere? Quanti quidque sit, aliter

2. *reiciendi Reguli* C *et* (pro *ego*) E 4. *ullo omnino momento* E *illa appellant* (pro *idem dicant*) E 8. [*cum interpretem* Eh] 9. *quam* *tra* E 11. *definis* (*diffinis*) LPCR 12. *putes* LPCR *quanti quidque* cum uncis Or. (*quicquid* C)

'uxit ordinem verborum. de quo ad I, 57 dixi. Deinde cum . Spir. [B] *nec ullo omnino momento*; sed tantam proprieta- (vid. ad III, 3) tamque aptam gravitatem altera scriptura et, ut hic aut in horum duorum aut omnino in meliorum co- m principe mendum fuisse putem; quam facilis permutatio praecedente praesertim *o*, apparet.

89. *quibus idem dicant*) Adeo apte inanitas et inutilitas .tionis verborum significatur, ut valde mirer, unde in meliore ia (Erl. [et B] et mg. Crat.) sine ulla, quae appareat, er- causa substituta sit putida et inanis appendicula: *quibus* *ppellant* sive *appellent* (sic enim mg. Crat., servata lege gram- a, fortasse contra codicem; sed etiam *illas* factum oportuit). I sub his involucris latere videri possit: *quibus illa* (nota loco) *pellant*, neque recte *illa* pro *vetera* dicitur neque nenti notio in *quibus* apta est.] Interpretis usus, quem Piso :morat, in senatu ad legatos Graecos introductos pertinet. *schola desinis*) Sic e veteribus libris Lambinus, tum Parr. 1 (de quo mihi nihil notatur) et 3; et confirmant timi Gzii, [B]. Non definitionum usum, sed nominum in re eadem Piso reprehendit.

ui putas oportere? Quanti quidque sit, aliter docti et in- *ed cum constiterit*, cet.) Primum *putas*. quod pridem ıs tacite restituerat, Schuetzius et Orellius ex Erl. et] sumpserunt; vid. ad II, 76. Deinde reliqua sic edidi *indocti*) et distinxi, ut pridem Lambinus fecerat, codi-

docti et indocti; sed cum constiterit inter doctos, quanti

1. *doctos et indoctos* LPCBOr.

cem Cuiacianum et Huraltinum sequens; accedit Pal. 6, quem cum optimis conspirantem habuimus § 58 (*scientia tum*), 69, 80 (*hoc idem*), 87 (*ἀθαμβίαν*), 88 (*dubitatum*), et, ne de meliore familia dubites, Erl. [et B]; nam Gzius, sui ad extremum similis, ne hic quidem summa editorum dubitatione admonitus est, ut eum et Spir. inspiceret et commemoraret. Sententia, in his verbis apertissima, sic procedit: Piso cum indignatione interrogat: *Aliter — putas oportere?* negans tale sermonis discidium et eiusmodi nominum praestigias ferendas esse. De ipsarum rerum pretio ait inter doctos (philosophos) et indoctos dissensionem esse, cum philosophi, quid bonum, quid malum sit, et quantum quodque sit bonum malumve, quaerentes populi aestimationem sequi nequeant. Deinde ad nomina Piso orationem reflectens additurus erat: „Sed cum inter philosophos id, in quo ab indoctis dissentiunt, constitutum erit, quantum cuique tribuendum sit, usitate loqui debebunt, ut ea, quibus pretium aliquod tribuant, bona appellent, ut ceteri, non eligenda aut praeposita.“ Sed simul mentio rei ipsius definitae et constitutae aliam cogitationem obiciebat; hanc tenens lusum illum nominum, quem hactenus reprehendit, cum contemptu quodam Stoicis permittit, ut in eo se oblectent, dum res maneant nihilque interesse intellegatur. Haec sententia proximae superiori correctionis loco adiungi poterat, ut oratio sic decurreret: *sed cum constiterit, — sit, usitate loquantur, saltem si homines sunt* (h. e., non prorsus inhumaniter aliorum rationem neglegunt et consvetudinem spernunt); *sed, dum res maneant, verba fingant* cet. Obscuravit nonnihil Cicero sententiae progressionem hoc, quod adiungitur, primario loco pro apodosi ponens, illud autem superius ad orationem caute circumscribendam secundario intericiens, ex quo haec nascitur forma: *sed cum — res quaeque sit, quamquam, si homines essent, usitate loquerentur, tamen, dum res maneant, verba fingant.* Iam in hoc ipso eloquendo usus est Cicero ea orationis Latinae forma, quam uberius alibi declaratam attigi ad I, 15, ut sententiam illam secundariam non, ut nunc feci, particula (*quamquam*) notatam intericeret, sed ex aequo poneret ita: *si homines essent, usitate* (quidem) *loquerentur,* (sed) *dum res maneant, verba fingant arbitratu suo.* Declaravi copiosius veram huius loci rationem, ut breviori mihi in erroribus notandis esse liceret. Nam cum ederetur: *loqui putes (putas) oportere, quanti quidque sit? aliter doctos et indoctos? Sed* cet., qui Latine sciebant, facile sentiebant, pravissimum esse:

res quaeque sit, — si homines essent, usitate loquerentur; – dum res maneant, verba fingant arbitratu suo.

XXX. 90. Sed venio ad inconstantiae crimen, ne saepius licas me aberrare; quam tu ponis in verbis, ego positam ı re putabam. Si satis erit hoc perceptum, in quo adiu- ıres Stoicos optimos habemus, tantam vim esse virtutis, ut nnia, si ex altera parte ponantur, ne appareant quidem,

1 *se* (pro *essent*) E 2. *maneat* E *fingunt* L 3. *ut* (pro *ne*) EC *praeceptum* L 7. *quid* E

ɛr *loqui, quanti quidque sit* (quod enim de rumoribus aut re ȝo tradita dicitur: *homines loquuntur, Antonium Casilini man- m,* aut: *historiae loquuntur, Scipionis comitem Panaetium fuisse,* ;issime hinc distat); qui aliquid ex re intellegebant, vide- . perversissime Pisonem postulare, ut, quanti quidque esset, m modo philosophi et vulgus hominum iudicarent. (Gzium ter ignorantiam et stuporem nihil offendit, et habet, cui pretando satisfaciat, Ottonem.) Itaque inde a Davisio, remedio, haec verba: *quanti quidque sit* tollebant; nec tamen tur cogitasse, quo referretur et cui contrarie responderet *sed cum constiterit, quanti quaeque res sit.* Deinde Davi- :t Ernestius etiam illa: *si homines — loquerentur* damnabant, m verborum rationem, a Gzio, etsi defendebat, non per- m, Schuetzius intellexit et fere recte explicavit. (*Quid-* ro *quidque* codices Davisiani, Oxx., tres recentiores Gzii, ctorii; vid. ad § 24.) [B *si homines si usitate*; semel e sunt, quae bis scribi debebant, litterae *es*; deinde *sent* m.]

ıp. XXX, 90. *ne saepius*) Etiam Spir. *ut* [B *ul*] *saepius*, ɟzio in mentem venit: *ut ne saepius*; et posuit *ut ne* in tali consilii orationis significatione pro Caec. 95, pro . de N. D. I, 17. Mox *optimos* omitti dicitur in Gud. et Bas. (ex aliis, ut ex meis, nihil notatur), et deletum Gzius; Dav. tacite: *Stoicos adiutores optimos*; non offen- ›s idem ordo, si hoc legissent: *adiutorem te optimum* l Latinas aures hoc, quod legimus, eodem modo accidit, us divulsis interventu eiusdem casus propter numeros et n orationis substantivo et adiectivo quam in his: *quibus ·aeditam servitute oppressam tenuit civitatem* (Tusc. in his (pro Cluent. 12): *quo enim est ipsum nomen aman- ·entiusque maternum,* aliisque similibus. Paulo post llis *satis magno aestimanda* videtur aperte significari ἱκανῇ n his rebus a Stoicis tributam vidimus ad III, 51.

cum omnia, quae illi commoda certe dicunt esse et sumenda et eligenda et praeposita (quae ita definiunt, ut satis magno aestimanda sint), haec igitur cum ego tot nominibus a Stoicis appellata, partim novis et commenticiis, ut ista producta et reducta, partim idem significantibus (quid enim interest, expetas an eligas? mihi quidem etiam lautius videtur, quod eligitur et ad quod delectus adhibetur), sed, cum ego ista omnia bona dixero, tantum refert, quam magna dicam; cum expetenda, quam valde. Sin autem nec expetenda ego magis quam tu eligenda, nec illa pluris aestimanda ego, qui bona, quam tu, qui producta appellas, omnia ista necesse est obscurari nec apparere et in virtutis, tamquam in solis, radios incurrere. 91. At enim, qua in vita est aliquid mali, ea beata esse non potest. Ne seges quidem igitur spicis uberibus et crebris, si avenam uspiam videris, nec

6. *quid* E 7. *adhiberet* C 8. *omnia ista bona* L *ista bona omnia* C *tamen refert* L 9. *quam expetenda* LC [*sint autem* Eh] 10. *existimanda* E *ego pluris aestimanda* C 11. *quam qui cum prodiit appellas* E *illa* C 12. *nec* (pro *et*) L *virtutes* ELPC 13. *quia in* C 14 [*quid igitur* Eh]

ista producta et reducta) Posterius abesse debebat; nam de bonorum et commodorum nominibus novis Piso loquitur; sed simul se obtulit malorum nomen non minus commenticium; vid. ad I, 41 et III, 52. Paulo post cod. Mor. [et B] *latius* pro *lautius*; tum ex ed. prima ad Man. et ceteros venit: *cum ego ista bona omnia dixero*, pravo ordine; verum restituit Gzius ex quinque suis; nam Gud. 2 ut L noster. Deinde *cum expetenda* (quod est iam in R) restituit Lambinus „ex liquida antiquorum librorum scriptura“; accedunt Pall. 4, 6, Parr. 1 (P) et 3, omnes Gzii, [B]. (Oxx. EU§ *quam.*) De verbis *tantum refert*, in quibus Ernestius haerebat, dictum est ad § 41. Postremo *in virtutis, tamquam in solis, radios* (quod est iam in R) Manutius, tum e Davisii coniectura Ern. et recentiores; cfr. § 71; *in virtutes incurrere* longe aliud est.

91. *Ne seges quidem igitur spicis uberibus et crebris*) esse potest, hoc est, spicas uberes et crebras habere. Prorsus recte, ut in omni huiusmodi adiunctione, sic in hac conclusione et consequentiae demonstratione verbum e superiore sententia auditur, fitque id saepe cum in *ne — quidem* (N. D. III, 21: *ne in terris quidem urbe nostra*), tum in his particulis coniunctis *ne — quidem igitur*, ut III N. D. 43 et 44 et aliis locis, qui in excursu ad II. 25

mercatura quaestuosa, si in maximis lucris paulum aliquid

1. [*michi tura* Eh] *parum aliquid* omnes, Or. cum nota mendi

positi sunt. Prave Gzius, quod in Bas. et Gud. 1 erat *respicis*, scripsit *est spicis*; pravius Orellius excidisse fortasse putat *laetatur* (!), *laeta est*, non animadvertens, in ablativis illis praedicatum esse, quod respondeat adiectivis *beata* et *quaestuosa*; ıic nullum unum aptum erat; *laeta* enim ad speciem pertinebat. Tusc. V, 86 Cicero in eadem comparatione *arationem fructuosam* ixit. Alia interpretando turbat Beierus ad Off. III, 43. Pro *spiam* apud Gruterum typotheta dedit *ipsam*; id Davisius corgens codd. Ball. et Mead. auctores citat, quasi in ceteris alterum t, Gzius autem Erl. et Spir. et, ut semper aliquid propriae incredibilis pravitatis habeat, mg. Crat., in quo nihil scribir, in contextu autem, ut apud omnes. Paulo ante ex ed. Ven. 96 Man., Lamb., alii *esse beata* contra codd. (etiam Gzii).

parum aliquid damni) [Sic edebatur.] Recte hanc scripam Ernestius et Bremius damnasse videntur, quoniam *parum* ı est, quod hic requiritur, *non multum* (parvum aliquod dam-ı), sed, quod sententia vehementer respuit, *non satis* (quasi ; damni contrahere mercator cupiat). Neque sum nescius, er a pluribus priorem quoque significationem huic voci trim esse, quos Moserus ad Tusc. V, 41 nominat. Verum illi animadvertunt, Quintilianum semel ita esse locutum (III, 1, 5, nisi sequeretur *multum*, non *nimium*, servari ibi propria signio poterat), semel item Plinium Paneg. 20, semel Senecam 16, 7 (nam aliis locis prave abutuntur); addo huius Ep. 2, 6: *qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est.* Ad Ciceı et eius aequales proximosque haec nihil pertinent. Nam e Tusc. V, 41 proferunt: *non qui parum metuit, sed qui metu vacat*, quidquid est bonorum aut tolerabilium codiıabet *parva*, quod recte Klotzius secutus est; nam parvus significatur ex parvis rebus, quae metuantur (corporis indis et externis). Sallustii autem locus, qui in Iug. 85, 31 quantam habeat pravitatem, apparet, quoniam, si Sallusipsisset: *parum id facio*, non solum *parum* esset *non multum*, adiectivo: *non magnum id facio*; quamquam hoc ipsum livit pro eo, quod est: *non magni id facio?* Rectissime ıdicarunt, qui ex *parvi id* ortum *parvid* et ex eo lineolae ıe *parum id* factum putaverunt. Praeterea non solum io vocis *parum* efficit, ut ne alibi quidem usquam *pauid* dicatur, sed obstat natura adverbii, quod cum sub*aliquid* non magis congruit, quam si dicas *satis aliquid* Dicitur. Latine *paulum aliquid* (de Orat. I, 95, [pro

damni contraxerit. An hoc usquequaque, aliter in vita? et non ex maxima parte de tota iudicabis? an dubium est, quin virtus ita maximam partem obtineat in rebus humanis, ut reliquas obruat? Audebo igitur cetera, quae secundum naturam sint, bona appellare nec fraudare suo vetere no-

1. *an vero usquequaque* C 3. *partem* om. L 4. *audeto* L *cetera* om. LPCROr. 5. *sunt* (L)P *sit* C *veteri* omnes, Or.

Quinct. 53, ubi oratio sic interpungenda est: *respirasset cupiditas atque avaritia; paulum aliquid loci rationi — dedisses,*] Quint. I, 1, 8 et XII, 3, 12; *paulum nescio quid* pro Rosc. Am. 115), sive quod *paulum* a substantivi in adiectivi naturam inclinabat, ut in paucis vetustiorum locis, sive coniunctione quadam substantivorum, [quemadmodum Verr. IV, 32 dicitur: *ne quid plus mali*]. Itaque Bremius hic *paulum aliquid* scribi volebat, cui assentior. [Et nunc sic edidi.] Etiam § 75 *parum* pro *paulum* scriptum est in Erl. [nisi ibi aliud subest]. *Parvi aliquid damni* aut *parvuli*, quod aliis in mentem venit, non recte dicitur; nam partitionis et mensurae notio ita in pronomine *aliquid* est, ut id augeri minuive debeat, non substantivum.

An hoc usquequaque, aliter in vita?) An hoc ubique et in omnibus rebus fit (ut res a potiore parte appellentur), aliter in vita fieri debet? In brevi et concitata et aperta interrogatione paulo durius Cicero verbum maxime communis significationis omisit (vid. ad II, 88); *hoc* autem rettulit ad eam affirmationem, quae in superioribus exemplis et interrogationibus involuta latet, quemadmodum in Tusc. V, 115: *Quid ergo? aut Homero delectationem animi ac voluptatem aut cuiquam docto defuisse umquam arbitramur? aut, ni ita se res haberet* (ut delectarentur docti), *Anaxagoras* cet. Recte hunc locum Lambinus enarravit. Ernestius et recentiores, sublato commate post *usquequaque*, sententiam everterunt. Nam *usquequaque* nihil est nisi *omni loco, in omni re*; non quaeritur autem, num in vita ubique et in omnibus rebus aliter statui ac dici debeat, sed, num in vita universa aliter atque de rebus singulis. Paulo post pro *reliquas* (partes) rectius Cicero posuisset, quod Gzio non recta de causa (quod *res* audiebat) in mentem venit, *reliqua*; nam virtus reliqua, quae partem aliquam obtinent, obruit; sed cfr. § 37 (*earum rerum*).

cetera, quae secundum naturam sint) cetera praeter virtutem; nam ea quoque ipsa secundum naturam est (vid. ad § 34); itaque recte hoc vocabulum adiectum est a Crat. et Victorio, quod Erl., Spir. [B], Gud. 2 tuentur, non recte rursus subla-

mine † quam aliquid potius novum exquirere, virtutis autem

1. *quam* sine nota mendi Or. [*aliquam* Eh] *acquirere* E

tum a Davisio et ceteris deteriorum codicum auctoritate; (Dav. tantum tres e suis appellat, sed aberat ab Oxx. omnibus, Bas., Gud. 1, Mon. Gruterus tacet). *Sint* si Cicero scripsit (quod Dav., cum Man., Lamb., Grut. *sunt* posuissent, revocavit e Parr. !. 3 „reliquisque codicibus", et accedunt [B,] Eξχ, Gzii omnes), ʾiso incertum relinqui significat, quaenam eo genere compreendantur; mihi aptius videretur *sunt*. (Pisonem Antiochi sen- ɪntiam significare, haec secundum naturam esse dicentis, cum ɪse malit bona appellare, Gzius narrat, qui ex hoc toto libro ɪ id quidem didicerat, haec secundum naturam dici ab omni- ɪs, etiam a Stoicis, bona a Peripateticis et Antiocho eiusque erprete Pisone.)

nec fraudare — exquirere) Haec verba depravata esse, ɪres intellexerunt, nec tamen vitium penitus viderunt. Com- atio, quam significari putant, aut haec est: *et audebo facere, potius vetere nomine illas res non fraudem quam aliquid novum ɪiram*, aut haec: *et audebo non facere*, *quod Stoici faciunt, potius dicendi sunt res illas suo vetere nomine fraudare quam ɪid novum exquirere*; utraque prava. Nam priorem illam ɪntiam, in qua necessario scribendum esset cum Lam- [et Baitero] *aliquod novum* (nam de nomine tantum tum agitur), cum illud evertit, quod in hac recta declara- consilii et voluntatis Pisonis non dicendum erat et mparatione ponendum *non fraudare*, sed affirmative *relin- vetus nomen* aut simile aliquid, tum maxime verborum et coniunctio; dicendum enim erat: *potiusque non fraudare* in ea, quae nunc est, oratione necessario tantum *frau-* sine negatione) et *exquirere* comparantur. [Et omnino mparatio inepta esset, cum nemo a Pisone postularet, ut ɔvum nomen exquireret.] Relinquitur igitur altera sen- in qua non delectus significatur, utrum Piso faciat, sed ·, eum facturum, quod alii quidam faciant, idque potius hoc llud esse dicitur. Sed in hac quoque comparatione non ı offensionem habet, quod alterum (*aliquid novum exqui-* ɔnum est et seorsum dicitur, alterum (*nec fraudare* cet.) rioribus, quae ad comparationem non pertinent (*appel-* xum est, quoniam inde auditur accusativus verbi *frau-* nninoque perverse cum eo, quod Piso ausurus sit, ɪdo coniungitur, quod Stoici non faciant. Haec igitur ɪtia obscura et prava sunt; in oratione quis non in- *quam potius* [*quam aliquid potius*] pro *potius quam* non

amplitudinem quasi in altera librae lance ponere. 92. Ter-

modo ab usu sermonis, sed ab intima eius natura abhorrere? Ea perversitas inde a Scaligero defenditur duobus locis, altero Vergilii Cop. 5 (*Quid iuvat — abesse quam potius — decubuisse*), quem Barthius (Advers. XXXIII, 20) pridem recte interpungendo expedivit (*Quid iuvat — abesse? Quam potius — decubuisse —!*), altero C. Titii apud Macrob. Saturn. II, 12, ubi scribendum esse: *quid mihi negotii est —? Quin potius potamus — edimus —?*), et tota sententia clamat et apertissimus in verbi modo post *potius quam* soloecismus (*potamus*) ostendit. [Apud Prop. II (III), 18, 10 cod. Gron. *quam primum*, scribendum *cum primum.*] (Gzium omittamus, qui primum, *aliquid* esse *aliud*, docet, tum brevissime ponit, saepissime Graecos dicere *ἢ ἄλλο τι μᾶλλον*, non putans, quod ad rem pertineret, Graecos pro eo, quod est *τοῦτο μᾶλλον ἢ ἄλλο τι*, dicere *τοῦτο ἢ ἄλλο τι μᾶλλον*, sed, ut solet, nesciens, et de quo alii dubitent et quid ipse ebulliat.) Itaque Lambinus, cui Ernestius assentitur [et Baiterus], *potius* ante *quam* posuit, corrigendi genere minime probabili utens. Quod autem praeterea Davisio in mentem venit, posse nos particula *potius* omnino carere, ut comparatio ex sola voce *quam* sentiatur, primum eius orationis formae unum omnino apud Ciceronem exemplum est II de Invent. 5 (*si a multis eligere homines commodissimum quidque quam sese uni alicui certo vellent addicere*), idque (ut sit verum nec scribendum *mallent*) multo facilioris generis; nam in *vellent* facile e decreti significatione eruitur comparationis (ut apud Plautum: *certum est moriri quam hunc pati* cet.); in hac quidem implicatiore oratione post *audebo* ne ii quidem scriptores, qui in illa forma longius progressi sunt, ita locuti essent; deinde prorsus hoc tollitur in ea, quam ostendi unam esse posse, comparatione, quoniam ea non ad verbum *audebo* refertur neque in delectu rei, sed in nomine posita est. Haec consideranti mihi vehementer in suspicionem venit *quam* particula, et Ciceronem sic scripsisse opinor: *audebo — bona appellare nec fraudare suo vetere nomine, r e q u e aliquid potius novum exquirere, virtutis autem* cet. Cum Piso illo usus esset genere loquendi *nec fraudare* cet., in quo detrahendi et minuendi significatio est, breviter cum reprehensione quadam non obscura Stoicorum nihil novi addentium, si a nominibus mutatis discedatur, addit, se potius, si possit, reapse aliquid novum exquisiturum; deinde institutam orationem absolvit (*virtutis* cet.). Illud ita superiori membro obiter (ut post Ciceronem dixerunt) adiungitur (cfr. § 90 *et reducta*), ut verbum *audebo* huic parti non sit aptissimum (*conabor*). [Ad hanc sententiam peraptum esset, quod in Erl.

ram, mihi crede, ea lanx et maria deprimet. Semper enim ex eo, quod maximas partes continet latissimeque funditur, tota res appellatur. Dicimus aliquem hilare vivere; ergo, si semel tristior effectus est, hilara vita amissa est? At hoc in eo M. Crasso, quem semel ait in vita risisse Lucilius, non contigit, ut ea re minus ἀγέλαστος, ut ait idem, vocaretur. Polycratem Samium felicem appellabant. Nihil acciderat ei,

1. *et lanx* E 3. *igitur* (pro *ergo*) LPCR 4. *an hoc* E *an haec* LCR 5. *Lutius* L 6. *contingit* LCR [*agelastus* Eh] [*aut ait* Eh] 7. *appellant* LPC *appellant: quod* R *acciderat* E

:st, *acquirere*, ut significaretur disciplinae reapse amplificatio. Sed B *exquirere* tenet. *Vetere* pro *veteri* cum Baitero posui, bsequens Wesenbergio ad orat. pro Sest. p. 7 diligentissime isputanti.] In proximis verbis imaginem a Critolao sumptam :se, apparet e Tusc. V, 51. *Deprimendi* verbum et hic et ibi inus recte a Cicerone positum esse de ea re, quae potius o pondere alterum elevet, Davisius annotat. Alia enim imaie superiorem et praestantiorem rem eam, quae infra sit, mere dicimus; haec Cicero animo confudit facillimo errore.

92. *ergo, si*) Sic ex Erl., Spir. [B], cod. Mor. Orellius; prio-: *igitur, si.* Pro *tristior* Crat. et Vict. nescio unde *tristis*; 1 Morelius e cod. annotat, sed idem et „q. v. c." in margine ionis Lambinianae repetitae [et B]: *an hoc in eo*, quod ıret in codicibus melioribus fuisse; in deterioribus peius *aec* (Oxx. omnibus; ceteri tacent). Recte propria contrarii nenti particula pro altera, quacum saepissime permutatur, ıpud Ascensium (1511) restituta est. *An hoc — non contigit?* › recte diceretur, qui ex eo, quod hoc contigisset, superius maret. De M. Crasso, quem e Plinii H. N. VII, 79 intelle-M. Crassi, qui in expeditione Parthica periit, avum fuisse, ssi Divitis, qui de Lusitanis triumphavit, patrem, Lucilii ı commemorat Cicero etiam Tusc. III, 31; aliorum scriptestimonia collegit Douza ad Lucilii Fragm. p. 215 ed.

pellabant) Sic Gzius etiam e Spir. [B]. Satis vel ex *t* apparet, id dici, quale de Polycrate ante unum illum ıominum iudicium fuerit, tum quaeri, num id propter tandum et felicis nomen detrahendum fuerit. De Polycrao nota est Herodoti narratio in libro III, 41, a quo et inius XXXVII, 3 et Valerius Max. VI, 9 ext. 5 sumpse-ı *mari abiecerat* Gzius e codicibus suis, Vindob., Oxx. cum inde a Victorio et Manutio editum esset *in mare*;

quod nollet, nisi quod anulum, quo delectabatur, in mari abiecerat. Ergo infelix una molestia, felix rursus, cum is ipse anulus in praecordiis piscis inventus est? Ille vero,

1. *in quo delectabatur* L *in mare* (P) 3. *illi* L

nec ego ad regulam hoc revocare ausim, non quo cum Gzio (quem probare videtur Handius Turs. III p. 295) id a Cicerone significatum putem, Polycratem navi in altum profectum, cum ipse in mari esset, anulum abiecisse; nam et omnis summa narrationis, propter quam hic res attingitur, posita erat in anulo merso, quae, si illa verba ad Polycratem abicientem referimus, adeo obscuratur, ut incertum relinquatur, in navimne aliquo eum abiecerit, neque illa Polycratis in altum proficiscendi diligentia (quae ad Pisonis consilium nihil omnino pertinet) tam breviter significari ullo modo poterat; hoc enim potius intellegeretur: „cum casu in alto esset". Sed fieri potest, ut Cicero et alii in paucis quibusdam verborum coniunctionibus propter rerum genus cogitandi quadam celeritate a motus notione transierint ad mansionem in loco, ut hic, quod non tam ipsa actio anuli proiciendi comprehenderetur animo quam anulus mari mersus et occultatus. Quamquam hoc multo magis apparet apud Tacitum Ann. I, 22: *ubi cadaver abieceris*, et apud Sveton. Ner. 48: *odore abiecti in via cadaveris* (cfr. Galb. 20); nam ibi paene omnino excluditur notio motus cogitaturque tantummodo de corpore contemptim proiecto eique rei locus assignatur. [Cfr. Caesar B. G. V, 10: *naves in litore eiectae*; Pomp. apud Cic. ad Att. VIII, 12 A, 1: *cohortes in oppidis distributae*; Liv. XLII, 27, 1: *quinqueremes in navalibus subductae*, in quibus locis omnibus participium praeteriti temporis passivum est.] Collegit non pauca Handius l. c., e quibus quae mihi minus recte discreta (etiam scriptorum generibus et aetatibus) et iudicata videantur, non persequar; unum olim exemplum in Opusc. Acad. I p. 457 e codicibus duorum locorum erui (*arma in templo Castoris comportabantur*) nec tamen probavi Wesenbergio meo (Observv. in Sestian. p. 23), cui magis in eo assentior, quod nunc apud Ovidium Metam. III, 90 scribi vult: *coniectum in guttura ferrum* (pro *in gutture*; guttura enim unius hominis Ovidius saepe dixit); Curtium quoque IV, 38 (9, 25) scripsisse puto *directa in guttur hasta*, non *in gutture*. [Quam proclivis librariorum error fuerit, in hoc ipso nomine apparet de Legg. II, 57, ubi primum codices habent *in mari proiectus* pro eo, quod prorsus ibi postulatur, *in mare*, deinde autem *in mare mortuus* pro *in mari*.]

Ergo infelix — inventus est?) Interrogationem cum Dav. notavi,

si insipiens (quod certe, quoniam tyrannus), numquam beatus; si sapiens, ne tum quidem miser, cum ab Oroete, praetore Darei, in crucem actus est. „At multis malis affectus.“ Quis negat? sed ea mala virtutis magnitudine obruebantur.

XXXI. 93. An ne hoc quidem Peripateticis concedis, ut dicant, omnium bonorum virorum, id est, sapientium, omnibus virtutibus ornatorum, vitam omnibus partibus plus habere semper boni quam mali? Quis hoc dicit? Stoici scilicet. Minime; sed isti ipsi, qui voluptate et dolore omnia metiuntur,

1. *si* om. L 2. [*tum quid* Eh] *Oronte* ELC *Orunte* R 3. *et multis* E *malis* om. L *affectum* L 5. [*quid* Eh] 6. *virorum bonorum* LPCROr. *sapientum* (P)CR *omnibusque virtutibus* LPCR 8. *Stoicis licet* omnes). *ista* E *mentiuntur* E

uae negandi et adversarios urgvendi vim habet, ut superior illa: 'rgo *si semel* cet. Mox Oroetes, ut apud Val. Max. l. c. et apud raecos Maximum Tyrium et Dionem Chrysostomum, sic in ceronis codicibus (Davisianis, Oxx., Gzianis, [B]) *Orontes* appel- ur; cum tamen praeter Herodotum (III, 120 sqq. saepe) am Athenaeus (XII p. 522 B), Aelianus (Hist. Anim. VII, 11), cianus (ter) illud nomen habeant, non dubito, quin librarios rrorem duxerit notius fluminis Syriae nomen, secutusque sum, omnes inde a Lambino, Victorium (Varr. Lectt. II, 4). Ab s scriptoribus historiam variatam iudicabant Hemsterhusius Luciani Contempl. c. 14 et Wesselingius ad Herodotum. Sed stas in solo nomine est. Pro *Darei* Gud. 2 et Mon. *Dareii*; turbae inde ortae sunt in Oxx. Proxima verba (*sed ea* cet.) Piso ad id accommodat, quod posuerat: *si sapiens*. Cap. XXXI, 93. *omnibus virtutibus*) Sic Gzius etiam e [B]; erat *omnibusque*. Idem e duobus suis optimis *sapien-* oro *sapientum*. [Paulo ante *bonorum virorum* ex Erl. et B.] *Stoici scilicet. Minime; sed*) „Credas, Stoicorum hoc esse ı; verum non est, sed Epicuri.“ Lambini huius loci ationem complures iure probarunt, Gzius secutus est. Nam isonem affirmantem hoc inducimus: *Stoicis licet*, inepte bit, quod proxima voce tollet, sive interrogantem (etsi is forma non permittit, ut hic interrogandi particula non minus prave figuram eam orationis, qua expectatio etur, turbabimus sententiamque habebimus perversissi- Nam licere hoc Stoicis dicere, Piso nullo modo nega- enim magis?), sed non iis solis hoc licere putabat, tiam Peripateticis concedendum esse, ut id dicerent,

nonne clamant, sapienti plus semper adesse, quod velit, quam quod nolit? Cum tantum igitur in virtute ponant ii, qui fatentur se virtutis causa, nisi ea voluptatem † acciret, ne manum quidem versuros fuisse, quid facere nos oportet, qui quamvis minimam praestantiam animi omnibus bonis corporis anteire dicamus, ut ea ne in conspectu quidem relinquantur? Quis est enim, qui hoc cadere in sapientem dicere audeat, ut, si fieri possit, virtutem in perpetuum abiciat, ut dolore omni liberetur? Quis nostrum dixerit (quos non pudet ea, quae Stoici aspera dicunt, mala dicere), melius esse turpiter aliquid facere cum voluptate quam honeste cum dolore? 94.

2. *igitur* om. LP *hii* E *hi* LOr. 3. *se fatentur* CROr. *ne ea* P *voluptate maceret* E *voluptatem maceret* P; sine nota Or. 4. [*quid versuros* Eh] 5. *animi praestantiam* LPCROr. 6. *nec in* C *relinquatur* L 7. *enim est* PCR *haec* (P)LCR 9. *diceret* C [*quis* pro *quos* Eh]

quod etiam Epicurus auderet ponere. Epicuri dictum attigimus ad I, 62. Quod de Peripateticis universe Piso locutus erat, post illud: *quis hoc dicit?* non subiecit, quae expectabantur, Zenonis et Epicuri ipsorum nomina. (Oxx. tantummodo e ξχψ annotant *Stoicis licet.*)

Cum tantum igitur cet.) *Igitur* omittit etiam Gud. uterque, editio Victorii. Tum *fatentur se* dedi e „tribus potioribus" Gzii [B *fatentur si*] et (ut ex LP apparet) fortasse multis aliis. In talibus sequenda codicum fides, ut etiam II, 74 feci. Tum in codice archetypo, littera *m* ex *voluptatem* proximae voci adiuncta, scriptum erat *voluptate maceret*, ut erat in tribus potioribus Gzii, [B], Pal. 6; hinc factum *voluptatem maceret* (Pal. 4, Parr. 1, 3, χ; in ψ erat *voluptatem acciret*, sed supra scriptum *voluptatem maceret*) et alia; in Eξ Monac. corrigendo natum *voluptate marceret*, in Gud. 1 *voluptatem accreet*; Vind. *maneret*; *maderet* non in codice inventum, sed a Grutero prave excogitatum est. Ad litterarum vestigia satis prope accedit vetus coniectura, quam editores secuti sunt; sed *accire* translate nusquam Cicero dixit, ac ne alii quidem, nisi quod apud Velleium et Florum *mortem accire* dicitur non id, quod mortem affert, quae hic significatio requiritur, sed ipse, qui eam sibi consciscit. Itaque aliud a Cicerone verbum positum puto (*afferret*, *pareret*). [*Crearet* Baiterus, quod non puto ita poni.] Paulo post [*praestantiam animi* etiam ex B; tum] *quis est enim* Gzius ex Erl. et Spir., *hoc cadere* Dav. e Par. (quo?), et confirmant duo illi; [utrumque etiam B].

Nobis Heracleotes ille Dionysius flagitiose descivisse videtur a Stoicis propter oculorum dolorem. Quasi vero hoc didicisset a Zenone, non dolere, cum doleret! Illud audierat, nec tamen didicerat, malum illud non esse, quia turpe non esset, et esse ferendum viro. Hic si Peripateticus fuisset,

1. *flagitiose* om. R 2. *quis vero* omnes 3. [*et a Zenone* Eh] 5. *et esset ferendum* omnes, Or. *vero* E

94. *Heracleotes ille Dionysius*) ipsius Zenonis auditor, quem μεταθέμενον Graeci appellant, quod ad Cyrenaicos se et ad voluptatem convertit (Acad. II, 71). Morbi genus idem commemorat Diogenes Laërt. VII, 37 et 166; ipse autem Cicero in Tusculanis II, 60 renum dolorem fuisse dicit. In codice Morelii hic scriptum erat *propter genu dolorem*, depravata, ut)rellius suspicatur, correctione, qua librarius aliquis. Tusculanaum loci memor, Ciceronem secum in concordiam redigere oluerit. (In Tusculanarum loco frustra laborant, qui vitium rationis et conclusionis a Bentleio perspectum defendunt. Nam ›c *satis esset* pro *satis erat* ferri potest et perspicuum est, si iid umquam, hanc assumptionem: *Plurimos autem — nec ferre ssum* referri ad condicionale conclusionis initium, prorsus tem inepte addi et haec et extrema: *malum est* cet., si res sententia iam ante absoluta sit. In corrigendo mendo Bentıs aberravit. Sic enim Cicero scripsit: *Quia, si, cum tanoperae philosophiae dedissem, dolorem tamen ferre non possem, esset argumenti, malum esse dolorem. Plurimos autem* cet. clusio argumenti prorsus ad syllogismi formam composita ›it a *si*, sed tota pro responso Cleanthis interrogationi sub- ıtur particula *quia*.) Pro *quasi vero* codices *quis vero*, ut pro *quasi* scribi *quaeso* et *quis*. Correxit Lambinus, cui ı de duobus codicibus manuscriptis, quos *quasi* habere ait, ı credo, nisi correcti ipsi fuerunt. Secutus est Ernestius ·entiores.

ıalum illud non esse — et esse ferendum viro*) Manutii emenəm cum Lallemando et Ernestio secutus sum. Nam in ›us propter proximum *non esset* scriptum est *et esset.* non solum summam inanitatem haec oratio habet: *non est dolor*, *quia ferendus est viro*, sed etiam manifeərversitatem; nam quod malum non est, id ferendum ıue tamen, quod ferendum est viro, ideo continuo malum ə apparet; et depravatur proprietas Stoicae ratiocinax eo solo, quod turpitudo abesset, etiam mali notiololore removentis.

permansisset, credo, in sententia, qui dolorem malum dicunt esse, de asperitate autem eius fortiter ferenda praecipiunt eadem, quae Stoici. Et quidem Arcesilas tuus, etsi fuit in disserendo pertinacior, tamen noster fuit; erat enim Polemonis; is cum arderet podagrae doloribus visitassetque hominem Charmides Epicureus perfamiliaris et tristis exiret, Mane, quaeso, inquit, Charmide noster; nihil illinc huc pervenit. Ostendit pedes et pectus. Ac tamen hic mallet non dolere.

1. *quoniam* (pro *qui*) LPCROr. *dicunt malum* LPCROr. 6. *Carneades* LPCR *Corniades* Or. cum mendi nota *Epicurus* E *Epicuri* LPCROr. *et* om. C 7. *Carnide* E *Carneade* LPCR *Corniade* Or. 8. *at tamen* PCR

qui dolorem malum dicunt esse) Notabilem synesis, quam grammatici vocant, formam ex Erl. et Spir. [B] totam restitui; nam cum ederetur *quoniam*, tamen in verbo *dicunt* Peripatetici intellegebantur e vocabulo *Peripateticus*. Nihilo durior haec relativi adiunctio est quam illa, quae ad § 16 et ad II, 61 commemoravi, aut quod apud Livium XXII, 57, 3 legitur: *L. Cantilius, scriba pontificis, quos nunc minores pontifices appellant.* [De Graecis Porsonus et Schaeferus ad Eurip. Orest. 910.] In edita scriptura necessario post *quoniam* addi debuerat *hi*; nam pronomine notandus erat transitus ad totius scholae notionem, quod nunc fit. [*Malum dicunt* ex Erl. et B restitutum.]

Charmides Epicureus perfamiliaris) [*Epicurus* pro *Epicureus* scribi in Erl., nunc demum intellexi, accedente B, ut I, 25 in iisdem *Epicuri* pro *Epicurei*. Ex *Epicurus* corrigendo factum in deterioribus *Epicuri*. Non igitur *Epicuri familiarem* (quae notatio hominis Arcesilam visentis parum apta est, perinepta autem *perfamiliaris*), sed hominem ipsi Arcesilae, quamquam ex alia schola erat, perfamiliarem tenemus. Is quo nomine fuerit, e solis codicibus sciri potest, quorum meliores (Erl. et B) *Charmidem* appellant; pro eo substitutum in deterioribus notius Latinis librariis et Ciceronianis *Carneadis* nomen. Non posse intellegi nobilem illum Arcesilae doctrinae instauratorem centum annis minorem, nihil opus erat demonstrari. Sed nulla prorsus causa erat, cur ex Plutarcho (*Non posse svav.* cet. 4 p. 1089 C) arcesseretur a Davisio incertissimum ac vix Graecum *Corniadis* nomen. Qui nuper eandem rem apud Plutarchum de Corniade narrari scripsit, vellem Plutarchum inspexisset.]

Ac tamen) Et tamen, quamquam ita patienter dolorem tulit, mallet, si optio daretur, non dolere. [Si quis *maluisset* dici debuisse putat, conferantur, quae de Livii XXXVIII, 49, 13

XXXII. 95. Haec igitur est nostra ratio, quae tibi videtur inconstans, cum propter virtutis caelestem quandam et divinam tantamque praestantiam, ut, ubi virtus sit resque magnae et summe laudabiles virtute gestae, ibi esse miseria et aerumna non possit, tamen labor possit, possit molestia,

1. *est* om. C 2. *virtutes* E 4. *et* om. ELPC *sumendae* (pro *summe*) LPCR *laudabilesque* LPCR 5. *labor possit et molestia* LPCR

ego in Emendd. Liv. p. 447 et Weissenbornius annotavimus. Add. Ovid. Met. I, 438, II, 182, III, 188, 247, al.] *Ac tamen* etiam Spir. [B], restituitque Gzius, de quo dictum est ad II, 85.

Cap. XXXII, 95. *resque magnae et summe laudabiles*) Sic Gzius e Spir., modo satis certum sit, in eo fuisse *et*, quod Erl. [B] omittit. Cratander, cum ederet idem, quod in R est, in margine pro *sumendae* annotavit *summe laudabiles*, utrum *et* in eodem esset codice, in quo hoc, necne, incertum relinquens. Tenendam particulam putavi, quod res virtute gestae communiter dici videntur (ut § 66), tum hoc augeri duobus adiectivis coniunctis: *magnae et summe laudabiles*. Res sumendas, hoc est, commodas et eligendas (§ 90 et alibi) nihil huc pertinere, iam Manutius viderat et *summeque laud.* scribi voluerat.

tamen labor possit, possit molestia) Hoc quoque ex Erl. et Spir. [B] receptum est a Gzio. Paulo tamen aliter hic vicem particulae duo nomina coniungentis et eidem verbo subicientis (*labor possit et molestia*) sustinet verbi geminatio, atque ubi contrariae ponuntur in eodem verbo negatio et affirmatio, ut supra II, 68: *est aliquid, quod nobis non liceat, liceat illis*, et pro Sulla 3: *quamobrem abs te Q. Hortensii factum non reprehendatur, reprehendatur meum.* Huic, quod prae manibus est, similius illud videri possit, quod in Tusc. II, 44 legitur (sed in brevi oratione indicativa): *possunt oculi* (dolere), *potest caput, latera, pulmones, possunt omnia.* Verum ibi hac ipsa forma diligenter distingvuntur plures res separatae et seiunctae, quod in laborem et molestiam non videtur cadere. Accedit in hoc loco, quod in huiusmodi exceptione et superioris sententiae circumscriptione adiungenda raro, si umquam, *tamen* pro *et tamen* ponitur (*ut ibi miseria esse non possit, tamen labor possit*); in illa, quam dixi, negationis et affirmationis contraria coniunctione addi *tamen* sic potest: *ut ibi miseria esse non possit, possit tamen molestia.* Locum illum in Tusc. II, 60, in quo *tamen* pro *et tamen* positum nonnulli putarunt, paulo ante (ad § 94)

non dubitem dicere, omnes sapientes semper esse beatos, sed tamen fieri posse, ut sit alius alio beatior. Atqui iste locus est, Piso, tibi etiam atque etiam confirmandus, inquam; quem si tenueris, non modo meum Ciceronem, sed etiam me ipsum abducas licebit. 96. Tum Quintus: Mihi quidem, inquit, satis hoc confirmatum videtur, laetorque eam philosophiam, cuius antea supellectilem pluris aestimabam quam possessiones reliquarum (ita mihi dives videbatur, ut ab ea petere possem, quidquid in studiis nostris concupissem), hanc igitur laetor etiam acutiorem repertam quam ceteras,

1. *beatos esse* LPCROr. 5. *mihi quit* E 6. *laetor quidem philosophiam* omnes, Or. 7. [*quid* pro *quam* Eh] 8. *possessionem* L *reliquorum* omnes, Or.

aliis indiciis coargui; illud quoque certissimum est, cum significem, id, quod ex aliqua re expectari debuerit, non esse consecutum, Latine non posse orationem sic continuari: *cum philosophiae studuerim, tamen dolorem ferre non possim, malum est dolor.* (In hac oratione: *Philosophiae studui; tamen dolorem ferre non possum* sententiae distrahi possunt; sed tamen Latini malunt coniungere.) In hoc, de quo agimus, loco dubitandi causa est, mutandi evidens necessitas non est. [*Esse beatos* ex Erl. et B restitutum.]

96. *laetorque eam philosophiam*) Peripateticam. Certam Davisii emendationem, quam Ernestius probarat, secutus sum. Codicum scriptura tria habebat vitia, primum quod copula omissa erat in hac sententia superiori, cui adhaeret et ex qua oritur, annectenda, alterum, quod *quidem* particula hic ineptissima erat, tertium, quod, cum una aliqua philosophia a ceteris separaretur, tamen pronomen aberat; qui enim ita dicit: *laetor philosophiam, cuius* cet., is de universa philosophia loquitur. Sed aliud mendum non minus apertum Davisius reliquerat; nam cum Quintus philosophias, non philosophos comparet, necessario post illud: *eam philosophiam, cuius* (nec aliter intellegebant, qui *eam* non habebant) dicendum erat: *quam possessiones reliquarum*, non, ut edebatur, *reliquorum*; et, ne quis dicat, orationem transire a philosophiis ad philosophos, quorum eae sint, sequitur: *etiam acutiorem repertam quam ceteras.* Non dubitavi igitur mendum corrigere, quod Wesenbergius quoque correxit. [Idem voluisse videtur Th. Bentleius.] Reprehensam in Peripateticis dialecticae ignorationem et desideratum acumen ad III, 41 vidimus. De divitiis autem et copiis huius scholae ad omnia studia ornanda Piso dixit § 7, M. Cicero IV § 6 sqq.

quod quidam ei deesse dicebant. Non quam nostram quidem, inquit Pomponius iocans; sed mehercule pergrata mihi *fuit* oratio tua. Quae enim dici Latine posse non arbitrabar, ea dicta sunt a te, nec † minus plane, quam dicuntur a Graecis, verbis aptis. Sed tempus est, si videtur; et recta quidem ad me. Quod cum ille dixisset et satis disputatum videretur, in oppidum ad Pomponium perreximus omnes.

1. *quidem* L *numquam* (pro *non quam*) LPCR 2. *Pomponius inquit* R 3. *fuit* om. omnes, Or. 4. *nec minus* sine nota Or. 5. *verbis* transp. post *plane* E 6. *a me* EL [Subscriptio in Eb haec est: *Expliciunt quinque libri de finibus bonorum et malorum Marci tulij Ciceronis.*]

Non quam nostram quidem) Epicuream saltem (*quidem*) :cumine a Peripatetica vinci Atticus negat, accusativum coninuans Quinti orationi; vid. ad II, 88. Veram scripturam, uam Manutius tacite restituit, confirmat etiam Spir. [B]. Coces Davisii et ceteri Gzii *numquam*, ut editiones ante Manuım; Oxx. nihil annotare miror. Bas. et Gud. uterque omittebant *idem.* Tum *Pomponius inquit* etiam Gud. 1, et secutus est ius; vid. ad II, 11. Post *mihi* excidisse arbitror *fuit*, quod :sse in hac oratione, illo praesertim tempore, non potest. ınbinus *fuit mihi.*) [Nunc cum Baitero addidi.]

dicta sunt a te, *nec minus* cet.) Id est (si vera est scriptura) *icta non minus* cet. Huic laudi planae et perspicuae orais, quae facit, ut res intellegantur (II, 10 et 15, III, 19), tur, verba ipsa non absona fuisse nec quae aures offende-Sed et mire illis primum per se nude positis: *dicta a te* per *nec* adiungitur laus, et dure sine copula adicitur *erbis aptis.* Itaque malis scriptum: *a te nec — a Graecis*, *bis aptis.* Sed dubitationem augent codd. Erl. et Spir. in quibus *verbis* transponitur ante *quam*, quod quamquam actum esse, non prorsus negari potest, tamen qui libra-*plane* ad *verbis* nulla vocum similitudine deceptus aberradeinde ordine reliqua perscripserit, non facile intellegitur; tamen, quomodo quave de causa illud *verbis aptis* a addi potuerit, si a Cicerone scriptum non esset, quod putabat; et relinquitur offensio in *nec.* Ad sententiam ionis formam non absurda Schuetzii coniectura est, em scripsisse *dicta sunt a te verbis aptis nec minus* cet., originem parum aperit. Scrupulum discedenti lectori, m.

EXCURSUS.

I. DE TURBATIS ET DISSOLUTIS ORATIONIS CONNEXAE, MAXIME BIPERTITAE, MEMBRIS.

AD LIB. I C. 7, 23.

)icam de re magna ex parte pervagata, sed dicendi causam ıbeo, primum ut ea corrigam, quae nuper de hac ipsa re ın recte disputata sunt ab eiusmodi viro, qui multos auctoate sua tracturus esse videatur, deinde ut ea, quae particulaı ab aliis animadversa et commemorata sunt, coniungendo clariore luce ponam et hinc progressus quaedam minus nota uedum tractata adiungam.

Quae in lingva nondum per plura saecula prosae orationis ris exculta facile dabatur venia libertatis cotidiani et faaris sermonis in dialogis praesertim imitandae, quaque in m scribendi forma Plato interdum utitur, in libris de legisi eius sunt, abutitur, eam multae sunt causae cur Cicero s libris, quos de philosophia scripsit, ita sibi concessam it, ut interdum modum excedere videatur. Nam ut omnino oc genere disserendi et docendi saepe, sententiis iam s et oratione adumbrata, multa occurrunt, quae ad res ndas et diligentius comprehendendas pertineant, ita multo orationis cursum retardari et institutum mutari necesse quis non suas sententias explicet, sed alienas et alio ıe ante expositas, suo nondum tractatas, breviter comet ex universis disciplinis decerptas particulatim per- conetur. Nam et patrii sermonis impedimenta, res entias non facile subsequentis, vincenda sunt saepeverbis dicendum et excusatione utendum et de ipsis liquid interdum aliunde admonitionis et explicationis terponendum est. Si autem etiam illud accesserit, ut festinans curam retractandae orationis semel fusae et

commodioris formae varie tentandae quaerendaeque molestiam detrectet, quamvis sit scribendi in alio genere artifex, tamen fieri non poterit, ut neglegentia non appareat. Cicero autem quam celeriter haec scripserit, in praefatione dixi; in singulis locis quam non elaboraverit, ut mutando, quae scripsisset, sententiam et orationem expoliret et levigaret, saepius in notis commemoravi, velut ad V, 22 p. 641 et ad V, 54 p. 701. Verum haec efficiunt, ut in hoc genere librorum hae orationis quasi aberrationes plures et duriores sint; libertatem illam aliquid ita ponendi, ut orationis conformatio et progressio non ad severam normam exigeretur, etiam in illis Cicero usurpavit, quae maiore cum cura et otio docendi causa scripsit; unum et alterum huiusmodi, sed et facile apertumque et lene, in orationibus non reformidavit. Sed universi huius generis eam speciem tractabimus, quae natura sermonis facillime oritur, ipsa plures complectens. Latissime enim ea patet ratio, ut, cum uno tempore aut duae aut plures aequales sententiae partes conceptae sint, primum sic dicamus, ut in primo membro orationis appareat, alterum sequi debere et eadem forma adiungi ad plenam sententiam efficiendam, deinde autem, nos quidem fere in loquendo tantum, veteres autem maximeque Cicero etiam in scribendo, sic in illo primo membro explicando implicemur et subsistamus, ut, cum ad alterum perveniatur, iam obscurata sit ad animi sensum illa partitio et connexio. Itaque alterum, quod connexum efferri debebat, ponitur solutum tamquam a novo initio, ad superius autem referri, alio quodam orationis indicio significatur. Atque huius generis prima et facillima forma in connexione copulativa, quae fit particula *et* geminata, accidit. Itaque nihil his annis, postquam Augustus Matthiaeus de anacoluthis scripsit, per commentarios Ciceronianos magis decantatum est, quam Ciceronem saepe sic incipere, tamquam *et* — *et* dicturus sit, deinde, cum prius membrum longius factum sit, pro altero *et* alia uti novae sententiae annectendae forma. Nominum turba abstineo; adiungendus tamen Matthiaeo est Beierus ad orat. pro Scauro p. 144.[1]) Atque in uno et altero loco fortasse homines imperiti hoc genere explicandi prave usi sunt; sed nuper Ferd. Handius, cum de *et* pro *etiam* posito ageret in Tursell. vol. II p. 499 sqq.[2]), totum id sublatum voluit (p. 508 sqq.). Nam

---

[1]) Attigi ipse et alteram quoque speciem (ubi *nec* — *nec* dissolvitur) declaravi in commentat. de Asconio p. 79 not.

[2]) De universa illa disputatione hoc unum dicam, cum multa recte exposita sint meliusque tractata quam ab iis, qui corradunt, quidquid occurrit, tamen praeter id, de quo hic expono, in multis locis male

in iis, quae excitarentur, exemplis esse *nam et*, nec intellegi, cur Cicero post *nam* totiens a cursu orationis aberrasset; esse autem propriam quandam harum particularum coniunctarum significationem, in qua *et* intendendi vim haberet; esse igitur Germanorum *nemlich*, *denn eben*, *denn auch*. Deinde locos ad hanc sententiam accommodat, vel dicam, ascribit. Primum ipsa illa vis et significatio in eos locos non cadit, in quibus nihil insoliti et novi, nihil singulare adiungitur cum tali aliqua sententia, non posse aliter fieri nec mirandum esse, quemadmodum dicitur *denn auch*, sed simpliciter causa iudicii declaratur. Itaque Handius in plerisque locis nihil dixit nisi *nam et* esse καὶ γάρ, quod non magis aptum est; in quibus aliquid dixit, lapsus est, ut I de Divinat. 63: *Itaque* (animus) *appropinquante morte multo est divinior. Nam et id ipsum vident, qui sunt morbo gravi et mortifero affecti, instare mortem.* Vertit enim ita: *denn dies eben fühlen diejenigen, welche tödtlich krank sind, dass der Tod nicht fern sei.* Primum hoc, si significatur, significatur in voce *ipsum*; deinde quid hoc est: *dies eben?* quasi hoc expectetur et hic sensus praeter ceteros divinus sit. Est hoc unum argumentum divinationis morientium, quod mortem instare vident; alterum sequitur: *Divinare autem morientes illo etiam exemplo confirmat Posidonius.* (Itaque iniuria Orellius *et* post *nam* uncis notavit.) In aliis autem locis multo magis apparebit, quam sit illa interpretatio perversa, velut in I de Orat. 214: *Nam et civitatum regendarum oratori gubernacula sententia sua tradidit* cet., ubi sive dixeris: *denn eben die Staatsverwaltung*, sive: *denn er hat ja auch dem Redner die Staatsverwaltung übergeben*. ineptum erit; sin ita quis reddiderit: *auch die Staatsverwaltung* cet., *et* plane pro *etiam* positum ... Et putat Handius, si Cicero, quod Matthiaeus dixit, sic ... *civitatem* cet. posuisset, tamquam additurus esset *et philosophiam*. postea autem aberrasset, litura eum usurum fuisse et *et* deleturum. Verum id Cicero nec poterat nec volebat. ... enim hi loci (quo secundo argumento Handius convincitur) comparati sunt, ut ad ea, quae ante dicta sint, confirmanda ... etur non solum primum illud, quod post *nam et* se..., sed duo aut plura membra. ut prorsus necessaria sit ... particulam causae indicem significatio alterius membri ... i. Velut in hoc ipso, de quo dicebam, loco, Crassum ... facultatem immensis sui ingenii finibus describere, non

---

...tum esse anacoluthiam inesse, nec scriptores satis discreti sunt ...atis coniuncta, quae vera sunt, et, ut fit, mendosis aliquot locis ...est.

ex eo per se efficitur, quod ei civitatem regendam det, sed ex eo, quod oratorem eundem et rei publicae praeesse et philosophum esse iubeat; itaque haec coniunctio statim significanda est. Eademque ratio perspicua est in orat. de imper. Cn. Pomp. 17, de quo loco Handius Beneckio persvasit. Nam cum Cicero bellum Mithridaticum ad multorum civium bona pertinere dixisset, subiungit: *Nam et publicani* cet., quod ineptissimum erit, si ita verteris: *denn es haben ja auch die Generalpächter* cet. aut (ut plane pro *etiam* sit): *denn auch die Generalpächter* (quasi alii nominati sint); sin *et* plane non expresseris, non satis magnum hoc erit, quod dicetur; unum enim hoc est genus; *multi* illi conficiuntur, si adiuncti fuerint, qui sequuntur: *deinde ex ceteris ordinibus homines gnavi atque industrii.* Tum minime tantum post particulam *nam* hoc *et* reperiri, mox ostendam; et tamen ratio facile reddi potest, cur saepius post *nam.* In causa enim ponenda aut in eo, quod dictum est, exemplis confirmando (ut Topic. 93) statim significanda est series complurium, in quibus coniunctis, ut dixi, vis argumenti inest; deinde in singulis explicandis tam diu moratur oratio, ut interrumpatur. Quae est enim alia causa, cur tam saepe in argumentando post *primum* non subiciatur aperte *deinde* (de quo ipse scripsit Handius ad Wopkensii Lectiones Tull. p. 73)? Atque hoc postremo dicendum est, Handium oblitum esse, quid in similibus orationis formis fieret. Quod enim in *et* — *et* fieri non vult, in *aut* — *aut* fieri, ipse docuerat Tursell. I p. 546. Oblitus est etiam prorsus similis neglegentiae Graecorum, cuius exempla Matthiaeus in Grammatica Graeca p. 1528 ed. 3 posuit. Nos autem multas alias species adiungemus, nec solum *neque* — *neque*, sed etiam *nam neque* — *neque* ita dissolutum, ut remaneat *nam neque.*

I. Revertimur igitur ad superiorum praecepta et hoc primum facimus genus dissolutae orationis bipertitae, ubi *et* sic posito, ut neque augendi neque adiungendi, sed eius, quod secuturum sit, significandi vim habeat, tamen non subiciatur alterum *et.* Sed in iis locis hanc figuram esse putabimus, ubi et ex sententia aperta erit causa bipertitae copulationis significandae et, alterum membrum quod sit et quomodo aliam formam subierit, demonstrari poterit, ubi denique satis causae esse intellegetur, cur instituta ratio non servata sit. Huiusmodi et hi loci sunt et alii:

A (sine *nam*). Tusc. III, 5: *At et morbi perniciosiores pluresque sunt animi* cet. Non sequitur *et*, aperte tamen postulatur; praecessit enim interrogatio diiunctiva: *utrum quod minus noceant animi aegrotationes quam corporis, an quod corpora curari possint, animorum medicina nulla sit?* Utrumque Cicero removere incipit:

At et cet., sed, priore absoluto, cum sequi deberet: *et*, *cum animus medicinam corporis invenerit, sibi quoque mederi posse consentaneum est*, pro eo substituit hoc: *Qui vero probari potest* cet.? De Orat. II, 98: *quod et in vobis animadverti recte potest*; huic respondet illud: *Neque vero vester aequalis Curio* cet. De Divinat. I, 114 postquam Q. Cicero dixit, concedi a quibusdam, ut saltem duo sint genera divinationis, vaticinationes et somnia, sic orditur: *Ergo et ii, quorum animi* cet., multa deinde addit de iis, quorum commota mens vaticinetur, tum § 115 priorem partem absolvit et ad alteram, quae in somniis posita est, transit: *Atque haec quidem vatum ratio est, nec dissimilis sane somniorum.* Ibd. 126 postquam de fati notione dictum est, pergit Quintus: *Ita fit, ut et observatione notari possit, quae res quamque causam plerumque consequatur* cet. Plane in hoc loco calumniatur Handius p. 518; quid enim observatione notetur, apertum est; sed ineptum est *etiam*, cum nihil adiciatur: contra recte duplex genus divinationis e fato ducitur, alterum observationis et artis, alterum naturale, furoris et somniorum; itaque (quod ipse exposueram in Seebodii tabulario . 1829 n. 34) particulae *et* recte Giesius vidit respondere haec: *isdemque causas veri simile est rerum futurarum cerni ab iis, qui aut per furorem eas aut in quiete videant.* Non minus aperta lumnia Handius utitur in huius operis de finibus libr. I, 40, quo (eadem pag.) sic loquitur, tamquam nos dicamus, grammatice copulari particulam *et* eaque, quae pro altero *et* subtuantur, ac non, haec aliam habere orationis formam, ipsi reamus. Itaque sane ea est sententia, quae requiritur, in homine, qualis descriptus sit, omnia esse, quae ad beatam am pertineant. et firmitatem animi, nec mortem nec dolorem entis, et mentem nullo deorum horrore perculsam et meiam voluptatum praeteritarum. Ne ulla relinquatur dubi-), ut hic pro altero *et* subicitur: *Ad ea cum accedit*, sic III rat. 65 et 66 pro altero *vel* substituitur: *Accedit, quod* cet. (IV). itt. Oratt. 50 cum dixisset Cicero: *Saepe etiam quaestionibus endum est*, causas ita adiungit, ut non uno modo eas inri dicat: *quod et dolorem fugientes multi in tormentis emenersaepe sint morique maluerint falsum fatendo quam infitiando ; multi etiam suam vitam neglexerint* cet. — *alii autem* cet. son. 83 (*Notata a nobis sunt et prima illa scelera in adventu* ineptum est *et*, si pro *etiam* accipitur; dixit enim Cicero, t ceteris senatoribus non ignotas esse Pisonis imperii ad eas non aliquid addit, sed ipsas sic enumerare inciet adventus scelera et posteriora se comprehensurum it; sed in primis illis nonnihil digressus, sic ad enumem redit § 84: *Idemque tu Rabocentum* cet. Tum cetera

de Denseletis, de fano Iovis Urii seorsum adiungit. [Obscurius involvitur alterum membrum Acad. II, 99, ubi his: *Itaque et sensibus probanda multa sunt* quod respondet, inest in his: *Sic, quidquid acciderit* cet., adiunctum iis, quae intervenerunt. Cfr. Tusc. III, 63 (*Itaque et Aeschines —. Ex hoc evenit, ut* cet.) et ibd. III, 28 (ubi Bakius *et* male tollebat, Baiterus non bene defendit; alterum latet in illis: *Itaque apud Euripidem*) et Legg. I, 44.] Ne solum Ciceronem testem habeam, addam, apud Quintilianum. qui orationem diligentissime conformare solet, hanc tamen figuram in lib. XII, 10, 12 et 13 iam a Buttmanno animadversam esse. Eundem etiam negativam copulationem (*neque — neque*) dissolvisse videbimus; reliquis, quae plus habent licentiae, abstinuit. Poteram alia testimonia ipsi Handio extorquere. [Livius quoque sic scripsit XXXII, 5, 4, XXXIII, 39, 4.]

B (praecedente *nam*). De Divinat. I, 111 universe Quintus Cicero eos commemorat, qui scientia et doctrina futura praevideant: *Horum sunt auguria non divini impetus, sed rationis humanae.* Addit exempla: *nam et natura futura praesentiunt, ut aquarum eluviones et deflagrationem futuram aliquando caeli atque terrarum.* Unum hoc est physicorum genus; res plura postulat promittitque particula *et*, cui haec respondent: *Alii autem in re publica exercitati, ut de Atheniensi Solone accepimus, orientem tyrannidem multo ante prospiciunt.* De eo loco, qui legitur de Offic. II, 33, mire Handius disputat p. 509, in cuius enarratione nihil agit *et* dicitque Cicero seorsum, quod minime vult, prudentiae per se soli fidem haberi. In nostra ratione, postquam dictum est, duabus rebus effici, ut fides habeatur, expositurus Cicero, quid utraque conferat, sic incipit: *Nam et iis fidem habemus* cet., deinde alia forma orationis (*Iustis autem et fidis hominibus* cet.) de iis utitur, qui alteram virtutem habeant. Topic. 93: *Atque in deliberationibus etiam et laudationibus iidem existunt status.* Quomodo hoc fiat, de singulis statibus ostenditur: *Nam et negantur saepe ea futura, quae ab aliquo in sententia dicta sunt fore, si aut omnino fieri non possunt aut sine summa difficultate non possunt; in qua argumentatione status coniecturalis existit.* Unus hic est status nec sufficit ei, quod dixerat: *iidem status*; sed ceteros et illud promittit; itaque sequitur: *At cum aliquid de utilitate, honestate, aequitate disseritur, — incurrunt status aut iuris aut nominis.* [Non recte nuper editum est: *aut cum.*] Iam facile persvadebitur intellegentibus, de Legg. II, 63, cum Cicero universe *sapientissimos legum scriptores* appellasset et exemplis uteretur, sic positum esse: *Nam et Athenis*, ut ei, multis interpositis de Atheniensium legibus, respondeat hoc § 67: *Haec igitur Athenienses tui; sed videamus Platonem* cet. Non dicam pluribus de II Orat. 48; tres

alios locos supra declaravi; de huius operis II, 13 et 14 in annotatione dictum est, nec confirmationem nunc desiderari puto. [De Tusc. V, 94—97 admonuit Wesenbergius; Orat. 192, ubi his: *Nam et qui paeana praetereunt* respondent illa demum in § 194: *Ephorus vero ne spondeum quidem* cet., iam Matthiaeus citavit. Quintil. II. 15. 7—9.] Quamquam Handio, vereor, ut persvadeam, qui etiam in iis locis, ubi assit utrumque *et*, sententiarum apertissime connexarum copulationem perturbet sui illius *nam et* causa, ut (Turs. II p. 532) in Brut. 81. Addam igitur, non solum *nam et* sic poni, sed etiam *enim et.* Nam de Divin. I, 40 Quintus, cum fabulas poëtarum nominasset, sic exorditur, tamquam plura exempla positurus sit: *Narrat enim et apud Ennium Vestalis illa* cet., deinde, multis Ennii versibus interpositis et aliquot suis verbis, addit: *Sit sane etiam illud commenticium, quo Priamus est conturbatus.* Neglegentius hoc fit, quod sic partitio subicitur verbo *narrat*, tamquam hoc utriusque membri commune sit; neque plura huiusmodi exempla repperi. Sed quoniam Handius proprietatem aliquam particularum *nam et* esse voluit, hoc quoque adiciam, proprium aliquem harum particularum usum esse. hinc longe remotum et ab Handio omissum. apud scriptores paulo inferiores aetate, qui tum eas ponunt, cum id, quod a diversa parte pro argumento ponitur, verum esse concedunt, sed negant quidquam eo probari, cum etiam in aliis rebus simile aliquid fiat, ubi illa argumentatio non valeat, aut aliquid adiunctum sit, quod eam evertat. Itaque eandem vim habent hae particulae, quam apud Ciceronem in similibus locis *et quidem* (vid. ad lib. I, 35), *et* autem plane pro *etiam* ponitur. Rem exposui olim in Emendatt. Tull. p. 95 citavique Quintil. II, 11, 7, II, 12, 2, II, 20, 10. Eodem modo locutus est Tacitus Ann. XIV, 44, ubi sententiam I. Fr. Gronovius intellexit, exemplo usus est non apto. *Καὶ γάρ* sic posuerunt Plato Phileb. p. 12 E et Xenophon Memorab. III, 4, 2, IV, 4, 14 et 21. Eum, quem Handius esse vult, usum non sane confirmat Livii locus, quem apertissimum putat, VI, 19, 4; ibi enim illud *denn eben*, *denn auch* ineptissimum est; requiritur: *nam hi quoque* (non solum magistratus senatorii); itaque Livius aut scripsit: *nam et ei* (ut Strothius voluit) aut *et* prorsus non posuit (*nam*, *quia* cet., quod Perizonio in mentem venit). Potest sic intellegi *nam et* in epist. ad Attic. II, 19, 3: *Nam et eiusmodi sunt ii versus, ut in tempus ab inimico Pompeii scripti esse videantur* („nec mirum est; *denn die Verse sind auch der Art, dass* cet.“). Solet tamen Cicero dicere: *Et sunt* (omnino) *eiusmodi versus* cet. Nam in iisdem epistulis VII, 1, 6 coniunguntur *et* — *nec tamen.*

Sed ut eo redeam, unde sum digressus, ea, quam commemoravi, orationis forma e codicibus optimis restituenda est

Ciceroni II N. D. 6, ubi scripsit: *Idque evenit non temere nec casu, sed quod et praesentes saepe di vim suam declarant*, ut cet. Significat Lucilius, se praeter praesentiam deorum aliam causam prolaturum esse; itaque huic respondet illud § 7: *Praedictiones vero et praesensiones rerum futurarum* cet. (Post *quod* hanc formam vidimus etiam Partitt. Oratt. 50. [1]) Atque hactenus ostendi, quales loci recte ad hanc orationis figuram revocarentur; dixi iam initio, in aliis locis secus id fieri. Itaque iure reprehenduntur, qui huc trahunt I de Off. 142, ubi neque sequitur quidquam, quod ad *et* referatur, et particula ipsa refertur ad ea, quae ante dicta sunt de rebus suo loco collocandis, ut plane pro *etiam* ponatur. Ne de Orat. I quidem 113 ulla erat ratio, cur Cicero brevem et aptam compositionem dissolveret; et quod multi codices dicuntur pro *et* (*si quis*) habere *sed*, valde dubito, verumne sit; saltem neque Erf. habet neque Oxx. Male etiam ita defenditur II de Orat. 319, ubi adest *et* — *et*, sed posteriori perverse praeponitur *ita*. Omisi hic, quia iam ad V, 64 tractata res est, unam huius dissolutionis speciem, cum pro *et* — *et* in duabus sententiis, cetera oratione servata, substituitur *et* — *que*, ut id, quod ex aequo copulari debebat, alteri adiungatur. Ab hac forma seiungendum est, quod in I de Div. 126 accidisse vidimus, ut id, quod superiori *et* respondere deberet, induceretur illud quidem per particulam *que*, sed alio relatam.

II. Proxima species est, cum dissolvitur copulatio negativa, quae fieri debet *neque* geminato. Eam formam habet is locus, qui nobis haec complectendi occasionem dedit, lib. I, 23 et 24 et alter in libro II, 71. Ostendit Cicero, qui voluptate omnia dirigant, virtutem tueri non posse; persequitur igitur virtutes primarias: *Nam nec vir bonus ac iustus haberi debet, qui, ne malum habeat, abstineat se ab iniuria.* Sequi debebat: *nec fortis*, et de ceteris virtutibus simili modo; sed digressus est ad primum illud uberius declarandum; itaque § 72 subicit: *Quae dici eadem de ceteris virtutibus possunt*, ut hoc per relativum adiungatur eis, quae de iustitia dicta erant. Eadem est ratio Tuscul. IV, 59: *Earum igitur perturbationum, quas exposui, variae sunt curationes. Nam neque omnis aegritudo una ratione sedatur.* Prima haec est varietas, quam dum Cicero exemplis confirmat, significatam partitionem deserit: *Alia est enim lugenti, alia miseranti aut invidenti adhibenda medicina.* Deinde redit: *Est*

[1]) Ciceronianis exemplis unum addam scriptoris horridi et orationis diligenter struendae et ad amussim conformandae incuriosi, Varronis, apud quem de R. R. II, 1, 24 his verbis: *Nam et qui parat pecus, necesse est constituat numerum* paulo post haec respondent: *Praeterea scire oportet* cet.

etiam in omnibus quattuor perturbationibus illa distinctio cet. Sed in affirmativam formam hoc transtulit, ut cum coniunctim dicimus: *neque — et* (pro quo cum substituatur *neque — que*, ut pro partitione adiunctio sit, iam dissolutionem eam esse, dixi ad V, 64; cfr. I extr.). [Apertissimus est etiam locus in or. II de leg. agr. 36, ubi postquam Cicero ita dixit: *Duae sunt huius obscuritatis causae, una pudoris —, altera sceleris*, sic pergit: *Nam neque ea — audet appellare* cet., deinde aliquammultis interpositis sic (§ 37) ad alteram causam transit: *Verum haec fortasse propter pudorem in lege reticentur; sed illud magis* cet.] Restitui hanc orationis figuram e codicibus in Lael. 73: *Non enim neque tu possis, quamvis excellas, omnes tuos ad honores amplissimos perducere; ut Scipio P. Rupilium potuit consulem efficere, fratrem eius L. non potuit*; debebat sequi: *neque eos honores illi sustinere*; sed, interposito illo exemplo, orationem sic Cicero convertit: *quod si etiam possis quidvis deferre ad alterum, videndum est tamen, quid ille possit sustinere.* Singulare in hoc loco est, quod praecedit *non*, quam negationem deinde divisurus erat nota figura: *non enim neque tu — neque illi.* Itaque nunc *neque* abundare videtur, sed Cicero assecutus est id, quod nos assequimur dicentes: *Denn auf der einen Seite wird man nicht* cet. [Lael. — 59: *Harum trium sententiarum nulli prorsus assentior. Nec enim prima vera est. — Altera sententia est* cet. — *Tertius vero ille s deterrimus.*] Apud Quintilianum XII, 6, 2 adest utrumque *nec*, cum utrumque sententiae membrum pendere deberet ab *ut neque — neque*), alterum abiunctum et per se positum est: *rursus differendum est tirocinium in senectutem* (cfr. infra IX). it hoc Walchius (in F. A. Wolfii Analectis I p. 251). Dure itus dixit Hist. II, 82 in brevi oratione, sed et suo more t ratio reddi possit: *Donativum militi neque Mucianus prima me, nisi modice, ostenderat; ne Vespasianus quidem plus civili obtulit quam alii in pace.* Nam rectum erat *neque Vespas.* sed oratio non intendebatur; itaque dissolvit Tacitus et - *quidem* posuit. Perverse quidam tuentur malorum codiscripturam *nec* aut *neque — quidem*, quae cum nusquam sit (vid. exc. III), tum in partitionem et copulationem in- (*neque — neque — quidem*) ne colorem quidem recipit. s idem Tacitus ibd. IV, 34: *Vocula nec adventum hostium vit, eoque simul egressus victusque; dein victoriae parum . tritis frustra diebus, castra in hostem movit* cet., hoc est: *i non — exploravit —, deinde* cet. Nam haec duo repretur. Idem scriptor, audax in acuta brevitate figurarum r. in copulatione ex affirmatione et negatione mixta pro *eque* dixit *et — ne — quidem.* Annal. [I, 4 et] XI, 6: *et bonarum artium principem sordidis ministeriis foedari;*

ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quaestuum spectetur. Absurdum sit *etiam*; aptissime statim significatur, non unum esse incommodum. [Non recte Nipperdeius, loci e libro primo positi immemor. Quomodo Handius IV p. 108 et 109. ne libero orationis motui aliquid concederet neve obtrectare desineret, locos ad hanc speciem pertinentes interpretando perverterit. persequi omitto; nemo enim nunc decipietur.]

III. Tertia figura oritur in diiunctione et particula *aut* geminata. Huius connexionis sic dissolutae, ut alterum membrum aliam formam subeat, exempla habet, ut dixi, post alios Handius in Tursell. I p. 546 (Brut. 53, Orat. 229, huius operis IV, 77, ubi Cicero, cum post *quasi* diiunctive orationem partiri instituisset, pro altero *aut*, quasi superius tantum *quasi* posuisset, subiecit *et quasi*). Sed locus corruptus pro Cluent. 127 huc non pertinet, ubi nulla potest cogitari diiunctio condicionis adversariis propositae, nec sententia a *nam* incipiens, quae, si illa figura esset, priori membro adhaereret et orationem interrumperet, ipsa alterum membrum continere posset. Addendus est potius locus ex I de Off. 9, quem codices optimi recte sic scriptum habent: *Triplex igitur est — consilii capiendi deliberatio. Nam aut honestumne factu sit an turpe dubitant id, quod in deliberationem cadit, in quo considerando saepe animi in contrarias partes distrahuntur. Tum autem aut anquirunt aut consultant* cet. *Tertium dubitandi genus est* cet. Vulgo omittitur *aut* post *nam* (cfr. I B *nam et*); itaque vitiose, cum triplex commemorata sit dubitatio, una videtur proponi; debebat saltem dici: *Nam primum* cet. [Paene adducor, ad eandem formam dure scripsisse Ciceronem de Fato 5: *Quid autem magnum, aut naufragum illum* cet., ut huic respondeat: *ne hercule Icadii quidem* cet.] In idem genus incidit poëta, sed eiusmodi poëta, cuius omnis fere oratio in argumentando et rationibus explicandis consumatur, Lucretius VI, 714 sqq. Quaerens enim de Nili incrementis aestivis sic orditur: *Is rigat Aegyptum medium per saepe calorem, Aut quia sunt aestate aquilones ostia contra*; tum, postquam de horum aquilonum effectu plura dixit, cum non posset interruptam orationem sic continuare: *aut quia* cet., alteram coniecturam alio modo inducit (724): *Est quoque, uti possit* cet. [Livius II, 24, 5 pro *nec aut — aut* dixit *nec aut — neque.*]

IV. Proxima est diiunctio, quae fit duplici particula *vel*. Eam Ernestius dissolutam esse vidit in III de Orat. 65 et 66: *Sed utrumque est in his, quod ab hoc, quem instruimus, oratore valde abhorreat, vel quod omnes, qui sapientes non sint, servos, latrones, hostes, insanos esse dicunt, neque tamen quemquam esse sapientem.* Tum Crassus, quam absurdum hoc sit in oratore, ostendit: deinde ad alterum e duobus, quae abhorrere ab oratore dixerat,

venit: *Accedit, quod orationis etiam genus habent fortasse subtile et certe acutum, sed, ut in oratore, exile, inusitatum* cet. [Incredibiliter ineptit Ellendtius.] Simillimum locum in alia specie supra posui (I A, de Fin. I, 40). Aliud exemplum harum particularum dissolutarum non habeo; nam II de Orat. 284 *vel (Appii)* potest esse *velut* in exemplo proferendo, ut nullam significationem habeat ceterorum exemplorum. [Lucretius tamen V. 383 sic dixit: *vel cum sol et vapor omnis Omnibus epotis humoribus exsuperarint*, ut significaret alterum modum, quo posset certamen finiri (*vel cum hic humor omnia vicerit*), de quo alia forma exponit v. 411 sqq.]

V. Idem, quod in *aut* — *aut* et *vel* — *vel*, Ciceronem saltem semel in *sive* — *sive* sibi permisisse, cum dilemma poneret, in Tuscul. I, 97 et 98, ut pro altero *sive* aliam formam orationis a *sin* incipientem substitueret, et fortasse etiam in Acad. I, 7, exposui in annotatione ad I, 20. [Liv. XXXVII, 5, 2. Cic. ad Att. VII, 3, 2 prave huc trahitur.]

VI. Superiora in particulis erant. Similem rationem habent *alius* et *alter*, cum in partiendo geminantur, acciditque in s idem. Non dico nunc pervagatissimam illam commutatio-m, cum pro vocabulo repetito aliud simile substituitur, ser-ta orationis forma (*alii* — *quidam*), sed eam, cum nullum um eiusmodi vocabulum sequitur et oratio in aliam formam ıvertitur, ut in huius de finibus operis libro primo § 66: *bus igitur modis video esse a nostris de amicitia disputatum.* cet. Sequitur de iis, qui primo modo disputassent, longa ositio; tum alterum genus § 69 describitur: *Sunt autem am Epicurei* cet., tertium autem § 70: *Sunt autem, qui dicant* Quod Otto eiusmodi anacoluthon non neglegentiae, sed imputat, agnosco superstitionem. Ars nulla est in ora-ita mutanda, ut, qui primam partitionis significationem ıns lector animadverterit, postea cum molestia decipiatur; ri oratio vitarique, si tamen vitanda erat, eiusdem formae tio poterat sine istis ambagibus. Contentus igitur Cicero noscentium aequitate, quam initio ei deberi ostendimus; n alibi iustius reperiet. Similis huic est locus in bre-erborum complexu II N. D. 122 et 123: *Atque etiam alio-animalium) ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris fa-tingant; quae autem altiora sunt, ut anseres, ut cygni, ut ut cameli, adiuvantur proceritate collorum; manus etiam data o* cet. Nam *aliorum* non ad superiora refertur, in quibus huic contrarium, sed nova partitio in modo cibi capiendi itur.

voce *alter* geminata ea saepe accidit figura, ut, cum in e prius *alter* appositione superioribus annexum sit vi-

deaturque iterum eodem modo positum iri, posterius diiungatur et novam sententiam ducat, quod fit etiam in *unus* — *alter*, ut I de Orat. 123: *causas inveniebam duas, unam, quod* cet. — *Altera est haec* cet. (Cfr. Matthiaeus in Wolfii Analectis III p. 23.) Magis eminet dissolutio de Fin. III. 72: *Ad easque virtutes dialecticam etiam adiungunt et physicam easque ambas virtutum nomine appellant, alteram, quod* cet. Pluribus deinde de dialectica interpositis sequitur § 73: *Physicae quoque* cet. Est hoc pro altero: *alteram, quod.* Eodem modo V, 68 cum Cicero posuisset: *duo genera* — *unum, quod est in iis* cet., sequi debebat: *alterum, quod est extrinsecus.* Sed dissoluta et commutata oratione sic dixit: *haec autem, quae sunt extrinsecus* —, *sunt illa quidem* cet., ut cum generis notatione alia coniungeret. Plura exempla, duo etiam Liviana (XXVIII, 6, 2 et XLV, 31, 10 et 11) ascripsit Henrichsenius ad II de Orat. 116. [Dure hac forma utitur scriptor alioquin simplicissimae orationis, Svetonius Tib. 52.] Ne illud quidem ab hac forma seiungendum est, quod huius operis de Fin. libro IV, 14 et 15 legitur: *His verbis tria significari dicunt, unum eiusmodi* — ; *alterum significari idem, ut si* cet. Nam si finita oratione posueris: *tria significantur, unum* — *alterum significatur*, hoc dissolutum et seorsum dictum sentias.

VII. Quod in *alter* et *unus* fit, idem in aliis, quae simili modo aequaliter appositione superioribus subiungenda erant, accidit saepe, ut eorum alterum seorsum ponatur, velut, quod pervagatissimum est, in causa reddenda, praecedente *primum quia*, sequitur non *deinde quia*, sed *deinde.* (Commemoravi hanc speciem in Emendatt. Tull. p. 149 ad Acad. II. 36, citavique de Orat. I, 186; addo Verr. IV, 132 et de Fin. IV, 11.) Apud Graecos hac ratione saepissime a participio et genetivo illo, quem absolutum vocant, transiri ad liberae sententiae formam etiam in partitione voculis μέν et δέ notata, multi exposuerunt, quos citant Matthiaeus in Grammaticae Graecae edit. 3 p. 1528, § 632, 4 et Schaeferus in notis ad Plutarchi vitas vol. IV p. 323. [Vid. Synt. mea Graeca § 216 n. 1.] Huius generis [in quo est etiam ea species, quam attigi ad II, 54: *primum cui*] aliam formam longiusque progressam habet, quod in enumeratione et partitione adiecta legitur de Fin. IV, 18: *amplitudines quaedam bonorum excitabantur, partim profectae a contemplatione rerum occultarum* cet. — *quodque hoc solum animal natum est pudoris ac verecundiae particeps* cet. —, *temperantia, modestia, iustitia* — *absoluta est.* Durior, sed tamen eiusdem plane generis illa enumerationis adiectae dissolutio et interruptio in orat. pro Mur. 38: *Num tibi haec* (quae dicam) *parva videntur adiumenta et subsidia consulatus? Voluntas militum? quae* cet. Alterum enim sequitur aliquanto post alia forma, ubi ipse etiam orator se ad enumerationem redire significat:

Sed si haec leviora ducis, quae sunt gravissima, et hanc urbanam suffragationem militari anteponis, noli ludorum huius elegantiam et scaenae magnificentiam valde contemnere. Nam quod vulgo sic hunc locum interpungunt, ut alterum membrum enumerationis sit in verbis: *Suffragatio militaris?*, ea vero perspicua ipsa est *voluntas militum*, ut sic oratio distingvenda sit cum Steinmetzio: *tum vero in consule declarando multum etiam apud universum populum Romanum auctoritatis habet suffragatio militaris; imperatores enim comitiis consularibus* cet. Sic demum recte ponitur *enim*. Quod hic in interrogativa enumeratione durum videtur, idem in libro V de Fin. 21 vix legentem advertit. Nam in huiusmodi oratione: *haec in praesentia nota esse debebunt, voluptatem semovendam esse, quando ad maiora quaedam nati sumus*, si propius aspexeris, pronominis pluralis numerus ratione carere videtur et de una re dicendum fuisse: *hoc — debebit.* Sed coepit Piso dicere de omnibus sententiis, quas deinceps breviter removet, quasi omnem earum enumerationem eadem forma his verbis: *haec nota esse debebunt* subiecturus esset; deinde, omissa oratione pendenti et infinita, alterum sic adiunxit: *De vacuitate doloris eadem fere dici solent* cet. Huius autem loci summam similitudinem habet, quod Cicero in Philippica V, 17 sic dixit plurali numero: *An illa non gravissimis ignominiis sunt notanda, quod* cet., ut saepius *quod* subiecturus videretur pronomini *illa*, plures res enumerans. deinde autem in prima parte digressus est. (Cfr. Opusc. mea Acad. I p. 360 not.) [Topic. 28: *Definitiones aliae sunt partitionum, aliae divisionum; partitionum, cum —; divisionum autem definitio — complectitur.*] Non solum huic speciei, sed toti huic generi quodam modo contrarium et tamen inaequalitate membrorum partitionis ponendorum simile est, quod II de Divin. 26 accidit, ubi Cicero, cum prius membrum laxius adiunxisset, alterum artiore appositionis vinclo astrinxit: *Duo enim genera divinandi esse dicebas, unum artificiosum, alterum naturale; artificiosum constare partim ex coniectura, partim ex observatione diuturna; naturale, quod animus arriperet aut exciperet extrinsecus ex divinitate.* Hoc posterius sic posuit, tamquam praecederet: *artificiosum, quod constaret* cet. Occurrit, opinor, scribenti, minus perspicuum fore: *naturale animum arripere*; mutavit igitur hoc, superius reliquit.

VIII. Venio gradatim progrediens ad durissimam et tamen certissimam dissolutionem membrorum, quae eidem praepositioni subici debebant, in Acad. I, 40: *De sensibus ipsis* (Zeno) *quaedam dixit nova; quos iunctos esse censuit e quadam quasi impulsione oblata extrinsecus, quam ille φαντασίαν, nos visum appellemus licet; et teneamus hoc verbum quidem; erit enim utendum in reliquo sermone saepius; sed ad haec, quae visa*

sunt et quasi accepta sensibus, *assensionem adiungit animorum* cet. Debebat dicere: *iunctos ex impulsione oblata extrinsecus et ex assensione animorum*; sed interposita de impulsionis illius nomine admonitio orationem ita interruperat, ut eodem modo pergere non posset. Prave editores scripturam mutant; pravissime Orellius sensus vult intellegi ὄργανα, non sentiendi actus (αἰσθήσεις), qui soli significantur; nam de actione sentiendi Zeno nova dixerat, non de instrumentis. Plenus sensus efficiebatur e φαντασίᾳ et προσκαταθέσει. [In rara et dura forma ascribam plane simile exemplum Thucydidis VI, 32, 3: ἀπό τε ἄλλων — καὶ Ἑρμοκράτης παρελθὼν ἔλεγε —.]

IX. Extrema sit totius generis forma ac species, in qua, cum duae pluresve sententiae, quod eandem et aequalem rationem habent, ad eandem particulam *ut* referri debeant, tamen tantum prima pendet, altera aut ceterae nonnihil interdum immutatae per se ponuntur. Huiusmodi locos ex aliis Ciceronis scriptis collegerunt post Bremium ad huius operis libr. I c. 7, 24 Gernhardus in excursu de anacoluthis Ciceronis post libros de Offic. p. 446 et Henrichsenius ad II de Orat. 4 (Off. I, 8 et 64. Tuscul. III, 63, de Orat. l. c. et II, 293). In hoc opere haec forma reperitur I. 45, ubi cum universe de cupiditatibus dictum esset: *quarum ea ratio est*, *ut*, huic *ut* tantum ea subiunguntur, quae ad primum genus pertinent (*necessariae nec opera multa nec impensa expleantur*), deinde libere pergit oratio: *ne naturales quidem multa desiderant* cet. Alterum locum II, 16 in nota declaravi. Postremo IV, 4 cum Cicero sic orsus esset: *qui cum viderent*, *ita nos esse natos*, *ut et communiter ad eas virtutes apti essemus* cet., deberetque huic *et communiter* alterum respondere aptum ex illo *ita esse natos*, *ut*, hoc alterum, cum parenthesis intervenisset, ab hac sententia seiunctum, repetito verbo *viderent*, ad particulam *cum* rettulit: *easque ipsas virtutes* (cum) *viderent nos magnificentius appetere et ardentius* cet. Itaque hic locus, in quo Cicero propioris structurae festinatione quadam oblitus in superiorem (*qui cum viderent*) memoria non recte incurrit, in eam etiam figuram particulae *et* pendentis (ante *communiter*) incidit, quam initio (I) commemoravimus. Quod autem *et* particulae quodam modo respondet *que* neque tamen cum *et* coniungitur, eiusdem est formae, quam in I de Divin. 126 supra annotavi (I extr.). [Quod in his locis fit in coniunctione *ut*, idem fit in *ne* apud Tacitum Ann. III, 18, in *cum* apud ipsum Ciceronem pro Mil. 54: *cum alter veheretur* cet. — *Videte nunc illum* cet. Alias species apud Tacitum persequi (ut Ann. XIII, 26: *inter sententiae diversos*, *quibusdam* — *frementibus* cet., tum post longum intervallum: *Disserebatur contra* cet.) longum est.]

II. DEMONSTRATUR, *DISSIDIUM* NON ESSE LATINAM VOCEM, SEMPERQUE SCRIBENDUM *DISCIDIUM.*[1])

AD LIB. I C. 13, 44.

Traditur nunc ab omnibus receptumque est in lexica, quod Obr. Gifanius in collectaneis ad Lucretium v. *discidium et* I. F. Gronovius ad Livium XXV, 18, 5 docuerunt, post eos autem alii, velut Drakenborchius ad Livii illum locum, nuper etiam R. Klotzius ad Lael. 35, duo esse Latina vocabula *discidium* et *dissidium*, quorum illud a *discindendi* verbo ductum, quod de graviore vi externa ponatur, corporum et quasi corporum separationem significet et omnino diiunctionem, velut hominum matrimonio coniunctorum, hoc, a *dissidendo*, animorum quendam dissensum. Huius tamen paucissima exempla, e Ciceronis scriptis omnia sumpta, ab iis, qui accurate disputant, proferuntur. Verum qui ipsos locos diligenter consideraverit, is primum reperiet, prorsus eandem horum locorum rationem esse atque illorum multo plurium, in quibus probatur certum *discidii* vocabulum, ut hoc optimi et antiquissimi codices habeant, deteriores et recentiores alteram formam (*dissidium*), in quam facillime librarii litteram geminando incidebant; deinde videbit, similitudinem aliorum locorum et eorum verborum, quibuscum hoc coniungatur, naturam postulare, ut hic quoque *discidium* scribatur. Postremo illud etiam in mentem veniet, *discidium* a *discindendo*, ut *excidium* ab *excindendo*, ductum esse, *dissidium* abhorrere a *sessione* et *consessu* et *obsidione*, id autem, cui simile videatur esse, *obsidium* non poni aut ab aliis optimae aetatis scriptoribus, qui sui temporis sermonem servent, aut a Cicerone, cuius auctoritate *dissidium* tueri conantur, sed, cum post vetustos poëtas et annalium scriptores (ut C. Laelium) dictum esset a veterum verborum amatore Sallustio, reductum esse, ut alia Sallustiana, a Tacito ad speciem gravitatis orationi ex antiquitate verborum conciliandam. [Occurrit tamen *praesidium.*] Itaque cum haec animo comprehenderit, facile concedet, librariorum errore totum illud vocabulum ortum esse.

[1]) Haec disputatio magna ex parte Wesenbergii est, qui cum ante me in hanc sententiam adductus esset, quae ad eam confirmandam collegerat, mecum communicavit.

Sed singula ordine persequamur uberius et confirmemus. Primum, quod dixi de codicum dissensu in iis locis, ubi omnium iudicio certam sedem habet *discidium*, id est, separatio, id huiusmodi est. Apud Ciceronem in Philipp. II, 45 (*desiderium tui discidii*) rectum e codice Vaticano restitutum est; veteres editiones e vulgaribus libris habebant *dissidii*. Ad Atticum etiam XV, 29, 2 (*constitutum enim esse discidium*, id est, divortium) editiones veteres habebant *dissidium* similiterque XI, 23, 3. Atque in iis quidem fere ubique sic scriptum est, etiam pro Cluentio 190, pro Caelio 31; pro Ligario 5 (cum aliquot codicibus recentioribus, ut duobus Oxoniensibus); ad Att. IV, 1. 1 (*acerbissime discidium nostrum tulisse*, id est, separationem, cum alter ab altero divelleretur) etiam in codice Mediceo (nec antiquissimus est) prava scriptura erat; rectam margo eius codicis praebet et Ox. Q. Raro nulla annotatur discrepantia nec fere nisi in iis libris, ubi de codicum scriptura parum constat, ut Acad. I, 43, de Orat. III, 61. Eadem ratio reperietur, si quis apud Tacitum scripturam codicum Florentinorum (alterius sex librorum, alterius ceterorum) cum veteribus editionibus comparaverit in his locis: Ann. II, 86, XII, 40. XIV, 1 et 60; tantum XII, 2 Flor. ipse *dissidio* habere traditur. Apud Nonium etiam (p. 6 Merc.) in Lucretii versu (II, 120) editiones ante Mercerium *dissidiis* habebant. *Discidium* Lucretius saepissime dicit de dissolutione atomorum coniunctarum, quibus locis veteres editiones *dissidium* habent. Apud Terentium quoque (Andr. IV, 2, 14, Hec. III, 5, 26) Faërnus se *discidium* e codicibus pro altero restituisse testatur. Deinde numquam hoc vocabulum, quod putatur esse *dissidium*, in talibus locis positum reperitur, ubi de sententiis rebusve discrepantibus *dissidere* ponitur; ut saepe apud Ciceronem philosophi inter se aut ab aliquo dissidere dicuntur, voluntas a scripto, scriptum a sententia, temeritas a sapientia; nemo umquam Stoicorum et Peripateticorum *dissidia* rerumve non concordantium nominata legit; (*discidium factum*, id est, discessio dicitur Acad. I, 43). Ibi locum habet haec vox, quam ceteri *dissidium*, nos *discidium* scribimus, ubi de amicitiarum et voluntatum, quae homines coniungunt, distractione agitur. Itaque nuper Klotzius in duobus ex iis locis, qui proferri solebant, Lael. 35 et 78, quod animadvertebat, non de certarum rerum dissensione Ciceronem loqui (quam dissidium appellari putabat), sed de dissoluto usu ac familiaritate, cessit codicibus optimis, ut ederetur *discidia*. Idemque Klotzius recte in oratione pro Sulla 60 restituit: *hoc discidio ac dissensione facta*, ubi inde ab Ernestio editum erat *dissidio*. (*Facta* accommodatum est ad *discidio*; nam discidium, id est, discessio *fit*; Acad. I, 43: *qua*

de causa discidium factum sit; dissensio *oritur*; itaque vel propter hanc causam in Lael. 78 apparebat scribendum esse: *ne qua amicorum discidia fiant.*) Verum eadem ratio non minus aperte ad reliquos locos pertinet, in quibus is *dissidium* retinet, ut dissensio intellegatur, et in quibus ab aliis retentum est aut receptum. Nam in iis omnibus alia requiritur gravioris vocabuli vis, quod aut inter singulos usus et familiaris convictus interitum aut plurium in partes et factiones discessionem aut populorum sublato commercio et iuris mutui communione diremptionem significet. Plerumque enim cum odii nomine illa vox ita coniungitur, ut etiam ei superaddatur, quod in hanc separationem et diremptionem odium animorum erumpit. Itaque qui pro Caelio 31 recte probarunt: *odium cum crudelissimo discidio*, iidem sane (1) eo loco, unde haec disputatio orta est (de Finn. I, 44), probare debuerunt, quod et boni codices et deteriores (nostri omnes) habent: *odia*, *discidia*, *discordiae*, *seditiones*, *bella nascuntur*, multoque magis (2) in oratione pro Balbo 30, quod Orellius edidit: *gentem dissidentem a populo Romano odio quodam atque discidio.* Atque ita scribitur in codice Parisino, Erfurtensi, Bernensibus (vid. Orellii praef. edit. oratt. select. Turici 1836 p. XIV). id est, in omnibus, qui fidem merentur; *dissidio*, si esset aliquid, incredibilem haberet tautologiam (*dissidentem* — *dissidio*). Verum his locis constitutis, dubium non est, quin (3) in Lael. 23 ex optimis codicibus [etiam, qui nuper collati sunt,] scribi debeat: *odiis et discidiis*; [1]) cum illo autem huius de finibus operis loco ipsa earundem vocum series coniunget (4) I N. D. 42: *odia praeterea*, *discidia*, *discordias*; et confirmant codices optimi (A B C apud Moserum, tum D, I, Oxx. EO). In oratione II de leg. agrar. 14 (5) Klotzius recte restituit, quod et codex Erf. et alii habent et inde a Grutero edebatur: *Non enim natura neque discidio neque odio penitus insito bellum nescio quod habet susceptum consulatus cum tribunatu.* Non natura diremptos et dissociatos magistratus Cicero dicit; Orellius e veteribus editionibus *dissidio* posuerat. (6) Pro Ligario 19 *hostili odio* contrarium est *civile discidium*, id est, civium separatio et in partes diiunctio; scripturam praestant codices Coloniensis et Erfurtensis, omnium optimi, Ox. ψ, tum „veteres libri" Lambini. De haruspicum responsis 45 (7) edebatur: *post dissidium optimatium*, nec discrepantia ulla ab Orellio notatur; sed *discidium* (in partes discessum), ut Klotzius edidit, tuentur codex [Par.,] Erf., Oxx. tres, editio Naugerii, id est, auctoritates omnes. Postremo (8) ad Attic. I, 17, 7

[1]) Ipse cum Laelium edebam, nondum haec tenebam.

codex Mediceus eodem errore, quo IV, 1, 1, scriptum habet *dissensione ac dissidio vestro*; sed *discidio* (ex dissensione orto) hic quoque eius codicis corrector scripsit, ediderunt que e suis codicibus Lambinus et Bosius. Extra Ciceronem tres omnino novi locos, in quibus defensores habuerit *dissidium*, postquam quidem disputari de hac re coeptum sit; duos Propertii, alterum I, 11, 28: *Multis ista dabant litora dissidium*, ubi codex Neapolitanus habet *discidium* (id est: multos illa separabant amantes et quasi divortium faciebant), alterum II (III Lachm.), 24, 32, ubi recte Lachmannus e cod. Neap. et aliis edidit: *Discidium vobis proximus annus erit*, hoc est, vestram coniunctionem tollet; *dissensio* ridiculam haberet sententiam. Tertius Plauti est in Mil. Glor. III, I, 59: *neque per vinum umquam ex me exoritur dissidium in convivio*, ubi quod recte Aldus edidit, Pareus in utroque codice Palatino esse testatur, *discidium*; Lindemannus ne commemorat quidem. Significatur, numquam perturbari nec divelli communionem hilaritatis.

Satis confirmatum esse opinor, nullum esse Latinum vocabulum *dissidium*, id autem, quod est, *discidium*, ita late patere, ut non solum ad eorum separationem, qui in diversa loca distrahantur, pertineat, sed ad omnes, quorum coniunctio, etiam animorum vinclo astricta, prorsus tollatur et in inimicitias convertatur.

III. DE *NEC* PRO *NE — QUIDEM* POSITO ET DE *NEC — QUIDEM.*[1])

AD LIB. II C. 8, 25.

Particulas *ne — quidem* praeter eum usum, qui pervagatissimus est, hunc etiam habere aut notum est aut esse debebat, ut, quemadmodum Graecum οὐδέ, ibi ponantur, ubi sine

---

[1]) Ad hanc quoque disputationem Wesenbergius, cum in easdem sententias sua sponte incidisset, partem materiae contulit. [Non puto nunc singulatim persequendum, quidquid in iis, quae Handius Tursell. IV p. 105 et 142 de eisdem quaestionibus posuit, discrepat, maxime in altera. Quam incaute auctoritates Handius aestimarit, saepius admonui.]

ullo orationis descensu aut gradatione negative aliquid adiungatur superioribus simile. Nam hoc quoque, quod novum accedit, recte insignitur adiecto *quidem*. Itaque respondent nostris particulis *ikke heller*, Germanorum *auch nicht*. Atque hanc vim habent cum in initio periodi, cum ad aliam rem transitur, velut apud Caesarem B. G. V, 44, B. C. II, 33, tum in comparando (velut III N. D. 68: *Huic ut scelus, sic ne ratio quidem defuit*) et in ratiocinando (ut Parad. III, 22: *Etenim si bene facta recte facta sunt et nihil recto rectius, certe ne bono quidem melius quidquam inveniri potest*, Tusc. I, 14 et 53 et 54, N. D. III, 23). Exempla quaedam collegit Dietrichius in libello quaestionum grammaticarum et critt. (Lips. 1835) p. 73, in eo errans, quod in ipsis iis particulis conclusionis significationem inesse putat (*also auch nicht*), quae in orationis forma est, in particulis non magis quam in *etiam*, si affirmative dicas: *si hoc*, *etiam illud*. Itaque ubi conclusio ipsa per se adiungitur, ad eam significandam aut *ita* additur, ut Tusc. I, 12 et I de N. D. 110 et II Divin. 21, aut *igitur*, ut pro Mil. 48, de N. D. III, 43 et 44, Fin. II, 88, IV, 55 et 67, V, 91. Quintilianea exempla onnellus collegit.

Pro particulis *ne* — *quidem* et hoc et altero illo vulgari nificatu etiam *nec* dici traditur. Et de inferioris aetatis ptoribus, qui post Augustum fuerunt, res non dubia est, *nec* sic nullo discrimine et initio sententiae et in media unt. Quintiliani locos Bonnellus collegit v. *neque* ζ et v. ?. Tacitus sic loquitur Ann. II, 82 (*neque insignibus*), IV, 34 *e haec*), German. 6 (*sed nec variare*), Svetonius August. 86 *nec Tiberio*) et alibi, Iuvenalis II, 152 (*nec pueri*); Flori stini locos aliquot congessit Dukerus ad Flor. II, 8, 12. icerone eiusque aequalibus, ubi a *nec* initio tantum ad uandas sententias posito discesserimus, valde dubitabimus otius negabimus, si paucorum illorum, quae conquiri postestimoniorum pondus examinaverimus.[1]) Ac primum endi sunt loci quidam, quibus Kritzius ad Sallustii Iu- 98, 4 usus est, ubi haec verba: *Ipse paulatim dispersos neque minus hostibus conturbatis*, *in unum contrahit* sic : *non minus etiam hostibus conturbatis*. Debuerat La- e *hostibus quidem minus conturbatis*; sensisset enim, illo itu scribendum saltem necessario fuisse: *neque hostibus* Itaque Sallustius hoc loco, cum huiusmodi sententiam: *inus hostes conturbati erant* animo conceptam in ablativos

Zumptio ad Verrinas p. 828 »*nec* hac significatione nondum ır esse Ciceronis, certe in orationibus.“

absolutos, converteret, neglegenter ablativos, qui interponi sine copula debebant, cum participio coniunxit, hac sententia: cum milites dispersi essent nec minus hostes conturbati. Prorsus similiter Livius XXV, 35, 2, tantum inverso participii et ablativorum ordine: *Inter exercitus ducesque gratulatio ingens facta, imperatore tanto cum omni exercitu deleto et alteram pro haud dubia parem victoriam expectantes.* Eandem offensionem haec coniunctio habet apud Tacitum Hist. I, 45: *Vinciri iussum et maiores poenas daturum affirmans praesenti exitio subtraxit.* Expectabatur aut: *iubens et affirmans* aut: *iussum — affirmans, subtraxit*, sine *et.*[1]) Ad hunc igitur locum Kritzius alios profert, ubi *nec* eodem modo pro *non etiam* dictum putat; primum Sallustii ipsius in Iug. 51, 5: *Sed nec Iugurtha quidem interea quietus erat*, nihil curans, quod adiectum est *quidem*, codicesque plures et meliores recte (ut paulo post dicam) scriptum habent: *ne Iugurtha quidem*; tum Cornelii Nepotis in Dion. c. 2, ubi pervagatissimo modo nova sententia annectitur particula *neque*, interposito etiam ad sententiae progressionem et conversionem insigniendam *vero* (*neque vero minus*), ut *non* aut *ne — quidem* dici omnino non potuerit; nisi forte illa significatio erit etiam in his: *neque vero ob duas modo causas* (Fin. IV, 11) aut in his: *nec vero ita dici potest* (Tusc. III, 41). In Ciceronis etiam I de Off. 40 (quamquam is locus Ciceronis non est, sed nihil hoc ad rem) *nec minus illum* manifesto est: *et non minus illum.* Restat ex iis, quae Kritzius protulit, testimoniis (nam de Taciti et ceterorum inferiorum usu dictum est) unus Tusculanarum Ciceronis locus, I, 65: *Quid est inventio? Profecto id, quo nec in deo quidquam maius intellegi potest.* Verum ibi codices omnium praestantissimi, Parisiensis et Gud. 1, cum aliis habent *ne in deo*, ut apertum sit, hic ut alibi aliquotiens (vid., quae annotavi ad lib. I, 39) excidisse *quidem* (at quam facile ante *quidquam*!), quod in codice perbono Coloniensi et aliis quibusdam scribitur. Nec aliter iudicandum est de altero Tusculanarum loco I, 71, ubi editur: *nec interire igitur*, codices habent *ne*, Ciceronis in conclusione annectenda usus constantissimus, quem paulo ante exposui, postulat: *ne interire quidem igitur.* Atque hi duo loci, quid in uno et altero praeterea factum sit, aperiunt, quamquam plerique, qui in quaestionem veniunt, alia manifesta menda habent. Percurram, quos conquirere potui, omnes.

---

[1]) [Satis late patet apud Livium, Tacitum, Svetonium usus copulae inter participium simplex et ablativos absolutos interpositae, nec minus apud Graecos; sed ea posui exempla, in quibus similis aliqua durities est ei, quae in Sallustii loco ex eo nascitur, quod ablativi connectuntur cum obiecto verbi insequentis *contrahit*, ad quod ipsi non pertinent.]

I. Recta enarratione removetur, quod a Forcellino et Schellero proferri video ex orat. III de leg. agr. 4: *Caput est legis quadragesimum, de quo ego consulto, Quirites, neque apud vos ante feci mentionem* cet. Prorsus inepte intellegetur *ne — quidem*, quasi apud Quirites potius quam apud nescio quos alios commemorandum fuerit. Sed huic *neque apud vos ante* respondent, quae paulo post sequuntur: *neque vero nunc*; (de *neque — neque vero* vid. Opusc. mea Acad. I p. 406). Est tamen minus diligens egativa partitio; nam *consulto*, quod praeponitur, tantum ad rius membrum pertinet, et cum priore loco neget Cicero se em commemorasse, altero non, ut expectatur, se disputaturum e ea negat, sed tantum, non ideo disputaturum, quod rei ıblicae statum commotum velit. Itaque incidit hic locus aliqua : parte in id genus, quod primo excursu tractavi, non quia on assit utrumque *neque*, sed quia non satis diligenter inter respondent.

II. Ad Fam. I, 8, 3: *ea sublata tota, sed* [cod. Med. *si*] *nec hi magis quam omnibus*. Scriptura manifesto corrupta est; nam c omitti verbum substantivum potuit, neque *sed* aptum est ıoniam hoc non elevandi, sed confirmandi et amplificandi causa litur), et multo minus *ne — quidem*, quasi Cicero se saltem ·ipiendum et omnibus praeferendum fuisse significet. Scripsit ero, quemadmodum etiam Wesenbergius scribendum vidit: *sublata tota* s u n t, *nec mihi* cet.

III. Ad Attic. II, 1, 5: *Fregi hominem et inconstantiam eius ·ehendi, qui Romae tribunatum pl. peteret, cum in Sicilia aedi- em se petere dictitasset. Sed neque magno opere dixi esse laborandum* cet. Ineptissimum est *sed*, cum nihil sit con- 'i, sed eadem sententia continuetur. Et omittitur in codice iceo a prima manu.

IV. Acad. I, 7: *Quod bonum quale sit, negat omnino Epi- sine voluptatibus sensum moventibus nec suspicari*. Hic locus ım incidit formam, quam ad II, 25 negavi apud quemquam no scriptorem reperiri, ut *nec* non solum pro *ne — qui-* ponatur, sed alteri negationi vehementius negandi causa addatur; repugnat enim hoc omnino naturae particulae quae eam insigniendae rei et acuendae orationis vim, quae *idem* inest, ipsa non continet. Idem in hoc loco accidisse, in Tusculanarum duobus locis in deterioribus codicibus sse vidimus, animadvertit Durandus, ostenditque cum eius- sententiae repetitio II de Fin. 30 (*neget se posse ne suspicari*), tum perpetuus Ciceronis usus (Verr. I, 155: *non enim eundum est ne id quidem*; ibd. II, 141, III, 210; Tusc. I, 53, IV, 49, ad Q. Fr. II, 5, 2, al.). Idem mendum, quod hic odicem, ex quo nostri ducti sunt, insederat, in Orat. 54

irrepsit in unum alioquin bonum Einsiedlensem, qui habet: *nec nunc solum*, ceteri recte: *ne nunc quidem solum.*

V. Quae de duobus Tusculanarum locis disputavi, ea mirifice confirmantur in orat. II in Cat. 8. Nam ibi quoque editur: *Nemo non modo Romae, sed nec ullo in angulo totius Italiae oppressus aere alieno fuit* cet., et in hac, de qua agimus, causa testimonium inde petitur (velut a Ramshornio p. 822). Verum codices omnes Gruteri et Oxonienses et, qui nuper ab Orellio collatus est, perantiquus Tegernseensis [et ceteri Halmii] habent *sed ne ullo.* Scribendum est igitur cum codice Rhenaugiensi item antiquo et bono, quem idem contulit: *sed ne ullo quidem in angulo totius Italiae.*

VI. Ad Attic. I, 3, 3: *In se expertus est, illum esse minus exorabilem, meum studium nec tibi defuisse.* Valde probabiliter propter ipsam sententiam Graevius: *nec tibi nec sibi.* Sallustius nunc praesens perspiciebat, neque sibi, dum abesset, neque Attico Ciceronis studium defuisse. Librarius, ut saepe, ab altero *nec* ad alterum aberravit.

VII. Topic. 23: *ut, si in urbe fines non regantur* (sic codd.). *nec aqua in urbe arceatur.* Hic locus fere solus nihil habet, in quo praeterea offendaris, ut propter hanc unam, qua de agimus, causam suspicandum sit, eum eodem modo, quo Acad. I, 7, mendosum esse, et pro *ne aqua quidem*, cum *quidem* excidisset post *aqua*, scriptum esse *nec aqua.*

[VIII. Accedit tamen alter eiusdem generis locus ad Fam. IX, 15, 3: *neque* (sic enim cod. Med., non *nec*, suspiciose) *ego aliter accepi*, ubi Wesenbergius *ne ego quidem* scribi iussit; ego vereor, ne ea, quae praecedunt, iniuria mutata sint, scribendumque sit e Med.: *sed auctorem moderationis, urbane* (cod. *urbanae*): *neque ego aliter accepi.* Laudat Paeti interpretationis urbanitatem.]

IX. Acad. II, 135: *Sapiensne non timeat? nec, si patria deleatur? non doleat? nec, si deleta sit?* Est haec Goerenzii scriptura e codicibus aliquot ducta. Antea edebatur, Grutero et Oxoniensibus tacentibus: *Sapiensne non timeat? nec, si patria deleatur, non doleat?* mendose sane. Sed ne illud quidem verum esse potest. Nam, ne dicam generalem illam interrogationem: *sapiensne non timeat?* post illa, quae iam dicta sunt, abundare, certe dicendum erat, quid *ne* fieret, sapienti timere per Stoicos non liceret, non, quid *si* fieret; nam si fit, dolet, non timet. Itaque Goerenzius *deleatur* vult esse: *in eo est, ut deleatur*, quod fieri nequit. Notandus igitur locus, ut alii in Academicis, in quibus codices nos destituunt, qui si integriores essent, hanc haberent orationis figuram: *Sapiensne non timeat, ne patria deleatur? non doleat, si deleta sit?* et particularum et temporum verbi differentia ad timendi et dolendi discrimen accommodata.

[Praeceperat emendationem, in una vocula aberrans, Davisius; confirmarunt in altera parte (*doleat*, *si deleta sit*) optimi codices post collati.]

X. In Caelii epistula ad Ciceronem (ad Fam. VIII) 8, 2 haec nunc leguntur: *M. Servilius postquam*, *ut coeperat*, *omnibus in rebus turbarat*, *nec*, *quod non venderet*, *quidquam reliquerat*, [1]) *maximaque nobis traditus erat invidia*, [2]) *neque Laterensis praetor*, *postulante Pausania*, *nobis patronis*, *QUO EA PECUNIA PERVENISSET*, *recipere voluit*, *quod Pilius*, *necessarius Attici nostri*, *de repetundis eum postulavit*. Accipitur *neque*, opinor, pro *ne — quidem*, ut ab eo apodosis incipiat; sed quid hic agat *ne — quidem*, nemo intellegere potest, multoque minus, cur ne Laterensis quidem nomen rei recipere voluerit, quod Pilius de alia re eum postularet. Debebat saltem dici *postularat*, etsi res nihilo melior fieret. Nimirum *quod* est Q. [cod. Med. *q'*], totaque periodus sic cohaeret: *Servilius postquam — nobis traditus erat —*, *neque Laterensis — recipere voluit*, *Q. Pilius — eum postulavit*. Ereptum Servilium Laterensis decreto ex una quaestione Pilius ad alteram rapuit. Temporibus verborum particulae *postquam* subiectorum variandis Caelius apte superioris status communem descriptionem (*turbarat — reliquerat — traditus erat*) et unius rei proxime praegressae notationem distingvit, et in hac legitimo perfecto utitur (*postquam — noluit*). [3])

XI. Apud Varronem de R. R. I, 45, 2 nunc editur: *Venenum enim gelum radicibus tenellis sub terra et supra virgultis*, *quae nec eodem tempore aeque crescunt*, ubi *nec* debet esse: *auch nicht*, quamquam ad *crescunt*, non ad *eodem tempore* tum pertinet. Sed neque veteres editiones, in quibus prave scribitur *virgulta*, neque Crescentius, apud quem recte *virgultis*, habent *quae*. Eo igitur sublato, *nec* novam sententiam superiori adiungit. [4])

---

1) Sic recte Lambinus; vulgo: *quod non venderet cuiquam*, *reliquerat*. Latine dicitur: *nihil reliqui*, *quod non venderem* (alicui, huic vel illi, id est, *cuipiam*); *quisquam* eo loco poni prorsus nequit.

2) Sic Manutius; neque dicitur Latine: *traditur aliquid mihi invidiae*, ut dicitur: *est mihi invidiae*, neque M. Servilius Caelio invidiae erat, sed ipse ardebat invidia, cuius incendium Caelius extingvere debebat.

3) Beieri errorem, in his verbis (de Off. I, 159, etsi recte aliter editur): *Haec igitur non suscipiet rei publicae causa*, *nec res publica pro se suscipi volet* sine ulla minima causa *nec* pro *ne — quidem* accipientis, satis est hic in margine commemorasse; Gzii stuporem, *neque* pro *ne — quidem* positum putantis de Fin. I, 23 (*neque eum Torquatum*) et II, 13 (*non dicitur laetitia nec gaudium in corpore*) et II, 71 (*Nam nec vir bonus* cet.), ne hic quidem attingerem, nisi ab aliis eum huius rei auctorem citari viderem.

4) [In libro IX de L. L. p. 135 Bip. apertissimum est anacoluthon (si

XII. Apud Sallustium Iug. 57, 6, ubi legitur: *Sed ne illos quidem*, pauci et nullius momenti codices *quidem* omittunt vulgari mendo, alii *nec — quidem* habent, non minus vulgari: Cortius e duobus infimis edidit: *Sed nec illos.*

Puto, satis esse declaratum, quam non probabile sit, iam Ciceronis aetate particulam *nec* a coniungendo et negando etiam ad intendendam sine coniunctione negationem traductam esse. quod ne Augusti quidem aetate in prosa oratione nisi perraro factum videtur, si ex Livio rem aestimamus [eamque excipimus formam, qua *nec* in nova sententia de alio homine aliave re annectenda ponitur (ut statim I, 27, 10: *nec illi tulere impetum*, XXXI, 21, 6, XXXVIII, 23, 3, al.). Nam extra hanc formam vix plus tria apud Livium exempla deprehendas, in quibus *nec* sic positum reperiatur: III, 52, 9 (*cum praesertim nec nos*), VI, 15, 7 (*Manlius nec se fefellisse ait*), XL, 20, 6 (*ut neque scribi sibi vellet*). Nam XXXI, 22, 7, XXXVIII, 27, 1, XLIV, 36, 8 codices, cum *ne* teneant, *quidem* excidisse ostendunt.] Horatium poëtam sic locutum mihi videri in Sat. II, 3, 262, significavi in annotatione ad I, 39 (*nec nunc*); Vergilium in Ecl. III, 102 ita locutum non esse, ineptissima sententia (quid enim ibi agit *ne amor quidem?*), certissimum est; quid poëta scripsisset, pridem a Stephano et Heinsio intellectum. [Ovidius sic scripsit ex Pont. IV, 13, 5: *sed quod nec publica certe* et Trist. II, 495: *Denique nec video de tot scribentibus unum.*] [1])

Non longe ab hac quaestione separata ac potius cum ea aliqua ex parte coniuncta est altera, quam ad II, 82 breviter tetigi, de particulis *nec — quidem.* Hanc enim coniunctionem cum superiores philologi fere improbassent nec Latine in negatione continuanda et intendenda poni iudicassent, ut Lambinus, I. F. Gronovius, Bentleius (ad Hor. Sat. II, 3, 262), Ernestius, Facciolatus, Ruhnkenius (ad Ter. Eun. IV, 4, 14), quosque alios nominant Drakenborchius ad Livium I, 10, 3, Heusinger Emendationum p. 191, lexici Forcelliniani editores Germani v. *nec*, nuper multi eam defenderunt, docereque conati sunt, proprie eam et legitime certis locis poni, Vossius ad Vergilii Georg. I, 390, Goerenzius ad Cic. Acad. II, 82, Gernhardus ad Cat. Mai. 27, Heinrichius ad Oratt. Partt. p. 80, Ramshornius in grammatica Lat. p. 885 ed. 2, Kritzius

---

sic recte habet); p. 145 Muellerus coniectura scripsit *nec* (pro *ne*) *in his vocabulis quae*, debuit: *ne in his vocabulis quidem, quae.*]

[1]) [Lucretium I, 1114 et 1115 non sic scripsisse, ut ante Lachmannum edebatur (in qua scriptura *nec tibi caeca nox* pro *ne caeca quidem nox* accipiebatur), et codices et sententia ostendit. Lachmannus rectene scripserit, nunc non quaero.]

ad Sallustii Iug. 51, quosque hi alios appellant, ut merito Orellius ad Cic. Philipp. III, 3 grammaticos cum particulis *nec — quidem* in gratiam redisse scribat. Sed valde vereor, ne parum caute id fecerint, idemque his acciderit, quod iis, qui tradiderunt, quomodo differrent *discidium* et *dissidium*, *ad placandos deos* et *ad placandum deos*, *cum — tum* et *tum — tum* (in coniungendis rebus extra temporis mutati significationem) multaque similia. Cum enim semel edictum est, hoc et illud differre, plerique neque in summa scribendi industria spatium habent inquirendi, sitne utrumque certum et quo genere quaque constantia testimoniorum confirmetur (et quotus quisque ea aestimare didicit?), neque committere audent, ut proprietatem subtiliter scilicet expositam ignorare aut non intellegere videantur, potiusque, si quod mendum in recentissima aliqua chartula occurrit, id arripiunt et aut nominum auctoritate aut ipsi aliqua excogitata interpretatione exornant.[1])

Primum igitur dicendum est, si quis sit concursus eiusmodi copulatarum particularum *nec* et *quidem*, ut illam negationis ad novam aut inexpectatam rem perferendae aut insigniendae significationem, quae est in *ne — quidem*, non attingant et pro *et non — quidem* ponantur, eum hoc loco excipiendum esse. Sed eiusmodi oncursus esse in recta orationis forma rarissime potest. Nam um conceditur aliquid negative (*non probas tu quidem*, *sed tamen* ːt.), si copulativa particula praeponetur, ea non pertinebit ad ›ncessionem, sed, illa interiecta, ad eam, quae sequetur, affirationem neque cum particula *non* in unum contrahetur. Itaque iusmodi oratio non efficitur: *Haec vides nec excitas tu quidem*, *l tamen excusas*, sed haec: *et non excitas* cet. Haec autem ıtionis forma: *Et Iugurtha quidem* talem habet unam notion insigniendi et adiungendi vim, ut ad eam non perveniat ›sequens negatio (*Et Iugurtha quidem non est conturbatus*). que ubi *nec* et *quidem* alio atque eo, de quo dicimus, modo currant, duo omnino excipiendi mihi sunt loci, quos no-. et si qui forte eorum similes reperti fuerint. Nam ntilianus IX, 3, 55 cum Graecae orationis formam eam, qua, ata affirmationis et negationis mistione, substituitur plane matio omnium aut summae rei (*οὐχ ὁ μέν, ὁ δὲ οὐκ, ἀλλὰ* ·*ες*), in Demosthenis loco notissimo (de corona § 179) redderet, ıcripsit: *Non enim dixi quidem*, *sed non scripsi*, *nec scripsi*

Etiam Reisigius in scholis, quid esset propriae significationis in *nec — uidem*, sic Germanice vertendo expressit, ut Haasius in annotatione . 590 confiteatur difficillimum esse ex ea regula constituere, ubi ᵋc — *quidem* scribi possit necne. Alia commenta omitto.]

quidem, sed non obii legationem, nec obii quidem, sed non persuasi Thebanis (*οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δὲ κ. τ. λ.*), ubi apparet, et *non* et *nec* non ad *dixi quidem* et *scripsi quidem*, sed ad totas has complexiones verborum: *dixi quidem, sed non scripsi* et *scripsi quidem, sed non obii legationem* pertinere, quae ut falsae tolluntur.[1]) Alter est locus Ciceronis in ep. ad Fam. VI, 6, 2, ubi cum sic scribere deberet: *Animum tuum confirmandum puto, et quidem iis verbis, quibus te consoler non ut afflictum — sed ut eum* cet., minus diligenter negationem transtulit scripsitque: *nec iis quidem verbis*; et tamen sic quoque usitatius dixisset: *et quidem non iis verbis.* [Haec autem negationis alio pertinentis ad *et quidem* translatio bis praeterea apud Ciceronem reperitur, de Divin. II, 150: *philosophi nec ii quidem contemptissimi*, hoc est, *et ii quidem non contempt.*, et ad Att. VII, 5, 5, ubi *nec prius quidem* est *et quidem non prius.*] Haec igitur seiungamus et ad id, quod nunc agitur, convertamur.[2])

Nec — quidem ferme in deterioribus et recentioribus libris reperitur, raro, ut apud Quintilianum X, 1, 33 et X, 7, 32, in antiquis et bonis; etsi Quintiliani antiqui codices neglegentissime scripti sunt et corruptissimi, tantum interpolatione vacui. Apud Ciceronem praeter Cat. Mai. 27 (*Nec nunc quidem*) vix ullus est locus, ubi primarii codices, quales aut palimpsesti sunt aut Parisinus Tusculanarum aut Vaticanus Philippicarum aliique similes, id tueantur, nisi forte ex subsequenti voce littera *c* adhaesit, quod N. D. III, 23 in melioribus quoque codicibus accidit; tantum Philipp. III, 3 duplex *nec* praecedens genuit *nec — quidem* etiam in Vaticano codice.[3]) In deterioribus libris hoc adeo non rarum est, ut, si editores diligentius scrip-

---

[1]) Aliter Graecam formam reddere conatur scriptor ad Herenn. IV, 34: *Non sensi hoc et non svasi, neque svasi et non ipse statim facere coepi* cet. (*Οὐκ ᾐσθόμην μέν, οὐκ εἶπον δέ, οὐδὲ εἶπον μέν, πράττειν δὲ οὐκ ἠρξάμην*), item ipse Cicero de Divin. II, 102; nam quod is dicit: *Non sunt di nec significant futura*, Graecis erit: *Οὐκ εἰσὶ μὲν θεοί, οὐ σημαίνουσι δὲ τὰ ἐσόμενα.*

[2]) Nihil ad hanc quaestionem pertinere, si in sententia a *nec* incipienti postea una aliqua vox separatim addito *quidem*, id est, *saltem* notetur, minus peritorum causa dico.

[3]) In Catonis loco dubitavi saepius, an et *ne — quidem* et *nec — quidem* parum recte diceretur. Nam, utrumcumque ponitur, videtur vox *nunc* ita notari, quasi hoc tempus alii contrarium sit, quod ante Cato commemorarit; verum is transit ad novam senectutis reprehensionem tollendam, ut sic potius dicendum videatur fuisse: *Ne vires quidem* cet. Sin autem intellegemus, ut in hac scriptura debemus: „*Ne nunc quidem*, cum ad ultimam et infirmissimam partem senectutis progressus sum“, nimis abrupte hoc inferri videtur nec plane perspicue. (Ad ea, quae sequuntur, referri *ne — quidem* sua natura non potest,

ram annotassent, defensores studiosius anquisivissent, aut luribus locis id sibi defendendum esse intellecturi fuerint aut nfitendum, librarios quosdam recentioris aetatis hanc formam ı suo in veterum scripta intulisse. Velut in hoc opere de inibus III, 3 nunc apparet, quod Gruterus, Davisius, Goerenus non annotant, deteriorum codicum familiam habere: *dicit picurus nec argumentandum quidem esse de voluptate*; in Erlanusi et melioribus [AB] est *ne — quidem*. In Tusculanis II, 31 dex Rehdigeranus et Gudianus 2, uterque infimus, habet ' — *quidem*, III, 21 Oxoniensis unus et Rehdigeranus, IV, 84 id. 2. Apud Vergilium ter (Georg. I, 126 et 390, III, 561) lti codices habent *nec — quidem* secutique eos fere editoes ante Heynium erant; sed *ne* prioribus locis habent codices iquissimi consensu, tertio Romanus et Palatinus.[1]) Defenes autem ex illa locorum copia non eos eligunt locos, ubi paulo plures aut, si forte, meliores aut saltem probabiles i *nec — quidem* habere videantur, ut eos sub unum genus ımunitate quadam cadere ostendant, sed, quod in hoc genere rersissimum est, constituto, ut sibi videntur, quid *nec — 'em* significare debeat, ad eam regulam, quos placet et pos-, locos accommodant, ceteros relinquunt. Velut Gernharquem plerique posteriores sequuntur, in Cat. 27, ubi *nec quidem* tantam, quantam nusquam alias, auctoritatem codihabet, id non probat, et iure non probat, in Catil. III, 24 at, ubi *nec* et a bonis codicibus omnibus, etiam perantiquis quos Orellius contulit [et Halmius], repudiatur et Prii triplici testimonio (p. 1003 et 1004 et 1028) atque Al-(p. 2124) convincitur.[2]) Kritzius autem in Sallustii Iug.

ıc sententia: Ut adulescens tauri aut elephanti vires non desideraım, ita ne nunc quidem adulescentis desidero.) Itaque blandiebatur iorum coniectura: *Nec nunc equidem*. Sed neque haec nova reprensionis refutatio particula *nec* superiori orationi tamquam proxime de apta et eam explens subnecti potest, et *nunc* sic quoque non ılto commodius diceretur. [Lahmeyeri enarratio prava est; signiaret enim Cato caute, fieri fortasse postea posse, ut desideraret.] ud Svetonium codices pauciores pluresve *nec — quidem* habent ber. 10, 21, Cal. 11, Oth. 9, Vitel. 2. [De Iustino vid. Ieepius ad I, 5, 8.]

ctissime ibi, posita re ipsa, Cicero addit, quid adiunctum fuerit, endens, numquam a civili victoria calamitatem separari posse: *ne quidem opus est, quanta deminutione civium et quanta calamitate publicae*, prorsus ut ante: *Cn. Octavius consul armis expulit ex e collegam*; quid adiunctum fuit? *omnis hic locus* cet. Sed hic it tamen breviter Cicero, quid acciderit, in Sulla ne dici qui-

31, 3 et 57, 6 *nec — quidem* contemnit, in c. 51, 5 contra meliores et plures codices probat.

Deinde in exponenda propria particularum *nec — quidem* significatione defensores in non parva sententiarum varietate reperiuntur, ipsae autem sententiae magnam partem ambiguae et perobscurae, vix ut appareant, et multis erroribus implicatae sunt. Ac simplicissime illi agere videntur, qui *nec — quidem* dicunt esse *et ne — quidem*, ut Oudendorpius ad Apuleii Metamorph. p. 258, Vossius et Iahnius ad Vergilii Georg. I, 126 et 390, Ramshornius, Orellius ad Fin. II, 82 aliique, qui ibi tantum *nec — quidem* ferre videntur, ubi *nec* in verbis copulandis poni possit. Itaque hi excludunt eos locos, in quibus *nec — quidem* aeque bonam auctoritatem extra eiusmodi orationem habet aut etiam meliorem, nec Latinum putant: *quod nec — quidem* (apud Quint. X, 1, 33) aut: *ego autem nec scribendum quidem puto* (apud eundem X, 7, 32) aut: *sed nec Iugurtha quidem* (Sall. Iug. 51) aut: *imagines, quas nec victor quidem abolevit*, similiave, quae nuper in Taciti libris restituta sunt (Ann. IV, 35, Hist. I, 66), non sane a Bekkero.[1]) Et tamen (tanta est perversitas) promiscue hi et ceteri tamquam eiusdem causae defensores et testes appellari solent. Atqui *ne* et *quidem* ita in unam singularis significationis compagem coaluerunt, cum *ne* per se in negando non ponatur, ut *ne* copulativam particulam in se recipere non possit. Itaque propter hanc ipsam causam Latini in sententiis, si opus est, coniungendis dicunt: *ac ne — quidem* (Cic. de imp. Pomp. 17, pro Sulla 62, in Pis. 27, Philipp. XIII, 13, Legg. I, 55, Lael. 30, Off. I, 124, Caes. B. G. VII, 8, Tac. Ann. XV, 19, Svet. Aug. 10, Plin. Paneg. 3, al.) [aut *et ne — quidem* (Liv. XXIII, 30, 10 et alibi; Vell. Pat. I. 12, 7. dialog. de Orat. 9)], quae, si contractio illa fieret, non minus vitiosa essent quam *et non credo* pro *neque credo.*[2]) In continua

---

dem opus esse putat. Si *nec — quidem* esset *ac ne — quidem*, nihil tamen pravius esset illa copula.

[1]) [Huius generis est etiam, quo Haasius utitur, locus Verr. II, 48, nisi quod etiam *neque — quidem* ibi edebatur. Qui unus codex antiquus ita plene collatus est, ut ad haec minora attenderetur, Lagom. 42, *ne* dedit.]

[2]) *Neque etiam* in oratione copulata (non in novae periodi initio) posuerunt Varro R. R. III, 16, 6 (Hand. II p. 553), Dolabella Cic. ad Fam. IX, 9, 2; nam ipsius Ciceronis locus ad Att. IV, 1, 1 corruptus est. (Apud Varr. I, 65, 1 *neque etiam dum* est *und noch nicht*, idemque significat *neque etiam* apud Pompeium Cic. ad Att. VIII, 12 D, 1). [Varro L. L. VIII p. 115 scripsit: *non est ergo in his quoque analogia* pro eo, quod est: *ne in his quidem ergo.*]

autem enumeratione et gradatione fere, ut apud nos, omittitur copula in eo, quod superponitur priori, ut apud Cic. Off. III, 16, Lael. 97, pro Quinct. 89, Verr. IV, 2, pro Deiot. 36, Philipp. I, 16, maxime autem (nam vehemens haec oratio est) apud Tacitum, ut Ann. III, 14 (*nam neque ambitionem militarem neque rovinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem adver- um imperatorem infitiari poterat*) et ibd. 50 et Germ. 44.[1]) lui autem *nec — quidem* volunt esse *etiam ne — quidem*, ut chellerus et nuper Bachius ad Tac. Ann. IV, 35, illi in hoc, uod dixi, non minus incidunt; praeterea ita et progressus et census in *ne — quidem* significatur, ut prorsus redundet *etiam*. ed alii, ut Gernhardus et Kritzius. utramque particulam, et c et *quidem*, separatim intellegi volunt, ipsi autem *nec* ean- m vim tribuunt, quam habet *ne — quidem*. ut sit *auch nicht*; *idem* dicunt (ipsius Kritzii verba pono) „valere ad unum vo- bulum insigniore aliqua vi efferendum.“ Itaque hi etiam ex- copulationem orationis *nec — quidem* defendunt, ut Kritzius ıd Sallustium Iug. 51 edidit: *Sed nec Iugurtha quidem interea etus erat.* Primum quod de *nec* dicunt, ostendi paulo ante, neque a Cicerone neque a Sallustio, quos illi *nec — quidem* isse putant, ita positum esse. Deinde huic *nec* ita super- unt *quidem*, ut nulla efficiatur significatio, quae non in ipso insit apud eos scriptores, qui id ita ponunt; nisi forte itus, ut hoc utar, cum dixit (Germ. 6): *sed nec variare*, non s significavit, vocem *variare* „cum insigniore aliqua vi effe- lam“ esse. Itaque mire interpretando ludunt, ut ex hoc — *quidem* aliquid extundant singulare; ut in illo Sallustii (satis est enim, in uno exemplo rem declarari), cum de elli studio et opera Sallustius dixisset, rectissime de adver- addidit: *Sed ne Iugurtha quidem*, hoc est: *Aber auch Iu- a — nicht*; quod Kritzius interponit: *für sein Theil*, pror- abundat, quamquam nostri sermonis more interdum in ver- talia addimus. Sed est alia maior totius illius interpre- nis perversitas. Quemadmodum enim, cum *Iugurtha quidem* e dicitur, sic Iugurtha ab aliis separatur, ut aut de eo n confirmetur aut de aliis contrarii aliquid expectetur, sic,

1) ic igitur Cicero, ut Lambinus vidit, scripsit III Philipp. 3 et III N.D. 23: *are mundum ratione uti putemus, ne cur animantem quidem esse*; tum acitus Ann. XIV, 35, ubi recentissimi editores e cod. Mediceo posue- nt *nec senectam quidem*; Hist. II, 76 etiam in Med. recte scribi *ne contra ai quidem*, Bekkerus testatur; Germ. quoque 7 (*neque animadvertere que vincire, ne verberare quidem*) codices etiam nuper collati *ne* tuen- r. Eadem forma reddenda est Svetonio Tib. 37 et Ner. 10, ubi c — *quidem* putatur esse *ac ne — quidem*.

si Latinum esset illud *nec Iugurtha quidem* et *quidem* a *nec* seiunctum, hanc haberemus sententiam: *Und auch Iugurtha wenigstens nicht*, quae longissime a narratione Sallustii abhorret, nec minus eadem interpretatio a ceteris locis, ubi *nec — quidem* defendunt. (Gzius quidem ad Acad. II, 82, ut solet, facillime molestum illud *quidem* expedit; dicit esse *nunc*.) Sed multis nec obscuris indiciis intellegi potest, hanc particularum *nec — quidem* defensionem apud multos inde ortam esse, quod prorsus ignorarent, quod initio huius disputationis posui, in particulis *ne — quidem* esse etiam sine ulla gradatione adiungendi vim. Propter hanc causam Heinrichius (ad partes oratt. Tullian. p. 80) apud Ulpianum in Digest. III, 3, 1, ubi scribitur: *sicuti ne is quidem* (*wie auch nicht derjenige*), quod hoc putabat esse: *wie nicht einmal derjenige*, scribi iussit: *sicuti nec is quidem*; propter hanc apud Ciceronem de Divin. I, 112 cum esset: *Ne Pherecydes quidem*, Rathius scribendum putavit, Moserus ex uno pessimo codice scripsit: *Nec Pherecydes quidem.* Praeferemus igitur, opinor, ut superiores fecerant, antiqui testimonii in longe pluribus locis constantiam cum ratione coniunctam paucissimis bonorum librorum, multis recentiorum mendis, atque ad hanc sententiam confirmandam illo postremo utemur argumento, quod librarii ex *ne — quidem* persaepe fecerunt *nec — quidem* unius litterae additione, id autem, quod paulo longius distat, *neque — quidem*, rarissime ac paene nusquam scripserunt; et tamen, ut pro *ne — quidem* posteriores et *nec* et *neque* dixerunt, sic etiam *neque — quidem* interdum dici consentaneum erat, si alterum diceretur.[1])

Satis verborum de una litterula; sed potius plura dicenda putavi, quam committendum, ut, si breviter sententiam significassem, obiceretur tamquam ignoranti longa series nominum et, si forte, inanis aliqua distinctio ex illo genere, quas hic tractavi.

---

[1]) Cic. de Div. I, 112 *Neque Pherecydes quidem* apud Orellium errore scriptum est pro *Ne Ph. qu.*

IV. DE *PRIMIS NATURAE* ET DE CARNEADIA DIVISIONE SENTENTIARUM DE SUMMO BONO.

AD LIB. II C. 11 ET LIB. V C. 6 ET ALIOS LOCOS.

Prima naturae et hoc ipso nomine et aliis paulum hinc deflectentibus Cicero in hoc opere persaepe commemorat et, quasi res aperta sit et eadem ubique atque sui similis, vim nominis et rei naturam uno loco plane et distincte explicare omittit. Diligenter tamen attendenti non solum obscura quaedam et difficilia occurrent, sed ipse etiam Cicero videbitur, dum alios incaute sequitur, nonnulla suo ingenio addit, parum constanter hanc notionem comprehendisse et parum perite aliquot locis ea usus esse. Quod nisi explicetur, neque intellegi recte illi loci neque iudicari possunt. Et historiae quidem philosophiae scriptores hanc rem fere praetermiserunt aut leviter tractarunt, quod in Graecorum scriptis multo rarius attingitur et in ipsis eorum, qui disciplinas condiderunt, disputationibus partim omnino non versata esse, partim minoris momenti fuisse videtur quam postea apud eos, quos Cicero secutus est. Ex Ciceronis enarratoribus unus Beierus ad Off. III, 13 varias appellationes, quibus Cicero utitur, quasi per saturam collegit, nulla adhibita distinctione, alia autem in excursu septimo ad librum primum de Off. ita tractavit, ut ne ibi quidem difficultatem, quae in illis libris non fere apparet, attingeret, in quibusdam de veterum philosophorum doctrinae forma minus recte disputaret, Ciceronem sequens.[1]) Oritur autem difficultas primum ex eo, quod notionem a Stoicis, apud quos nata est, parum definitam primum Carneades paene ludens perturbavit, deinde Antiochus, a quo Cicero pendet, ut alia Stoica, ad Academicam et Peripateticam disciplinam a se renovatam transtulit, augeturque, quod Cicero, in una re uno et proprio nomine non contentus, paene plus quam oratoria copia et va-

---

[1]) Goerenzius in praefat. p. VIII queritur, ob molem libri „rescindendos“ sibi fuisse quattuor excursus, quibus et alia ad res a Cicerone expositas pertinentia et hunc ipsum locum de primis naturae exposuisset. Eos excursus bibliopola in nota subiecta promisit se, simul atque a Goerenzio accepisset, gratis emptoribus libri traditurum. Sed numquam accepit, quod numquam scripserat vanissimus homo, qui, quam ad huiusmodi res quaerendas imparatus esset, fortasse ipse sensit.

rietate usus est, rursus autem ea, quae vel Antiochus distinxerat, et notione et nominum ambigua communitate confudit.

Τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν Aristoteles nusquam nominat nec, qui Academiae veteris doctoribus hanc appellationem tribuat, est praeter Ciceronem, qui Antiochum sequens non minus Aristoteli quam Polemoni eiusmodi definitiones summi boni subicit, ut iis dicat finem visum esse *honeste vivere*, *fruentem iis rebus*, *quas primas homini natura conciliet* (Acad. II, 131) aut *virtute adhibita*, *frui primis a natura datis* (Fin. II, 34; cfr. IV, 15, ubi *primorum* nomen non additur) aut *adipisci*, *quae essent prima natura quaeque ipsa per se expetenda*, *aut omnia aut maxima* (Acad. I, 22), et in huius operis libro quarto et quinto semper et huius rei notionem et nominis usum ad illos auctores refert. Nec, quamvis Cicero V, 55 Pisonem inducat affirmantem, omnes veteres philosophos, maxime Peripateticos, ad incunabula accedere, quidquam huiusmodi in iis Aristotelis librorum ethicorum locis esse memini, ubi boni notionem constituit; nam Magn. Moral. II, 7 de virtute disputans puerorum et bestiarum comparationem adhibet. Ne *τῶν κατὰ φύσιν* quidem aut *τῶν παρὰ φύσιν* appellatione et distinctione utitur, ubi de rerum appetitu et fuga quaerit.[1]) Stoici cum agendi principia et res aestimandi atque seligendi quaerebant, in omni animali primum quendam appetitum apparere disputabant, id complectentem, quod animali ipsa natura commendasset sive conciliasset. Sic enim redditur a Cicerone,[2]) quod Graece Chrysippus et alii *οἰκειοῦν* et *οἰκείωσιν* appellabant.[3]) Eam conciliationem dicebant fieri ad se diligendum et ad statum suum sive constitutionem conservandam.[4]) Itaque hinc oriebantur appetitus qua-

---

[1]) Ioannes tamen Stobaeensis Ecl. Eth. p. 250 in Peripateticorum sententiis hanc ponit: *Τὰς γὰρ πράξεις ἀπό τε τῆς τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῆς καὶ ἀπεκλογῆς τῶν παρὰ φύσιν τὰς ἀρχὰς ἔχειν συμβέβηκε, καὶ τὰ λεγόμενα καθήκοντα. Διὸ καὶ τάς τε κατορθώσεις καὶ τὰς ἁμαρτίας ἐν τούτοις καὶ περὶ ταῦτα γίγνεσθαι.* Sed haec Stoica esse, si non ipsae voces clamarent, e Stoicorum intima schola sumptae (*ἐκλογή. ἀπεκλογή. καθῆκον, κατόρθωσις*), ostenderet comparatio Ciceronis libri III, 20 et 22; cfr. exc. VII.

[2]) *Prima conciliatio* III, 21, *prima commendatio* II, 35, V, 40 et 46; § 41 additur: *quae a natura nostri facta est nobis.*

[3]) Praeter Diogenem cfr. Plutarchus de Stoic. repugn. 12 p. 1038 B: *Πῶς οὖν ἀποκναίει πάλιν (ὁ Χρύσιππος) ἐν παντὶ βιβλίῳ φυσικῷ νὴ Δία καὶ ἠθικῷ γράφων, ὡς οἰκειούμεθα πρὸς αὑτοὺς εὐθὺς γενόμενοι καὶ τὰ μέρη καὶ τὰ ἔκγονα τὰ ἑαυτῶν*, et paulo post: *ἀλλ᾽ οὔτ᾽ αἴσθησίς ἐστιν, οἷς μηδὲν αἰσθητόν, οὔτ᾽ οἰκείωσις, οἷς μηδὲν οἰκεῖον· ἡ γὰρ οἰκείωσις αἴσθησις ἔοικε τοῦ οἰκείου καὶ ἀντίληψις εἶναι.* Add. adv. Stoicos 4 p. 1060 C.

[4]) Chrysippi locum e Diogene ascripsi ad III, 16. Senec. Ep. 121, 14:

rundam rerum ad se conservandum pertinentium, quas natura anquireret, contrarias autem, quod ei statui nocerent, reiceret. Atque eae res, quae sic in primo ortu appeti putabantur, non solum *κατὰ φύσιν* esse dicebantur, contrariaeque *παρὰ φύσιν* (Stob. Ecl. Eth. p. 134, 142, 250, Plut. adv. Stoic. 23 p. 1069 F, Clem. Alexandr. Strom. II p. 179 Sylb.), sed, quod primae appetitum moverent, *τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν* appellabantur, ut apud Plutarchum adv. Stoic. 26 p. 1071 A, Lucianum Vit. Auct. 23, Gellium XII, 5, 7, Stobaeum Ecl. Eth. p. 144 et 148,[1]) qui etiam *τὰ πρῶτα παρὰ φύσιν* nominat, idemque p. 136 *προηγούμενα κατὰ φύσιν* appellat, quae alibi *πρῶτα*. Latine Varro in libro de philosophia (apud August. de Civ. Dei XIX, 1 et 2) *primigenia* et *prima naturae* dixerat; Cicero *secundum naturam* haec esse dicit et alia *contra* (multis locis, ut III, 21 et 31, IV, 25, V, 72),[2]) appellatque *naturalia* (III, 61) et distinctius *prima naturalia* (II, 34), saepissime autem, ut Varro, *prima naturae* (III, 30, IV, 41, 43, V, 21, 45),[3]) tum *prima secundum naturam* (V, 18, 19, 45); libr. III, 61 *prima naturae secunda* et *contraria* coniunguntur (cfr. Stob. p. 148). Sed aliis quoque nominibus et significationibus utitur; sunt enim haec *principia naturae* III, 22 et 23)[4]) sive *principia naturalia* (II, 35, III, 17),[5]) *initia naturae* (II, 38 et III, 22), *primae naturae conciliationes* (plurali numero, III, 22); horum est *prima appetitio naturalis* (ὁρμή, IV, 25 26), *ea, quae secundum naturam sunt, appetens* (IV, 32). idem Academ. I, 22 dicuntur *prima esse natura*, ablativo ad rbum accommodato. hoc est, natura conciliante primum locum

---

Dicitis, inquit, omne animal primum constitutioni suae conciliari. Apud eundem eadem epistula 121, 10 haec ponitur definitio: *Constitutio est principale animi* (τὸ ἡγεμονικόν) *quodam modo se habens erga corpus.* Priore Stobaei loco verba corrupta sunt; altero loco iis, quae *πρῶτα κατὰ φύσιν* sint, contraria facit, quae *κατὰ μετοχήν* sint *κατὰ φύσιν*, ut illo loco habeatur ipsa *κίνησις ἢ σχέσις κατὰ τοὺς σπερματικοὺς λόγους*, velut valetudo, in his numeretur, quidquid illius *κινήσεως ἢ σχέσεως* particeps sit, ut corpus bene valens. Distinctionem huiusmodi ipsius *σχέσεως* et *τῶν μετεχόντων* factam esse, prorsus credo; verum nomen *τῶν πρώτων* non ad eam pertinet, in qua nullus dignitatis gradus est, sed contrarium est secundariis appetitibus, qui post oriuntur, velut divitiarum.

Utor hic et in proximis iis libri quarti et quinti locis, ubi aperte Antiochus Stoicam notionem et appellationem sequitur.

τὰ πρῶτα τῆς φύσεως apud Graecum neminem legi, etsi suspicari licet, Varronem et Ciceronem id repperisse. *Πρῶτα φύσει* et *πρῶτα φύσεως*, quae Goerenzius ad Fin. II, 33 et ad Acad. I, 22 tamquam pervagata ponit, nemo certe dixit.

V, 34 et 45 et V, 72 *principia naturae* de universa prima conciliatione et fundamento vitae humanae dicuntur Antiochio more.

Hoc quoque V, 19 paulo aliter ponitur.

tenere; de Fin. autem II, 34 paulo insolentius *prima a natura data*, quod non ad eorum adeptionem pertinet, sed haec nobis ad appetendum proposita prima et a natura attributa esse significat, quemadmodum IV, 18 *principia a natura data* dicuntur. Ab hac autem forma Cicero progressus brevius dixit II, 33 *prima data esse natura*, id est, naturae lege (vid. ad IV, 17),[1]) eodemque modo III, 17 *prima ascita esse natura*, id est, approbata et ad appetendum delecta.

Sed primam illam conciliationem Stoici etsi non videntur subtiliter exposuisse, ut, quid quantumque ea contineret, perspiceretur, tamen ita disputabant, ut, quae postea demum, orto subito rationis lumine, quod in infante nondum esset accensum,[2]) et animadversa constantia convenientiaque naturae, nasceretur voluntas cum natura consentiendi, in qua et virtus et perfectio rationis esset, eam omnino a prima conciliatione dirimerent, bonumque constituerent, quod expeteretur, a primis, quae appeterentur, genere seiunctum. Itaque quamquam virtus vel maxime secundum naturam est (III, 21 et 22 et annot. ad V, 34), prima tamen conciliatio non solum virtutis appetitum non continet (aliter enim virtus in primis naturae esset, quae ei conciliationi respondent), sed ne semina quidem virtutis et initia, si sibi constare Stoici volunt, in ea cogitari possunt. Nam prima naturae appetuntur; initia autem virtutis qui appetit, ipsam appetit; ipsa autem prorsus hinc seiungitur. Prima naturae enim apud Stoicos comprehenduntur τῶν ἀδιαφόρων genere (Stob. p. 142 et 148) suntque προηγμένα (ibd. p. 148). Itaque in Carneadis sententia, qua is primorum naturae adeptionem summi boni loco ponebat, nullam esse adiunctionem virtutis, non uno loco dicitur (ut expositum est in annotat. ad IV, 15), et in Peripatetica sententia, quae alibi bona corporis et externa appellantur, ea et in ipsius Ciceronis oratione (II, 34 et 38) et in Catonis (III, 30) et in quinto libro (21) *prima naturae* nominantur.[3]) Quae autem singulae res hoc primorum no-

---

1) Goerenzio, qui praepositionem addi volebat, iam Beierus repugnavit.

2) III, 20 et 21.

3) Non nego interdum Stoicos, ut aliter loquantur, paene cogi. Neque enim ea rationis vis, qua convenientia naturae et sentitur et adamatur, a primo ortu hominis ita separari potest, ut non aliquo modo in eo relinquatur, quoniam postea inseri non potest Sed tamen, cum sic loquuntur (de quo ad III, 23 dixi), amplificant accessione prope adventicia eam, quam primum posuerant, notionem. Apud Senecam Ep. 121, 14 et 15 is, qui Stoicos oppugnat, dicit, quoniam constitutio hominis rationalis sit, non posse ei conciliari infantem, qui nondum rationalis sit. Nec Seneca infantem iam rationalem esse respondet, sed unicuique aetati suam esse constitutionem. Quamquam Senecae

mine continerentur, non videtur accurate a Stoicis definitum esse. Sed tamen fere primum corporis sensuumque integritas, vires valetudoque ponuntur, ut II, 34, V, 18, apud Stobaeum p. 144; Gellius sola corporis commoda et incommodorum corporis remotionem nominat. Cicero tamen II, 34 *ingenii motum* adiungit, id est, quae V, 36 in Peripateticorum ratione virtutes non voluntariae appellantur, eademque apud Stobaeum p. 60 primis naturae annumerantur. [1]) Ac poterant haec quoque a Stoicis primo illo appetitu sui tantum amanti comprehendi, quae etiam *προηγμένα* numerabant (Diog. Laërt. VII, 107). Quod autem Cicero (III, 17) etiam *τὰς καταλήψεις* in primis naturae ponit aut certe ita cum iis coniungit, ut, nisi in eodem genere sint, non appareat, cur commemorentur, videtur *ἡ κατάληψις* ita propria esse adultae rationis, ut vix hunc locum inter prima tueatur. Sed quoniam Stoici notionum originem a visis sensuum repetebant, facile sensuum integritati adiungebatur *κατάληψις*, ut apud Stobaeum (p. 148): *ὑγίεια καὶ αἴσθησις, λέγω δὲ τὴν κατάληψιν.* Artes autem a Cicerone adiungi (III, 18), prorsus miror, quae a primorum genere valde abhorrent. [2]) In libro V denique 18 cum Cicero *prima in animo* vult esse *quasi virtutum igniculos et semina*, incaute aliquid admiscuit ex illo fonte, de quo dicam paulo post. Laudandi postremo Stoici, quod voluptatem non in iis rebus, quarum ab ipso animali usus quaereretur, numerabant, sed *ἐπιγέννημα* esse dicebant, hoc est, subsequentem affectum animalis, se primis illis frui sentientis (cfr. annot. ad III, 17). Sed quod Aristippum et Epicurum studiose oppugnantes ne hunc quidem voluptati locum prorsus concedebant (*εἰ ἄρα ἐστίν*), neque ostendebant, quomodo hic affectus cum altero illo affectu hominis se cum summa natura, cuius esset particeps, honeste agendo conspirare sentientis copularetur, rem implicabant relinquebantque errandi locum.

Ab hac primorum naturae notione aliquantum distat, si diligenter consideratur, ea, quae in libro quarto (15 sqq.) et quinto (24 sqq.) Antiochia ratione explicatur *prima constitutio* sive *institutio naturae.* Haec enim totum undique hominem com-

---

in huiusmodi quaestionibus, quae de intima sententiarum constantia habentur, exigua est auctoritas.

[1]) *Περὶ δὲ ψυχὴν (πρῶτά ἐστι κατὰ φύσιν) εὐσυνεσία, εὐφυΐα, φιλοπονία, ἐπιμονή, μνήμη, τὰ τούτοις παραπλήσια, ὧν οὐδέπω τεχνοειδὲς οὐδέν, σύμφυτον δὲ μᾶλλον.* Posita sunt haec non in Stoicorum decretorum explicatione, sed ubi Stobaeus varias de definitione *τοῦ τέλους* sententias percurrit.

[2]) Cfr. Stob. p. 60: *ὧν οὐδέπω τεχνοειδὲς οὐδέν.*

plectens cum corpus, tum multo magis animum et in animo rationis perfectionem, id est, virtutem comprehendit (IV, 17. 41. V, 36 cet.), ut ea, etsi in ipso ortu non assit, tamen ex illa constitutione enascatur et eodem modo, quo cetera, quae ea continentur, appetatur ac tantum multo maius momentum habeat. In hac tamen constitutione explicanda et ad finis bonorum definitionem perducenda, quia in primo ortu animalis magis animadvertitur corporis tuendi cura, ita a Stoicis transfertur et retinetur primorum naturae appellatio, ut ea in fine ad virtutem adiungantur (IV, 41, 43, 47) sintque corporis bona.[1]) Itaque quod apud Stoicos omnem primam conciliationem naturae explet, id in huius constitutionis parte non maxima censetur.

Sed hanc diversitatem Cicero, Antiochum sequens, non animadvertit et per totum librum quartum ita disputat, quasi eadem prorsus res sit, idque apertis verbis in ipso exordio profitetur (§ 15: *constitutio illa prima naturae, a qua tu quoque ordiebare*), tum postea quoque tenet, *ab iisdem principiis proficisci* Stoicos et veteres (id est, Antiochum) dicens. Itaque idem etiam nomen, quo in libro III, 22 et 23 prima naturae significarat, *principia naturae* appellans, in quarto libro (et fortasse commodius rectiusque) de prima illa constitutione ponit, quam Zenonem a Polemone accepisse putat (45) quamque ei mutandam esse dicit, si suum finem bonorum tenere velit (34). Cui hactenus iure Zeno, si affuisset, respondisset, suum bonum e prima conciliatione naturae non ita esse petitum. Verum in hoc quarto libro, ubi Cicero presse Antiochum sequitur, tantum in hoc errat, quod plus multo Stoicos primae illi naturae conciliationi tribuisse putat, quam tribuerunt; in libro secundo, ubi suo Marte Epicurum refellit, aliquanto gravius labitur. Nam cum illa primae commendationis notione, quam ab Antiocho acceperat, ita uti vellet, ut Epicurum inconstantiae argueret, quod ab ea illius forma, quam posuisset, non ad eum, qui ei responderet, finem pervenisset, ceteros contra philosophos sibi constare doceret, imprudens pro illa universi hominis constitutione angustam Stoicorum notionem primorum

---

[1]) Hoc genere etiam externa fere comprehendi, dictum est ad III, 43. Quomodo quidem V, 67 sqq. externa constituuntur, non magis sub primorum naturae notionem quam sub finem bonorum cadunt. Animi bona, quae praeter virtutem erant, id est, ingenii Cicero, praeter pravam illam in V, 18 significationem, in quarto quintoque libro neque primis annumerat neque excludit. Omnino enim ad Peripateticorum veterum tripertitam bonorum divisionem haec tota primorum notio non facile accommodabatur.

naturae et enumerationem substituit, quo factum est, ut in inexplicabilem perversitatem incideret. Nam postquam dixit, Polemoni et Aristoteli prima visa esse *membra*, *sensus*, *ingenii motum*, *integritatem corporis*, *valetudinem*, hinc natam esse ait veterum sententiam, ut finem bonorum dicerent secundum naturam vivere, id est, virtute adhibita, frui primis a natura datis. Et tamen quid vel mediocriter attendenti apertius est, quam illud *secundum naturam vivere* poni potuisse. sive illa sive longe alia prima fecissent, eius autem, quod in explicanda hac vita, quae naturae conveniat, summum est, *adhibita virtute*, in illis primis ne minimam quidem esse significationem? Itaque Cicero his veteribus in eadem constantiae laude adiungit Calliphontem et Diodorum, quos eadem prima habuisse significare videtur; certe alia non nominat; et tamen in fine bonorum discrepant. De Aristippi et Hieronymi et Stoicorum primis Ciceronem aliquid dixisse videri, quod exciderit, in annotatione exposui; sed sive dixit aliquid sive non dixit, quae ei inter Stoicorum prima et summum bonum in una virtute positum ratio intercedere visa sit, difficile est suspicari. Atque hanc tantam confusionem Ciceroni accidisse eo magis mirandum est, quod in ipsa Carneadis divisione sententiarum de summo bono, qua post Antiochum utitur, aliquod tamen relictum erat harum notionum discrimen.

Carneades enim, qui a Cicerone propter egregiam in dialecticis exercitationem laudatur (III, 41), reapse autem satis habuit acuminis ad Stoicorum de cognitione rerum decreta parum subtilia cavillanda, ceterum neque ardenti studio ad veritatem exquirendam rapiebatur et a subtili notionum sententiarumque proprietatis perspiciendae cura tam abhorrebat, ut et ipse rhetorica levitate et lusu se iactaret et multo post Antiocho, qui ab eius secta descivit, tamen Peripateticos, Academicos, Stoicos in unam turbam coiciendi viam monstraret (III, 41), hic igitur instituit dissentientium philosophorum de summo bono sententias ita dividere, ut, quot esse omnino possent, appareret. Eam divisionem, quae Antiocho probata erat, Cicero exponit in huius operis libro V, 16 sqq. Cum igitur Carneades statuisset, artem vitae, ut ceteras artes, aliquid. quod extra ipsam esset, appetere, id autem, quod appeteretur, naturae aptum et accommodatum esse debere, [1]) de primo appetitu

---

[1]) Mire Cicero § 17: *Constitit autem fere inter omnes, id, in quo prudentia versaretur et quod assequi vellet, aptum et accommodatum naturae esse oportere* Neque enim quisquam umquam id, quod a natura alienum esset, appeti docuit. Sed studet ex hoc orbe, qui omnes,

omnem dissensionem esse dixit, deque eo tres esse sententias. cum alii eo voluptatem expeti putarent, alii vacuitatem doloris, alii prima naturae. In hac expositione (ut hic aliquantisper insistamus) primum id apparet, primum illum appetitum eo loco haberi, ut in eo omnis humanae naturae vis contineatur et ex eo omne bonum nascatur. Itaque hactenus respondet primae illi constitutioni, quae ab Antiocho explicatur. Cicero eum etiam *primorum invitamentorum* nomine appellat (17) et (19) *principiorum naturalium.*[1]) Deinde manifestum est, hunc appetitum sic definiri, ut totus ad amorem sui et tutelam corporis referatur, excludanturque omnia ea, quae hominem ad universae naturae et rationis normam trahunt. Ex hac igitur parte hic appetitus similis est primae Stoicorum conciliationi, a quibus Carneades prima naturae sumpsit; simul ita virtus excluditur, ut, qui eam in bonis habeant, postea quasi per posticum intromittendi sint. Antiochus, permirum est, quomodo hanc Carneadis divisionem probare potuerit, quae ipsius primam constitutionem, qua totus homo et rationis perfectio contineretur, prorsus everteret. Stoici quidem illud, quod initio a Carneade ponebatur, artem vitae ab aliquo constitui, quod extra eam esset et quod appeteretur, minime concedebant, sed sapientiam in se totam conversam esse docebant (III, 24). Postremo Carneades in dividendo inelegantissime voluptatem, id est, ut dixi, affectionem hominis id, quod appetivit, adepti comparavit cum primis naturae, id est, ipsis rebus, quae appetuntur, vacuitatemque doloris, id est, negativam voluptatis partem in alia parte divisionis posuit; qui error paulo post alias turbas dabit.[2])

Progrediens deinde Carneades, cum tria videretur reperturus summa bona ex impletione triplicis appetitus, subito induxit, cuius ne minimum quidem initium aut origo in hac ratione monstrata erat, honestum, ut rectum esset facere omnia

---

quae fuissent, sententias complecti debebat, excludere Pyrrhonem. Aristonem, Erillum.

[1]) Itaque ea hic, ut in libro IV *principia naturae*, a *primis naturae* separantur. Nam in principiis naturalibus haec erat differentia, quod in iis alii prima naturae ponebant, alii pro iis voluptatem.

[2]) Eadem divisio primi appetitus nescio unde ponitur apud Stobaeum p. 60: *Ὑποτελὲς* (bis scribi debere ὑποτελίς, ut p. 62, dixi ad II, 43) *δ' ἐστὶ τὸ πρῶτον οἰκεῖον τοῦ ζώου πάθος, ἀφ' οὗ κατήρξατο συναισθάνεσθαι τὸ ζῶον τῆς συστάσεως αὑτοῦ, οὔπω λογικόν, ἀλλ' ἄλογον κατὰ τοὺς φυσικοὺς καὶ σπερματικοὺς λόγους. — Γενόμενον γὰρ τὸ ζῶον ᾠκειώθη τινὶ πάντως εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς, ὅπερ ἐστὶ ὑποτελές. κεῖται δ' ἐν τινι τῶν τριῶν· ἢ γὰρ ἐν ἡδονῇ ἢ ἐν ἀοχλησίᾳ ἢ ἐν τοῖς πρώτοις κατὰ φύσιν.*

unius ex tribus illis rebus causa, quarum alii aliam primam appeti dicerent, etiamsi quis eam rem non adipisceretur. Ita non solum ab appetitu illo ad officium perventum est, sed, quod magis mirum est, cum boni notio ex expletione desiderii naturalis orta et ducta esset, nunc tamen oriuntur, qui finem boni in illo honesto ponunt, etiamsi naturae appetitus non expleatur.[1]) Apparet, occasionem mirae huius rationis excogitandae ortam esse e definitione illa, qua Antipater Tarsensis utebatur, cum virtutem et summum bonum dicebat esse *πᾶν τὸ καθ' αὑτὸν ποιεῖν πρὸς τὸ τυγχάνειν τῶν προηγουμένων κατὰ φύσιν* (vid. ad III, 22), quam iam a Diogene interdum positam esse, suspicatus sum (ad V, 20). Atque haec definitio, dum officii notionem e selectione *τῶν προηγουμένων*, in qua tamen continebatur etiam commodorum divinae legis causa contemptio, parum scite ductam cum virtutis notione connectere conatur, vim virtutis a Zenone intellectae valde illa quidem obscurat et a vera origine, quae posita est in universae naturae lege, cui libere obtemperetur, diiungit. Sed tamen ex reliqua disciplina intellegebatur, quomodo virtus constitueretur et bonum a commodorum adeptione seiunctum contineret. Carneades et hoc neglegit et praeterea virtutes duas alias non dolendi et voluptatis excogitat in iisque aliquem beatam vitam ponere posse putat. Itaque non mirum est, duas eas de fine boni sententias, quae tam ridicule confictae sint, defensore caruisse.

Postremo Carneades disputat, praeter has simplices de summa bonorum sententias iunctas et duplices tres fuisse, unam Academicorum Peripateticorumque, alteram Calliphontis, tertiam Diodori, nec vero plures, si rerum natura penitus perspiciatur, esse potuisse. Et tamen, si vera esset superior divisio, ex quattuor simplicibus effici posse debebant sex iunctae; neque apparet, cur, si initio recte voluptas et vacuitas doloris separatae sint inter se et a primis naturae, non recte coniungi possint aut voluptas et vacuitas doloris aut utralibet harum et prima naturae.

Atque haec qui partitus erat, idem deinde pugnare non destitit, in omni hac quaestione de bonis et malis non esse rerum Stoicis cum Peripateticis controversiam (III, 41), quorum alteri simplicem sententiam, alteri iunctam et duplicem habebant, id est, totam illam partitionem evertere et id, quod

---

[1]) Ergo haec efficitur tabula finium:

A. Adipisci

aut (1) voluptatem aut (2) vac. doloris aut (3) prima naturae.

B. Facere omnia

aut (1) voluptatis causa aut (2) vac. dol. c. aut (3) primorum nat. c.

in illa veritatis aliquid continebat, tollere. Antiochus autem et divisionem et hanc de Peripateticis et Stoicis sententiam probavit.

Non est operae pretium persequi, quomodo homo ingenio ad philosophiam non aptus, Varro, in libro de philosophia (apud August. de Civ. Dei XIX, 1) ab hac Carneadia divisione profectus, cum eius partes aliis philosophandi diversitatibus multiplicaret, notionibus mire confusis, summam ducentarum octoginta octo sectarum, quae in philosophia esse possent, repperisse sibi visus sit, quod artificium ne quis ipsius Varronis esse dubitet, etsi ipse lusus putidus et ineptulus dubitare prohibet, comparari velim simile artificium in longe alio genere ab eo expositum in libro II de R. R. I, 12, [nec valde dissimilem computationem L. L. VI p. 61 et 62 Bip. De Varronis studiis philosophiae quoniam mentio incidit, ne ipse erroris et ignoratae veritatis arcessar in iis, quae scripsi ad V, 11 et 34, cogor notare errorem O. Muelleri, qui in praefatione editionis librorum de L. L. p. V et VI, Varronem ab antiqua Academia, in qua ducem secutus esset Antiochum, transisse ad Stoam, apparere tradit ex sententiis Stoicis, quae in eius libris librorumque fragmentis reperiantur, idque ignorasse Ciceronem addit et hinc miram sententiam de tempore illorum Varronis librorum confirmat. Oblitus erat igitur, Antiochum ipsum nomen Academiae prae se tulisse, reapse, si perpauca mutavisset, *germanissimum Stoicum* fuisse (Cic. Acad. II, 132), ut nihil mirum sit, discipulum eius multa a Stoicis petita protulisse et tamen et sibi et Ciceroni in vetere Academia habitare visum esse. Non attigit hunc Muelleri errorem, qui opinionem eius de forma operis Varroniani iure impugnavit, L. Spengelius.]

V. DE ORDINE RERUM IN LIBRO TERTIO ET DE DIVISIONE ETHICAE APUD STOICOS.

Quoniam ipsi Stoici gloriabantur, admirabilem esse suae disciplinae compositionem et rerum ordinem, in omni autem accurate constituta disciplina ita connexae sunt notiones, ut ad earum intellegentiam multum intersit, legitimo eas ordine exponi, non sine causa quaerimus, ecquam Cicero in eorum sen-

tentiis explicandis ipsius scholae seriem et materiae disponendae legem secutus sit; idque eo magis faciendum videtur, quod ipsi quoque, etsi de tota forma non ambigimus, unum tamen et alterum satisne commodo loco ceteris interiectum esset, nos dubitare significavimus, et nuper vir doctus nova quaedam de disciplinae ethicae Stoicorum divisione et dispositione eruere et hoc ipso libro confirmare conatus est.

Ac primum, quoniam post Zenonem, qui summas leges ac praecepta ediderat, disciplina, dum ab adversariis oppugnatur, ab ipsis Stoicis defenditur, non solum uberius explicata est multisque partibus expleta, sed etiam notiones quaedam non ita leviter inflexae, apparet, inter antiquissimam compositionem atque eam, quae maxime post Chrysippum fuit, aliquantum interesse debuisse. Ipsum autem Chrysippum, quamquam omnes partes ipsas videtur constituisse, tamen, quoniam praecipua capita particulatim tractavit, non omnem ethicam disciplinam continua scriptione comprehendit, unam quasi legitimam totius disciplinae dispositionem habuisse, certum non est. Sed tamen ipsa notionum natura et cognatio eademque eas ab origine repetendi et tractandi ratio communem quendam apud hunc et eos, qui post eum fuerunt, ordinem praecipuarum partium effecisse videtur, cum praesertim id, quod varietatem afferre poterat, raro apud hos factum videatur, ut ethicam ad summa principia revocare et cum physica et doctrina de deo propius et subtilius connectere studerent.[1]) Itaque varietas ordinis maxime mansit in singularum virtutum et actionum tractatione. Illius, quem dixi, ordinis et dispositionis partium adumbrationem praeter Ciceronem habemus apud Diogenem Laërtium et Ioannem Stobaeensem, sed, ut in scriptoribus eiusmodi expectari debebat, non perturbatione vacuam. Diogenes (VII, 84) moralem partem a Stoicis dividi ait *εἴς τε τὸν περὶ ὁρμῆς καὶ εἰς τὸν περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν τόπον καὶ εἴς τὸν περὶ παθῶν καὶ περὶ ἀρετῆς καὶ περὶ τέλους περί τε τῆς πρώτης ἀξίας καὶ τῶν πράξεων καὶ περὶ τῶν καθηκόντων προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν.* In hac enumeratione et, quae cohaereant, mire distrahi et eadem quasi diversa repeti, quod pluribus locis necessario attingerentur, primum ex ipsa apparet. Nam *ὁ περὶ τέλους τόπος* quomodo separari poterat a bonorum et malorum tractatione? quaeque de appetitu (et prima conciliatione) disputabantur, coniunctissima fuisse cum primae aestimationis (*ἀξίας*) explicatione, apparet vel e Ciceronis brevi commemoratione § 20. Sed haec et initio attingebantur, ubi

---

[1]) In ipsa boni notione et naturalis legis hoc maxime desideratur.

boni notio praeparabatur, et postea, ubi rerum differentia agendi et officii constituendi causa exponebatur (apud Ciceronem § 50), uberius explicabantur. Similia dici possunt de virtutis notione, quae divulsa a bonis et malis inter *τὰ πάθη* et *τὸ τέλος* interponitur.[1]) Neque recte *αἱ πράξεις* et *τὰ καθήκοντα* distrahuntur. Deinde id, quod dixi, confirmatur ipsa, quae apud Diogenem a § 85 sequitur, moralis loci explicatione, in qua quamquam minime subtiliter expolita est, tamen haec, quae commemoravi, incommoda fere vitantur. Nam a primo appetitu (85) progreditur ad finem (87) et virtutem (90), in qua finis est; tum boni definitiones et divisiones proponuntur (94), virtutesque, in quibus bonum est, adumbrantur (100). Sequitur differentia *τῶν ἀδιαφόρων* (104), tum officium explicatur (107). Huic expositioni rerum ad vitam recte degendam pertinentium superadditur perturbationum (*τῶν παθῶν*) commemoratio (110), quibus contrariae ponuntur rectae animi affectiones (ut *ἡ χαρὰ τῇ ἡδονῇ*). Annectitur sapientis descriptio et a stulto distinctio (116), multa continens vitae degendae praecepta nullo certo, ut videtur, ordine, cui minus sane commodo loco intertexitur decretum, aequalia esse peccata (120). Adduntur decreta de virtutum omnium communione (125), de *τῇ προκοπῇ* (127), de virtutis perpetuitate eiusque *αὐταρκείᾳ πρὸς εὐδαιμονίαν*, quae apparet ibi poni debuisse, ubi universa virtutis natura explicaretur.[2]) Sed tamen quod et saepe seorsum haec defendebantur et quod in sapientis persona atque exemplo et virtutis proprietas et vitae degendae praecepta exponebantur, non negaverim, Diogenem Stoicos quosdam huius collocationis auctores habuisse. Interiecta non apte sententia, quae ius natura constitutum contra Epicureos tuebatur, reditur ad illa, quae dixi, vitae praecepta. Cum hoc Diogenis ordine si diligenter contulerimus eum, qui apud Ciceronem est, facile videbimus, etsi quaedam aliter collocentur et apud utrumque nonnulla reperiantur, quae ab altero omittantur (vitae quidem degendae praecepta illa specialia Ciceronis consilium prorsus excludebat), tamen in ipsa summa rerum eam esse ordinis similitudinem, quam supra significavi ortam esse ex notionum natura. Nam a primo appetitu ad bonum et finem pervenitur et ad virtutis naturam, tum ad rerum (*τῶν ἀδιαφόρων*) differentiam, postremo ad officium, quo vitae

---

[1]) Extremus locus *περὶ προτροπῶν καὶ ἀποτροπῶν* non potuit notionum ethicarum explicationem, sed praecepta de hominum studiis prudenter ad virtutem convertendis continere.

[2]) Ut fit in decreto de peccatorum aequalitate et de *προκοπῇ* apud Ciceronem § 45—48 et de *αὐταρκείᾳ* virtutis quodam modo § 42 sqq

actio regatur.[1]) Multo magis rerum sententiarumque, quibus Stoicorum ethica disciplina continetur, cohaerentia obscuratur apud Ioannem Stob. (Ecl. Eth. p. 90 sqq.), apud quem haec deinceps explicantur, quae solis nominibus a me notabuntur: Bona et mala (90); boni definitiones et divisiones (96); virtutes (102); earum finis, vivere convenienter naturae (108); virtutum communitas (112); sapientis persona (120); iterum bonorum divisio (124); finis, convenienter vivere (132); τὰ ἀδιάφορα (142); officium (158); appetitio (ὁρμή, 160); perturbatio (166); amicitia (186); sapientis persona et varia praecepta (188); definitio κατορθώματος et ἁμαρτήματος (192); peccata aequalia (198). Apparet, omissam esse initio appetitionis et primae conciliationis commemorationem, in finis autem et bonorum explicatione res coniunctissimas divelli et bis poni. Ceterum hic quoque, ut apud Ciceronem et Diogenem, officium tractatur proxime post τὰ ἀδιάφορα, perturbationes (in quibus explicandis asciscitur appetitionis notio), ut apud Diogenem, post officium.

Alia ratione Ch. Peterseniüs, vir doctus, in Philosophiae Chrysippeae Fundamentis (Hamburgi 1827) p. 258 sqq. ad veram ethicae Stoicorum divisionem e dialecticae fontibus sumptam pervenisse se putat; qui dum opinioni suae de vi notionum quarundam dialecticarum apud Stoicos indulget, neque his ipsis satis subtiliter usus esse neque notionum ethicarum proprietatem considerasse neque testimonia veterum caute examinasse videtur. Proficiscens enim a Senecae quodam loco in Epist. 89, 14 [2]). cuius tamen ipse ordinem invertit, et cum eo coniungens enumerationem illam partium, quae apud Diogenem ponitur, sed eam quoque mutatam, hanc ponit doctrinae ethicae descriptionem: I. 1 περὶ ὁρμῆς. 2 περὶ παθῶν. II. 1 περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν. 2 περὶ ἀρετῆς. III. 1 περὶ τέλους περί τε πρώτης ἀξίας καὶ τῶν πράξεων. 2 περὶ καθηκόντων προτροπῶν τε καὶ ἀποτροπῶν. Locos duos priores in corporibus (quae Stoice dicebantur) versari putat, tertium in incor-

---

[1]) Illud quoque commune, quod boni notio, de qua ad § 33 diximus, etiam apud Diogenem paulo posterius explicatur, quam expectabamus, quamquam non tam abrupte inducitur quam apud Ciceronem.

[2]) *Ergo cum tripertita sit philosophia, moralem eius partem primum incipiamus disponere; quam in tria rursus dividi placuit, ut prima esset inspectio suum cuique distribuens et aestimans, quanto quidque dignum sit, maxime utilis (quid enim est tam necessarium quam pretia rebus imponere?), secunda de impetu, tertia de actionibus. Primum enim est, ut, quanti quidque sit, iudices, secundum, ut impetum ad illa capias ordinatum temperatumque, tertium, ut inter impetum tuum actionemque conveniat. ut in omnibus istis tibi ipsi consentias.*

poralibus; praeterea „primum locum esse pro introductione in agendi ratione versantem ad virtutis perfectionem progrediente, posteriores ambos ad categorias esse constitutas ita, ut in bonis et malis substratum cernatur, in virtute qualitas, in fine aliquo modo se habere, in officiis denique quantitas.“ [1]) Cum Senecae autem loco confert Ciceronis, qui est in libro II de Off. 18, qui locus cum ita incipiat: *Etenim virtus omnis tribus in rebus fere vertitur* cet., tamen negat virtutis hanc divisionem esse, totius ethicae esse vult, nec curat, quod multum interest inter tertiam partem Senecae, quae continet omnem actionem, et Ciceronis, quae solam iustitiam, ut ad IV, 4 exposui, ubi hunc Ciceronis locum declaravi. Illam Senecae divisionem, quam Petersenius etiam Epicteto sine ulla causa tribuit [2]), reperire poterat apud Ioannem Stobaeensem in Eclog. Eth. p. 48, paene totidem verbis expositam: *Τοῦ δὲ ἠθικοῦ τὸ μὲν περὶ τὴν θεωρίαν τῆς καθ' ἕκαστον ἀξίας, τὸ δὲ περὶ τὴν ὁρμήν, τὸ δὲ περὶ τὴν πρᾶξιν. Ταῦτ' ἔστι [γὰρ τριμερῆ] τῆς ἠθικῆς εἴδη, πρῶτον μὲν τὸ θεάσασθαι τὴν ἀξίαν τοῦ πράγματος, ὅπερ αἱρεῖσθαι μέλλομεν· (οὐδὲ γὰρ οἷόν τε γενέσθαι τὴν ὁρμὴν εὔλογον, εἰ μὴ μετὰ τὴν θεωρίαν· ἡ θεωρία δ' ἐστὶ περίσκεψις τοῦ πράγματος καὶ οἷον ἐπίκρισις κατὰ τὸν περὶ αὐτοῦ λογισμόν·) δεύτερον δὲ τὸ τὴν ὁρμὴν τῷ περινοηθέντι καλῶς ἐπιβάλλειν, τρίτον τὸ τὴν πρᾶξιν αὐτοῖς ἐπισυνάψαι.* Atque ibi haec divisio repetitur ex Eudori Alexandrini, Academici, libro, qui quando vixerit, non

[1]) De his, quae ad categorias pertinent, dicam breviter extra reliquam disputationem, quod hoc loco totam rem et usum illum categoriarum persequi nequeo. Primum igitur, cum sex sint partes, quis non miretur, quattuor postremas categoriis respondere, duas primas ab hac comparatione prorsus excludi? Deinde, quod caput est, minime illae notiones eo modo, quo in universa rerum natura categoriae, inter se separatae et respondentes quattuor prima genera unamquamque rem e materia ethica desumptam considerandi continent. Quis enim in virtute magis quam in bonis et malis qualitatem materiae ethicae spectari dicat? Quomodo, cum finis quaeritur, id est, is omnis boni complexus, qui ad beatam vitam explendam expetatur, ibi bonum, tamquam substratum, *aliquo modo se habere* intellegitur, quam categoriam Petersenius ipse exponit referri ad *διαφορὰν καὶ κατάστασιν*? Nihil dico etiamnunc de finis loco a bonis et malis separato similibusve.

[2]) Epictetus Enchirid. c. 76 (51) longe alio spectans, tria esse ait in philosophia, usum theorematum, demonstrationem, huius confirmationem; ex his tribus primum summum esse, recte agere, propter id alterum necessarium, quid sit faciendum, demonstrare, propter hoc etiam tertium, dialectica arte illam demonstrationem tueri; reprehendit autem, quod fere in hoc tertio omnis diligentia consumatur. Apparet, in hoc loco ita *τὴν πρᾶξιν τῇ θεωρίᾳ* praeferri, ut nulla omnino hic sit *τῆς ἠθικῆς θεωρίας* divisio ex arte desumpta. Sed ne *τῆς πράξεως* quidem ea divisio, quae apud Senecam, ponitur.

constat. Iam eam Petersenius ut accommodet aliquo modo ad ea, quae aliunde constant, ita, ut dixi, invertit, ut, quod apud Senecam et Eudorum secundum est, περὶ ὁρμῆς, primum faciat, atque partem περὶ παθῶν, quae apud Senecam et Eudorum (p. 50) cum hac de impetu coniungitur, etiam apud Diogenem vi in initium retrahat, nec videat, longe aliter de appetitu ac prima conciliatione disputari initio disciplinae ad praeparandam notionem boni, aliter apud Senecam de moderando impetu et ad boni notionem iam explicatam convertendo, ut ei pareat. Miror omnino, non venisse in mentem, de quo ipsa Senecae verba legentem admonent, eiusmodi esse hanc divisionem, non quae disciplinam secundum praecipuas notiones, quae in arte explicentur, dispositam contineat, sed quae totam perfectionem vitae moralis ita in tria capita dispertiat, ut omnis fere ars et θεωρία in primo ponatur, reliqua duo πρᾶξιν et eius instrumenta comprehendant.[1]) Itaque apud Eudorum et τὸ περὶ τέλους et τὸ περὶ τῆς ἀξίας, quae Petersenius in tertia parte ponit, apertissime ponuntur in prima (quam ille secundam fecit) p. 48 et 50. Verum quod tota haec divisio coniungit res separatas, notionum in arte expositionem et ipsam vitae actionem, ne inanis sit tertia pars, in eam transfertur doctrina de officiis et recte factis (περὶ καθηκόντων καὶ κατορθωμάτων, p. 52), quae etiam apud Senecam significatur (§ 15 *quando quidque et ubi et quemadmodum agi debeat*), eique adiungitur locus προτρεπτικὸς καὶ παραμυθητικός, qui apud Diogenem quoque appendicis loco adhaerebat, περὶ προτροπῶν καὶ ἀποτροπῶν. Hac igitur divisione parum subtili Stoicos quoque quosdam usos esse, Senecae credimus; num tamen quisquam, cum scribendo universam disciplinam explicaret, eo ordine uti potuerit, non iniuria ambigi potest; receptum eum et communem fuisse, et res ipsa credere vetat et Cicero atque Diogenes et Ioannes. Ea autem partitio et dispositio, quam hinc Petersenius effecit, in mentem venire nemini potuit; cui quoniam fundamenta iam sensim subtracta sunt, illud unum dicamus, ne ad similitudinem quidem ullam veritatis eam ethicae Stoicae dispositionem accedere, quae τὰ πάθη ante virtutem ponat et notionem finis, id est, ipsius bonorum absolutionis a bonis diiungat et in alium locum transferat. Et tamen in hac dispositione per omnem

[1]) Itaque hinc efficitur illa cum Ciceronis loco, qui in secundo libro de Off. est, similitudo, ubi virtus in tres partes dividitur. Nam prima pars, quae prudentiam continet, hic, ut in quadripertita definitione, a scientia non potest separari; duae reliquae omnem actionem continent, partim in suo animo moderando, partim in aliis moderate utendis.

disciplinam persequenda vir doctus (p. 265) hunc tertium Ciceronis librum de finibus ducem nobis esse posse iudicat. Sed adeo incuriose rem agit, ut Ciceronem narret „finem bonorum ex impetu rationali constitutum, ut substratum, persequi.“ Ita finis, qui supra in tertiam partem reiciebatur et tertiae categoriae respondebat, nunc subito in primam partem retrahitur et primae categoriae respondet. Deinde narrat, a Cicerone „ad bona et mala respici c. 10, c. 11 ad virtutes et vitia, c. 12—15 ipsum finem convenientia et felicitate constantem attingi.“ Quasi non ibi notio non magis finis quam boni et recti multo ante constituta cum Peripateticorum sententia conferatur et comparando declaretur.[1])

Ciceronem (ad hunc enim ipsum revertamur) iam dixi similem ordinem secutum esse ei, qui apud Diogenem est. Eum aut ipse adumbravit scholae formam sequens aut, quod probabilius putabunt, qui hoc genus librorum Ciceronianorum intus norunt, ab eo scriptore Graeco sumpsit, quem sibi ducem elegerat in hoc libro componendo. Et confirmatur haec sententia eo, quod ipse in Catonis persona rerum ordinem sibi aliunde datum aperte significat § 33 et maxime § 50. Is autem scriptor, si unus fuit, non Chrysippus fuit, ut post Goerenzium (Introduct. p. XXV) Petersenius putat (p. 265), quamquam disputatio Catonis ducitur a sententia prorsus eodem modo a Chrysippo apud Diogenem Laërtium exposita, sed aut Diogenes Babylonius aut aliquis Diogene recentior, qui eo multum usus erat. Nam et illa Chrysippi expositio primae conciliationis et quae alia in hoc libro ad Chrysippi auctoritatem referri possunt, ut quae § 27 et 46 et 61 et 73 dicuntur, tum ea, in quibus ipse Cicero Chrysippi nomen ascribit, § 57 et 67, sine dubio a Chrysippo et ad ceteros et ad auditorem eius Diogenem propagata erant, quem in priore loco Cicero ipse Chrysippo adiungit. Diogenem autem Cicero et in ea re, in qua discrepantia aliqua Stoicorum erat, ita sequitur, ut eum ducem elegisse videatur (§ 33), et eius de divitiarum vi sententiam ita incommodo loco (§ 49) interponit, ut vix id facturus fuisse videatur, nisi eius librum in manibus habuisset et ex eo multa excerpsisset. Tum ea pars disputationis, qua exponitur differentia Peripateticae et Stoicae sententiae (§ 41 sqq.), etsi decreta et sententias habet omnium Stoicorum, tamen formam habere videtur ab aliquo, qui cum Carneade, ut Diogenes,

---

[1]) Summa sententiae Petersenii, quemadmodum necesse erat erroris tollendi et arcendi causa, reprehensa et convicta, non puto opus esse de iis dicere, quae paulo immutata posuit p. 307 sqq.

aut post eum vixerit. Ne illud quidem praetermittendum est, quod ad § 22 annotatum est, Ciceronem eam formulam summi boni commemorare, quae ad Antipatrum, Diogenis discipulum, refertur, sed ab ipso Diogene non abhorret (cfr. ad V, 20). Quod autem § 57 eos, qui post Diogenem fuerunt, Stoicos commemorat, poterat perfacile, etsi in subtiliore universi huius libri argumento Diogenem aut aliquem Diogenis sectatorem ducem haberet, tamen ex Panaetio aut Posidonio, quorum scripta magis triverat, huiusmodi aliquam sententiam de gloria et fama addere. Sed sive Diogenem sive alium, sive unum sive plures Cicero in hoc libro componendo secutus est, videtur iam ibi, unde materiam sumpsit, res ita tractatas repperisse, quemadmodum apud Stoicos posteriores factum interdum est, ut easdem notiones pluribus modis constituere et confirmare conarentur, partim totius disciplinae perpetuum quasi tenorem sequentes, partim argumentorum conclusionibus separatim ad quamque sententiam excogitatis pugnantes, unde facile fieri poterat, ut et saepius quaedam dicerentur fere eadem et sententiae cohaerentes nonnihil divellerentur. Huiusmodi enim aliquid accidisse in ea parte huius libri, ubi bonum et virtus et finis constituitur, et significavimus (ad § 25 et 34) et poterant in eam rem plura notari. Nam et § 26 et 27 nova argumentandi forma nihil aliud efficitur, nisi quod supra effectum erat, et, postquam hic expositum est, honestum solum esse bonum, postea (§ 36) rursus confirmatur, honestum per se expetendum esse.[1] Deinde autem Cicero, cum ex ampliore scripto Graeco aut pluribus summa capita sententiarum, quae ad finem bonorum et rerum differentiam pertinerent, excerperet, duobus locis (§ 35 et 49) aliquid imprudenter retinuisse videtur, quod illic fortasse cum reliqua disputatione coniunctum fuerit, et in suo libro ita posuisse, ut, quo pertineat quidve ad rem faciat, non appareat. Postremo in media tractatione τῶν ἀδιαφόρων § 55 subito bonorum divisionem quasi iusto loco ponit: *Sequitur illa divisio, ut bonorum alia sint* cet., quam apparet ibi ponendam fuisse, ubi de boni notione et definitione diceretur, ut fit apud Ioannem Stob. (p. 100) et Diogenem Laërt. (VII, 96 sqq.). Sed aut ipse Cicero hic eam interposuit, cum sero admonitus esset simili, quam § 56

---

[1] Fieri tamen potest, ut Cicero ei, quem praecipue sequebatur, fonti aliquid aliunde non apte admiscuerit. De definitione boni non recto loco posita nec satis ad reliquam disputationem adhibita culpam a Cicerone in Stoicos transtuli (§ 33), iure, ut opinor.

adiungit, τῶν προηγμένων divisione, aut apud Graecum, quem sequebatur, eam hoc loco comparationis causa commemoratam repperit.

VI. OSTENDITUR, PRONOMEN, QUOD EST *QUISQUE*, PRO EO, QUOD EST *QUICUMQUE*, NON PONI APUD CICERONEM AUT ALIOS EIUSDEM AETATIS SCRIPTORES.

AD LIB. III c 15, 51.

Pronomen, quod est *quisque*, pro eo, quod est *quicumque*, apud Ciceronem et eius aequales poni, quidam in scriptura aliquot locorum iudicanda et in enarrando adeo incuriose disputant, ut ne ipsius quidem huius pronominis *quicumque* quae sit potestas ususque fines, scire et cogitare videantur. Quoniam enim id initio et proprie non infinitum, sed relativum infinitum est, primum maximeque quaeritur, dicaturne etiam *quisque* pro relativo. Eius usus, qui apud Plautum et Terentium dubius non est, apud Ciceronem praeter eum locum, a quo haec disputatio orta est, et illum paulo priorem (III, 45), quem ex optimis codicibus emendavi (etsi ibi *quaeque* a paucis editum erat), unum relinquitur exemplum, de Legg. II, 45: *Ligneum*, *quodque voluerit*, *uno e ligno dedicato*, eiusmodi, quale ne Plautus quidem posuit, qui numquam id pronomen pro *qualicumque* dixit. Eo autem manifestius mendum est, quod desideratur subiectum verbi *dedicato* et quod apud Platonem, cuius verba Cicero vertit, est: ὅ, τι τις. Itaque recte scribi iubent: *quod quis.* Quae Schellerus et alii e libro II de Legg. 20 et 21 et e libro III, 9 proferunt, in iis manifestissimum est, *que* particulam esse copulativam, quae legem legi annectat, antiquam simplicitatem imitans; nisi forte etiam ubi sic scribitur (II, 20): *Quoque haec privatim et publice modo rituque fiant*, *discunto*, non *et quo modo* intellegere debemus, sed *quocumque modo.* (De Orat. I, 119 nunc recte scribitur; nec ibi poni poterat *quicumque*, quia definitum genus significatur.) E Ciceronis aequalibus unus obicitur Cornelius Nepos, qui in Pelopidae c. 2 sic scripsisse putatur: *Hi omnes fere* (exules

Thebani) *Athenas se contulerant, non quo otium sequerentur, sed ut quemque ex proximo locum fors obtulisset, eo patriam recuperare niterentur.* Quoniam de alio loco, quem praeter Athenas expectaverint, cogitari nequit, cum Athenas ipsas exules propter vicinitatem elegisse et inde Thebas profecti esse tradantur, enarrant: *quamcumque occasionem*; vereor, ut satis Latine; nam si recte dicitur *locum rei gerendae dare, habere*, ablativo tamen casu, addito pronomine, id nomen illo modo (*eo loco patriam recuperare*) dici posse non videtur. Itaque unas Athenas significari puto et sic a Cornelio scriptum esse: *ut, quem ex proximo locum fors obtulisset, eo* cet., hoc est, ut in urbe vicina, quam commode fortuna obtulisset, consilia patriae recuperandae agitarent. Livius bis illo pronomine sic usus creditur, primum I, 24, 3: *Foedus ictum inter Romanos et Albanos est his legibus, ut, cuiusque populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo — imperitaret.* Manifestum est, ubi certamen duorum populorum certa et perpetua foederis lege dirimatur, nullum locum esse pronomini infinito; nam qui sic dicit: *ut, cuiuscumque populi* cet., is aut inter plures populos aut saepius ita certatum iri dicit, ut, sine ulla certa possessione, eius, quicumque vicerit, imperium futurum sit neque ulla alius rei ratio habeatur. Itaque prorsus non dubito, quin in eo codice, e quo nostri orti sunt, non recte *cuiusque* pro *cuius* scriptum fuerit. Alter est locus Livii in libro XXV c. 29, 6, [qui sic edebatur]: *Famaene credi velis, quanta urbs a te capta sit, quam posteris quoque eam spectaculo esse, quo quisque terra, quisque mari venerit, nunc nostra de Atheniensibus Carthaginiensibusque tropaea, nunc tua de nobis ostendat?* Non, qui adveniat, ostendere tropaea sibi nondum nota, sed urbem venienti ea ostendere, Creverius vidit; itaque verba admodum dure coniungenda sunt: *ut, quicumque eo venerit,* (ei urbs) *ostendat.* Mihi et haec duritia minime Liviana et illa insolentia pridem persvaserat, ut sic Livium scripsisse putarem: *quae, ut quisque terra, quisque mari venerit, nunc* cet. [Cognita postea cod. Puteanei scriptura: *quo quisquis terra quisque mari*, edidi: *quae, quisquis — quisquis* cet. Saltem testimonium codex eripuit.] Videri alicui possit apud Livium pronomen *quisque* pro pronomine *quicumque* positum defendi usu adverbii *quandoque* pro *quandocumque* positi, qui apud Ciceronem nondum reperitur. Sed tollitur ea defensio et maius contrariae sententiae pondus accedit, quod adverbii hic usus apud reliquos scriptores et, quorum in tali re certissimum est testimonium, apud poëtas frequentatur, pronominis duo illa exempla sunt. (*Quandoque* pro *aliquando* apud Ciceronem legitur ad Fam. VI, 19, 2. De Orat. III, 212 *quandoque* neque est *quandocumque* neque *et quando*, sed rariore exemplo

adverbium prorsus ea ratione ponitur, qua ipsum pronomen *quisque* in distribuendo, ut *quid quandoque deceat* sit *quid quoque tempore deceat.* Eodem modo Manilius poëta Astron. II, 745: *In quocumque igitur stellae quandoque locatae Dodecatemorio fuerint, spectare decebit*; (quo loco mendumne arguat *quocumque* interrogative positum, hic non quaero).

Praeter primum et legitimum usum *quicumque* ablativo casu notum est pro eo, quod est *quivis*, dici (*quacumque ratione, condicione, quocumque modo, loco*). [Longius progressus Livius (nam de nominativo sic posito olim in editionibus Ciceronis Epist. ad Fam. II, 19 extr. nihil opus est dici) accusativum sic posuit XXII, 58, 5: *quamcumque condicionem paciscendi acceperunt*, et III, 40, 7 (de quo loco dixi Emendatt. Livv. p. 78), etiam genetivum in significanda dubitatione X, 18, 1: *cum ea in Samnio cuiuscumque ductu auspicioque gererentur*, hoc est: cuiuscumque ductu gesta sunt; cfr. de ablativo I, 39, 5, XXXIII, 45, 2, XLV, 23, 6; addiderunt alios casus insecutae aetatis scriptores raris locis, neque tamen ut umquam pro eo, quod est *quicumque facit*, dicerent *quicumque*, *qui facit*, quemadmodum pravissime editur apud Senecam de Benef. II, 2, 1: *et cuicumque, quem amicum sis promerendo facturus*, ubi Siesbyeus vidit scribendum esse: *et quemcumque amicum*, et apud Svetonium Aug. 76: *quocumque tempore et loco*, *quo stomachus desiderasset*, ubi recte excerpta saec. XI apud Rothium p. XXXIII omittunt *quo*.] Quod ablativo primum casu, et apud Ciceronem eiusque aequales solo ablativo, fit in pronomine *quicumque*, idem genetivo casu fit in *quisque*, ut pro *cuiusvis* ponatur cum certis substantivis; nam, ut eos omittam, qui Cicerone antiquiores sunt, etiam apud Ciceronem aequalesque et *cuiusque modi* dicitur (ut hic II, 3 *multa cuiusquemodi* et 22 *cuiusquemodi voluptates*) et *cuiusque generis* (Cic. R. P. III, 14, Caes. B. G. V, 12, B. C. I, 51, Sallust. Cat. 24 et 28 et 40; Corn. Ages. 8); Tacitus Hist. IV, 51 *cuiusque ordinis* dixit.[1]) Sed quae praeterea de pronomine *quisque* extra relativam significationem pro *quicumque*, hoc est, ut apparet, pro *quivis* posito proferuntur, ea posita sunt aut in manifestis mendis aut in apertissimis gravissimisque erroribus hominum, quomodo Latine dicatur *quicumque* aut *quivis*, non animadvertentium. Mendose editur apud Caesarem B. G. VI, 23: *qui* (hospites) *quaque de causa ad eos venerunt*, *ab in-*

---

[1]) Pro relativo ne *cuiusquemodi* quidem umquam dicitur; nam quod olim in oratione pro Flacco 40 legebatur: *tabulae illae ipsae, cuiusquemodi sunt*, recte mutatum est et e vestigiis codicis Vaticani erutum: *cuicuimodi sunt.*

iuria prohibent sanctosque habent; nam illa coniunctio *qui quaque de causa* distributionem significat singularum causarum (ut cum dico: dixerunt deinde separatim, qui quaque de re missi erant). Recte codices optimi (Leid. 1, Haun. A apud Elberlingium, Scaligeranus, Ursini) habent: *quacumque de causa*. Apud Tacitum Ann. XIII, 14 Waltherus pro recto *ne cuius* ex edd. vett. arripuit *ne cuiusque*. Gruteri errorem, qui in Sallustii Catil. c. 5 pro eo, quod recte scribitur: *supra quam cuiquam credibile est*, edidit barbare *quam cuique* (quasi dicas: *maior est quam quivis alius* pro eo, quod est: *quam quisquam alius*), non modo refellendum, sed ne notandum quidem putarem, nisi fere in eundem nuper incidisset Stuerenburgius in commentatione secunda editioni librorum de officiis subiecta. Nam quod ultra communia illa eorum praecepta, qui pronomina, quae sunt *quisquam* et *ullus*, tantum in negativis sententiis poni tradunt, progredi noluit nec perspexit, in his vocibus generalem esse affirmationem, negationi ita contrariam, ut ei sufficiat, unum omnino, quodcumque tandem sit, esse, si in quos locos inciderat, qui vulgaria illa artificia prorsus respuebant, quibus sententias ex affirmativis negativas faciunt, velut cum occurrebat dici: *turpe est, ridiculum est, esse quemquam*, partim aliis usus est auxiliis, in iis autem locis, ubi sic concurrere videbat pronomen *quisquam* et relativum (ut cum dicitur: *Mihi potest accidere, quod cuiquam potest*), pronomen *quisque* prave substituit idque pro eo, quod est *quicumque*, positum esse censuit, ut (p. 198) apud Ciceronem ad Attic. IX, 15, 5: *quod te moveri arbitror oportere iniuria, quae mihi a quoquam* (quicumque tandem is sit) *facta sit*, scribit *a quoque*, et in Cornelii Attico c. 19 (*Tanta enim prosperitas Caesarem est consecuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam ante detulerit*, id est, omnia omnium commoda) ponit *cuique*. Nihil magis contrarium fingi potest quam haec: *Quod quisquam accipit, ego accipio* (hoc est: nihil tam rarum est, quod non, si quisquam alius, ego quoque accipiam) et: *Quod cuivis datur, accipio* (hoc est: vilissima, quae omnibus dantur). Ac Stuerenburgium quidem vel Zumptius (§ 709 extr.) convincet; sed quoniam is quoque raram hanc formam putat, ascribam testimonia, Livii XXXIII, 3, 4 et XLII, 34, 13, Ovid. Am. II, 4, 47, Senec. ad Marc. 1, 3, Epist. 27, 7 (*in ea opinione erat, ut putaret se scire, quod quisquam in domo sua sciret*), de Benef. V, 1, 3 (*ut tibi dari beneficium putes, quod ulli detur*), Epist. 16, 7 (*quidquid bene dictum est ab ullo, meum est*), tum, ubi adverbium *usquam* aut *umquam* positum est, Livii V, 42, 5, Tac. Ann. III, 27. (Apud Livium IV. 6. 9 editur: *Extemplo quicumque aliquid seditiose dixerat aut fecerat, quam maxime tribunicii, prensare homines et concursare*; pravum *quam maxime* pro *maxime*;

codices *hunc quam*; scripsit Livius [ut postea vidi etiam Creverium intellexisse]: *quicumque aliquid seditiose dixerat aut fecerat umquam, maxime tribunicii.* [1])

Nullam rationem duxi imperitiae Goerenzii et si qui eodem errore, ubi *quisque* usitatissime ponitur in distributione et singulorum significatione, pro eo, quod est *quicumque*, poni narrant, velut hic II, 5 (*quid quidque sit, aperitur*, id est, unaquaeque res seorsum), idque faciunt etiam ubi additur *suus* (ut III, 67, V, 46, al.), [2]) postremo etiam interrogativum id pronomen esse volunt (ut V, 60).

VII. CICERONIS DE LIBRIS ARISTOTELIS TESTIMONII AUCTORITAS EXQUIRITUR. (SIMUL VESTIGIA DOCTRINAE ANTIOCHI PRO PERIPATETICA TRADITAE APUD IOANNEM STOBAEENSEM DEMONSTRANTUR.)

AD LIB. V, C. 5, 12 SQQ.

Quoniam in nota quaestione de duplici Aristotelis librorum genere, quam propter opinionum commenta difficile est breviter simul et utiliter attingere, necessario Ciceronis verba, quae in libri quinti capite quinto posuit, iactata sunt, faciemus, quod ad enarratoris officium pertinet, ut primum, quid in Ciceronis testimonio contineatur, exquiramus, deinde, quantum ei ponderis tribuendum sit, videamus. [3])

---

1) [De Livii III, 55, 8 dixi Emendatt. Livv p. 47.]

2) Apud Horatium etiam Epist. I, 18, 68 (*Quid de quoque viro et cui dicas, saepe videto*) Schmidius, etsi recte vertit, putat esse *quocumque*, quasi non id Horatius dicat, ad singulorum proprietatem accommodandam esse cautionem. In indice autem confirmationis causa ascribit Liv. XXII, 5, 1, ubi est: *vertente se quoque ad dissonos clamores.* Ne Gronovius quidem errorem vitavit, qui ad Liv. I, 24 e Ciceronis lib. II de Legg. 20 ascripsit: *quae* (legitur *quaeque*, id est, *et quae*) *quoique divo decorae grataeque sint hostiae, providento*; Drakenborchius autem etiam haec e Livii lib. III, 18, 10 ponit: *Suae fortunae a quoque sumptum supplicium est.*

3) Qui ipsam controversiam usque ad nostram aetatem tractarunt, eo-

Primum igitur Cicero (nam Pisonis personam non curamus) et Aristotelis et Theophrasti libros illa divisione comprehendit, quod praeter eum unus, quod sciam, aperte facit Galenus,[1]) cum ceteri fere tantum Aristotelis scripta sic divisa narrent. Doctrinae tamen secretioris et vulgo traditae fictum discrimen, ex duplici scilicet Aristotelis librorum genere ductae, ad omnem scholam transferunt scriptores posteriores aetate, Plutarchus (vit. Alex. 7) et Lucianus (Vit. Auct. 26). Deinde Cicero ita in ethicis scriptis hanc diversitatem commemorat, ut tamen nequaquam, quae Buhlii et Stahrii opinio fuit, eam huius generis propriam esse aperte significet. Nam cum ceteras philosophiae partes brevissime commemorasset, ab iis (*Atque his de rebus* cet.) ad eam transiens, de qua nunc agendum est, cum eam nominasset (*De summo autem bono*), hic demum eius discriminis librorum, quod discrepantiam sententiarum afferre posse videbatur, mentionem fecit.[2]) Alteros Cicero popularius scriptos fuisse ait, alteros limatius, id est, ut in annotatione expositum est, cum subtiliore et astrictiore veritatis explicatione.[3]) Sed hos posteriores non ab ipsis scriptoribus editos, sed in

---

rum praecipuos enumerat A. Stahrius in Aristoteliorum vol. II p. 237 et p. 268. Accesserunt disputationes Ritteri in vol. III Hist. Philos. p. 21 sqq. et Micheletii ad Ethic. Nicomach. I, 5, 6 et I, 13, 9 et quae Krischius in ephemeridibus Goettingens. a. 1834 p. 1894 sqq. et in Ienens. a. 1835 mensis Decembris p. 410 sqq. scripsit. Hegelius tantum nulla fuisse decreta esoterica et exoterica vere iudicat, de librorum quorundam forma magis populari et divisione hinc orta non quaerit. [Ex iis, qui postea rem attigerunt, satis erit Brandisium nominasse. Hist Phil. Gr. et Rom. II, 2, 1 p. 101 sqq. et qui contra Bernaysium (Die Dialoge des Aristoteles, 1863) disputat, Forchhammerum: Aristoteles und die exoterischen Reden, Kiliae 1864.]

[1]) Fragm. de substant. facult. natur. ed. Bas. I p. 342 (IV p. 758 ed. Kuhn): *Διαφωνίαν οὐ χρὴ τοῦτο νομίζειν εἶναι. τἀνδρὸς ἑαυτῷ τἀναντία λέγοντος. ὥσπερ οὐδ' Ἀριστοτέλους ἢ Θεοφράστου, τὰ μὲν τοῖς πολλοῖς γεγραφότων, τὰς δὲ ἀκροάσεις τοῖς ἑταίροις.* Apud Clementem tamen Alexandr. V Strom. p. 245 Sylb. sine dubio scribendum est: *Λέγουσι δὲ καὶ οἱ Ἀριστοτέλους, τὰ μὲν ἐσωτερικὰ εἶναι τῶν συγγραμμάτων αὐτοῦ (v. αὐτῶν), τὰ δὲ κοινά τε καὶ ἐξωτερικά.* De suis ipsi scriptis id non profitebantur (*συγγράμμασι τοῖς αὐτῶν*).

[2]) Plutarchus in vita Alexandri 7 *τὸν ἠθικὸν καὶ πολιτικὸν λόγον* contrarium facit *ταῖς ἀπορρήτοις καὶ βαθυτέραις διδασκαλίαις.* Contra adv. Colot. 14 p. 1115 B *τὰ ἠθικὰ ὑπομνήματα καὶ τὰ φυσικά* seiungit a dialogis *ἐξωτερικοῖς.*

[3]) Nomen in posteriore genere definitioni non addit. etsi non minor hic eius ponendi causa fuisse videtur *Ἀκροαματικοὶ λόγοι* appellantur in epistulis illis subditiciis, quas iam Andronicus Rhodius libro inseruerat (Gell. XX, 5). *Ἐσωτερικὰ συγγράμματα* primus appellat Clemens Alex., sed Peripateticum et *ἐξωτερικόν* et *ἐσωτερικόν* iam Lucianus.

commentariis quasi domi retentos tradit. Itaque iniuria nuper Stahrius (Aristot. II p. 35) negavit, a quoquam vetere scriptore apertis verbis tradi, quod Strabo significat in notissima narratione (XIII p. 609), Aristotelem libros suos maioris momenti plerosque (πλὴν ὀλίγων καὶ μάλιστα τῶν ἐξωτερικῶν) non ipsum edidisse. Nam quod idem (II p. 243) Niebuhrii opinionem quandam sequens (Hist. Rom. I p. 22 ed. 3), in commentariis relictos eos libros dici putat, quos Aristoteles et Theophrastus non statim, cum scripti essent, ediderint, sed aliquamdiu retinuerint et subinde emendaverint, primum illius *aliquamdiu* et editionis postea consecutae ne minimum quidem vestigium est in verbis Ciceronis; deinde perspicuum est, si de huiusmodi quadam Aristotelis et Theophrasti consvetudine Cicero loqueretur, ut antea dixit: ἐξωτερικόν *appellabant*. sic hic dicendum fuisse (*aliquamdiu*) *relinquebant*, nunc perfecto tempore significari, quousque omnino progressa sit horum librorum ab auctoribus suis cum aliis communicatio. Quamvis igitur incredibile sit, nihil ipsum Aristotelem ex iis, quae limatius disputasset, ad iustam libri formam absolutum edidisse, multisque modis refellatur, de sententia tamen Ciceronis constat, quantum quidem verbis expressa est; nam quomodo hos libros, quos in commentariis a scriptoribus relictos dicit, postea vulgatos putarit, non dicit, si modo de eo omnino cogitavit. Ἐξωτερικούς libros Cicero nominat etiam ad Attic. IV. 16, 2 nec dubitat ita ab ipso Aristotele appellatos scribere, iisque prooemia praeposita fuisse dicit. Recteque Stahrius (Aristot. II p. 247), iis, quae hoc loco Cicero de libris de re publica scribit, comparatis cum iis, quae alibi (ad Famil. I, 9, 23, ad Att. XIII, 19, 4) dicit, dialogos librorum de oratore et de finibus ad Aristotelium exemplum conformatos esse. efficit, Ciceronem primo illo loco τῶν ἐξωτερικῶν nomine maxime dialogos Aristotelis, qui interciderunt, significasse. Et dialogos aut solos aut cum aliis in τοῖς ἐξωτερικοῖς ponunt etiam ceteri.[1])

Quoniam igitur, quid Cicero dixerit, constat, quaerendum est, ipsene Cicero in lectione et tractatione eorum maxime Aristotelis librorum, quos limatius scriptos dicit, et omnino in antiquae philosophiae Peripateticae subtiliore cognitione ita versatus videatur, ut propriam aliquam auctoritatem afferat.

---

[1]) Solos Ammonius Hermiae f. ad Aristot. Categ. fol. 9 B. ed. Ven. 1545, dialogos et alia Philoponus ad Aristot. de anima fol. 33 B ed. Ven. 1535, dialogos et historica Simplicius ad Auscult. Physic. fol. 2 B ed. Ven. 1526. Plutarchus quoque (l. supra c.) ἐξωτερικοὺς διαλόγους nominat. Gellius (XX, 5) rhetorica et politica in hoc genere ponit.

Sed tamen illud antea animadvertendum est, tota illa in libro V de finibus divisionis scriptorum Aristotelis commemoratio quam non apte et quam inutiliter a Cicerone interponatur. Nam cum in toto libro non ex veris fontibus haustam ipsius Aristotelis rationem traditurus sit (in Pisonis persona), sed eam, quam Antiochus ex variis disciplinis conflatam tamquam Peripateticam et Academicam et scriptis et ore, ipso etiam Cicerone audiente, tradiderat, ex eius unius libris expositurus (§ 14, 16, 75, 81; cfr., quae de Varrone eadem ab Antiocho repetente dicta sunt ad § 34 et exc. IV extr.), tamen, quod hanc doctrinam pro Aristotelis atque etiam pro Polemonis aut habebat aut saltem accipere cogebatur, cum orbem praecipuarum disciplinarum sententiarumque his libris explere vellet nec haberet, unde ipsam veterum doctrinam in certam formam redactam sumere posset, initium sermonis et libri eiusmodi quadam Peripateticorum, maxime Aristotelis et Theophrasti, laudatione exornavit, qualem quivis sine ulla eius philosophiae accurata cognitione scribere posset, qui aliquid de his viris ex communi litterarum Graecarum notitia accepisset eorumque librorum, qui ad naturae cognitionem et rerum publicarum administrationem et historiam pertinentes etiam extra scholam celebrabantur, nomina teneret. His adiungit, cum ad ethicam venit, illa de libris exotericis et limatius scriptis nec ullius ex his nomen significat. Deinde autem (de quo dicam paulo post) unum omnium ethicorum limatissimum opus ab Aristotele omnino seiungit, quo detracto nullum omnino ethicum Aristotelis librum habet, quem in limato illo genere relinquat; nam si Nicomachea Aristotelis non sunt, multo minus erunt Eudemia et Magna, quae inde pendent. Atque hoc unum opus, quod tenendum putat, cum ab Aristotele seiungit, ab illa etiam divisione eius et Theophrasti scriptorum seiungit; adeo nullus eius divisionis hic est usus. Perverse autem, si modo Ciceroni usu noti fuerunt et tractati Aristotelis libri ethici, hic, ubi Antiochi formam doctrinae pro Aristotelia propositurus est, illorum librorum mentionem facit et genera distingvit, in quibus omnia aliter explicantur. Itaque pannus hic ornatus adventicii assutus est, ut, cum rem omnem ab Antiocho haberet, de Aristotele tamen aliquid diceret. Eoque fit probabilius, Ciceronem hoc totum ex communi suae aetatis fama sumpsisse nec eam fortasse diligenter interpretatum esse. (Nam in altera narratione, quae epistulis illis Alexandri et Aristotelis, quae feruntur, continetur et apud Andronicum Rhodium erat, Aristoteles aliquamdiu scripta ἀκροαματικά domi continuisse tradebatur, postea tamen ipse edidisse. Ad discrimen enim editorum et non editorum fama divisionem referebat, sed simul

meminerant, ἀκροαματικά in manibus hominum et esse et fuisse, nec, nisi homines utrumque genus habuissent, divisione usuros fuisse.) In ipsis quidem Aristotelis scriptis, etiamsi ea studiosissime omnia legisset, nihil de hac divisione repperisset praeter valde dubiam illam, quam nos quoque habemus, τῶν ἐξωτερικῶν λόγων appellationem. Nam ut maxime concedamus, Aristotelem sic scripta sua divisisse, tamen neque in exotericis narravit, quid reconditum servaret, neque in iis, quae sibi et suis reservasse creditur, ascripsit, haec non esse edita et evulgata. Verum, ut ad id veniam, quod supra proposui, non dubito profiteri, Ciceronem mihi videri dialogos Aristotelis populariter scriptos et rhetorica, quibus hic Topica annumero, tum πολιτείας legisse, difficiliora autem, quibus omnis interior philosophia continebatur, aut omnino non attigisse aut, si aliquando attigerit, non tam longe progressum esse, ut ipse de subtilioribus Aristotelis sententiis aliquid habere posset explorati. Cuius iudicii invidiam leniet, si modo leniri poterit, P. Victorii, hominis neque audacis et profecto Ciceroni faventis et qui eum norat, sententia, qui ad Aristotelis Eth. Nicom. VII, 13, Ciceronem in lectione librorum Aristotelis ethicorum non valde versatum fuisse, pronuntiat. Cogebat enim vis veritatis, cum utrumque conferret. At si ethica Aristotelis Cicero non legit, qui ethicam philosophiae partem praecipuam semper iudicavit, multo minus metaphysica aut physica aut de anima deve categoriis libros attigit. Quod tantum abest, ut mirationem habere debeat, admirari oportebat, si contra esset. Nam Cicero adulescens ita philosophiam adamaverat, itaque postea cum eloquentiae exercitationibus et publicis negotiis eius studium coniunxit, ut praecipuarum, quae tum vigebant, disciplinarum universam formam a doctoribus et iis, qui haec in certas iam summas redacta non multis ante aetatibus exposuerant, acciperet, obscuriores interioresque philosophiae partes non admodum persequeretur, sed animum aleret eorum hominum scriptis, qui non nimis remoto tempore aut de moribus graviter simul et non horride nec difficulter scripsissent, ut Panaetius Posidoniusque, aut elegantem eruditionem multiplicemque rerum cognitionem adiungerent, Platonis quoque orationis copia et imaginum maiestate potius delectaretur quam ipsa, quae sub iis involuta esset, subtilitate notionum, omninoque permultum in philosophia eloquentiae tribueret.[1]) Ita affectum animum popularia Aristotelis scripta et rhetorica facile alliciebant, celebrata praesertim fama vel in rhetorum scholis; alliciebant

---

[1]) Cfr. vel in hoc opere lib. IV, 6 et 7 et 10, quaeque ibi dixi, et V, 10.

similia Theophrasti; (itaque qui unum Aristotelis ethicum scriptum ita nominavit, ut id ab Aristotele errore abiudicaret, Theophrasti de beata vita librum et saepe appellat aut significat[1]) et ex eo verba ponit, de Fin. V, 86); laudabat utrumque ob illa scripta et famae assentiens; sed in horrida illa, quae ad ipsam philosophiam propius accedenti ostendi videbantur, dumeta, verborum et notionum difficultate saepta, in quae non multi illo tempore philosophi penetrabant,[2]) orator et senator Romanus intrare neque audebat neque facile poterat.[3]) Itaque, ut iam certiora promam argumenta, nullum Cicero Aristotelis decretum, quod ad ipsam philosophiam pertineret, paulo copiosius exposuit aut ex certo eius libro repetivit; pauca omnino attigit, alios sequens non sine gravissimis erroribus, quos supra ad IV, 12 notavi, alterum in quinta natura, alterum in entelechiae notione. Ac ne singulas res persequamur, cum ethicam maxime attingat, facillime sibi ab Antiocho persvaderi patitur et alibi et in libro V de finibus, ea, quae is tradidisset, ipsa esse Aristotelia, et in eo ita ethica Nicomachea appellat, ut haec ab Antiocho expressa putet. Et tamen, si illud exceperis, et apud Aristotelem et apud Antiochum et virtutis et corporis atque externorum rationem in bonorum summa duci, tum divisionem virtutum voluntariarum et non voluntariarum (V, 36) ab Aristotele repetitam esse et tamen variatam, nullum esse minimum apud Antiochum propriae Aristotelis formae vestigium prorsusque alio modo cum multa Stoicorum imitatione a prima naturae constitutione bonorum notionem et divisionem duci, tam est manifestum, ut dici nihil de eo oporteat, de quo nemo, qui Ciceronem legisset, aliter iudicarit.[4]) Ac si quis

---

[1]) Fin. V, 12 et 85, Tuscul. V, 24 et 25, Acad. I, 33 et 35 et II, 134. Cfr. ad Attic. II, 3, 3, ubi alium popularem Theophrasti librum sibi mitti vult.

[2]) *Eum philosophum, qui ab ipsis philosophis praeter admodum paucos ignoraretur*; Topic. 3. Circa ipsam Ciceronis aetatem exorta sunt studia libros Aristotelis commentariis enarrandi. Andronico Rhodio et Boëtho principibus. De molestia mendorum scripturae in libris Aristotelis valde queritur Strabo (XIII p. 609).

[3]) Stahrius (Aristot. II p. 145) ex eo, quod Cicero *flumen orationis aureum* Aristoteli tribuit (Acad. II, 119) et orationis svavitatem et ornamenta laudat (ut de Fin. I, 14), studiose eum Aristotelis scripta legisse conficit. Si Cicero tam illa, quae philosophiae propria sunt et investigationis, lectitasset quam popularia, aliter, opinor, de oratione iudicasset; nisi forte Koppium sequimur (Mus. Rhen. III p. 100 not.), qui Aristotelis orationem svavem ac facilem fluere non ipsos nos sentire vult, sed nescio cui Graeculo imo credere. Flumen aut ornamenta in scriptis subtilioribus Aristoteles nec habet nec curavit habere.

[4]) Paucissimos illos locos, ubi verba quaedam aut sententiam aliquam

dixerit, non ita commemorari Nicomachea, ut ex iis tota illa, quae sequatur, doctrina ducta dicatur, sed tantum id iudicetur, in iis constantius quam apud Theophrastum virtutis vim ad beatam vitam semper efficiendam defendi, hoc quoque falsum esse, idemque, quod Theophrastus docebat, ab Aristotele dici ibi ostendi. Antiochus hic quoque Stoicus erat. Postremo, ne quis dicat, hic Pisonem, qui Antiochum sequatur, induci ita disserentem de Aristotelis sententiis, quemadmodum ipse Antiochus dissereret, Ciceronis aliud fuisse iudicium, ipse Cicero in libro II et IV Antiochum sequens Aristoteli formulas eas tribuit, quibus numquam est usus, de quo expositum est in excursu quarto. Ab horum igitur similitudine non abhorret, quod Cicero, una, opinor, nominis τῶν Νικομαχείων interpretatione deceptus, hoc opus filio tribuit, quamquam in hunc errorem non ipse incidisse, sed ab aliis inductus esse videtur, quoniam eundem a Diogene Laërtio VIII, 88 commissum esse, comparato Aristotelis loco in ipsis Nicom. X, 2 et Ioann. Stobaeensis Ecl. Eth. p. 74, dubitari nequit. [1]) Quo magis reiciendum est mirum commentum Stahrii, qui (Aristotel. II p. 112) binos a Cicerone libros significari putat, alteros (*teneamus Aristotelem*) ipsius Aristotelis (Nicomacheos), alteros (*et eius filium N.*) Nicomachi, quos nonnulli patris esse putaverint. Omitto, mirum esse, ipsius Aristotelis opus quod sit, non dici, cum Cicero, plura esse, supra posuisset; illud quoque omitto, valde incertum videri, scripseritne omnino tales libros Nicomachus, quem Aristocles apud Eusebium (Praepar. Evang. XV, 2) adulescentem periisse dicit. Testem habemus unum Svidam, minime locupletem, cum praesertim error Diogenis manifestus sit. Sed ut fuerint tales libri Nicomachi, non facile quisquam credet, eos eiusmodi esse potuisse toto genere aut ita nota scriptoris caruisse, ut ad patrem consentiente fama referri possent ac tantummodo suspicione paucorum ad filium. (Hoc enim significarent verba: *Dicuntur illi quidem* cet.) Postremo si Cicero Aristotelis ipsius putasset esse Nicomachea, nihil prorsus erat, cur his adiungeret obscurum et a nullo (praeter Svidam) nominatum adulescentis librum. Significavit igitur Cicero unum notissimum opus, sed in eo errantes alios secutus est. (Quotiens et a quibus hic error notatus sit, enumerare nihil attinet.)

Aristotelis expressam Ursinus aliique putarant, ne speciem quidem talis imitationis habere, in annotatione ostendi, ut 34.

[1]) Eundem errorem in rhetoricis Θεοδεκτείοις Aristotelis accidisse, certum mihi quidem videtur. Vid. Spaldingius ad Quintil. II, 15, 10.

Sed video mihi contra Stahrium paulo plura esse dicenda propter id iudicium, quod de Cicerone in omni hac re feci. Nam is in eo libro, quem aliquotiens nominavi (II p. 134 sqq.), longa oratione persecutus est, quam accurata cognitio Aristotelis philosophiae et librorum in Cicerone fuerit, eademque repetiit in altero libro (Aristoteles bei den Römern, Lips. 1834, p. 32 sqq.). Verum parum caute rem tractavit, prope ut numeraret tantum, quotiens quantaque cum laude Cicero Aristotelem nominasset. Ac primum oblitus est, communem quandam notitiam rerum ad Aristotelis vitam, studia, scripta aliqua ex parte pertinentium in eo, qui posteriorum philosophorum, oratorum, historicorum Graecorum libros legisset, et esse potuisse et necessario esse debuisse, etiamsi ipsa Aristotelis opera omnino non attigisset. Itaque quod Cicero Aristotelem Theophrastumque Platoni adiunctos cum principibus tragoediae Graecae comparat, quod eos philosophiam cum eloquentiae disciplina coniunxisse narrat, quod Theophrastum eadem, quae ante Aristoteles tractasset, persecutum esse scribit, quod simultatem Aristotelis et Isocratis commemorat, ex his similibusque (Stahr. p. 144 sqq.) ne illud quidem consequeretur, nisi alia essent certiora indicia, Ciceronem rhetorica Aristotelis scripta legisse. Multo minus ex eo, quod temerariam Antiochi, magistri sui, omnia exaequantis sententiam saepe et libenter probans, nihil inter Aristotelem et Xenocratem atque Polemonem interesse scribit (p. 146), conficitur, eum multum operae Aristotelis philosophiae impendisse. Deinde Stahrius neque id attendit, multa Aristotelis de multis rebus iudicia, quae cum universa philosophia non cohaererent, sic per aliorum libros sparsa fuisse, ut ea Cicero et ponere et ad Aristotelem auctorem referre posset, etiamsi ipse ea ex eius libris non sumeret, velut illud, quod I de N. D. 107 legitur de Orpheo poëta (ac tamen teneri velim, me non affirmare, in hoc ipso exemplo ita factum esse), neque tenet, qui Ciceronis mos in huiusmodi rebus et veterum auctoritatibus commemorandis fuerit. Nam cum Cicero fere in singulis libris librorumque partibus unum aliquem ducem sequeretur, ea, quae apud hunc de veterum libris sententiisque reppererat, saepissime fidus interpres suis suarumve personarum verbis ponit. Notavi hoc in uno exemplo ad IV, 14 (de Polemone). Sed nihil illustrius esse potest, quam quod ex Herculanensibus voluminibus erutum testimonium ante aliquot annos in Germania evulgavit Ch. Petersenius (in indice scholarum gymn. Hamburg. 1833), cui magna gratia habenda est et rei intellectae et ad plurium notitiam commendatae. Constat enim, omnem eum sermonem, qui in libro I N. D. Velleio tribuitur, ex uno Phaedri Epicurei [aut potius, ut postea

Spengelius et Sauppius ostenderunt, Philodemi], Ciceronis aequalis, libro ita esse decerptum, ut ex eo etiam ut hoc utar, transcriberentur, quae § 41 de Chrysippi libris περὶ φύσεως θεῶν et de Diogenis Babylonii libro περὶ Ἀθηνᾶς leguntur. Atqui ex hoc ipso loco Stahrius (p. 161) efficit, Ciceroni notos fuisse Aristotelis libros de philosophia, tum ei ad manum fuisse Speusippi, Xenocratis, Heraclidis Pontici, Theophrasti, Stratonis libros, quos, si Heraclidis libros populares et multiplici doctrina refertos et Theophrastum exceperis, Cicero, mihi crede, numquam attigerat.[1]) Et tamen Stahrius (p. 159), ubi de II N. D. 42 disputat, ipse in verum suspicando incidit, illam Aristotelis mentionem e Cleanthis libro sumptam esse. Verum id ad multos alios locos pertinet. Sed hic Stahrii error excusationem habet; illud qui excusem, vix reperio, quod ex hoc ipso libro V de finibus, in quo Cicero apertissime profitetur, se non Aristotelem, sed Antiochum sequi, tam manifestum esse putat, quam diligenter et studiose Cicero ethicos Aristotelis libros lectitarit, ut disputatione res omnino non egeat (p. 155). Cum, si omnes huius libri sententiae totiusque disputationis forma Aristotelem exprimerent, tamen id Antiocho, non Ciceroni Aristotelem pertractatum esse testaturum fuerit, quid dicemus, cum Ciceronis doctrina longe ab Aristotelia abhorreat? Consentaneum est huic iudicio, quod ex iis, quae Cicero (V, 73) transtulit ab Antiocho, gloriante, ex ea Aristotelis doctrina, quam ipse revocasset, ceteros philosophos particulas decerpsisse, Stahrius (p. 156) Erilli scripta a Cicerone lecta et cum Aristotelis comparata esse putat. Atque hoc de ethicis libris testimonium est; nam de Laelio quod additur, non refutabo; quod enim et Aristoteles et Cicero veram amicitiam tantum inter bonos esse posse dicunt et si qua est alia huius generis sententiarum communio, ideo Aristotelis Nicomacheorum libros octavum et nonum a Cicerone lectos esse putare nimis est creduli, cum praesertim Theophrasti et ipsius Aristotelis popularia scripta Cicero legisset.[2]) De Metaphysicis ipse Stahrius dubitare videtur (p. 160) neque quidquam apud Ciceronem reperit, quod eo referat, praeter commemoratam levissime

---

[1]) Simul Ciceroni falsa species detrahitur, quam ipse non assumebat, simul liberatur aliquo modo crimine sententiarum foede corruptarum et depravatarum.

[2]) Ascribit tamen Stahrius (p. 156 in nota) locos quosdam alios, quibus Cicero Aristotelis ethica tetigerit Scilicet ita, ut aut Antiochia formula utatur aut Carneadis divisionem sententiarum commemoret aut res pervagatissimas, quas ipse fortasse Antiochus transtulerat, velut de utilitate τῶν παθῶν, modo mediocria sint.

(Acad. I, 33) Aristotelis oppugnationem idearum Platonicarum, de qua Cicero, etiamsi nullam Aristotelis litteram vidisset, inaudisse aliquid debebat, et mentionem illam quintae naturae, de qua ante dixi. Nec de Physicis affirmat (p. 158). Eos libros, quibus Aristoteles historiam naturalem comprehendit, a Cicerone lectos esse, non sane necessario ex eo sequitur, quod Historiae Animalium argumentum universe indicat de Fin. IV, 13 et V, 10 aut quod semel atque iterum exemplo eiusmodi utitur, quod illic positum sit, ascripto etiam Aristotelis nomine. Nam haec quoque, ut illud de pinotere (vid. ad III, 63), ex aliorum scriptis habere poterat. Neque tamen negaverim, illud opus a Cicerone lectum, qui et multiplicis scientiae studiosum eum fuisse et Admirandorum librum scripsisse sciam. Illud extremum addam, si id tantum Stahrius posuisset, ex Ciceronis scriptis satis apparere, pleraque Aristotelis scripta, contra atque Strabo significare videtur, non solum Ciceronis tempore, sed, quod magis contra Strabonem est, ante Ciceronem vulgo nota fuisse, me nihil contra fuisse dicturum, [etsi neque Metaphysicorum neque librorum de anima ulla est significatio]. Rursus non tantum, quantum putatur, ad Strabonis narrationem refutandam momenti Ciceronis silentium habet. Nam ne Antiochus quidem, qui suam sibi disciplinam Peripateticam et Academicam composuerat, magno opere curaturus erat, si quod novum prodiret opus ad Aristotelis genuinam philosophiam cognoscendam utilissimum, nedum id Cicero ad se multum pertinere putarit.

De Ciceronis testimoniis et auctoritate quaerendum mihi fuit; ne tamen eorum, quae dixi, nonnulla aut obscura sint aut secus, ac volui, accipiantur, quam potero brevissime, sine ulla longiore confirmatione dicam, quid mihi de tota divisione librorum *ἀκροαματικῶν* et *ἐξωτερικῶν* videatur.

Et ex studiis et ex scriptis Aristotelis alia magis ad summas quaestiones philosophiae subtilissime persequendas pertinebant, alia, quae in vitae humanae actione rebusque publicis et privatis considerandis versabantur, iam ab illa subtilitate nonnihil declinabant (cfr. Eth. ad Nicom. I, 3 et II, 2), magisque etiam, quae ad historiam et rerum a natura creatarum descriptionem pertinebant; accedeban trhetorica, tum, ut videtur, in dialogis rerum ad vitae actionem pertinentium popularius scriptae expositiones. Horum, cum ederentur, alia facilius et ad plures evagata esse, alia initio non fere nisi ad eos, qui philosophum ipsum simul audirent audissentve, facile intellegitur. Aristoteles neque generatim libros suos descripsit neque quosdam occultos habuit, nisi quod nonnulli non celeriter confecti sunt. Qui apud ipsum *ἐξωτερικοὶ λόγοι* commemorantur, ii non libri sunt, sed communes hominum non rudium extra

scholam sermones notionesque, et *τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν λόγοις* contrarii ponuntur (Eth. Eudem. I, 8); eorum mentionem Aristoteles facit aut testificandi causa (*καθάπερ διαιρούμεθα καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις*, Eth. Eud. II, 1; *καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις διοριζόμεθα περὶ αὐτῶν πολλάκις*, Polit. III, 4. 4, c. 6 Bekk.), aut ut eos in praesens sufficere et tenendos esse dicat, cum subtilius rem exquirere non vacet (Eth. ad Nicom. I, 13).[1]) Sed tamen ex huius appellationis falsa interpretatione apud posteriores, cum scripta quaedam significari ipsius Aristotelis putarentur, facile autem appareret, sic nominari *τοὺς ἐξωτερικοὺς λόγους*, ut in iis nulla subtilior rerum pertractatio poneretur, divisio tota orta est. Et adiuvit errorem magna scriptorum Aristotelis diversitas, tum difficiliorum, et qui summam philosophiam continerent, raritas sive ipso tantum eorum genere effecta sive etiam casibus quibusdam aucta; neque enim certum est, nihil omnino veritatis Strabonis narrationi subesse. Ita et *ἐξωτερικὰ* scripta ab aliis Aristotelem ipsum discrevisse putabant, et cum causam divisionis et nominis quaererent, haec sola initio hominum lectioni permissa fingebant, sequentes etiam ea, quae de Pythagorae disciplina arcana tradebantur. Quinam autem libri *ἐξωτερικοί* essent, nulla certa nota definitum erat nec definiri poterat; tantum popularius eos scriptos et ad communem hominum captum accommodatiores quam ceteros esse, statuebatur; itaque nihil mirum est, in hac re variari apud scriptores. Epistulae illae duae Alexandri et Aristotelis verissime spuriae iudicatae sunt.

Quoniam saepius in hac disputatione Antiochi mentio facienda erat isque in hoc de finibus opere quasi in locum Aristotelis successit, addam hoc extremo loco, in ea sententia, quam ad III, 41 et ad V, 34 significavi, ab eodem Antiocho sumpta esse, quae apud Ioannem Stobaeensem in Ecl. Eth. inde a p. 242 Heerenii pro Peripateticis leguntur, confirmari me non solum summa locorum aliquot cum iis, quae apud

---

[1]) Hanc Zellii et Micheletii interpretationem, in quam olim Zeidlerus inciderat, non nescio a Krischio confictam appellari; nec tamen dubito, quin ea sola et rectissime e verbis efficiatur. Krischii sententiam, qui ipsius Aristotelis disputationes minus ad philosophiae subtilitatem limatas, sive scriptas sive non scriptas, intellegit, prorsus evertit et is modus, quo Aristoteles hos *λόγους ἐξωτερικούς* testificatur, et usus loquendi. Neque enim *ἐξωτερικόν* per se est *τὸ μὴ ἐξηκριβωμένον*, sed quod cum iis, quae extra sunt, coniunctum est. Mira et multiplex est Stahrii interpretatio, qui a Weissio (aut potius Riccobono) quaedam mutuatus primum *ἐξωτ. λόγους* tantum alia scripta atque id, quod nunc legatur, significari putat (quod verbi vis omnino vetat), deinde scripta ad certam quandam materiam proprie non pertinentia, postremo (ad vulgarem sententiam relabens) scripta popularia et ad ipsum disciplinae complexum non pertinentia.

Ciceronem ab Antiocho ducta ponuntur, similitudine, de qua exposui ad V, 34, 36, 37, 46, verum etiam eo, quod in illis, quae apud Stobaeensem leguntur, plura admixta sunt Stoica, velut quae p. 250 de *ἐκλογῇ* et *ἀπεκλογῇ* dicuntur. Eadem ratio est eorum, quae p. 250 sqq. posita cum Ciceronis lib. III § 62 et 65 comparavi; manifestissime autem e Stoicorum doctrina ducta sunt, quae p. 266 traduntur, *καὶ τοῖς σοφοῖς εὔλογον ἐξαγωγὴν ἐκ τοῦ ζῆν θεωρεῖσθαι, καὶ τοῖς φαύλοις εὔλογον ἐν τῷ ζῆν μονήν* et reliqua, quae eodem plane modo iisdemque nominibus a Stoicis exposita vidimus apud Ciceronem III, 60 et 61 ibique ascripsimus, quibus verbis eadem Stobaeensis in Stoicorum decretorum enarratione comprehendat. Postremo Peripateticos Cato apud Ciceronem III, 43 tradit docere, beatam vitam *συμπληροῦσθαι* ex omnibus iis, quae ipsi bona appellent, confirmaturque, quod dicit, definitione ea, quae apud Stobaeensem p. 56 *τοῖς ἀπὸ Κριτολάου νεωτέροις Περιπατητικοῖς* tribuitur, et a Clemente Alex. II Strom. p. 179 Sylb. In altera illa, de qua nunc loquor, apud Ioannem Peripateticae sententiae expositione negatur finem bonis corporis et externis bonis *συμπληροῦσθαι.* Et negabat Antiochus, saltem de externis (V, 67 et 68), hic quoque ad Stoicos inclinans. Apparet, opinor, eorum, quae apud Ioannem traduntur, neque Critolaum auctorem esse posse neque alium quemquam recentiorum Peripateticorum, qui disciplinam a Stoica seiunctam habuerint, sed Antiochum hunc esse. Nam quod Heerenius narrat, „haec praecipue ex ipsis Aristotelis scriptis, quae nobis adhuc supersint, hausta esse", non scripsisset, si ipse Aristotelis ethica tractasset aut mediocriter attigisset.

I. INDEX LOCORUM E VETERUM SCRIPTIS, DE QUORUM SCRIPTURA AUT SENTENTIA IN COMMENTARIIS DISPUTATUR.[1])

Alexander Aphrodisiensis libro II de anima emendatur p. 519.

Asconius in Pison. p. 199 Hot. p. 295.

Caesar Bell. Gall. IV, 33 et VI, 27 p. 681, VI. 23 p. 834. (Hirtius) VIII, 4 p. 17.

Catullus LXIV, 23 et 24 p. 721.

Cicero emendatur aut explicatur de Invent. libro I, 28 p. 41, II, 113 p. 162, 130 p. 315; de Orat. I, 87 p. 299, 148 p. 286. 214 p. 787, II, 98 p. 789, 217 p. 41, III, 47 p. 623, 63 et 66 p. 794, 192 p. 27; Brut. 120 p. 144, 204 p. 623, 302 p. 719; Orat. 32 p. 189, 36 p. 562, 59 p. 471, 113 p. 425, 134 *et* 180 p. 298; Topic. 23 p. 806, 60 p. 618. 67 p. LXIV, 93 p. 790; Partitt. Oratt. 50 p. 789; (Rhetor. ad Herenn. vid. in nomine Rhetoricorum;) oratione pro Quinct. 49 p. 226; 53 p. 770; pro Rosc. Am. 56 p. 681, 64 et 84 p. 247, 102 p. 344, 118 p. 383; in Verr. lib. I, 142 p. 609, II, 104 p. 162, V, 171 p. 534; pro Font. 14 p. 563; pro Caec. 74 p. 444, 76 p. XLIX; de imp. Pomp. 17 p. 788; pro Cluent. 104 p. 383, 176 p. 660; de leg. agr. II, 36 p.

[1]) Non rettuli in hunc indicem eos locos, in quibus tantum de communi quadam forma ita disceptatum est (ut de *nec — quidem*, de *discidio* et *dissidio*), ut nihil propriae et singularis explanationis aut correctionis adderetur. Hic enim communem sententiam in altero indice notari satis erat.

793, 56 p. 677, 95 p. 655, III, 4 p. 805; in Cat. II, 8 p. 806; pro Mur. 38 p. 796, 42 p. 608, 83 p. 222; pro Flacco 8 p. 562, 17 p. 562, 22 p. 139; pro domo 30 p. 126, 52 p. 226, 139 p. 383; de prov. cons. 39 p. 34; pro Balbo 2 p. 125, 32 et 48 p. 212; in Pison. 19 p. 609, 47 p. 659, 69 p. 147, 83 p. 789, 89 p. 563; pro Planc. 14 p. 202; Philipp. II, 7 p. 658, V, 8 p. 563, 17 p. 52 et 797, VI, 15 p. 444, XIII, 44 p. 731; Academ. I, 7 p. 45 et 805, 40 p. 797, 43 p. 719; II, 6 p. 27, 18 p. 741, 30 p. 454, 33 p. 523, 34 p. 596, 48 p. 444, 50 p. 524, 68 p. 651, 87 p. 609, 88 p. 23, 99 p. LXIII et 790, 124 p. 169, 135 p. 806; Tusc. I, 41 p. 444. 46 p. 91, 65 et 71 p. 804, 97 p. 795, II, 7 p. 344, 16 p. 322, 23 p. 736, 27 p. 698, 60 p. 777, III, 3 p. 453, 5 p. 788, 28 p. 790, 42 p. 746, IV, 6 p. 57, 16 et 19 p. 226, 44 p. 646, 59 p. 792, V, 41 p. 769, 70 p. 113, 85 p. 680, 94 p. 93, 98 p. 646, 116 p. 188, 119 p. 270; de R. P. I, 18 p. 317, 31 p. 231, 45 p. 146, 47 p. 298, 53 p. 444. 66 p. 680, III, 6 p. 444; de Legg. I, 33 et 36 p. 468, 40 p. 663, II, 12 p. 299, 22 p. 736, 32 p. 146, 34 p. 299, 45 p. 832, 55 p. 124, 63 p. 790, III, 18 p. 466 et 518; de Nat. Deorum I, 2 p. 288, 3 p. 424, 5 p. 6, 24 p. 471, 48 p. 444, 55 p. 563, 58 p. 36, 66 p. 114, 68 p. 444, 88 p. 524, 89 p. 66, II, 6 p. 792, 29 p. LXIII not., 58 p. 646, 121 p. 682, 122 p. 795, 127 p. 682, 133 p. 92, 136 et 137 p. 252, III, 40 p. 534, 53 et 54 p. 563; de Divin. I, 40 p. 791, 63 p. 787, 72 p. 249, 86 p. 523, 111 p. 790, 114 p. 789, 118 p. 254, 126 p. 789, II, 11 p. 181, 26 p. 797, 31 p. 531, 47 p. 609, 56 p. 680, 67 p. 52, 89 p. 9, 98 p. 534, 124 p. 30, 142 p. 10; de Fato 4 p. 740, 5 p. 794, 22 p. 43, 30 p. 444, 33 p. 109, 37 p. 303, 44 p. 597; Catone 27 p. 810, 59 p. 276; Lael. 73 p. 793, 97 p. 82, 99 p. 164; de Off. I, 9 p. 794, 17 p. LXIV, 26 p. 681, 27 p. 686, 51 p. 498, 66 p. 444, 112 p. 454, 144 p. 94, 153 p. 404, II, 18 p. 484, 33 p. 790, 56 p. 189, III, 23 p. 144, 47 p. 40; Parad. 12 p. 249, 39 p. 444; Timaei init. p. 700; Epist. ad Famil. I, 6 p. 444, 8 p. 805, II, 6 p. 270, IV, 4 et 9 p. 144, VIII, 8 p. 807, IX, 15 p. 806, XV, 4 p. 563; Epist. ad Att. I, 3 p. 806. 16 p. 29, 20 p. 563, II, 1 p. 805, 6 p. 317, 19 p. 791, V, 11 p. 563, VII, 3 p. 444, IX, 13 A p. 27, X, 7 p. 660, XI, 6 p. 317, XII, 12 p. LVII, 50 p. 283, 52 p. LXI, XIII, 38 p. 144, XVI, 8 p. 420, 11 p. 286; Epist. ad Q. Fratrem II, 14 p. 609, III, 1 p. 545.

Clemens Alexandrinus Strom. II (p. 180 Sylb.) p. 504, V (p. 245) p. 837.

Cornelius Nepos Pelop. 2 p. 832.

Curtius IV, 38 Z (9) p. 774, VI, 38 (10) p. 619.

Dio Cassius fragm. 96 Bekk. p. 352.

Diogenes Laërtius VII, 46 p. 469, 84 p. 825, 85 p. 364, 86 p. 383, 96 p. 438, X, 13 p. 33, 22 p. 304, 121 p. 116, 129 p. 70, 140 p. 85, 142 p. 120, 145 p. 117, 148 p. 127, 151 p. 100.

Gellius VII (VI), 14, 4 p. 113.

Hirtius; vid. Caesar.

Horatius Sat. I, 3, 139 p. 718, II, 3, 262 p. 808.

Ioannes Stobaeensis; vid. Stobaeus.

Livius II, 51 p. 531, III, 22 p. 690, 59 p. 194, IV, 6 p. 835, V, 46 p. 719, VI, 19 p. 791, IX, 34 p. 270, XXIV, 2 p. 719, 20 p. 436, XXV, 29 p. 833, 35 p. 804, XXVIII, 13 p. 263, XXIX, 12 p. 719, XXXII, 32 p. 719, XL, 22 p. 531.

Lucretius V, 383 sqq. p. 795, VI, 714 sqq. p. 794.

Macrobius Saturnal. II, 12 p. 772.

Nonius (p. 515 Merc.) p. 162.

Ovidius Epist. XI, 106 p. 113; A. A. I, 285 et 745 p. 233; Metamorph. III, 90 p. 774; Trist. V, 6, 27 p. 662.

Pandectae XXXVIII, 1, 19 p. 283.

Plato Legg. II p. 653 A p. 707.

Plutarchus libello, non posse svaviter cet., c. 13 p. 59, c. 18 p. 148.

Propertius II (III), 18, 10 p. 772.

Quintilianus I, 2, 7 p. 681, IV, 5, 20 p. 315.

Rhetorica ad Herennium I, 1 p. 283, II. 46 p. 41, III, 28 p. 424, IV, 36 p. 388, 61 et 66 p. 534, 65 p. 445.

Sallustius Iugurtha 17 p. 613, 49 p. 383, 51 p. 813, 85 p. 769, 98 p. 803, 111 p. 613.

Seneca de Ira III, 2 p. 473; de Tranqu. Animi I, 10 p. 460; ad Helv. 12 p. 137, de Benef. II, 2 p. 834, 10 p. 151; Quaestt. Nat. V. 4 et VI, 28 p. 681; Epist. 89 p. 827 sqq., 118 p. 344, 120 p. 401, 121 p. 364.

Stobaeus Eclogis Ethic. (p.) 56 (Heer.) p. 64, 58 p. 143, 60 et 62 p. 218, 72 p. 652, 90 p. 827, 144 p. 817, 156 p. 435, 160 p. 447, 186 p. 464,

198 p. 421, 226 p. 448, 238 p. 461, 258 p. 666.

SVETONIUS Aug. 76 p. 834, Claud. 21 p. 284, vita Terentii 5 p. 19.

TACITUS Ann. XI, 6 p. 793, XIV, 27 p. 689, 55 p. 286; Hist. I, 45 p. 804, II, 82 et IV, 34 p. 793.

TERENTIUS Andr. II, 6, 3 p. 392.

TITIUS; vid. MACROBIUS.

VALERIUS MAXIMUS II, 9, 8 p. 91.

VARRO de L. L. VI p. 73 Bip. p. 247, IX p. 145 p. 808 n., X p. 163 p. 227; de R. R. I, 45 p. 807.

VERGILIUS Eclog. III, 102 p. 808, Aen. VIII, 643 p. 208, Cop. 5 p. 772.

II. INDEX RERUM ET VERBORUM, DE QUIBUS IN COMMENTARIO ET EXCURSIBUS DISPUTATUR.[1]

(Numeri paginas demonstrant.)

A et *E* in quinta declinatione 448, 707.

A praepositio vitiose pro *e* 562; *ab aliquo verto* 19; *ab* breviter positum 686; *a primo* 397; *ab te?* 738.

Ablativus in causa significanda 73, in aestimatione 78, in tempore (*primo ortu*) 682.

Ablativi absoluti et participia insolenter iuncta 804.

Abundanter additum contrarium ei, de quo agitur, 87, 551, 768.

Ac ne — quidem 812; *ac tamen* 286, 778.

Academici et Peripatetici 485; Academicorum veterum finis non recte a Cicerone expositus 502; Academica dubitatio 741.

[1]) Neque alia minutissima in hunc indicem relata sunt neque de vocibus permutatis observatiunculae, ad cuiusmodi res caute pro cuiusque generis codicum ratione iudicandas non singula testimonia colligenda sunt, sed in ipsis codicibus aut enotatis scripturis perlustrandis capienda exercitatio est.

Accusativus non est casus obliquus 448; ad totam sententiam appositione adiunctus 268; ex attractione ortus 291; accusativus pronominum 35; accus. cum infin. pro infin. solo 356.
Ad in comparando 435; *nihil ad*, *quid ad* 83; *ad naturam* 67.
Additamenta antiqua in Ciceronis libris 640; falso ficta 759.
Adducor, *ita esse* aut *ut ita sit* 33.
Adeo 210.
Adhaesio, non *adhaesitatio*, 44.
Adhuc non pro *praeterea* apud Ciceronis aequales 587; quatenus significet *ad illud tempus*, 629.
Ἀδιάφορα 429, *καθάπαξ ἀδιάφορα* 431.
Adiectivum substantive positum cum alio adiectivo 234, cfr. 22; ex adiectivo nominis proprii intellegitur substantivum 38, 629. Adiectiva in *aneus* 588; adiectivum a substantivo notabilius diiunctum 767.
Adminiculo et *adminiculor* 674.
Admiror in aliquo 12.
Admissus 8.
Adoptio; in ea emancipatio 53.
Adverbia localia pro pronomine et praepositione 525; adverbiorum terminationes 754; adverbium ab adiectivo separatum singulariter 524; adverbium non de modo actionis 576; adverbium et adiectivum copulatum 763.
Aemilius, M. Lepidus, tutor Aegypti 716.
Aeque pro *cum aequitate* 721; *aeque ut* improb. 125.
Aerumna 336.
Aestimare magno 359.
Aestimator, *existimator* 349.
Albucius, T., 22.
Alias non de loco 21.
Aliquis pro *quisquam* 290.
Alius omissum auditur 40; *alius magis alio* 357; *alius — alius*, haec forma dissoluta 795; *alius — aliquis* pro *alius — alius* non dicitur 454; *nihil* (*aliquid*) *aliud ab alio* 559.
Alter — alter, haec forma dissoluta 795.
Ambiguitas in sermone Latino 252.
An in adiungenda conclusione per interrogationis formam 16; ad eius, qui ante locutus est, orationem relatum 61; in affirmatione antecapienda 675; *an quis alius* 316.
Anacoluthon; vid. *Oratio minus diligenter structa.*
Anapaestum 170.
Anaphora 223, 673.
Anastrophe praepositionis 542.
Animus et *anima* 672; *animi bestiarum* ibd.; *animi causa* 240.
Animus corporeus Stoicorum sententia 535.
Annus magnus 314.
Ante, id est, *prorsum* (*vorwärts*) 668.
Antiochus Ascalonites praef. LIX, comm. 485; exc. IV multis locis. Eius fortasse quaedam Stoicis tributa 499; eius sententiae pro Peripateticis 494, 820, toto libro V p. 627; etiam apud Stobaeum

413, 452, 666, 846; de bonis externis 724.
Anulus, *anellus* 609.
Ἀξία, *ἀπαξία* 431, 432.
Appareo datus esse 383.
Appositionis forma: *plura ea habeo* 416.
Arcesilas 138, 139.
Argumentum concludens 491.
Aristo 217, 543; Ceus 625.
Aristotelis sententia de vita beata 622, de animo 495, eius philosophia parum Ciceroni nota 496, exc. VII; falso ei tributa notio primorum naturae 202, 816; librorum divisio exc. VII.
Aristus, Antiochi frater, 617.
Ars 345; a Stoicis definita 368.
Ἀρχαί apud Stoicos 40.
Ascitus substantivum fictum 632.
Assido et *assideo* 243.
Assolet (*ut assolet*) 604.
Assumo 545.
Assyria, *Syria* 320.
Asyndeton 244, 329.
Atilius poëta 15.
Atque in explicatione adiungenda 75.
Atqui 110.
At tamen 286, 425.
Ἀθαμβία 762.
Atomi 38; earum motus et concursus 40, 42, 43.
Attici annalis 258.
Attractio casus in relativo pronomine 62, post *quam* et in sententia relativa non plena 149 et 614, in respondendo et adiungendo 291, generis et numeri in pronomine 171, 510, 544, 555; verbi impersonalis 707, verbi ad praedicatum necessaria 654.
Auctore aliquo 196.
Aucupium translate 662.
Audio, *audimus* 574; *audire ab aliquo*, *ex al.* 81.
Aufidius, Cn., 701.
Auris; *in auribus alicuius*, *apud aures* 737.
Aut omnino in interrogatione negativa 663; *aut — aut*, haec coniunctio dissoluta 794; *aut* (*aut*, *si*—) *doceat* cet. 589; in *aut* geminando aliqua neglegentia 161.
Autem non ponitur in revocando orationis cursu 404; *autem etiam* 114.

Beatum, id est, *beatitudo* 757; vid. *vita beata*.
Βίος τέλειος quis apud Peripateticos, 652.
Boni definitiones apud Stoicos 398; quomodo apud Stoicos plura bona, 416; bona externa et corporis apud Peripateticos 748, apud Antiochum 724. Bonum omnium naturarum simile 528.
Brevi 754.
Brevitas orationis in re effecta pro fide rei effecta nominanda 34; ex contractis et conflatis sententiis et significationibus 224, 265, 290, 373, 454, 557, 631, 674.
Bruti, M., studia philosophiae 21; cognatio, adoptio 351.
Brutus, M., iurisconsultus 31.

C littera et *ce* terminatio demonstrativa 75, cum *ne* fit *cine* ibid.
Caepio, Q., pater et filius, 351.
Καὶ γάρ 791.
Callipho (Calliphon) 171; *Calliphontis*, non *Calliphonis*, 206.

Capere 53, 655, 735.
Carneades qualis philosophus, 821; eius divisio sententiarum de summo bono 629, 821 sqq. Ipsius sententia tantum disputandi causa proposita 215, 502 sq. Eius exhedra 610.
Κατάληψις vid. *Perceptio.*
Categoriae Stoicorum 828.
Κατόρθωμα 375, 385.
Catonis, M. Uticensis, cognatio 351 sq.
Causa, id est, *status, condicio* 97; *tua causa* et *tui causa* 269.
Centuriones 24.
Charmadas male pro Carneade substitutus ab editoribus 611.
Charmides Epicureus 778.
Chiasmus in verborum ordine 109.
Chrysippi explicatio consiliorum naturae 369; finis et formula beatae vitae 500. Ab eo multa in libro II sumpta praef. LXII, comm. 221, in libro tertio 830.
Cicero. Eius studia philosophiae et scribendi consilium et ratio, praefat. LII et LX sqq. et exc. VII, 830 sqq.; philosophiam Aristotelis non satis norat 495, exc. VII; Antiochum sequitur in iudiciis de veterum sententiis 485, 815. Notatus in iis, quae ad Graecam philosophiam pertinent, 69, 119, 204, 386, 403, 496, 502, 566 sq., 689, 741, 815, 819 sq., 831; in argumentis notionibusque 87 (de contraria notione ex abundanti adiecta), 176, 195, 207, 229, 292, 311, 390, 446, 468, 556, 565, 636, 664, 711, 748; in oratione 54, 89, 200, 376, 550, 567, 571, 631, 671, 701, 722, cett. Scribendi universum genus in libris de philosophia praef. LXIII; cfr. 785.
Cicero, L., 605.
Circumscribere 396.
Citare 170.
Citieus pro *Citiensi* 502.
Clarus et *praeclarus* 350.
Clepsi, vix *clepi*, 736; *clepere* verbum non Ciceronianum 735.
Coeptus substantivum 541.
Cognitio de notione 165, de perceptione 367; *cognitio* et *cogitatio* 374, 706.
Cognomentum vox antiqua post in usum revocata 161.
Cognoscere pro *agnoscere* 278.
Collatio rationis 401.
Collineare 378.
Comis et *communis* 276.
Commendatio prima 207.
Commentarii 621.
Committere ludos et pugnam 351.
Commoda naturae 708.
Comparativus et ablativum et *quam* habens 44.
Conciliatio (*prima*) 363; *conciliationes* 378.
Concludere (numeris) 318; absolute (*einsperren*) 704; *concludere argumentum*, *rationem* 66.
Condicio duplex, altera praecedens, altera subsequens, 19, 408, altera alteri subiecta 328; condicionalis oratio minus accurata 760; eius vis in sententiis interpositis 58; a praesenti ad imperf. coniunctivi transiens 355, 526.

Condormire 619.
Confectus 288.
Confirmatio et *conformatio* 708.
Coniunctiones (adverbia sententias nectentia) non ad ea spectantes, quae proxime sequuntur, 35, 41, 745; copulativae extremo loco 562 sq.
Coniunctivus modus non incertae rei index 26; pravus in interrogando 245, 270, 589; in interrogatione indignantis 270; iussivus imperfecti et plusquamperfecti 208; causalis durior 399, quid differat a significatione particulae *cum*, 702; coniunctivus et indicativus in certo genere orationis condicionalis 467 sq.; coniunctivus translatus ab eo verbo, in quo recte adhiberetur, ad aliud 615; potentialis apud *quod* 457; positus propter vim obliquae orationis longius progredientem 287, 368; et indicativus in his: *quid loquor? quid loquar?* 714; coniunctivus in sententiis relativis varie annotatus 51, 92, 130, 161 (ubi in subiecto notando accedit causalis significatio), 260, 321, 345, 385, 470, 516, 694, 740; prave positus 27, 51, 246, 672.
Consequi et *sequi* de iis, quae alicui accidunt, 70; *consequitur*, id est, *fit* 522.
Consequens non dicitur pro eo, quod sibi constat, 204.
Consistere 589.
Conspectus et *aspectus* 693.
Constare e re Ciceronianum, non *re*, 510.
Constitutio (*institutio*) *prima naturae* 504, 816 not.
Consumere tempus re pro *in re* non Ciceronianum 699.
Convictus 508.
Copia alicuius et *potestas* 738.
Coquere non pro eo, quod est *concoquere*, 252.
Cor 184.
Corporeus 419.
Crassus, M., 773.
Critolaus Peripateticus 626.
Cuicuimodi 394.
Cuiusquemodi 834.
Cum praepositio addita in modo significando 24.
Cum duplex ad eandem sententiam primariam relatum 19; *cum* causale num cum indicativo, 26, 653, 705; pro *quod* 27; *cum — tum* 44, 73; *cum*. hoc est, *ita* (tamen) *ut* 667; *cum praesertim* 188; *cum* temporale cum perfecto indicativi, non coniunctivi, 455, 679.
Curia Hostilia a Sulla mutata 606.
Curiosus 11, 195.
Cursus 79.

Dativus apud passiva pro *ab* 28.
De absolute 440; *de vita excedere* et similia 447.
Decet, ubi expectabatur *debeo*, 521.
Decius Mus nepos 249.
Declinatus substantivum non Ciceronianum 632.
Decus (*honestum*) 206.
Deducere 692.
Deferre rem et *deferre* absol. 235.
Degenerare 624.

Deinde, ubi expectes *denique*, 721.
Delectari ab aliquo 32, *in* 82.
Demetrius Phalereus 700.
Democritus 37, 46, 642, 761, 762.
Demosthenis ad fluctus exercitatio 612.
Denique 10.
Depellere, *repellere* 72.
Deprehendere 62.
Deprimere neglegenter positum de re graviore 773.
Deripere et *demere* 90.
Descensio Tiberina, non *decursio*, 729.
Detrimentum Stoice 461.
Devotio 247.
Dialectica virtus apud Stoicos 469.
Dialectica et rhetorica 169.
Διαλογισμός 306.
Dicere auditur ex *negare* 187; dure omissum 127; breviter positum 158, 454.
Differre cum dativo in antiquorum prosa oratione non ponitur 681; *differt*, id est, *discrimen est* 431.
Digitum porrigere 441.
Dignitas 342.
Dinomachus 171.
Diodorus Peripateticus 171.
Diogenes Babylonius 184, 425 sq., 830 sq.
Dionysius *ὁ μεταθέμενος* 777.
Discidium Latinum, non *dissidium*, 799 sqq.
Distat inter poëticum 586.
Dixti 152.
Dubitare; *non dubitans dico* 650.
Ducere aetatem in aliqua re 696.
Dumtaxat 177.
Durus dolor 90.
Δυσχρήστημα 463.
E et *I* in adverbiorum quorundam terminatione 754; in *Alexandrea*, *Dareus* similibusque 700; in *Carneadeus* et similibus 629.
E virtute, *e natura* 649; *petere ex* 553; *ex electione* et *ex* (*ec*) *selectione* fere eodem modo pronuntiatum 549.
Ea res agatur 141.
Ecce cum accusativo non Ciceronianum 306.
Echecrates 760.
Ecquandone 715.
Edim 178.
Efficio, *ne* 494.
Εἰκάς festa apud Epicureos 312.
Eius de femina cum participio masculino apud Terent. 113.
Eiusmodi cum apposito 500.
Elaborare et *laborare* 27.
Electus et *lectus* 387.
Ellipsis verbi 23, 167, 518. Cfr. *Verbum*.
Emancipatio 53.
Emolumentum Stoice 461.
Enim relatum ad *ille* 387; in respondendo 55.
Ἔννοια 373.
Ἐντελέχεια 496.
Epicurus ingratus in Democritum 48; ineruditus 58; eius oratio 33; a discipulis laudatus 70. Physica eius 37; dialecticam contempsit 48; physicae doctrinam de criterio quomodo adiunxerit, 118; de physicae utilitate 120; de sensibus iudicium 121; canon 120; sententiae ethicae 70, 79, 85, 86, 89, 93, 97, 98, 100, 104, 106, 107, 116, 117, 122, 147, 292, 294. Sapientem se appellavit 148. Epicurei cur multi. 57.

'Επιγέννημα Stoice 400.
Equidem cum plurali non Ciceronianum 354.
Erechthei filiae 713.
Ergo in orationis cursu revocando 181.
Erillus 218 (206).
Eripere de malis 91.
Esse et *inesse* 203; *esse summo imperio* 256; *esse* non recte omissum 695; *est* omiss. 291, iniuria 90, 529; secundo et tertio loco positum (*est enim*, *enim est*) 91; collocatio quaedam in fine sententiae 760; e scriptura *st* errores orti 444; *multum est in aliquo* 569.
Et pro *ac* post *aeque* 125; post *similiter* improbatum 175; in assumendo ad concludendum 750; in exemplis adiungendis 72; omittitur a Cicerone, ponitur a posterioribus inter imperativum et futurum indic. 304; male geminatum 252; non recte positum 562; *et — et* dissolutum 786, 788 sqq.; *et — que* in duabus sententiis rarum, in duobus nominibus suspectum 717; *et quidem* in elevando et refutando 77; *et tamen*, ut *tamen* referatur ad tacitum intellectum, 283; *et ipse* apud Cicer. incertum 718.
Etenim 9
Evitare et *vitare* 637.
Εὐθυμία Democriti 642.
Εὐλογιστία 500.
Εὐχρήστημα 463.
'Εξαγωγή 449.
Excitare testes 256.
Exercens, id est, *se exercens* 129.
Exponere, *expositio* de decreto 626.
Expressus 712.

Facere (*idem*) cum dativo 274; *facio esse* 491.
Fides (*fidium*) non de *nervis* 592; singulari numero de sidere 594.
Fidiculae 593.
Finis bonorum definitio 64.
Foret pro *esset* apud Cicer. rarissimum 251.
Fortuitu prava forma 663.
Frustra, id est, *sine causa* 209.
Futuri antiqua forma 183.
Futurum potentiale 551; alius quidam usus 636.
Futurum exactum falso positum 129; de effectu futurae actionis 688.
Futurus sum (*si f. s.*) 285.

Gallonius praeco 186.
Genere, id est, *modo* 151.
Genetivus tertiae declinationis in *i* 32 et 622; genetivus duplex quo ordine, 33; gen. pendens a pronomine (*id alicuius*) 529; pronominum pro possessivis (*mei causa*) 269; gen. ad substantivum relatus pro dativo ad verbum 194; duo diversi generis substantivorum coniunctim eidem nomini subiecti 306; genetivus oblivione pro alio casu positus 433; liberius adiunctus 487; breviter de eo, in quo quid versetur, 538; dure pro praepositione 730; gerundii vid. *Gerundium*.
Gens humana pro *genere h.* 721.

Geometrica 46.
Gerundium genetivo casu insolenter positum 41; cum abundantia 72; genetivo casu cum substantivo pluralis numeri 112; genetivo casu in explicando 420; passive quomodo significet, 129; additum per appositionem substantivo a praepositione recto 213.
Gerundivum quatenus de potestate dicatur, 17; cum *ab* pro dativo 198; ex eo auditur *oportet* 315.
Granaria Puteolana 281.
Gratiam facere ambigue 253.
Gravitas et *pravitas* membrorum 525.
Gumia 186.

Habere. Res se habet (ordo) 57.
Habitus rationis 424.
Heluari 350.
Herillus; vid. Erillus.
Hermarchus 305.
Hexametri exitus in prosa oratione 485.
Hic, *hice* (non *hicce*), *hicine* 75; *hic dolor*, id est, *huius rei* 256; *hic posterior* 465; *hic* et *is* 360.
Hir 182.
Hirrius, C., 261.
Historiae 55.

I et *E* vid. *E*.
Iam 625; *iam cum* 266; *iam*, *ut iam* in concedendo 580.
Iactare 185.
Ibidem 42.
Id est, *hoc est*, praecedente explicatione, 72; adiungit partem necessariam sententiae 138, 143; *id est enim* 519; *id est autem* 174.
Igitur initio sententiae 115.
Ille pro *hic* 493; *ille — eorum* 456; *ille ipse*, *ipse ille* 28.
Imbecillus, non *imbecillis*, apud Ciceronem 730.
Immanitas 517.
Imperfectum coniunctivi in interpositis condicionali sententiae 58; post *potius quam* 216; pro plusquamperfecto 257, 616; imperf. et praesens in exponendis philosophorum sententiis 459; indicativi post perfectum 518.
Imperiosus cognomen; in eo Ciceronis et Livii error 245.
Importunus, non *inopportunus*, 284.
Impotens 103.
Impunite 243.
In pro genetivo in describendo 224; de materia et ea re, cuius ratio habetur, 12, 536, 557; fere pro *de* 159; de eo, in quo aliquid accidit, 594; *in primo ortu* et *primo ortu* 682; post *locare*, *ponere* accusativum non asciscit apud bonos scriptores 612; cum ablativo pro accusativo 774; *in auribus alicuius* 737; *in rosa* 254.
Inane apud Democritum 39.
Inanimatus pro *inanimo* non Latinum 534.
Incommodare 697.
Indicativus insolens inter coniunctivos 28; in interrogando prave mutatus 245; legitimus in definitione rei, quae negando tollitur, 740; indicativus et coniunctivus quatenus coniungantur, 246

sq.; non ferendus apud Cic. in interrogatione pendenti 582. Cfr. *Coniunctivus.*
Indolentia 154.
Inexhaustus 349.
Infinitivus activus et passivus iuncti apud quaedam verba 177; infinitivus post praepositiones 217; in exclamando sine subiecto 196, 595; infinita et recta forma sententiae relativae continuativae 65; ex infinitivo auditur subiectum sententiae adiunctae 124.
Ingenitus 722.
Inquam bis positum 752, omissum 23, 62, 150; in poëtarum verbis citandis 661; locus 758; reiectum in alteram sententiam 370; *inquit ille*, vix *ille inquit*, 153.
Inscitia 94.
Inscius et *nescius* apud Cic. usu differunt 697.
Instituta philosophorum 614.
Institutio hominis 540, 645; philosophorum 483.
Intellegere 664.
Interesse; interest hoc ab illo 386.
Interpunctio difficilis 628.
Interrogare 82.
Interrogatio prave coniunctivo elata 245, 270, 589; indignantis quem modum habeat, 270; affirmativa in admirando 711; pendens apud Cic. et aequales indicativum respuit 582; interrogationis forma in oratione obliqua 570.
Ipse (*einer selbst*) 124; *ipse* et *is ipse* 297; quatenus pro *se*, 411; *ipse* (nomin.) et *ipsum* (acc.) 675, *ipse sibi*, non *ipsi* (dat.) *sibi*, 654; *nunc ipsum*, *tum ipsum* 254.
Ir 182.
Is pro reflexivo 508; redundat post sententiam relativam etiam post aliud pronomen 641, et post nomen, nullo interposito, 642; *is si quis* 396; *id appello* pro *ita app.* 371; *id* praenuntiat sequentem infinitivum 635. *Id est* vid. suo loco.
Iste; *isto modo* in respondendo 315.
Ita superadditum ex abundanti pronominibus 168; abundans ante definitionem 158, 436; in respondendo 354; *cur ita*, *quid ita* 292; *ita — itaque* 76.
Itaque; huius particulae significatio non apparet semper in prima sententia 41; non ponitur in redintegrando orationis cursu 43.
Item (*mihi, credo item vobis*) 165 (cfr. 739); post *ut* 424.
Iucunde et *svaviter* 108.
Iudicium veri, κριτήριον 49.
Iurare in legem 236.
Iustitia per omnes virtutes fusa 720.

C. Laelii aetas 184.
Latinus; *Latina scripta* et *Latine* 11; *male*, *bene Latinus* non dicitur, sed *male Latine* 22; *Latine docere aliquem* et similia 409.
Lectus et *electus* 387.
Lex Voconia 236, 237; Pompeia iudiciaria 480.
Licinius poëta 15.
Litterae pro *libris* 31.

Loco, *hoc loco*, id est, *in hac re*, *parte* 590.
Loqui cum accus. c. infin. 767.
Lucullus, L., quando mortuus, praef. LVIII n.; filius 349.
Ludicrum substantive 128.
Luere et *eluere* 717.
Lyco Peripateticus 625.

M et *S* in terminatione adverbiorum quorundam 42.
Male Graece, *mala Graeca*, non *male Graecus*, 22.
Mallet 778.
Manilius, M', 30.
Manliorum cognomina 245, Manlius vid. *Torquatus*.
Materies, *materia* et similia 448.
Maxime; *si maxime* 8.
Media Stoicorum 429, 431.
Memorare pro *commem.* rarum apud Cic. 162.
Memoriter 73.
Metellus, Q. Macedonicus, 750.
Metrodorus 148; eius de vita beata sententia 296.
Minimus 43, 743.
Minutus (*et angustus*) homo 113.
Μνημονικῶς 75.
Modi diversi coniuncti 246; modus mutatus in sententiis parallelis 543.
Modo de longiore temporis spatio 611; *modo* — *ne* (non *nec*) 28; *modo* abundans quodam modo 66.
Molliter ferre ambiguum 252.
Monstrosus 113.
Movere intransitive 209.
Multimodis 279.
Multum 14.

Nam et 787, 790, 791.
Natura datum 506; *naturae* (plural.) 528; natura quinta Aristotelis 495.
Ne interrogativum; pro eo male positum *ve* 595.
Ne breviter adiunctum 272; omissa verendi notione, 616; ubi Cicero solet *ut ne* scribere 252; *ne feceris*, non *ne facias*, in prosa oratione 137; *ne* pro *ne — quidem* num dicatur, 82 (cfr. 804); *ne — quidem* sine descensus ad minus significatione 96, 278, 802, 814; adiungitur superiori sine copula aut per *ac* aut *et* 812; negationi praecedenti superadditum 805; *ne — quidem igitur* 768. Cfr. *nec*.
Nec, *neque* in copulatione eorum, quae communi negationi subiciuntur, 65, 255, 402; *neque vero* 56; *nec — non* 106; *neque* et *neve* 492; *nec* apud quos pro *ne — quidem* dicatur non dicaturve, 190, 803 sqq.; *nec — quidem* 808 sqq.; *neque etiam* 812 not.; *neque — neque*, haec coniunctio dissoluta 792, 805; *neque — ne — quidem* 793.
Necessarius, id est, *cogens* 618.
Necesse est duplicem structuram miscet 647.
Negare. ex hoc sumendum *dicere*, omninoque e negativa voce affirmativa, 187 sq.
Negatio pertinens ad complexum sententiae ex affirmativa et negativa parte 809; a librariis addita aut detracta 473.
Nequitia 703.
Nescius et *inscius* 697.

Neutri generis potius quam *neutrius* 579.
Nihil pro *non* 260.
Nimio apud comparativum 577.
Nisi prave omissum 658.
Noctes et dies 101.
Nominativus dure interpositus cum *ut* 169; sine verbo in breviter iudicando 258; pro dativo apud *esse* 243; nominum propriorum Graecorum primae declinationis 303; in *on* et *o* 171.
Non et *nonne* 152; *non ullus*, ut sit *nullus*, 430; *non tam* 6; *non modo* non ponitur pro *non modo non* ante *sed etiam* 25; *non prorsus* et *prorsus non* 167; *non ut* pro *non quo* non dicitur 215.
Nonii codices 219; eius codices Ciceroniani, praefat. p. XXIII.
Nosse 148.
Notio et *notitia* 402; notiones innatae Stoicis a Cicerone tributae 709; notionum origo 401.
Numerari breviter dictum 547.
Numerus. Transitus a singulari ad pluralem 55 (in prima persona), 137 (post *uterque*); a plurali (de genere) ad singularem 179, aliter 248; pluralis post collectiva 57; verbi notabilis 265, 467; singularis verbi apud subi. plurale propter *quisque* 682; pluralis in dialogis 537, 546.
Nutare 143.
Nutus 45.

Obsidium cuius aetatis vox. 799.
Obtinere 262, 636.
Occurrere 42, 325.
Officii notio Stoica 441; *officium* absol., id est, medium 446; vid. *Stoici.*
Ὁμολογία, ὁμολογουμένως ζῆν 374, 500.
Oportet cum infinitivo activo 65.
Oppido 399.
Oratio obliqua transiens in rectam 67; inter obliquam et rectam fluctuans 413, 428, 509; finita retenta pro infinita in condicionali sententia 429; bipertita dissoluta et turbata 785 sqq. Oratio coniunctione carens in sententia interiecta 35, 766; non statim progrediens, quo tendit, 41, 745; minus diligenter structa, interrupta, aberrans, implicata in sententiarum nexu, interdum non sine reprehensione 102 (diversi generis notiones copulatae) 166, 322, 331, 357, 403, 422, 433, 483, 507, 527, 531, 537, 551, 568, 637, 641, 643, 647, 726, 745; cfr. de universo hoc genere 785; oratio ἀνακόλουθος falso Ciceroni tributa 43, 210, 412.
Oriri et *exoriri* 720; *oriri ab aliquo* Ciceronianum, non *oriri aliquo*, 727.
Oroetes, 775.
Ὠφέλημα, ὠφελεῖν apud Stoicos 400, 461.

Paene interpositum 13.
Palatus dubium pro *palatum* 184.
Panaetii sententiae mitiores et liber de dolore 516.
Paratus substant. 699.
Pars absolute, id est, *corporis*

pars 84: *omnibus*, *multis partibus* 324.
Participii et substantivi notio fluctuans 686; participium in interrogando 761; praesentis activum neutraliter positum 129; participium simplex et ablativi absoluti copulati 804.
Partim aliter conformato altero membro 796.
Partus ancillae 30.
Parum 769.
Passiva et activa oratio mire mixta 225.
Paulum aliquid 769.
Peccata paria apud Stoicos 564.
Peducaeus, Sex., 242.
Pellere, *depellere*, *repellere* 72.
Peragratio absolute 327.
Perceptio 367, 741.
Percipere usu 348.
Perfacilis et perexpeditus, *perfacilis et expeditus* 406.
Perfectum coniunct. post *ut* 250; indicativi post *cum*, *si*, relativa de actione repetita 679 sqq., 683; 455.
Perhibere pro *dicere* rarissimum apud Cic. 162.
Peripateticorum acumen desideratum 412, 780; cum Academicis consensus 485; sententiae de vitae degendae generibus 620; de corporis et externis bonis 417, 652, 749; virtutis divisio quaedam 484 et alia 669; Antiochia (Stoica) pro Peripateticis habita 413, 452, 494, 496, 666, 846.
Persequi et *prosequi* 697.
Persius, C., 20.
Perspicua Stoicorum 491.
Persto facere 323.
Pervagari et *pervulgari* 162.
Phaedrus Epicureus 36.
Philodemus Epicureus 336.
Philosophia vitae beatae effectrix 116; eius divisio tripertita 483.
Phoenica 562.
Physica virtus apud Stoicos 469.
Pingere et *depingere* 259.
Pinoteres 454.
Piso, M., 604, 607.
Plaga (de regione) 156.
Plantae non appellantur generaliter τὰ φυτά (sed *stirpes et herbae*) 496.
Pluralia tantum 593.
Plus pro *magis* 15.
Plusquamperfectum coniunctivi pro imperfecto neglegentia quadam 233; pro perfecto 728.
Poeni, id est, *Phoenices* 561.
Polemonis summi boni definitio 499, 502.
Polyaenus Epicureus 46.
Polycratis anulus 773.
Pompeius, Q., 235.
Ponere 733; *ponere barbam* 253.
Porcius Licinus 15.
Porro 743; in concludendo 189.
Posidonius 18.
Posse, id est, *aequo animo posse* 257; *potest*, id est, *potest fieri* 755; *nihil potest brevius* 553.
Post, id est, *retro* 668.
Postquam cum plusquamperf. et perfecto iunctis 807.
Potius quam post infinitivum cum infinitivo et coniunctivo 511.
Praecentare, *praecantare* et coniuncta 301.
Praepositio omissa ante pronomen relat. 71, 97; repe-

tita 76; repetenda post *nisi* 515; a nomine interventu coniunctionis aut adverbii separata 218, interventu alius nominis eodem casu 401; interposita inter *tam* et adiectivum 651; quae eidem praepositioni parere debebant, dissoluta 797.

Praescribere, *praescriptio* 140, 764.

Praesens et *assum* 106.

Praesens coniunctivi pro imperfecto in sententia nexa e condicionali 58; praesens et imperfectum mixtum in exponendis philosophorum sententiis 117, 459.

Praesertim, *cum praesertim* 188.

Praesto fieri non dicitur 445.

Praeterquam — *praeterea* 711.

Pravitas membrorum 525.

Prima naturae 202, 633, 708, 815 sqq. (*Primigenia* 817.)

Primor 436.

Primum non sequente *deinde* 37; *primum quod* — *deinde* 796.

Primus quisque (*primum quidquid*) 318; *primi homines* 24; *a primo* 397.

Principia agere non dicitur 731; *principia naturalia* vid. *prima naturae*.

Pro suo (*meo*) *iure* 737.

Proclive et *proclivi* 754.

Προηγμένον 432, 435, 440.

Προκοπή 420, 578.

Πρόληψις 68.

Promulgare rem inusitatum 162.

Pronomen singulare ad notionem generalem in nomine plurali latentem 248; plurale ad nomen singulare 566; pronomen refertur ad substantivi notionem in adiectivo inclusam 38 et 629; neutro genere post femininum nomen ad communem notionem relatum 374; praedicati vicem sustinens 558, 579 (591); infinitivum praenuntians 635; substantivo adiunctum pro genetivo (*hic dolor*, id est, *huius rei*) 256, 406; abundans apud infinit. (*tuum est te*) 356; pronomen substantivum et adiectivum neutro genere 40, 80, 443, 633. Pronominis locus in sententia infinita 100.

Pronomen ad superius subiectum relatum num omittatur in infinita sententia futuri activi, 660.

Pronomen demonstrativum in continuanda relativa sententia 88; subiecta particula *enim* 387; ubi non possit omitti ante relativum, 414, 421; abundans post sententiam relativam 641, post comparationem aliave interposita 731; apud *quidem* 545; pronomen plurali numero, ubi una res videtur sequi, 797. Cfr. *Is*.

Pronomen relativum non accurate demonstrativo respondens 212, 465 (*ex eo genere, quae*); sequente epexegesi 155; de universo genere relatum ad unius rei appellationem 555; in causa significanda 702; plurale post nomen singulare propter generis significationem 778, cfr. 723, 725; ad obscuram personarum notionem accommodatum 14; eius qui casus ab eo, qui positus

sit, diversi in altera parte intellegi possint, 650.
Pronomen reflex; vid. *Se*.
Pronominis possessivi genetivus pro genetivo personalis positus 111; pro possessivo adiectivo 269.
Πρὸς φύσιν pro *κατὰ φ.* non Graecum 67.
Prosperus 131.
Prudentia et sapientia confusae notione 89.
Πτολεμαεῖον quomodo Latine pronuntietur, et similia 604.
Puteolana granaria 281.
Putesco, *putresco* et cognata 673.
Pyrrho 217.
Pythagorei Platonis magistri 760.

Qua et *quae* 59.
Quaero scire apud quos dicatur, 356.
Quaestiones extraordinariae criminum a populo decretae 233; quaestio de repetundis 233.
Quam ab adiectivo praepositione separatum 651, prave transpositum (*quam potius*, *prius*) 772.
Quamobrem 366.
Quamquam num apud Cic. cum coniunctivo, 465; sine verbo apud Cic. non ponitur 726.
Quando et *quoniam* 639, 723.
Quandoque 833.
Que in transitu ad novam sententiam 471; non adiungitur vocibus *hic*, *sic*, *nunc* 677. (Cfr. *et* et *quique*.)
Qui et quantus 258.
Qui non et *quin* 193. (*Qui* vid. *Pron. relat.*)
Quicumque pro *quivis* et in dubitatione significanda 834; *quicumque qui* barbarum ibd.
Quidem in elevando 77; male positum 130, 390; ineleganter repetitum 745; pronomini subiectum 545.
Quin prave cum coniunctivo in interrogando 734; post sententiam contrariam aut negationem negando sublatam 661; *quin ne — quidem* non usitatum 704.
Quique — quique pro *et qui — et qui* non Ciceronianum 710.
Quis indefinitum in negativa sententia 466.
Quisquam 392, 466, 547, 835.
Quisque 30, 596; *quisque* in sententia post posita 460; ad hoc verbum singularis numeri relatum durius 682; non ponitur apud Cic. aut aequales pro *quicumque* 832 sqq. Cfr. *suus quisque*.
Quisquis quos casus habeat, 419; feminini generis formam non habet ante Tacitum 420; pro *quisque* 645.
Quo non dicitur pro *quomodo* 232.
Quo minus (*non precor q. m.*) 276.
Quod ante alias coniunctiones 125; male cum coniunctivo positum 51; cum coniunct. pro *quamquam* apud Ovidium 52; *quod item*, *quod contra*, *quod nunc* 739.
Quoque; positus, ubi cum aliis particulis concurrit, 325.
Quorsus et *quorsum*, similia 42.

Ratione 70; *ratione alicuius* 414.
Recipere et *suscipere* 126.

Referre pro *narrare* non Ciceronianae aetatis 308.
Reiectaneus 588.
Relinquere pro *omittere* 41.
Repellere 343; *repellere* et *depellere* 72.
Repetitio eiusdem vocabuli 9, 86, 460.
Reprehendere (fugientem) 139.
Reprobare non Ciceronianae aetatis 49.
Requirere non est *iterum quaerere* 693.
Rhetoricae locus in philosophia 486; divisiones quaedam, quaestionis et causae, cett., 488.
Ruina 42.
Rutilius, P., 20.

Sacculus vinarius 183.
Sapientia et prudentia 89; sapientis persona apud veteres philosophos 526, 580; sapiens beatus apud Epicurum 84, 116.
Sardanapalli epigramma 319.
Satis cum nominativo et accusativo 282.
Scientia 119.
Scilicet 608.
Σκοπός et *τέλος* 379.
Se (*einen selbst*) 124; *sibi cuique* — *suum* 465; omissum in sententia infinita 660.
Secernere, id est, *reicere* 589.
Selectio; vid. *Stoici.*
Senatus non iudicabat 53, nec quaestiones constituebat 233.
Sensus, id est, *sentiendi actus* 121.
Sententia secundaria primariae aequata 35, 766; sententiae inter se implicatae 231, 628.
Sentire 146.
Sequi; vid. *consequi.*
Sergius, C., Orata 261.
Serviliae duae, Q. Caepionis filiae, 352.
Si bis positum 19; cum perfecto indicativi 683; male ponitur pro *quod* 521; *si* — *sive* 45; *si maxime* 8.
Sic abundat 158; in respondendo 354; *sicine* 75.
Silanus, D., 52.
Similis cum genetivo et dativo qua regula 622.
Similiter et si suspectum 175.
Similitudo haec, id est, *aliquid huius simile* 681.
Simul ut, *et* 201.
Singularis; vid. *Numerus.*
Siro Epicureus 336.
Sit pro *est* scriptum 444.
Situm in aliquo 108.
Sive — *sive* interruptum 45, 795.
Sol Epicuro pedalis 46; *solem numquam vidisse* 180.
Solet, *ut*, impersonaliter 604.
Solum et *solus* 92.
Solutus somno ambiguum 253.
Σῶμα κυκλοφορητικόν apud Aristotelem 495.
Spinas vellere 486.
Sponte, *sua sponte* non augetur adiectivo 690.
St; errores ex hac scriptura 444.
Staseas Peripateticus 615.
Stoicorum ethicae divisio et dispositio 824 sqq.; sententiae de materia et vi effectrice 40, de iustitiae notione 223, de prima commendatione 364, de voluptate 365, de aestimabili et selectione eorum, quae secundum naturam essent aut contra, 370,

372, 548, de officii origine 377, 446, de summo bono comparatione illustrata 378, de bonis τελικοῖς et ποιητικοῖς 438, de sapientiae origine 382, de recte factis peccatisque 384, 423, 564, de notionum origine 401, de vita beata longa et brevi 420, de divitiis 425, de differentia rerum mediarum 429 (567), de exitu e vita 448, de opportunitate (τῇ εὐκαιρίᾳ) 451, de societate hominum 452, de providentia 455, de mundo hominum causa creato 458, de re p. capessenda 460, de amoribus 461, de emolumentis et detrimentis, commodis incommodisque 461, de amicitia 464; de sapientis persona 474; de animo corporeo 535; eorum summi boni definitio 499, 500, 638, fortasse ab Antiocho inflexa 499; qua argumenti conclusione solum honestum bonum esse demonstrarint, 388; sorites ab iis improbatus 554. Alia quaerantur suis nominibus, ut *bonum*, *perceptio*, *ὁμολογία*, cett.

Strato Peripateticus 624.

Subicere sub aliquid, non *sub aliquo*, 226.

Substantiva diversae significationis minus accurate coniuncta 102, 306; in *tio* potestatem rei significantia 300; pluralia tantum ex qua origine, 593.

Summa bonorum 638; *summa philosophia* 311.

Sunt, qui 130.

Superlativus sine particula (*omnis minimus*, *ullus minimus*) 344.

Suscipere et *recipere* 126.

Suus 124; *suus quisque* eodem casu 689, cfr. 727.

Syllepsis genus quoddam in verbo alia forma audiendo 374.

Συμπληροῦν, *συμπληροῦσθαι* 413.

Syncope (*dixti* et similia) 152.

Synesis figura 206; in gerundivo 315.

Synonyma 108.

Tam, *non tam* 4; separatum ab adiectivo interventu praepositionis 651.

Tamen relatum ad sententiam non positam 283.

Tantum 14; *tantum satis* 65; *tantum*, id est, *tantum id* 679; *hoc* (*quid*) *tantum* 746.

Τέλειος βίος 652.

Τέλος 64; praef. LIX.

Tempora variata in philosophorum sententiis narrandis 459; aliter 502; in oratione obliqua 509, 512; in re comparationis causa ficta 335, 526; post *postquam* 807; durissime 551; tempus verbi ad condicionalem orationem accommodatum 58.

Tendere 164.

Tenuis, *tenuiter*, id est, *subtilis* 410.

Themista Epicurea 258.

Theophrasti liber de vita beata 621, a Cicerone studiose lectus 841, de vitae degendae generibus sententia 620.

Tolerabiliter ferre, id est, *toleranter* 415.
Torquatus, A., 264.
Torquatus, L., pater 5 et 250.
Torquatus, L., filius 4.
Torquatus, T., primus 50, 51; alius 52.
Traicere quomodo construatur, 514.
Transpositio vocum in codicibus 675.
Triarius, C. Valerius, 5.
Tritannus 24.
Tubulus, L., 233.
Tum et *Tunc* 61; post ablativos absolutos 527; *tum ipsum* 254.
Turbare intransitive 77.

Varro, M., in philosophia Antiochum sequebatur 620, 666, 824.
Ubi ut 248.
Vectigalia 284.
Vel simplex sine correctione 244, ter cum aliqua varietate positum 277; *vel* num pro *saltem*, 544; *vel* — *vel*, ubi expectaretur *aut*, 520; dissoluta haec forma 794.
Vel dicam 26.
Velle de obiectionibus 61; *velle sibi aliquid* 460; *velle se physicum* 313; *velim*, *ut* 355.
Verbi omittendi condiciones 23, 493, 518, 768; dure omissum 611, non recte 498; in apodosi auditur e protasi 715; contrariae significationis auditur 187, 293; *esse* ad praedicati nomen. non ad subiectum accommodatum 654; verbum geminatum pro coniunctione 779; verbi idem intra breve spatium repetitio 86.
Vereri, *veritum est me* 213.
Veri et falsi nota apud Epic. 49.
Veri similis et *vero* 624.
Via, *via ac ratione* 220.
Videri passive 231.
Virtus et *honestum* 115; eius definitio 290; divisio quaedam singularis 484; virtus ars 484; divisio Peripatetica virtutis theoreticae et practicae 213; voluntariae et non voluntariae 669.
Visa apud Stoicos 741.
Vita beata et beatissima distincta 749 (apud Epicurum 116); vitae degendae genera 620.
Vitare et *evitare* 637.
Vivorum meminisse 609.
Ullus, ubi poterat expectari *unus*, 473.
Unusquisque non de duobus 505.
Vocativus *Ulixe* et *Ulixes* 694.
Voconia lex 236, 237.
Voluptas stans et movens 198, 79.
Usquequaque 770.
Ut cum brevitate quadam positum 33 sq.; ubi infinitivus ponendus fuisse videatur, 144, cfr. 395; in interrogando de consilio (*ubi ut*, *ut quid*) 248; post *caveo* et similia 164; in sententiis concessivis et similibus quomodo dicatur, 263; repetitum 415; in circumscribendo 479; *ut* — *sic* 10; singulari modo in exemplo comparando 523; pro *ita ut* 610; minus accurate positum et abundans 618; *ut ne* 767; *ut non* et *ut ne* 163; *non ut* pro *non quo* non dicitur 215; *ut* abun-

dans apud *aut* 73. Ea, quae particulae *ut* aequaliter subicienda erant, dissoluta 798. *Ut*, *velut* in sententia exempli loco adiungenda 171.
Utrumque pro praedicato (non *ob utrumque*) 440.

Xenocratis finis bonorum 504.

Ὑποτελής 218.

Zeno Epicureus 36.
Zenonis finis 500.
Zeugmatis genus quoddam 293; durum in infinitivo e verbo finito audiendo 488.

3 2044 014 577 050

The borrower must return this item on or before the last date stamped below. If another user places a recall for this item, the borrower will be notified of the need for an earlier return.

Non-receipt of overdue notices does not exempt the borrower from overdue fines.

Harvard College Widener Library
Cambridge, MA 02138 617-495-2413

WIDENER
DEC 10 2004
CANCELLED
WIDENER
OCT 21 2004
BOOK DUE

Please handle with care.
Thank you for helping to preserve library collections at Harvard.